C-22

CORPVS INSTITVTORVM SOCIETATIS IESV

IN DVO VOLVMINA DISTINCTVM:

ACCEDIT CATALOGVS PROVINCIARVM, DOMORVM, COLLEGIORVM ETC. EIVSDEM SOCIETATIS.

VOLVMEN PRIMVM.

Iuxta exemplar excuſum.



Ex libris

ANTVERPIÆ,

APVD IOHANNEM MEVRSIVM,

ANNO MDCCII.

Typographus Antverpienſis Lectori.

Benevole Lector.

INſtitutum Societatis Ieſu, ſuas in partes librosque diviſum, poteſtate ab ejusdem Superioribus ad id acceptâ, in lucem dedit Parens meus IOANNES MEVRSIVS B. M. Anno 1635. Multa exinde, & à Summis Pontificibus, & à Generalibus, vel Congregationibus, vel Præpoſitis condita ſunt; quæ, uti diverſis temporibus accepta, ita ſeparatim prœlo commiſſa, & ſparſim ſunt diſtracta. Quo factum, ut ejusdem Inſtituti vix ſit opus integrum in manibus, niſi quod ex diverſis partibus, vel à me, vel à Parente meo ſubinde impreſſis, privatâ ſit induſtriâ collectum. Ea cauſa fuit, cur plurimi ex eadem Societate, vel reverentiâ ducti erga ſuum Inſtitutum, quod numeris omnibus abſolutum poſteritati commendatum cupiunt; vel amore ejusdem, quod uti typis integrum, atq; perfectum, ita ſuis, ſuorumque animis vehementer optant impreſſum, non ſemel flagitarunt, ut Superiorum juſſu ea, quæ ab anno 1636 prodierunt, ſimul recuſa in unum librum compingerentur. Ego illorum tam ſancto, juſtoque deſiderio ſatisfeci; atque, ut operis integritati magis ſit conſultum, ſic typis mandavi, ut ſeparari inter ſe partes ne quidem poſſint. Deinde ut univerſum Societatis Ieſu In-

ſtitutum, quod unum eſt, unius Gloriæ Dei, & ſalutis animarum, fine, quem unum intendit Societas, typis quoque unum idemque ſit; eâdem formâ, typis, charactere uſus ſum, quibus priores ejusdem partes ſunt editæ: quas ut unus ſingulari libello Index complectitur, ita Auctarii hujus partes, ac titulos, ſequens pagina; earum verò materiam omnem, unus ad calcem ſubjectus Index, exhibet. Hic habes, Benevole Lector, rationem conſilii mei. Tu fruere, & Vale.

Opus à Iohanne Meurſio Anno 1635 Antverpiæ editum, ejusque additamenta ad annum usq; 1665 hic fideliter recuſa habes, Lector; ita tamen ut additamenta ſuis quæque locis ſint inſerta. In tomos duos illud diviſimus, ſed ſi cui mage ſpiſſa volumina diſpliceant, unusquisq; titulus ſeorſim ligari poteſt: huic enim fini quivis titulus novum folium exorditur. Ad calcem Catalogum adjecimus provinciarum Societatis Ieſu, juxta exemplar Romæ anno 1679 exſcriptum. Vale iterum.

Series

Series operum primi voluminis.

Litteræ Apoſtolicæ	p. 1
Conſtitutiones cum examine	251
Regulæ	493
Decreta congregation. general.	685
Canones	1031
Formulæ	1101
Ratio ſtudiorum	1333

Series ſecundi voluminis.

Ordinationes Generalium	p. 1
Compendium privilegiorum & gratiarum	89
Inſtructiones ad Provinciales & Superiores	177
P. Claudi Aquavivæ Induſtriæ pro Superioribus	261
Ejusdem inſtructio pro Superioribus	327
S. Ignatii exercitia ſpiritualia	355
Directorium in exercitia ſpiritualia S. Ignatii	439
Epiſtolæ Præpoſitorum Generalium	521
Index generalis ipſius inſtituti	886
Catalogus provinciarum, domorum, collegiorum &c.	1067

FORMVLA
VOTORVM SIMPLICIVM
SCHOLASTICORVM

etſi habetur Par. 5 Conſtit. cap. 4 §. 4 pag. 372, viſa eſt tamen hîc ſeparatim addenda, ad uſum ſemeſtris renovationis votorum.

OMNIPOTENS ſempiterne Deus, Ego N. licet undecumque divino tuo conſpectu indigniſſimus, fretus tamen pietate ac miſericordiâ tuâ infinitâ, & impulſus tibi ſerviendi deſiderio, VOVEO coram ſacratiſſimâ Virgine MARIA, & curiâ tuâ cœleſti universâ, Divinæ Majeſtati tuæ, PAVPERTATEM, CASTITATEM, & OBEDIENTIAM perpetuam, in Societate IESV; & promitto eandem Societatem me ingreſſurum, ut vitam in eâ perpetuò degam; omnia intelligendo juxta ipſius Societatis Conſtitutiones. A tuâ ergo immensâ bonitate & clementiâ, per IESV Chriſti ſanguinem, peto ſuppliciter, ut hoc holocauſtum in odorem ſuavitatis admittere digneris; & ut largitus es ad hoc deſiderandum & offerendum, ſic etiam ad explendum gratiam uberem largiaris. Amen.

Inſerendum Compendio Privilegiorum ante Præfationem, pag. 91.

Notum ſit omnibus, ea privilegia, quæ conceſſa fuerunt vivæ vocis oraculo, revocata eſſe.

LITTERÆ APOSTOLICÆ,

QVIBVS INSTITVTIO, CONFIRMATIO,

Et varia Privilegia continentur

SOCIETATIS JESV.

Juxta editionem excuſam



ANTVERPIÆ,
Apud JOANNEM MEVRSIVM.

SVPERIORVM PERMISSV.

PAVLI III.
PRIMA INSTITVTI SOCIETATIS IESV APPROBATIO.

Cum reſtrictione numeri ad perſonas ſexaginta dumtaxat.

ANNO M. D. XL.

PAVLVS Epiſcopus ſervus ſervorum Dei, ad perpetuam rei memoriam. Regimini militantis Eccleſiæ, meritis licet imparibus, diſponente Domino præſidentes; & animarum ſalutem, prout ex debito paſtoralis officii tenemur, ſollicitis ſtudiis exquirentes; fideles quoslibet, qui vota ſua in id exponunt, Apoſtolici favoris gratiâ confovemus, aliasque deſuper diſponimus, prout temporum & locorum qualitate penſatâ, id in Domino conſpicimus ſalubriter expedire. Nuper ſiquidem accepimus, quòd dilecti filii, Ignatius de Loyola, & Petrus Faber, ac Iacobus Laynez, nec non Claudius Iajus, & Paſchaſius Broët, ac Franciſcus Xavier, nec non Alfonſus Salmeron, & Simon Rodericus, ac Joannes Çoduri, & Nicolaus de Bobadilla, *Primi decem Patres Societatis.*

PAVLI III. Presbyteri Pampilonen. Gebennen. Seguntin. Toletan. Viſen. Ebredunen. & Palentin. civitatum, & diœceſeon reſpectivè, in Artibus Magiſtri, in Vniverſitate Pariſienſi graduati, & in Theologicis ſtudiis per plures annos exercitati; Spiritu ſancto, ut piè creditur, afflati, jam dudum è diverſis mundi regionibus diſcedentes, in unum convenerunt, & Socii effecti, abdicatis hujus ſæculi illecebris, eorum vitam perpetuo Domini Noſtri JESV CHRISTI, atque noſtro, & aliorum ſucceſſorum noſtrorum Romanorum Pontificum ſervitio dedicarunt; & jam quàm pluribus annis laudabiliter in vineâ Domini ſe exercuerunt; verbum Dei præviâ ſufficienti licentiâ publicè prædicando, fideles privatim ad benè beateque vivendum exhortando, & ad pias meditationes excitando, hoſpitalibus inſerviendo, pueros, & perſonas rudes ea quæ ad Chriſtianam hominis inſtitutionem ſunt neceſſaria, docendo; & demum omnia caritatis officia, & quæ ad animarum conſolationem faciunt ubique terrarum, ubi peregrinati ſunt, multâ cum laude obeundo. Cumque ad hanc almam Vrbem ſe contulerint, & in caritatis vinculo perſiſtentes ad perficiendam & conſervandam eorum Societatis in Chriſto unionem, quamdam vivendi formulam, juxta ea quæ ad propoſitum ſibi finem conducere uſu didicerunt, Evangelicis conſiliis, & canonicis Patrum ſanctionibus conformem ediderint; factum eſt, ut ipſorum ſociorum vitæ inſtitutum, ſub dictâ formulâ comprehenſum, non ſolùm à multis probis viris & Deum zelantibus laudetur; verùm etiam à quibusdam ita approbetur, ut illud etiam ſequi velint. Formulæ autem prædictæ tenor ſequitur, & eſt talis: Quicunque in Societate noſtrâ, quam IESV nomine inſigniri cupimus, vult ſub crucis vexillo Deo militare, & ſoli Domino, atque Romano Pontifici ejus in terris Vicario ſervire, poſt ſolemne perpetuæ caſtitatis votum, proponat ſibi in animo, ſe partem eſſe Societatis, ad hoc potiſſimùm inſtitutæ, ut ad profectum animarum in vitâ & doctrinâ Chriſtianâ, ad fidei propagationem, per publicas prædicationes, & verbi Dei miniſterium, ſpiritualia exercitia, & caritatis opera, & nominatim per puerorum ac rudium in Chriſtianiſmo inſtitutionem, ac Chriſti fidelium in confeſſionibus audiendis, ſpiritualem conſolationem præcipuè intendat; curetque primò Deum, deinde hujus ſui inſtituti rationem, quæ via quædam eſt ad illum, ſemper ante oculos habere, & finem hunc ſibi à Deo propoſitum totis viribus aſſequi; unusquisque tamen ſecundum gratiam ſibi à Spiritu ſancto ſubminiſtratam, & vocationis ſuæ proprium gradum, ne quis fortè zelo utatur, ſed non ſecundùm ſcientiam.

Prima Patrum exercitia.

Inſtituti Societatis formula.

Votum caſtitatis.

Finis Inſtituti.

Inſtitutio puerorum.

Cujus

Cujus proprii cujusque gradus judicium, & officiorum diſcretio ac diſtributio tota ſit in manu Præpoſiti ſeu Prælati per nos eligendi, ut congruus ordo ſervetur, in omni benè inſtitutâ communitate neceſſarius. Qui quidem Præpoſitus de conſilio conſociorum, Conſtitutiones, ad conſtructionem hujus propoſiti nobis finis conducentes, in conſilio condendi auctoritatem habeat, majori ſuffragiorum parte ſemper ſtatuendi jus habente. Conſilium verò intelligatur eſſe, in rebus quidem gravioribus, ac perpetuis, major pars totius Societatis, quæ à Præpoſito commodè convocari poterit; in levioribus autem, & temporaneis, omnes illi quos in loco, ubi Præpoſitus noſter reſidebit, præſentes eſſe contigerit. Iubendi autem jus totum penes Præpoſitum erit. Sciant omnes Socii, & non ſolùm in primis profeſſionis ſuæ foribus, ſed quoad vixerint, quotidie animo volvant, Societatem hanc univerſam, & ſingulos ſub ſanctiſſimi Domini noſtri Papæ, & aliorum Romanorum Pontificum ſucceſſorum ejus, fideli obedientiâ Deo militare. Et quamvis Evangelio doceamur, & fide orthodoxâ cognoſcamus, ac firmiter profiteamur, omnes Chriſti fideles Romano Pontifici, tamquàm capiti ac IESV CHRISTI Vicario ſubeſſe: ad majorem tamen noſtræ Societatis humilitatem, ac perfectam uniuscujusque mortificationem, & voluntatum noſtrarum abnegationem, ſummoperè conducere judicavimus, ſingulos nos ultra illud commune vinculum, ſpeciali voto adſtringi, ita, ut quidquid modernus, & alii Romani Pontifices pro tempore exiſtentes juſſerint, ad profectum animarum, & fidei propagationem pertinens, & ad quascumque Provincias nos mittere voluerint; ſine ullà tergiverſatione, aut excuſatione, illicò, quantum in nobis fuerit, exequi teneamur; ſive miſerint nos ad Turcas, ſive ad quoscumque alios infideles, etiam in partibus, quas Indias vocant, exiſtentes; ſive ad quoscumque hæreticos, ſeu ſchismaticos, ſeu etiam ad quosvis fideles. Quamobrem qui ad nos acceſſuri ſunt, & antequam huic oneri humeros ſupponant, diu multumque meditentur, an tantum pecuniæ ſpiritualis in bonis habeant, ut turrim hanc juxta conſilium Dominicum poſſint conſummare: hoc eſt, an Spiritus ſanctus, qui illos impellit, tantum illis gratiæ polliceatur, ut hujus vocationis pondus illo adjuvante, ſe laturos ſperent: & poſtquam, Domino inſpirante, huic IESV CHRISTI militiæ nomen dederint, die noctuque ſuccincti lumbos, & ad tam grandis debiti ſolutionem prompti eſſe debebunt. Ne qua autem poſſit eſſe inter nos miſſionum, ac provinciarum hujuſcemodi, aut ambitio vel detrectatio; profiteantur ſin-

PAVLI III.

Officiorum diſtributio.

De condendis conſtitutionibus.

Speciale votum obediendi Romano Pontifici.

PAVLI III. ſinguli, ſe numquàm directè aut indirectè de hujuſmodi miſſionibus quidquam cum Romano Pontifice curaturos: ſed omnem hanc curam Deo, & ipſi Pontifici tamquam ejus Vicario, & Societatis Præpoſito dimiſſuros. Qui quidem Præpoſitus, ſicut ceteri, etiam prôfiteatur, ſe nihil de ſuimetipſius miſſione in alterutram partem, niſi de Societatis conſilio, cum dicto Pontifice eſſe curaturum. Voveant ſinguli ſe in omnibus, quæ ad Regulæ hujus noſtræ obſervationem faciunt, obedientes fore Societatis Præpoſito. Ille autem jubeat ea, quæ ad conſtructionem propoſiti ſibi à Deo & à Societate finis cognoverit eſſe opportuna. In prælatione autem ſuâ, benignitatis, ac manſuetudinis, caritatiſque Chriſti, Petri, Paulique formulæ ſemper ſit memor: & tam ipſe quàm conſilium ad normam hanc aſſiduè ſpectent; & nominatim commendatam habeant inſtitutionem puerorum ac rudium in Chriſtianâ doctrinâ decem præceptorum, atque aliorum ſimilium rudimentorum, quæcumque ſecundùm circumſtantias perſonarum, locorum, ac temporum, illis congrua videbuntur. Eſt enim maximè neceſſarium, circa providentiam hujus rei diligenter Præpoſitum & conſilium invigilare; cùm & in proximis ædificium fidei ſine fundamento non poſſit conſurgere, & in noſtris periculum ſit, ne, ut quiſque erit doctior, ita provinciam hanc, tamquàm primo aſpectu minùs ſpecioſam, forſitan detrectare conetur: cùm tamen reverà nulla ſit fructuoſior, vel proximis ad ædificationem, vel noſtris ad caritatis & humilitatis ſimul officia exercenda. Subditi verò tum propter ingentes ordinis utilitates, tum propter numquàm ſatis laudatum humilitatis aſſiduum exercitium, Præpoſito in omnibus ad inſtitutum Societatis pertinentibus parere ſemper teneantur; & in illo Chriſtum, veluti præſentem agnoſcant, & quantum decet, venerentur. Cùm autem experti fuerimus jucundiorem, puriorem, & ad proximi ædificationem aptiorem eſſe vitam ab omni avaritiæ contagione quàm remotiſſimam, & Evangelicæ paupertati quàm ſimillimam, cumque ſciamus Dominum noſtrum IESVM CHRISTVM ſervis ſuis regnum Dei ſolum inquirentibus neceſſaria ad victum & veſtitum eſſe ſubminiſtraturum; voveant ſinguli & univerſi perpetuam Paupertatem, declarantes, quòd non ſolùm privatim, ſed neque etiam communiter poſſint pro Societatis ſuſtentatione, aut uſu, ad bona aliqua ſtabilia, aut ad proventus, ſeu introitus aliquos, jus aliquod civile acquirere: ſed ſint contenti uſum tantùm rerum ſibi donatarum ad neceſſaria ſibi comparanda recipere. Poſſint tamen habere in univerſitatibus Collegium, ſeu Collegia haben-

Miſſiones non procurandæ.

Votum obedientiæ.

Gubernandi ratio.

De inſtitutione puerorum ac rudium.

Obedientia ſubditorum erga Præpoſitum.

Votum paupertatis.

De Collegiis, & eorum reditibus.

habentia reditus, cenſus, ſeu poſſeſſiones, uſibus & neceſſitatibus ſtudentium applicandas: retentâ penes Præpoſitum & Societatem omnimodâ gubernatione, ſeu ſuperintendentiâ ſuper dicta Collegia, & prædictos ſtudentes, quoad gubernatoris, ſeu gubernatorum, ac ſtudentium electionem, ac eorumdem admiſſionem, emiſſionem, receptionem, excluſionem, ſtatutorum ordinationem, circa ſtudentium inſtructionem, eruditionem, ædificationem, ac correctionem, victus veſtitusque eis miniſtrandi modum, atque aliam omnimodam gubernationem, regimen, ac curam: ſic tamen, ut neque ſtudentes dictis bonis abuti, neque Societas in proprios uſus convertere poſſint, ſed ſtudentium neceſſitati ſubvenire. Qui quidem poſt cognitum in ſpiritu & litteris eorum profectum, & poſt ſufficientem probationem, in Societatem noſtram admitti poſſint. Socii omnes quicunque in ſacris fuerint, quamvis beneficia Eccleſiaſtica, aut eorum reditus non habeant, teneantur tamen ſinguli privatim ac particulariter, & non communiter, ad dicendum officium ſecundùm Eccleſiæ ritum. Hæc ſunt, quæ ſub præfati Domini noſtri PAULI, & Sedis Apoſtolicæ beneplacito, de noſtrâ profeſſione, typo quodam explicare potuimus. Quod nunc fecimus, ut ſummatim ſcriptione hac informaremus tum illos, qui nos de noſtro vitæ inſtituto interrogant, tum etiam poſteros noſtros, ſi quos, Deo volente, imitatores unquam habebimus hujus viæ: quam cùm multas magnasque habere annexas difficultates fuerimus experti, opportunum judicavimus etiam ſtatuere, ne quis in hac Societate recipiatur, niſi diu ac diligentiſſimè fuerit probatus: cumque prudens in Chriſto, & vel doctrinâ, ſeu vitæ Chriſtianæ puritate apparuerit conſpicuus, tunc demum admittatur ad IESU CHRISTI militiam, qui tenuibus cœptis noſtris favere dignetur ad gloriam Dei Patris, cui ſoli ſit ſemper decus, & honor in ſæcula, Amen. Cùm autem nil in præmiſſis reperiatur, quod pium non ſit, aut ſanctum; Nos, ut iidem Socii, qui nobis ſuper hoc humillimè ſupplicari fecerunt, in eorum pio vivendi propoſito eò promptiores exiſtant, quò ſe majori Sedis Apoſtolicæ gratiâ complecti cognorint, & præmiſſa per nos approbari viderint; præmiſſa omnia, & ſingula tamquàm ad ſpiritualem profectum eorumdem Sociorum, & reliqui Chriſtiani gregis opportuna, Apoſtolicâ auctoritate, tenore præſentium ex certâ ſcientiâ approbamus, confirmamus, & benedicimus, ac perpetuæ firmitatis munimine roboramus; ipſosque ſocios ſub noſtrâ, & hujus ſanctæ Sedis Apoſtolicæ protectione ſuſcipimus: Eis nihilominùs concedentes, quòd particula-

PAULI III.

De divino officio recitando.

Admittendi probentur.

Confirmatio Inſtituti.

PAVLI III. *Facultas condendi Conſtitutiones.* *Reſtrictio perſonarum ad ſexaginta.*

ticulares inter eos Conſtitutiones, quas ad Societatis hujusmodi finem; & IESV CHRISTI Domini noſtri gloriam, ac proximi utilitatem conformes eſſe judicaverint, condere liberè & licitè valeant. Non obſtantibus generalis Concilii, & felicis recordationis GREGORII Papæ X. prædeceſſoris noſtri, ac quibusvis aliis conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ceterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem quòd in Societate hujusmodi, usque ad numerum ſexaginta perſonarum, normulam vivendi hujusmodi profiteri cupientium, & non ultra admitti, & Societati præfatæ aggregari dumtaxat valeant. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ approbationis, confirmationis, benedictionis, roborationis, ſuſceptionis, conceſſionis, & voluntatis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, ac BB. Petri & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum Romæ apud S. Marcum, anno Incarnationis Dominicæ, M.D.XL.V. Kal. Octob. Pontificatus noſtri anno ſexto.

Blo.

BVLLA II.

FACVLTAS

Quo ſuis idoneos ad Societatem IESV,

Sine reſtrictione numeri admittendi, & Conſtitutiones condendi.

ANNO M.D. XLIII.

PAVLVS Epiſcopus ſervus ſervorum Dei, ad perpetuam rei memoriam. Injunctum nobis deſuper Apoſtolicæ ſervitutis officium dignè peragere credimus, ſi ad ea ſolitæ benignitatis extendimus affectum, per quæ religionis ſuccreſcat incrementum, fideique orthodoxæ dilatatio ad divini nominis laudem ſubſequi ſperetur. Cùm itaque nos aliàs, poſtquàm dilecti filii Ignatius de Loyola, & Petrus Faber, ac Iacobus Laynez, & Claudius Iajus, nec non Paſchaſius Broët, & Franciſcus Xavier, ac Alfonſus Salmeron, & Simon Rodericus, nec non Ioannes Coduri, & Nicolaus de Bobadilla, Socii Societatis IESU nuncupatæ Presbyteri Pampilon. Gebenn. Seguntin. Toletan. Viſen. Ebre-

Ebredun. & Palentin. civitatum & diœceſeon reſpectivè, in Artibus magiſtri, & in Vniverſitate Pariſienſi graduati, ac in Theologicis ſtudiis per plures annos exercitati, Spiritu ſancto, ut piè creditur, afflati, jamdudum è diverſis mundi regionibus diſcedentes in unum convenerant, & Socii effecti, eorum vitam perpetuò ejusdem Domini noſtri IESV CHRISTI, atque noſtro & aliorum Romanorum Pontificum ſucceſſorum noſtrorum ſervitio dedicarant; & cùm ad hanc almam Vrbem ſe contuliſſent ad perficiendam, & conſervandam eorum Societatis in Chriſto unionem, quamdam vivendi formulam ediderant, inter alia continentem, Quòd quicumque in eorum Societate prædictâ vellet ſub crucis vexillo Deo militare, & ſoli Domino, & Romano Pontifici ejus in terris Vicario ſervire, poſt ſolemne perpetuæ caſtitatis votum proponeret ſibi in animo, ſe partem eſſe Societatis, ad id potiſſimùm inſtitutæ, ut ad profectum animarum in vitâ & doctrinâ Chriſtianâ, & ad fidei propagationem, per publicas prædicationes, & verbi Dei miniſterium, ac ſpiritualia exercitia, & caritatis opera præcipuè intenderet; curaretque primò Deum, deinde hujus ſui inſtituti rationem (quæ via eſt ad illum) ſemper ante oculos habere, & finem hunc à Deo propoſitum totis viribus aſſequi: unusquisque tamen ſecundùm gratiam ſibi à Spiritu ſancto ſubminiſtratam, & vocationis proprium gradum, cujus proprii cujusque gradus judicium, & officiorum diſcretio, ac diſtributio tota eſſet in manu Præpoſiti, ſeu Prælati per eos eligendi: ſciretque, & quotidie animo volveret, Societatem prædictam, & ejus ſingulos ſub Romani Pontificis fideli obedientiâ Deo militare; & ad majorem Societatis humilitatem, & perfectam uniuscujusque mortificationem, & propriæ voluntatis abnegationem, ſe ultra commune vinculum, ſpeciali vinculo aſtringere, ut quidquid Romanus Pontifex pro tempore exiſtens juſſiſſet ad profectum animarum, & fidei propagationem pertinens, etiamſi eum ad quascumque Provincias mittere vellet, illicò, quantum in eo eſſet, exequi teneretur, ſive eum mittere ad Turcas, ſive ad quoscumque alios infideles: voveretque perpetuam paupertatem, ita ut non ſolùm ipſe privatim, ſed nec etiam Societas ipſa communiter poſſet pro Societatis ſuſtentatione, aut uſu ad bona aliqua ſtabilia, aut proventus, ſeu introitus aliquos jus aliquod civile acquirere: ſed eſſent contenti uſum tantùm rerum ſibi donatarum ad neceſſaria ſibi comparanda recipere: poſſent tamen habere in Vniverſitatibus Collegium, ſeu Collegia habentia cenſus, reditus, & poſſeſſiones, uſibus & neceſſitatibus ſtudentium appli-

PAVLI III.

Summa præcedentis approbationis.

PAVLI III. applicandos, retentâ penes Præpoſitum, & Societatem omnimodâ gubernatione, ſeu ſuperintendentiâ ſuper dicta Collegia & prædictos ſtudentes; quoad gubernatoris, ſeu gubernatorum, ac ſtudentium electionem, ac eorum admiſſionem, emiſſionem, receptionem, excluſionem, ſtatutorum ordinationem, & circa ſtudentium inſtructionem, eruditionem, ædificationem, & correctionem, victus, veſtitusque eis miniſtrandi modum, & aliam omnimodam gubernationem, regimen, & curam: ſic tamen ut nec ſtudentes dictis bonis abuti, nec Societas ea in proprios uſus convertere posſent. Præmiſſa omnia, & ſingula per alias noſtras litteras ex certâ ſcientiâ approbaverimus, confirmaverimus, & benedixerimus, ac perpetuæ firmitatis munimine roboraverimus, ipſosque Socios ſub noſtrâ & Sedis Apoſtolicæ protectione ſuſceperimus; eis nihilominùs concedentes, quòd particulares inter eos Conſtitutiones, quas ad Societatis hujusmodi finem, & IESV CHRISTI Domini noſtri gloriam, & proximi utilitatem conformes eſſe judicaſſent, condere liberè & licitè valerent, prout in eisdem litteris (in quibus voluimus, quòd in Societate hujusmodi usque ad numerum ſexaginta perſonarum, normulam eamdem profiteri volentium, & non ultra, admitti, & Societati præfatæ aggregari poſſent) pleniùs continetur. Et, ſicut Ignatius Præpoſitus, & alii Socii præfati nobis nuper exponi fecerunt (Spiritu ſancto in dies cooperante) plures fideles in Pariſienſi, & aliis ſtudiorum generalium Vniverſitatibus actu ſtudeant, qui normulam vivendi hujusmodi profiteri cupiunt; nec, ſtante voluntate noſtrâ prædictâ, ultra dictum numerum ad id admitti posſint: Quare pro parte Ignatii Præpoſiti, & aliorum Sociorum prædictorum, nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut in præmisſis opportunè providere de benignitate Apoſtolicâ dignaremur. Nos igitur ad eorumdem Ignatii Præpoſiti, & Sociorum piam vitam, & bonorum operum exemplum attendentes; eorum, & dictorum ſtudentium piis deſideriis annuentes, ac ipſorum, & cunctorum Chriſti fidelium animarum ſalutem zelantes, ipſosque Ignatium Præpoſitum, & Socios, ac eorum ſingulos à quibusvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliisque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis, à jure, vel ab homine quavis occaſione vel causâ latis, ſi quibus quomodolibet innodati exiſtunt, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutos fore cenſentes, hujusmodi ſupplicationibus inclinati, eisdem Ignatio Præpoſito, & Sociis, quòd quoslibet fideles, qui probationes in eadem formulâ, ſub

Facultas admittendi quoslibet juxta Conſtitutiones.

ſub certis Conſtitutionibus per ipſam Societatem factis, ſeu in poſterum faciendis, contentas, pro tempore fecerint, quotquot fuerint, ad Societatem hujuſmodi liberè admittere, & eorum Societati hujuſmodi, ſub votis per Socios ejuſdem Societatis emitti ſolitis, aggregare poſſint, auctoritate Apoſtolicâ, tenore præſentium, ex certâ ſcientiâ concedimus: ac quod quaſcumque inter eos Conſtitutiones particulares, quas ad Societatis hujuſmodi finem, & IESV CHRISTI Domini noſtri gloriam, ac proximi utilitatem conformes eſſe judicaverint, condere; & tam hactenus factas, quàm in poſterum faciendas Conſtitutiones ipſas, juxta locorum, & temporum, ac rerum qualitatem, & varietatem mutare, alterare, ſeu in totum caſſare, & alias de novo condere poſſint & valeant; quæ poſtquam mutatæ, alteratæ, ſeu de novo conditæ fuerint, eo ipſo Apoſtolicâ auctoritate præfatâ, confirmatæ cenſeantur, eadem Apoſtolicâ auctoritate, de ſpeciali gratia indulgemus. Quocircà venerabilibus fratribus noſtris Cæſennat. & Albiganen. ac Parentin. Epiſcopis, per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus ipſi, vel duo aut unus eorum, per ſe, vel alium, ſeu alios, eisdem Præpoſito & Sociis, in præmiſſis efficacis defenſionis præſidio aſſiſtentes, faciant auctoritate noſtra, eos conceſſione & indulto hujuſmodi pacificè gaudere, non permittentes eos deſuper per quoſcumque contra præſentium tenorem quomodo libet moleſtari; contradictores quoslibet, & rebelles per cenſuras, & pœnas Eccleſiaſticas, auctoritate noſtra (appellatione poſtpoſita) compeſcendo, invocato etiam ad hoc (ſi opus fuerit) auxilio brachii ſecularis. NON obſtantibus voluntate noſtra prædicta, ac quibusvis conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, nec non omnibus aliis, quæ in dictis litteris noſtris voluimus non obſtare, contrariis quibuscumque; aut ſi aliquibus communiter, vel diviſim, ab eadem ſit Sede indultum quòd interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint per litteras Apoſtolicas non facientes plenam & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi mentionem. Volumus autem, quòd præſentium tranſumptis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo alicujus Epiſcopi, ſeu perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, ubique locorum eadem prorſus fides adhibeatur, quæ ipſis originalibus litteris adhiberetur, ſi forent exhibitæ vel oſtenſæ. NVLLI ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ abſolutionis, conceſſionis, indulti, mandati, & voluntatis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis

PAVLI III.

Facultas condendi, & mutandi Conſtitutiones.

Iudices qui aſſiſtant.

Fides habeatur tranſumptis.

PAVLI III. tentis Dei, ac beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum Romæ, apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ milleſimo quingenteſimo quadrageſimo tertio, pridie Idus Martii, Pontificatus noſtri anno decimo.

L. Torres. Ie. Lambertus.

BREVE I.
FACVLTATES
Concionandi, confesſiones audiendi, abſolvendi, & vota commutandi, &c.
ANNO M. D. XLV.

Dilectis Filiis, moderno, & pro tempore exiſtenti Præpoſito, & ſociis Societatis IESV, *in almâ Vrbe noſtrâ canonicè inſtitutæ.*

PAVLVS PAPA III.

DILECTI Filii Salutem, & Apoſtolicam benedictionem. Cum inter cunctas ſollicitudines noſtras, quibus nos premit paſtorale officium, illa ſit præcipua, ut gregi Dominico nobis ſupernâ diſpoſitione commiſſo, animarum cura non deſit; ne illum antiquus ſerpens, humano generi inimicus, indefenſum & impræparatum invadat. Attendentes igitur ad fructus uberes, quos in domo Domini hactenus produxiſtis, & producere non deſinitis, veſtra religione, integritate, ſcientiâ, doctrinâ, moribus, & experientiâ, plurimùm in Domino confidentes, vobis, quos aliàs, Societatem veſtram de IESV approbando, confirmando, & benedicendo, ac perpetuæ firmitatis munimine roborando, ſub noſtrâ & Apoſtolicæ Sedis protectione ſuſcepimus; & cuilibet veſtrum, qui ad hoc idoneus repertus, & per veſtræ Societatis Præpoſitum pro tempore exiſtentem deputatus fuerit, in quibusvis Eccleſiis, & locis, ac plateis communibus, ſeu publicis, & aliàs ubique locorum clero, & populo verbum Dei prædicandi, proponendi, & interpretandi; ac eos viam veritatis edocendi, & ad bene beateque vivendum, ita, ut in vobis verbo pariter & exemplo ædificentur, in Domino hortandi, admonendi; necnon illis ex vobis, qui Presbyteri fuerint, quorumcumque utriusque ſexus Chriſti fidelium, ad vos undecumque accedentium con-

Societatis fructus commendantur.

Facultas ubique prædicandi.

confesſiones audiendi, & confesſionibus diligenter auditis, ipſos, & eorum PAVLI III. ſingulos, ab omnibus, & ſingulis eorum peccatis, criminibus, excesſibus, & delictis, quantumcumque gravibus & enormibus, etiam Sedi Apoſtolicæ reſervatis, & à quibusvis, ex ipſis caſibus reſultantibus ſententiis, cenſuris, & pœnis Eccleſiaſticis (exceptis contentis in Bullâ, quæ in die Cœnæ Domini ſolita eſt legi) abſolvendi, ac eis pro commisſis pœnitentiam ſalutarem injungendi, nec non vota quæcumque per eos, pro tempore emiſſa (ultramarinis, viſitationis liminum Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum de Vrbe, ac Sancti Iacobi in Compoſtellâ, nec non religionis, & caſtitatis votis dumtaxat exceptis) in alia pietatis opera commutandi: Ac Miſſas ante diem, circa tamen diurnam lucem, & etiam infra horam poſt meridiem, quando, & quoties, ſtante legitimo impedimento, moderno, & pro tempore exiſtenti Præpoſito veſtro præfato id neceſſarium, vel aliàs in Domino expedire viſum fuerit, celebrandi: Et poſt, ſeu ante illarum celebrationem, aut aliàs, Chriſti fidelibus ipſis Euchariſtiæ, & alia Eccleſiaſtica Sacramenta, ſine alicujus præjudicio, miniſtrandi diœceſanorum locorum, rectorum parochialium, & aliarum Eccleſiarum, aut quorumvis aliorum licentiâ deſuper minimè requiſitâ: ac horas canonicas diurnas pariter & nocturnas, ſecundùm uſum Romanæ Eccleſiæ noviter editum dicendi & recitandi, ita quòd ad aliorum uſum obſervandum, ſeu officium dicendum minimè teneamini, plenam & liberam facultatem auctoritate Apoſtolicâ per præſentes ad noſtrum & Sedis Apoſtolicæ beneplacitum concedimus. Quocircà univerſis, & ſingulis locorum Ordinariis, eorum Vicariis, & aliis Superioribus mandamus, quatenus ipſi, vel duo, aut unus eorum, ſi, & poſtquàm præſentes litteræ eis intimatæ fuerint, ac quoties pro parte alicujus ex vobis quilibet eorum fuerit requiſitus, in præmisſis efficacis defenſionis præſidio asſiſtentes, faciant easdem præſentes, ac in eis contenta quæcumque firmiter obſervari; nec permittant quemlibet ex vobis, ſuper præmisſis, & eorum ſingulis, per quoscumque deſuper quomodolibet moleſtari, impediri, aut inquietari: contradictores quoslibet, & rebelles per cenſuras Eccleſiaſticas, & alia juris remedia (appellatione poſtpoſitâ) compeſcendo. NON obſtantibus quibusvis conſtitutionibus, & ordinationibus, ac prohibitionibus, & litteris Apoſtolicis, etiam per Sixtum Quartum in capitulo, *Et ſi dominici*, & alios Romanos Pontifices, prædeceſſores noſtros, ac Nos, & Sedem prædictam, etiam conſiſtorialiter editis & factis, quibus omnibus illorum tenores, ac ſi de

Facultas confeſſiones audiendi, & ab omnibus caſibus qui non ſunt in Bullâ Cœnæ Domini abſolvendi.

Facultas vota, exceptis tantùm quinque, commutandi:

Facultas ante diem, & poſt meridiem celebrandi.

Facultas miniſtrandi Sacramenta.

Facultas officium Roman. novum dicendi.

Iudices qui aſsiſtant.

PAVLI III. de verbo ad verbum infererentur præſentibus, pro expreſſis habentes, ad hujusmodi effectum, pro hac vice dumtaxat ſpecialiter & expreſſè derogamus, & derogatum eſſe decernimus; ceteriſque contrariis quibuſcumque. Volentes etiam, & eadem auctoritate Apoſtolicâ decernentes, quòd præſentium tranſumptis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & alicujus Prelati, aut perſonę in dignitate Eccleſiaſticâ conſtitutæ ſigillo munitis eadem fides ubique locorum, in judicio & extra illud, prorſus adhibeatur, quæ eisdem præſentibus adhiberetur, ſi eſſent exhibitæ vel oſtenſæ. Sic igitur, Filii, his vobis conceſſis facultatibus ad omnipotentis Dei honorem, & animarum ſalutem efficaciter, ſicque diligenter ut ſtudeatis; quòd per ſollicitudinis veſtræ ſolertiam, Catholicæ pietatis fructus proveniant; vosque exinde apud Deum & homines, non immeritò commendemini. Datum Romæ, apud Sanctum Petrum, ſub annulo Piſcatoris, die tertiâ Iunii, M. D. XLV. Pontificatus noſtri anno undecimo.

Tranſumptis habeâtur fides.

Exhortatio Pontificis.

Blo. el. Fulgin.

PAVLI III. FACVLTAS

Coadjutores admittendi, qui poſſint, etiam ad ſacros ordines promoveri, &c.

ANNO M. D. XLVI.

Dilectis Filiis modernis, & pro tempore exiſtentibus Præpoſito Generali, & ſociis Societatis IESV, *in almâ Vrbe noſtrâ canonicè inſtitutæ.*

PAVLVS PAPA III.

DILECTI Filii Salutem, & Apoſtolicam benedictionem. Exponi nobis nuper feciſtis, quòd vos ob penuriam cooperatorum, perſonis, quæ tam in ſpiritualibus quàm in temporalibus rebus & officiis veſtris domeſticis vos coadjuvent, indigetis. Quare nobis humiliter ſupplicari feciſtis, ut vobis, quòd ſacerdotibus, qui vos in ſpiritualibus, & perſonis ſæcularibus, quæ vos in temporalibus & officiis prædictis coadjuvent, uti poſſitis; licentiam & facultatem concedere, aliasque vobis, & ſtatui veſtro in præmiſſis opportunè providere de benignitate Apoſtolicâ dignaremur. Nos igitur hujusmodi ſup-

ſupplicationibus inclinati, vobis, quòd de cetero Sacerdotibus, qui vos in ſpiritualibus, & perſonis ſæcularibus, quæ vos in temporalibus & officiis veſtris domeſticis coadjuvent, uti poſſitis; ipſique Coadjutores tam Sacerdotes, quàm perſonæ ſæculares, peractis experientiis, & probationibus, per Conſtitutiones veſtras requiſitis, ad majorem eorum devotionem, & amplius meritum, vota paupertatis, & caſtitatis, ac etiam obedientiæ; ita, ut ad illa ſervanda, pro eo tempore, quo tu, fili Præpoſite, & qui pro tempore fuerint ejusdem Societatis Præpoſiti, eis in miniſterio ſpirituali, vel temporali utendum judicaveritis, & non ultra, aſtringantur; nec propterea ad aliquam ſolemnem profeſſionem emittendam teneantur, neque ad eam aliter admittantur, emittere: ac ipſi Coadjutores ad omnes, etiam ſacros, & Presbyteratus ordines de licentiâ tui, fili Præpoſite Generalis, ſi aliàs idonei fuerint, promoveri valeant: ſintque omnes, & ſinguli eorum, omnium bonorum operum, quæ in dictâ Societate fient, ac meritorum illius participes, & illis plenè gaudeant, prout alii dictæ Societatis Profeſſi participant, & gaudent; quodque tu fili Præpoſite, & pro tempore exiſtens Præpoſitus Societatis hujusmodi, de cetero perpetuis futuris temporibus, viginti dumtaxat, ex eisdem Presbyteris Coadjutoribus, quos ad id idoneos inveneritis, & quando tibi, ſeu eidem pro tempore exiſtenti Præpoſito placuerit, easdem facultates, gratias, & auctoritatem, quas Profeſſis Societatis hujusmodi concedere potes, ſeu per nos vobis quomodolibet conceſſæ exiſtunt, in toto vel in parte liberè concedere, ac alios Præpoſitos, ſeu Vicarios tuos, tam provinciales, quàm locales, cum facultate quoscumque ad Societatem prædictam confluentes, ad probationem hujusmodi recipiendi, & ad vota prædicta, non tamen dictam profeſſionem ſolemnem, quæ Romæ dumtaxat fieri poſſit, & debeat, admittendi, creare & deputare liberè & licitè valeatis; plenam & liberam Apoſtolicâ auctoritate tenore præſentium concedimus licentiam & facultatem. Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac veſtris, etiam juramento, confirmatione apoſtolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis regularibus inſtitutis, ac omnibus illis, quæ in litteris confirmationis Societatis hujusmodi voluimus non obſtare, ceterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, quòd præſentium tranſumptis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo alicujus perſonæ in dignitate Eccleſiaſticâ conſtitutæ munitis, ubique locorum ea prorſus fides adhibeatur, quæ ipſis originalibus litteris adhiberetur, ſi forent exhibitæ vel oſtenſæ.

Da-

PAULI III.

Admitti poſſunt Coadjutores ſpirituales, ac temporales.

Tria vota Coadjutorum juxta conſtitutiones.

Coadjutores ad ſacros ordines promoveri poſſunt & ſunt participes meritorum, quibus gaudent Profeſſi.

Viginti tantum Coadjutoribus facultates Profeſſorum concedi poſſunt.

Facultas recipiendi Coadjutores, quibus communicetur.

Solemnis profeſſio tantum Romæ facienda.

Tranſumtis fides habeatur.

PAVLI III. Datum Romæ, apud S. Petrum, ſub annulo Piſcatoris, die v. Iunii, M. D. XLVI. Pontificatus noſtri anno duodecimo.

Blo. el. Fulgin.

PAVLI III.
Approbatio Exercitiorum.
ANNO M. D. XLVIII.

PAVLVS PAPA III.

Ad perpetuam rei memoriam.

PAſtoralis officii cura, in univerſum Chriſti gregem nobis commiſſa, & divinæ gloriæ ac laudis amor facit, ut ea quæ ſalutem animarum, & ſpiritualem earum profectum juvant, amplectentes, vota eorum qui aliquid, quod fovere & nutrire pietatem in Chriſti fidelibus valeat, à nobis expoſcunt, ad exauditionis gratiam admittamus. Cùm ergo (ſicut dilectus filius, nobilis vir, Franciſcus de Borgiâ, Dux Gandiæ, nobis nuper exponi fecit) dilectus filius Ignatius de Loyolâ, Præpoſitus Generalis Societatis IESV, per nos in alma Vrbe noſtra erectæ, & per nos auctoritate Apoſtolicâ confirmatæ; quædam documenta, ſive exercitia ſpiritualia, ex ſacris Scripturis, & vitæ ſpiritualis experimentis elicita, compoſuerit, & in ordinem, ad piè movendos fidelium animos aptiſſimum redegerit; illaq; Chriſti fidelibus, ad ſpiritualem conſolationem, & profectum magnoperè utilia & ſalubria eſſe, non ſolùm famâ, ex plurimis locis allatâ, prædictus Franciſcus Dux didicerit; ſed etiam experimento manifeſto, cùm Barcinone, tum Valentiæ, tum Gandiæ, id compertum habuerit. Quare idem Franciſcus Dux nobis humiliter ſupplicari fecit, ut documenta & ſpiritualia exercitia prædicta, quò latiùs eorum fructus pateat, & plures Chriſti fideles, majori cum devotione ad utendum illis invitentur, examinari facere: &, ſi approbatione & laude digna inveniremus, approbare & laudare, aliaſque in præmiſſis opportunè providere de benignitate Apoſtolicâ, dignaremur. Nos igitur, qui documenta & Exercitia hujuſmodi examinari fecimus, & quæ teſtimonio ac relatione dilecti filii noſtri Ioannis Tit. S. Clementis, Presbyteri Cardinalis, Burgenſis Epiſcopi, ac hæreticæ pravitatis Inquiſitoris, & venerabilis fratris noſtri Philippi Saluciarum Epiſcopi, ac dictæ urbis noſtræ in ſpiritualibus Vicarii generalis, nec non dilecti filii Ægidii Foſcara-

ſcarárii, noſtri Sacri Palatii Magiſtri, nobis deſuper factâ, pietate ac ſanctita- PAULI III.
te plena, & ad ædificationem & ſpiritualem profectum fidelium valdè utilia & ſalubria eſſe & fore comperimus; debitum etiam reſpectum ad fructus uberes, quos Ignatius, & ab ipſo inſtituta Societas præfata, in Eccleſiâ Dei ubique gentium producere non ceſſant, & ad maximum adjumentum, quod ad id prædicta Exercitia attulerunt, non immeritò habentes, hujusmodi ſupplicationibus inclinati, documenta & Exercitia prædicta, ac omnia & ſingula in eis contenta, auctoritate prædictâ, tenore præſentium, ex certâ ſcientii noſtra, approbamus, collaudamus, ac præſentis ſcripti patrocinio, communimus: hortantes plurimùm in Domino, omnes & ſingulos, utriusque ſexus, Chriſti fideles ubilibet conſtitutos, ut tam piis documentis & Exercitiis uti, & illis inſtrui devotè velint. Nec non concedentes, ut hujusmodi documenta, & ſpiritualia Exercitia inprimi, à quocumque bibliopolâ per prædictum Ignatium eligendo, liberè & licitè valeant. Ita tamen, ut poſt primam editionem, ſine conſenſu ejusdem Ignatii, vel ſucceſſorum ejus, nec ab hoc, nec ab alio omnino, ſub excommunicationis, & 500. ducatorum piis operibus applicandorum pœnâ inprimi poſſint. Ac mandantes nihilominus univerſis & ſingulis locorum ordinariis, ac perſonis in Eccleſiaſticâ dignitate conſtitutis, & cathedralium, ac metropolitanarum Eccleſiarum Canonicis, & earumdem ordinariorum Vicariis, in ſpiritualibus, generalibus, & officialibus ubilibet conſtitutis, quatenus ipſi, vel duo, aut unus eorum, per ſe, vel alium, ſeu alios, cuivis de Societate prædictâ, vel aliis quorum intererit, in præmiſſis ſpiritualibus Exercitiis, efficacis defenſionis præſidio asſiſtentes; faciant auctoritate noſtrâ, illos dictâ conceſſione & approbatione pacificè frui & gaudere: non permittentes eos, per quoſcumque, contra præſentium tenorem quomodolibet moleſtari: contradictores quoslibet & rebelles, per cenſuras, & pœnas Eccleſiaſticas, ac alia opportuna juris remedia, appellatione poſtpoſitâ, compeſcendo: invocato etiam ad hoc (ſi opus fuerit) auxilio brachii ſæcularis. Non obſtan. fel. rec. Bonifacii Papæ VIII. prædeceſſoris noſtri de unâ, & Concilii generalis de duabus diebus, dummodò ultra tres aliquis auctoritate præſentium non trahatur; & quibusvis aliis conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ceterisque contrariis quibuſcumque. Aut ſi aliquibus communiter vel diviſim, ab eadem ſit Sede indultum, quòd interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint per litteras Apoſtolicas, non facientes plenam, & expreſſam, ac de verbo ad

Pavli III. verbum, de indulto hujuſmodi mentionem. Volumus autem, quòd præſentium litterarum tranſumptis, manu Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo alicujus Prælati, ſeu perſonæ in dignitate Eccleſiaſticâ conſtitutæ, munitis, plena fides ubique habeatur, & illis ſtetur, tam in judicio, quàm extra, ac ſi originales litteræ exhiberentur & oſtenderentur. Datum Romæ apud ſanctum Marcum, ſub annulo piſcatoris, die ultimo Iulii, milleſimo quingenteſimo quadrageſimo octavo, Pontificatus noſtri anno XIV.

Blo. El. Fulginen.

PAVLI III.

PRIVILEGIA

Plurima ad Societatis regimen, & miniſteria.

ANNO M. D. XLIX.

PAVLVS Epiſcopus ſervus ſervorum Dei, ad perpetuam rei memoriam. Licet debitum paſtoralis officii omnibus regularem vitam ducentibus, ut in ſuis diſciplinis, & laudabilibus inſtitutis conſerventur, & augeantur, nos reddat favorabiles & benignos; ad Societatem verò de IESV, per nos inſtitutam & approbatam, cujus ſpecimen, veluti ager fertilis in Domino multiplices atque uberes fructus animarum, ad ſummi Regis laudem, & fidei incrementum attulit, & affert quotidie verbo & exemplo in populo Chriſtiano, dirigentes præcipuè velut pius pater oculos mentis noſtræ, dignum cenſemus, ut ipſam Societatem, ejuſque in odorem ſuavitatis Altiſſimo deſervientes perſonas, ſpecialibus favoribus proſequamur, illaque ſibi favorabiliter concedamus, per quæ Societas ipſa utiliter regi, & proſperè dirigi, ac ad animarum auxilium fideliter in Domino procedere valeat. Hinc eſt, quòd nos dilectorum filiorum Ignatii de Loyolâ moderni Præpoſiti Generalis, & aliorum Sociorum ejuſdem ordinis ſupplicationibus inclinati, ſibi, ut Præpoſitus Generalis dictæ Societatis, pro tempore exiſtens, cùm primùm juxta Conſtitutiones ejuſdem Societatis in illius Præpoſitum electus fuerit, eo ipſo verus ipſius Religionis Generalis Præpoſitus, cum liberâ, generali, & omnimodâ curâ, & adminiſtratione omnium & ſingulorum, ad felix regimen, & proſperam directionem dictæ Societatis ſpectantium & pertinentium, ſit & eſſe cenſeatur; ac ſuum Præpoſiti officium, in omnibus exercere incipiat, ac ple-

Plena eſt adminiſtratio Præpoſiti Gen. poſt electionem.

plenam in univerſos ejusdem Societatis Socios & perſonas ſub ejus obedientiâ degentes, ubilibet commorantes, etiam exemptos, etiam quaſcumque facultates habentes, ſuam jurisdictionem exerceat; poſſitque & debeat dictus Præpoſitus per perſonas ad id à dictâ Societate facultatem habentes, & ad id deputatas, in certis caſibus juxta dictas Conſtitutiones amoveri, & alius ipſius loco, per easdem perſonas ſubſtitui, & aliàs, prout perſonæ deputatæ prædictæ id in Domino conſpexerint ſalubriter expedire, ac ipſemet Præpoſitus pro tempore exiſtens ire, & ſuos quocumque locorum, etiam inter infideles, cùm expedire in Domino judicabit, mittere, ac revocare, & per Nos, ac ſucceſſores noſtros, ad locum aliquem miſſos ſine temporis certi limitatione, cùm id expedire ad Dei gloriam, & animarum auxilium viſum erit (ſuper quo conſcientiam dicti Præpoſiti oneramus) ad alia loca transmittere liberè & licitè valeat; qui ubicumque morari contingat, ad nutum noſtrum & Romani Pontificis pro tempore exiſtentis, ad Sedem Apoſtolicam, ſeu quo oportuerit, & ſibi per dictam Sedem injunctum fuerit, juxta ipſius Societatis profeſſionem, venire debeant, concedimus: ac volumus, ſtatuimus, & ordinamus, quòd Præpoſitus, absque Societatis, & aliquis ex Sociis hujusmodi absque dicti Præpoſiti conſenſu, & expreſsâ licentiâ electioni, ſeu proviſioni de illius perſonâ in Epiſcopum, Archiepiſcopum, aut aliam quamcumque dignitatem, per quemcumque Principem, vel quodcumque Capitulum, aut alias quaſcumque perſonas, ad id auctoritatem habentes, pro tempore factæ, conſentire, aut ad illam admitti, ſeu alicujus prælationis, & dignitatis in eadem Societate, ſi eam occultâ, aut manifeſtâ ambitione quæſiiſſe convincetur, capax eiſe nullatenus poſſit: quodque à correctione regulæ Societatis hujusmodi ſecundùm ordinationes factæ (ut vigor diſciplinæ meliùs conſervetur) appellari, aut talis appellatio per ullum Iudicem admitti, ſeu ab officiis abſolutio, aut privatio peti non poſſint: & tam Generalis, quàm alii inferiores Præpoſiti ejusdem Societatis fratres, ſeu Socios dictæ Societatis, Patriarchis, Archiepiſcopis, Epiſcopis, ſeu aliis Eccleſiarum Prælatis, & perſonis, in ſocios, aut aliàs ad ullum eorum miniſterium deputare minimè teneantur, niſi auctoritate litterarum ejusdem Sedis, de Societate & indulto hujusmodi expreſſam facientium mentionem; & ſi quos deputare contingeret, nihilominùs ſub ordinis correctione exiſtant, & cùm expedire judicabunt, eosdem removere poſſint: Illos verò ex fratribus ſeu Sociis prædictis, qui ad prædicandum crucem, vel ad inquirendum con-

Poteſt Præpoſitus nonnumquam amoveri.

Præpoſiti circa miſsiones poteſtas.

Dignitas acceptari non poteſt absque facultate.

Ambitioſus in Societate non eſt capax dignitatis.

A correctione regulæ non poteſt appellari.

Superiores non tenentur aliquem ad Prælati cujuscumquam miniſterium deputare.

Transferri poſſunt deputati ad certa negot.

PAULI III. tra hæreticam pravitatem, ſeu ad alia ſimilia negotia deputati fuerint, Ignatius, & alii illius ſucceſſores Præpoſiti Generales dictæ Societatis pro tempore exiſtentes, removere ſeu revocare, & transferre, ipſique quòd ſuperſedeant injungere, ac alios illorum loco ſubſtituere, cùm expedire viderint, libere & licite valeant: Ac eisdem Ignatio, & aliis Generalibus Præpoſitis pro tempore exiſtentibus, ut per ſe, vel alios ad id per eos pro tempore deputatos, omnesque & ſingulos ejusdem Societatis Socios, & perſonas ſub eorum obedientiâ, diſciplinâ, & correctione, pro tempore degentes, ab omnibus & ſingulis eorum peccatis ante vel poſt ingreſſum in dictam Societatem, per eos commiſſis, nec non à quibusvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliisque Eccleſiaſticis & ſæcularibus ſententiis, cenſuris, pœnis à jure vel ab homine quomodolibet latis & promulgatis, & hujusmodi ſententiis innodatos, aut in locis ſuppoſitis Eccleſiaſtico interdicto, divina officia celebrantes, & ſuſcipientes ordines, ſic ligatos, & propterea irregularitatem incurrentes, abſolvere, ac cum eis, cùm diſpenſatione eguerint, diſpenſare poſſint; niſi exceſſus abſolvendorum & diſpenſandorum hujusmodi adeò graves & enormes fuerint, quòd ſint ad Sedem Apoſtolicam meritò remittendi: & ne ſæpè in dubium revocetur, qui ſint ad Sedem prædictam deſtinandi, declarationem in eâ parte, per fel. rec. Sixtum Papam Quartum prædeceſſorem noſtrum, in Bullâ, quam *Mare Magnum* vocant, factam, confirmamus. Volumus autem, quòd poſtquàm Societati & conſortio hujusmodi aggregari volentes, abſoluti, & cum eis, ut præfertur, diſpenſatum fuerit, niſi mox ordinem intrare, & peractis experientiis ſecundùm Conſtitutiones dictæ Societatis, vota emittere parati ſint, etiam ſi ſuper hoc induciæ eis à Prælatis ejusdem Societatis concedantur, eo ipſo in priſtinas ſententias, à quibus eos totaliter abſolvi contigerit; relabantur & reincidant: Nec non quòd quilibet ex ſociis Societatis hujusmodi peccata ſua proprio Præpoſito, vel ab eo deputato ſeu deputatis, & aliàs ſecundum ordinationes Societatis prædictæ deſignatis, confiteri debeat; niſi ſuper hoc à dicto Præpoſito alium Confeſſorem eligendi facultatem habuerit: Ac inhibemus ne quis poſt emiſſa vota ſecundùm Conſtitutiones prædictas, ſive Profeſſus, ſive Scholaris, ſive Coadjutor Societatis hujusmodi ſit, ad quemvis alium ordinem etiam per Sedem prædictam approbatum, (Carthuſienſium dumtaxat excepto) niſi de expreſſâ ipſius Præpoſiti aut dictæ Sedis licentiâ transferri; egreſſi verò aliàs, quàm ut præfertur, de ordine, ſeu conſortio hujusmodi, in nullo alio, præter-

Præpoſitus per ſe, vel alios, poteſt omnes ſuos abſolvere, & circa irregulares diſpenſare, niſi ſint caſus enormes juxta Bullam Sixti IV.

In cenſuras reincidunt abſoluti, niſi mox intrent Societatem, & vota emittere parati ſint.

Perſonæ Societatis cui debeant confiteri.

Qui vota emiſerint, aliorum ordinem, præter Carthuſienſium, ingredi non poſſunt.

terquàm Carthuſienſium præfato ordine, admitti, recipi, vel retineri poſſint; ipſique Generalis & alii inferiores Præpoſiti, per ſe vel alios, illos ſic egreſſos, ac alios quoſcumque dictæ Societatis apoſtatas, ut etiam alios quoſvis inſolentes, & qui id mereri videbuntur, in quocumque habitu apoſtatas prædictos contigerit inveniri, excommunicare, capere, incarcerare, & aliàs ſuæ diſciplinæ ſubmittere; & ad id, ſi opus fuerit, auxilium brachii ſæcularis invocare libere & licite valeant: Ipſamque Societatem, & univerſos illius Socios & perſonas, illorumque bona quæcumque ab omni ſuperioritate, juriſdictione, correctione quorumcumque Ordinariorum eximimus & liberamus, ac ſub noſtrâ & præfatæ Sedis protectione ſuſcipimus: Liceatque Præpoſitis, & de eorum etiam facultate univerſis fratribus & Sociis Societatis hujuſmodi in Presbyteratus ordine conſtitutis, in locis in quibus degunt, & eos pro tempore morari contigerit, habere Oratoria; & in eis, ac quocumque alio honeſto & congruenti loco, in altari portatili, cum debitis reverentia & honore, etiam tempore Interdicti, quavis etiam Apoſtolica auctoritate appoſiti, januis clauſis, excommunicatis & interdictis excluſis, ſubmiſſa voce Miſſas & alia divina officia celebrare, ac Eccleſiaſtica Sacramenta recipere, & aliis miniſtrare, dummodo ipſi cauſſam non dederint interdicto, nec contingat id ipſis ſpecialiter interdici. Iis verò, qui in ipſorum Præpoſitorum & Sociorum morantur obſequiis, cuncta liberè miniſtrare poſſint Eccleſiaſtica Sacramenta; & ipſos, cùm decedunt, in eorum cœmeteriis ſepelire. Si quando in terris in quibus Socii prædicti, vel eorum aliqui, pro tempore reſederint, vel in eorum perſonas Excommunicationis, ſeu Interdicti ſententias contigerit promulgare, pueri ſeu familiares eorumdem Sociorum ſervitiis deputati, ac eorum & Societatis hujuſmodi negotiorum procuratores, & operarii hujuſmodi ſententiis obnoxii minime habeantur; ibique poſſint audire Divina; niſi eiſdem cauſſam dederint, vel ſpecialiter excommunicari ſeu interdici contigerit eoſdem. Nec ullis Prælatis contra aliquem de prædictâ Societate, vel contra alios eorum cauſâ, aliquam excommunicationis, ſuſpenſionis, vel interdicti ſententiam contra ejuſdem Societatis privilegia, per nos conceſſa (quorum interpretationem nobis, & Apoſtolicæ Sedi reſervamus) ferre liceat; & ſi tulerint, eo ipſo irrita, nulliuſque roboris vel momenti ſit & eſſe cenſeatur: ac omnes, & ſinguli alii Chriſti fideles, cujuſcumque conditionis exiſtant, qui verbi Dei concionibus ſeu prædicationibus Sociorum ſeu fratrum Societatis hujuſmodi, in eccleſiis ubi ipſi concionabuntur

PAULI III.

Apoſtatæ, & inſolentes coërceri poſſunt.

Perſonæ ac bona Societatis eximuntur.

Presbyteri habere poſſunt oratoria, & uſum altaris portatilis.

Interdicti tempore celebrare, ac Sacramenta miniſtrare licet Societati.

Familiaribus Societatis poſſunt miniſtrari Sacramenta & ſepultura.

Interdicti tempore Divina poſſunt audire familiares, procuratores, & operarii Societatis.

Contra privilegia a Paulo III. conceſſa ferre non poſſunt ab ullo cenſuræ, nec dari eorum interpretatio.

PAULI III. interfuerint, diebus hujusmodi Miſſas & alia divina officia audire, & Eccleſiaſtica Sacramenta ibidem recipere, liberè & licitè valeant: nec ad id, ad proprias parochiales eccleſias accedere teneantur. Et quia ejusdem Societatis fratres & Socios, de locis ad loca transferri contingit, propter quod ſtabilem & continuam in certis & determinatis Domibus manſionem habere non posſunt, & in ipsâ Societate idoneos tantùm & comprobatos, ad ſacros ordines promoveri intelleximus, eidem Præpoſito Generali, quòd ordinandos Socios & fratres hujusmodi Societatis, quibuſcumque maluerit Catholicis Antiſtitibus gratiam & communionem dictæ Sedis habentibus præſentare, ipsisque Antiſtitibus præſentatos hujusmodi, abſque omni promiſſione vel obligatione ipſorum ordinandorum fratrum & Sociorum, ad omnes etiam ſacros & Presbyteratus ordines promovere. Et cùm ipſi Socii magnam patientes pro Chriſti nomine paupertatem, exhortationis pio ſtudio, bonos ad potiora dirigant, & errantes ad rectitudinis ſemitam laudabiliter revocare procurent; concedimus, ut in excommunicatorum, & hæreticorum, vel ſchiſmaticorum, vel infidelium terris liberè commorari, & cum eisdem converſari, de licentiâ tamen Præpoſiti Generalis; & ab eis tunc, & etiam quando per ipſas illos tranſire contigerit, neceſſaria vitæ depoſcere ac recipere valeant. Quodque nullis ipſorum correctionis, ſeu viſitationis, vel inquiſitionis officium, monaſteriis, vel eccleſiis, ſeu quibuſcumque perſonis impendere, vel ad cognitiones cauſſarum, citationes partium, & denuntiationes ſententiarum interdicti, vel excommunicationum procedere, aut curam Monialium, ſeu religioſarum quarumlibet perſonarum recipere teneantur, per litteras Apoſtolicas impetratas, vel in poſterum impetrandas, niſi de hoc indulto & ordine Sociorum hujusmodi, expreſſam facientes mentionem, auctoritate & tenore prædictis, de ſpeciali gratiâ indulgemus; Concedentes ipſis Sociis, ut de iis, quæ in ornamentis aut pro eis, aut libris, fabricâ, luminaribus, ſeu pro victu, vel indumentis eorum, nec non pro annuis cenſibus redimendis, ad quorum ſolutionem aliquæ Domus Societatis prædictæ obligatæ forſan exiſtant; ac de Domibus, & Collegiis, ac eorum prædiis, hortis, aliisque locis eisdem Sociis, juxta eorum vivendi inſtitutum, haberi conceſſis; aut de iis, quæ ſibi pro hujusmodi rebus, Domibus, Collegiis, prædiis, locis, & hortis emendis per quaſcumque perſonas, pro tempore legari, aut relinqui contigerit, & aliis bonis quibuſcumque, per dictam Societatem & ipſius Collegia poſſeſſis & obtentis, aliquam decimam, etiam Papalem ſolvere;

Qui Societ. concionib9 interſunt, Miſſas audire, & Sacramenta ibidem recipere poſſunt.

Volente Præpoſito poſſunt noſtri a quolibet Antiſtite in ſacris promoveri absq; promisſione, & obligatione.

In terris infidelium, & hæreticorum licet noſtris commorari de Præpoſiti licentia.

Noſtri non tenantur ullam ſuſcipere viſitationem juſtitiæ, miniſtrationem, curamque Monialium.

Non tenentur ſolvere bonorum ſuorum decimam, vel aliam dare contributionem ſeu procurationem, non obſtante Apoſtol. conſtitutione.

re; ſeu canonicam portionem exhibere, ſeu ad præſtationem procurationum Legatorum prædictæ Sedis, vel Nuntiorum ipſius, aut Ordinariorum locorum, aut exactionum, collectarum, ſeu ſubſidiorum, vel proviſionum quorumcumque minimè teneantur; nec ad id per litteras ejusdem Sedis, aut Legatorum, vel Nuntiorum, ſeu diœceſanorum prædictorum, cujuſcumque tenoris fuerint, ullo unquam tempore compelli poſſint; niſi ipſæ litteræ Apoſtolicæ plenam, & expreſſam, ac de verbo ad verbum, de indulto & conceſſione hujusmodi, ac de eorum ordine mentionem fecerint. Et ſi fortè per Nos, vel dictam Sedem de piis legatis diſpoſitis & relictis, in genere vel ſpecie, decima, vel alia portio, ſeu quarta, alteri piæ, vel non piæ cauſſæ, quomodolibet hactenus conceſſa fuerit, vel illam in poſterum concedi, ſeu ſolvi, aut dari, mandari, contigerit; Socios præfatos, & illorum Domos, & bona quæcumque, ac eis legata, & relicta, aut aliàs in eorum favorem diſpoſita, in conceſſionibus, & mandatis hujusmodi decernimus, & volumus minimè comprehendi; niſi de ipſis, ac præſenti decreto, & voluntate noſtrâ, non per clauſulas generales idem importantes, ſed vera, expreſſa, & ſpecifica mentio fiat in eisdem. Et inſuper ſi contingat Socios ipſos, ut adjuvante aliquo Principe, Duce, Marchione, Comite, vel Communitate, vel quavis ad id potenti & facultatibus abundanti perſonâ, aliquam Domum, eccleſiam, aut Collegium Societatis prædictæ ædificent, & conſtruant, ſeu id per alicujus ſimilis perſonæ teſtamentum mandari, vel quovis modo eis offerri Domum, Eccleſias, ſeu Collegia hujusmodi, cum omnibus ad id neceſſariis & opportunis conſtrui & ædificari, ac locum pro hujusmodi conſtructione oblatum recipi poſſe, ipſasque Domos, Eccleſias, Collegia, Cellas, Oratoria, ubilibet per dictos Socios, pro tempore conſtructa, vel eis donata, eo ipſo, quòd ædificata, vel donata fuerint, Apoſtolicâ auctoritate prædictâ, erecta, approbata, & confirmata; ac bona quæcumque, pro Collegiorum dote, ſeu Scholarium inibi pro tempore commorantium ſuſtentatione, per quoſcumque Chriſti fideles, pro tempore donata, relicta, & legata, eo ipſo prædictâ Apoſtolicâ auctoritate, perpetuò applicata & appropriata eſſe & cenſeri, (niſi aliàs ad collationem Sedis prædictæ pertinerent) & eccleſias prædictas, cum cœmeteriis benedici, aut conſecrari facere, ac primum lapidem poni, per quoſcumque Epiſcopos (ſi diœceſani ultra quatuor menſes id facere diſtulerint) poſſe decernimus: inhibentes omnibus & ſingulis Archiepiſcopis, Epiſcopis, aliisque eccleſiarum Prælatis, & locorum Ordinariis,

Domus, vel Collegia Societati donata, ſeu relicta, eo ipſo auctoritate Apoſtolicâ cenſeantur erecta.

Bona Societati donata pro Collegiorum ſuſtentatione etiam auct. Apoſt. reputantur applicata. &c.

Eccleſiæ noſtræ benedici, & conſecrari poſſunt à quolibet Epiſcopo, &c.

PAVLI III. riis, ac quibusvis aliis poteſtatibus Eccleſiaſticis & ſæcularibus, illis nihilominùs mandantes, ne ipſos Socios, aut eorum Domos, Eccleſias, aut Collegia hujuſmodi, ad aliquorum requiſitionem, ex propriâ eorum voluntate, ſi id in Domino expediens fuerit, ædificare volentes, quoquo modo in hujusmodi conſtructionibus impediant, perturbent, aut moleſtent. Et, ut Societatis hujusmodi profeſſoribus omnis vagandi occaſio, & ad Apoſtolicam Sedem prædictam recurrendi, ſubtrahatur pro poſſe neceſſitas; Generali, & de ejus licentiâ Provincialibus Præpoſitis dictæ Societatis, pro tempore exiſtentibus, & illorum Vicariis & Locatenentibus, ut cum ejusdem Societatis perſonis defectum natalium, ex adulterio, ſacrilegio, inceſtu, & quovis alio nefario & illicito coitu provenientem patientibus; nec non cum iis, qui ex quavis causâ, (præterquàm homicidii voluntarii, bigamiæ, & mutilationis membrorum) irregulares fuerint, poſtquàm in ordine ipſo vota emiſerint, ut defectu & irregularitate hujuſmodi non obſtantibus, ad quoſcumque etiam ſacros, & Presbyteratus ordines promoveri, & in illis, etiam in altaris miniſterio miniſtrare, & irregulares defectum natalium patientes prædicti ad quaſcumq; adminiſtrationes & officia dictæ Societatis eligi, recipi & aſſumi, illaque gerere, & exercere liberè & licitè valeant, diſpenſare poſſint, auctoritate & tenore prædictis concedimus & indulgemus. Prætereà cùm intellexerimus populos civitatum, terrarum, & locorum, apud quæ habitationem iidem Socii habent, vel ubi eosdem verſari aut tranſire contingit, exemplo allectos & inductos religioſæ vitæ, quam Domino concedente ducunt, libenter ad confitendum eisdem, & ſacratiſſimam communionem de manibus eorum accipiendum confluere, ut illis ſic confluentibus ſatisfacere valeant, univerſis utriusque ſexus Chriſti fidelibus, ut cuilibet de Societate prædictâ confiteri poſſint, Rectoris ſui licentiâ minimè requiſitâ, cui non teneantur eadem peccata, de quibus confeſſi & abſoluti fuerint, rurſus confiteri: nec non omnibus & ſingulis Chriſti fidelibus, tam forenſibus, quàm in civitatibus, & locis in quibus Socii prædicti conſiſtunt, commorantibus, aut illac tranſeuntibus, Euchariſtiæ ſacramentum (quod in ſuis eccleſiis decenter tenere Socios præfatos volumus) quocumque anni tempore, præterquàm in feſto Paſchatis Reſurrectionis Dominicæ, & mortis articulo, niſi neceſſitas urgeret eorumdem fidelium, parochialium eccleſiarum Rectorum licentiâ minimè requiſitâ, accipere liberè & licitè valeant. Nec non animarum profectui providere volentes, de omnipotentis Dei miſericordiâ, ac beato-

Ne impediantur noſtri, ab ullo in ſuis ædificiis.

Quatenus cum noſtris in irregularitate poſſit diſpenſari.

Fideles quicumq; confiteri noſtris poſſunt absq; Rectoris ſui facultate.

Licet ſingulis Chriſtianis Euchariſtiam a noſtris accipere ſemper, duobus exceptis caſibq.

rum

rum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus auctoritate confiſi, omnibus & ſingulis utriusque ſexus Chriſti fidelibus, ubilibet commorantibus, verè pœnitentibus, & confeſſis, ſeu temporibus à jure ſtatutis confitendi propoſitum habentibus, qui aliquam Eccleſiam, aut alium pium locum dictæ Societatis, ſemel ſingulis annis, (præter annum Iubilæi) in die per pro tempore exiſtentem dictæ Societatis Præpoſitum, eligendo, à primis veſperis, usque ad occaſum Solis ejusdem diei incluſivè, devotè viſitaverint, & inibi orationem Dominicam, ac ſalutationem Angelicam recitaverint, plenariam omnium peccatorum ſuorum indulgentiam ac remiſſionem, in formâ Iubilæi, auctoritate Apoſtolicâ, tenore præſentium miſericorditer concedimus & elargimur: Et inſuper quatuor aliis, ſcilicet, Nativitatis, Circumciſionis, Epiphaniæ, & Corporis Chriſti feſtivitatum, necnon Veneris, & Dominicis, & Quadrageſimalibus diebus ſingulorum annorum, usque ad octavam Paſchatis, eccleſias & alia pia loca dictæ Societatis devotè viſitaverint, & inibi orationem & ſalutationem prædictas ſimiliter recitaverint, ac verbum Dei, ſi in illis prædicetur, devotè audiverint, ſeptem annos, & totidem quadragenas de injunctis eis pœnitentiis, miſericorditer in Domino relaxamus. Ac Præpoſito Generali ejusdem Societatis, ut, quos de ſuis idoneos in Domino judicaverit, ad lectiones Theologiæ, & aliarum facultatum, alterius licentiâ ad id minimè requiſitâ, ubilibet deputare poſſit: Et ut, cùm aliquos ex fratribus ſeu Sociis Societatis hujusmodi in Saracenorum & Paganorum, aliorumque infidelium terras & provincias alias remotiſſimas, à quibus non poteſt adiri Sedes Apoſtolica, miſerit; poſſit eis, auctoritate noſtrâ, facultatem concedere, ut Chriſtianos ibidem commorantes, confeſſione peccatorum ſuorum auditâ, & pœnitentiâ ſalutari injunctâ, eos & eorum quemlibet ab omnibus & ſingulis eorum peccatis, etiam in Bullâ Cœnæ Domini reſervatis, & à conſequentibus cenſuris & pœnis abſolvere; & cum iis qui ab infidelitate convertentur tantùm, & in locis remotiſſimis, qui prius in gradibus non licitis, tamen lege divinâ non prohibitis, matrimonia contraxerant, ut in eisdem manere poſſint, diſpenſare; ac in locis prædictis remotiſſimis, quæcumque, Eccleſias, Hoſpitalia, & alia pia loca, prout expediens fuerit, erigere; ac nunc, & pro tempore erecta reformare, ſine alicujus præjudicio, & veſtes ſacerdotales, pallas, corporalia, calices, altaria, cœmeteria (ſi Epiſcopus, qui ea faciat, Catholicus inibi non adſit) benedicere, ac profanatas eccleſias reconciliare poſſint: Et quæcumque ſtatuta & ordinationes,

PAVLI III.

Qui aliquam Eccleſiam noſtrum à Præpoſito deſignatam ſemel in anno viſitârit, indulgentiam plenariam conſequitur.

Ceteris anni diebus obtinetur in Eccleſiis indulgentia multorum annorum.

Præpoſitus lectores in Theologiâ, & facultatibus omnibus deputare poteſt.

In terris infideliũ, & partibus remotiſſimis noſtri abſolvere poſſunt, etiam a caſibus in Bullâ Cœnæ Domini reſervatis.

Diſpenſare in gradibus jure divino nõ prohibitis, in locis remotiſſimis.

Eccleſiarum erectio, & reformatio.

Eccleſiarum reconciliatio.

PAVLI III. *Statuta condere.* *Decedente Provinciali alterius electio.* *Poteſtas bis in die celebrandi.* ones, deſuper neceſſaria facere, illaque poſtquàm facta fuerint, mutare, alterare, ac illis addere, & detrahere; ac Præpoſito Provinciali in illis longinquis partibus reſidente decedente, interim dum alius per Generalem Præpoſitum mittitur, loco Præpoſiti ſic decedentis, alium eligere liberè & licitè valeant. Et quia in numeroſis populis illarũ regionum, tanta eſt Sacerdotum raritas, ut unus plurium curam populorum ſuſcipere debeat; ut bis eodem die Miſſam celebrare, diverſis in locis valeant: & inſuper attentâ meditatione penſantes, qantum utilitatis ad exaltationem Chriſtianæ fidei & Evangelicæ veritatis, Societatis prædictæ profeſſores afferant, & afferre valeant, omnia & ſingula, gratias, immunitates, conceſſiones, privilegia, & indulta, anteà per nos eisdem Societati, & illius Sociis, & perſonis quomodolibet conceſſa, quæ hîc pro ſpecificatis haberi volumus approbantes, innovantes, & confirmantes, quòd Socii dictæ Societatis, qui alibi, quàm in urbe Româ, profeſſionem emittere non poſſunt, litteris Apoſtolicis ab ipsâ Societate, ad id ob aliquas cauſſas, ad tempus impetratis, non obſtantibus, eisdem de licentiâ Præpoſiti Generalis prædicti, ut profeſſionem ipſam ubilibet emittere liberè & licitè valeant, concedimus & indulgemus. Nec non Ignatio, & aliis ſucceſſoribus ſuis Præpoſitis Generalibus dictæ Societatis pro tempore exiſtentibus, ut indultum aliàs per nos eidem Societati, ſuper habendis viginti Coadjutoribus conceſſum, ad alios quoſcumque, quos idoneos fore cenſuerint, ſub eorum obedientiâ degentes extendere, quaſcumque gratias, conceſſiones, & indulta eisdem Generalibus dictæ Societatis Præpoſitis pro tempore exiſtentibus per Nos conceſſa, per eorum Vicarios, aut perſonas ad id ſibi benè viſas, præſertim in Indiarum, & aliis partibus remotis, pro tempore ſubſtitutas, exercere liberè & licitè valeant. Ac præſentes litteras, & in eis contenta quæcumque, ex quavis causâ, de ſurreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, ſeu intentionis noſtræ defectu notari vel impugnari nullatenus poſſe: ac ſub quibusvis ſuſpenſionibus, derogationibus, limitationibus, & aliis quibusvis contrariis diſpoſitionibus, & gratiarum ac indulgentiarum conceſſarum derogatoriis ſeu revocatoriis, etiam per nos, & Sedem eamdem, pro tempore conceſſis, nullatenus comprehendi, ſed ſemper ab illis exceptas exiſtere, ac ſuos plenarios effectus ſortiri; & illarum tranſumptis manu Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo alicujus Canonici Metropolitanæ, vel alterius Cathedralis Eccleſiæ, ſeu perſonæ in dignitate Eccleſiaſticâ conſtitutæ munitis, eamdem prorſus fidem quæ adhiberetur eisdem originalibus litte-

Privilegiorum à ſe datorum Papæ confirmatio.

Profeſſio ubique locorum emitti poteſt.

Coadjutores ſine certo numero admitti poſſunt.

Gratias à Paulo III conceſſas poteſt Generalis per alios exercere.

Tranſumptis habeatur fides:

ris,

ris, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ, ubique in judicio,& extra adhiberi debere; PAVLI III.
& ſic per quoſcumque Iudices & Commiſſarios quavis etiam Apoſtolicâ auctoritate fungentes, ſublatâ eis & eorum cuilibet quavis aliter judicandi & interpretandi facultate & auctoritate, judicari & definiri debere; ac ſi ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari, irritum & inane decernimus: Ac dilectis in Chriſto filiis illuſtribus, & nobilibus viris, Principibus, ac Dominis temporalibus, & venerabilibus fratribus, Prælatis Eccleſiaſticis in quavis dignitate conſtitutis prædictam Societatem ac ſingulos illius Socios plurimum in Domino commendantes; non ſolùm ne eos inquietari, aut eorum privilegia violari permittant, ſed ut benignè & cum caritate, ut decet, ſuſcipiant exhortamur, atque in Domino rogamus: & nihilominùs univerſis & ſingulis venerabilibus fratribus noſtris, Archiepiſcopis, Epiſcopis, ac dilectis filiis, Abbatibus, Prioribus, & aliis perſonis in dignitate Eccleſiaſticâ conſtitutis, nec non Metropolitan. & aliarum Cathedralium Eccleſiarum Canonicis, ac eorumdem Archiepiſcoporum, & Epiſcoporum Officialibus, & Vicariis generalibus, ubilibet conſtitutis, per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus ipſi, ac quilibet eorum, per ſe, vel alium, ſeu alios, præſentes litteras, & in eis contenta hujusmodi, ubi, & quando opus fuerit, ac quoties pro parte dictorum Sociorum, vel alicujus eorum fuerint requiſiti, ſolemniter publicantes, eisdemque Sociis in præmiſſis efficacis defenſionis præſidio aſſiſtentes, faciant, auctoritate noſtrâ, eosdem Socios litteris, & in eis contentis hujusmodi pacificè gaudere; non permittentes eos, aut eorum aliquem ſuper præmiſſis, aut quibusvis aliis rebus, & cauſis per locorum Ordinarios, aut quoſcumque alios, quomodolibet indebitè moleſtari; ſed eos contra quoſcumque cujuſcumque conditionis, vel qualitatis exiſtentes, & quavis etiam Patriarchali, Archiepiſcopali, vel Epiſcopali, aut mundanâ dignitate ac exemptione fungentes & munitos, in quibusvis cauſis, juſtitiæ complementum miniſtrantes, id quod per eos ordinatum fuerit, ad executionem debitam perduci faciant: illosque quos cenſuras vel pœnas prædictas incurriſſe conſtiterit, excommunicatos ac interdictos declarent, ac faciant & mandent publicè nuntiari, ac ab omnibus arctiùs evitari, & legitimis ſuper his habitis & habendis proceſſibus ſervatis, illos quoties opus fuerit, iteratis vicibus aggravare procurent: contradictores auctoritate noſtrâ, appellatione poſtpoſitâ, compeſcendo, invocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſæcularis. Non obſtantibus conſtitu-

Societas ejusq; perſonæ Principibus ac Prælatis commendantur.

Deputantur Iudices conſervatores.

Pavli III. *Non obſtant huic privilegio ulla aliorum.* ſtitutionibus, & ordinationibus, ac juramento, confirmatione Apoſtolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, nec non privilegiis, indultis, & litteris Apoſtolicis S. Benedicti, & S. Franciſci, ac Mendicantium, & aliis Ordinibus ſupradictis, illorumque Prælatis & perſonis, etiam ſuper non communicandis gratiis ſibi conceſſis, & aliàs quomodolibet per nos & Sedem præfatam conceſſis, confirmatis, ac etiam iteratis vicibus innovatis, etiam Mari magno, Bullâ aureâ, & aliàs quomodolibet nuncupatis, quibus illorum tenores præſentibus pro ſufficienter expreſſis, & inſertis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, hac vice ſpecialiter & expreſsè derogamus, ceterisque contrariis quibuſcumque. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtrorum, conceſſionum, ſtatutorum, ordinationis, confirmationis, inhibitionum, exemptionis, liberationis, ſuſceptionis, decretorum, voluntatum, elargitionis, relaxationis, exhortationis, rogationis, mandati, & derogationis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum Romæ apud Sanctum Marcum, anno Incarnationis Dominicæ M. D. XLIX. XV. Kal. Novembr. Pontificatus noſtri anno Quintodecimo.

G. Grolletti.

F. De Iaſer promagiſtris.

Ivlii III.

IULII III.
CONFIRMATIO ALIA

Inſtituti, cum majori, tum illius tum aliorum Societatis indultorum, declaratione.

ANNO M. D. L.

IVLIVS Epiſcopus ſervus ſervorum Dei, ad perpetuam rei memoriam. Expoſcit debitum paſtoralis officii, cui nos licet immeritos prætulit divina Majeſtas; ut fideles quoslibet, præſertim religioſos, in viâ mandatorum Domini ad illius honorem & gloriam, & proximorum ſpiritualem profectum, deambulantes, paternis confoveamus affectibus: ut fideles ipſi, dexterâ Domini ſibi aſſiſtente propitiâ, æternæ ſalutis præmium ferventiùs exqui-

quirant, & in eorum pio propoſito confoveantur. Dudum ſi quidem, per IVLII III. felicis recordationis PAVLVM Papam Tertium prædeceſſorem noſtrum, accepto, Quòd dilecti filii Ignatius de Loyola, & Petrus Faber, ac Iacobus Laynez, nec non Claudius Iajus, & Paſchaſius Broët, ac Franciſcus Xavier, nec non Alfonſus Salmeron, & Simon Rodericus, ac Ioannes Coduri, & Nicolaus de Bobadillà, Presbyteri Pampilonen. Gebennen. Seguntin. Toletan. Viſen. Ebredunen. & Palentin. civitatum, & diœceſeon, in Artibus magiſtri, in Vniverſitate Pariſienſi graduati, & in Theologicis ſtudiis per plures annos exercitati, Spiritu ſancto afflati, jamdudum è diverſis mundi-regionibus decedentes, in unum convenerant; & exemplaris ac religioſæ vitæ Socii effecti, abdicatis hujus ſæculi illecebris, eorum vitam perpetuo Domini noſtri IESV Chriſti, atque ſuo & ſucceſſorum ſuorum Romanorum Pontificum ſervitio dedicaverant; & iam pluribus annis verbum Dei prædicando, & fideles privatim ad pias meditationes, beneque ac beatè vivendum excitando, hoſpitalibus inſerviendo, pueros & alios rudes ſalubria dogmata, ad Chriſtiani hominis inſtitutionem neceſſaria docendo; ac denique omnia caritatis officia, quæ ad animarum ædificationem pertinebant, ubique terrarum, ubi peregrinati fuerant quisque juxta traditam ſibi ab ipſo Spiritu ſancto gratiam, multâ cum laude obeundo, laudabiliter in vineâ Domini ſe exercuerant, eorum inſtitutum, ſub quadam vivendi formulâ ab ipſis editâ, Evangelicæ veritati, & ſanctorum Patrum ſanctionibus conformi, ut vinculum caritatis & unio in ipſis quidem Sociis, & aliis qui prædictum vellent inſtitutum ſequi, conſervarentur, approbavit, & confirmavit, & benedixit: ipſosque Socios, quorum numerum, non ultra ſexaginta eſſe tunc voluit, ſub ſuâ, & Apoſtolicæ Sedis protectione ſuſcepit; illisque condendi Conſtitutiones & ſtatuta quæcumque ad ipſius ſic inſtitutæ & confirmatæ Societatis conſervationem & felicem progreſſum, licentiam conceſſit per quasdam. Cumque poſtmodùm progreſſu temporis, Spiritu ſancto cooperante, ex Societate prædictâ ſpiritualem animarum fructum creſcere; & multos, qui inſtitutum prædictum ſequi vellent, in Pariſienſi & aliis generalium ſtudiorum Vniverſitatibus, ſtudere intellexiſſet idem prædeceſſor, Ignatii & aliorum Sociorum prædictorum piam vitam & doctrinam attendendo, eidem Societati ut quoscumque alios idoneos, & juxta ſuas Conſtitutiones probatos liberè admittere poſſent, conceſſit. & nihilominùs, ut Coadjutores tam Presbyteros, qui in ſpiritualibus, quàm laicos, qui in temporalibus & domeſticis officiis eos ad-

Summa litterarum Apoſtolicarum Pauli III. de Inſtituto Societatis.

IVLII III. adiuvarent, qui quidem Coadjutores peractis probationibus, juxta Conſtitutiones Societatis hujusmodi requiſitis, ad majorem devotionem ſuam & meritum, etiam tria vota, Paupertatis videlicet, Caſtitatis, & Obedientiæ poſſent emittere, non ſolemnia, ſed quibus pro eo tempore, quo Præpoſitus Generalis Societatis prædictæ eis in miniſterio ſpirituali vel temporali utendum judicaret, aſtringerentur: quique omnium bonorum operum, quæ in dicta Societate fierent, ac meritorum omnium participes fierent, perinde ut qui ſolemnem profeſſionem in eadem Societate emiſiſſent, poſſent aſſumere: & alias gratias ac privilegia ad fovendam & adjuvandam in iis, quæ ad Dei honorem & animarum ſalutem pertinebant, Societatem prædictam, de benignitate Apoſtolica conceſſit. Vt autem prædicta omnia priùs ab eodem prædeceſſore conceſſa, magis confirmentur; & ſimul omnia quæ ad inſtitutum prædictæ Societatis pertinent, eisdem in litteris aliarum ſummam continentibus comprehendantur; & ut aliqua obſcuriùs dicta, & quæ ſcrupulum ac dubitationem poſſent injicere, per nos exactiùs explicentur; Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut formulam, qua prædictæ Societatis inſtitutum exactiùs & diſtinctiùs, quàm anteà, edocente experientia ac uſu rerum, expreſſum, eodem tamen ſpiritu, comprehenditur confirmare dignaremur; cujus tenor ſequitur, & eſt talis. Quicumque in Societate noſtra, quam IESV nomine inſigniri cupimus, vult ſub crucis vexillo Deo militare, & ſoli Domino ac Eccleſiæ ipſius ſponſæ, ſub Romano Pontifice, Chriſti in terris Vicario, ſervire; poſt ſolemne perpetuæ Caſtitatis, Paupertatis, & Obedientiæ votum, proponat ſibi in animo, ſe partem eſſe Societatis, ad hoc potiſſimum inſtitutæ, ut ad fidei defenſionem & propagationem, & profectum animarum in vitâ & doctrinâ Chriſtianâ per publicas prædicationes, lectiones, & aliud quodcumque verbi Dei miniſterium, ac ſpiritualia exercitia, puerorum ac rudium in Chriſtianiſmo inſtitutionem, Chriſti fidelium in confeſſionibus audiendis ac ceteris Sacramentis adminiſtrandis, ſpiritualem conſolationem, præcipuè intendat: & nihilominùs ad diſſidentium reconciliationem, & eorum qui in carceribus vel in hoſpitalibus inveniuntur, piam ſubventionem & miniſterium, ac reliqua caritatis opera, prout ad Dei gloriam, & commune bonum expedire viſum erit, exequenda, gratis omnino, & nullo, pro ſuo in prædictis omnibus labore, ſtipendio accepto, ſe utilem exhibeat; curetque primo Deum, deinde hujus ſui inſtituti rationem, quæ via quædam eſt ad illum, quoad vixerit, ante oculos habere, & finem hunc

Inſtituti Societatis formula.

Vota Paupertatis, Caſtitatis & Obedientiæ.

Finis inſtituti.

Puerorum ac rudium inſtitutio.

Operum caritatis exercitia, quæ gratis omnino exhibenda ſunt.

hanc ſibi à Deo propoſitum totis viribus aſſequi; unusquiſque tamen ſecundùm gratiam ſibi à Spiritu ſancto ſubminiſtratam, & vocationis ſuæ proprium gradum. Ideoque, ne quis fortè zelo utatur ſed non ſecundùm ſcientiam, proprii cujusque gradus judicium, & officiorum diſcretio ac diſtributio tota ſit in manu Præpoſiti Generalis, ſeu Prælati per Nos quocumque tempore eligendi, vel eorum quos ipſe ſibi eâ cum auctoritate ſubſtituerit, ut congruus ordo ſervetur in omni benè inſtitutâ communitate neceſſarius. Qui quidem Præpoſitus de conſilio conſociorum, Conſtitutiones ad conſtructionem hujus propoſiti nobis finis conducentes condendi, majori ſuffragiorum parte ſemper ſtatuendi jus habente, & quæ dubia eſſe poterünt in noſtro inſtituto hac formulâ comprehenſo declarandi auctoritatem habeat. Conſilium verò neceſſariò convocandum ad condendas, vel immutandas Conſtitutiones, & alia graviora, ut alienare, vel diſſolvere Domos, ac Collegia ſemel erecta, intelligatur eſſe major pars totius profeſſæ Societatis (juxta Conſtitutionum noſtrarum declarationem) quæ ſine magno incommodo poteſt à Præpoſito Generali convocari. In aliis, quæ non ita magni momenti ſunt, idem Præpoſitus adjutus quatenus ipſe opportunum judicabit, fratrum ſuorum conſilio per ſeipſum ordinandi & jubendi quæ ad Dei gloriam & commune bonum pertinere in Domino videbuntur, jus totum habeat, prout in Conſtitutionibus eisdem explicabitur. Quicumque autem in hac Societate profeſſionem emiſerint, non ſolùm in primis profeſſionis ſuæ foribus intelligant, ſed quoad vixerint, memores ſint, Societatem hanc univerſam, & ſingulos qui in eâ profitentur, ſub Sanctisſimi Domini N. PAULI Papæ Tertii, & aliorum Romanorum Pontificum ſucceſſorum ejus fideli obedientiâ, Deo militare. Et quamvis Evangelio doceamur, & fide orthodoxâ cognoſcamus ac firmiter teneamus, omnes Chriſti fideles Romano Pontifici, tamquam capiti, ac IESU Chriſti Vicario ſubeſſe: ob devotionem tamen majorem ad obedientiam Sedis Apoſtolicæ, & majorem voluntatum noſtrarum abnegationem, & certiorem ſancti Spiritus directionem, ſummoperè conducere judicavimus, ſingulos nos, & quicumque eamdem in poſterum profeſſionem emiſerint, ultra illud commune trium votorum vinculum, ſpeciali ad hoc voto aſtringi, ut quidquid modernus, & alii Romani Pontifices pro tempore exiſtentes juſſerint ad profectum animarum, & fidei propagationem pertinens, & ad quaſcumque provincias nos mittere voluerint, ſine ullâ tergiverſatione aut excuſatione illicò, quantum in nobis fuerit, ſive nos ad Tur-

IULII III.

Officiorum diſtributio.

De condendis conſtitutionibus.

Præpoſitus habet auctoritatem declarandi inſtitutum.

Conſilium ad graviora convocandum.

In his quæ non tanti momenti ſunt, jus tantum habet Præpoſitus.

Speciale votum obediendi Romano Pontifici.

cas

JVLII III. cas ſive ad quoſcumpue alios infideles, etiam in partibus, quas Indias vocant, ſive ad quoſcumque Hæreticos, Schiſmaticos, ſeu etiam ad quosvis fideles, mittendos cenſuerint, exequi teneamur. Quamobrem qui ad nos acceſſuri ſunt, antequàm huic oneri humeros ſupponant, diu multumque meditentur, an tantum pecuniæ ſpiritualis in bonis habeant, ut turrim hanc juxta conſilium Dominicum poſſint conſummare: hoc eſt, an Spiritus ſanctus, qui illos impellit, tantum illis gratiæ polliceatur, ut hujus vocationis pondus, illo adjuvante, ſe laturos ſperent: & poſtquàm, Domino inſpirante, huic IESV Chriſti militiæ nomen dederint, die noctuque ſuccincti lumbos, & ad tam grandis debiti ſolutionem prompti eſſe debebunt. Ne qua autem poſſit eſſe inter nos miſſionum, aut provinciarum hujusmodi ambitio, vel detrectatio, intelligant ſinguli, ſibi per ſe vel alium, de hujuſmodi miſſionibus quidquam cum Romano Pontifice, non eſſe curandum; ſed omnem hanc curam Deo, & ipſi Pontifici tamquàm ejus Vicario, & Societatis Præpoſito, dimittendam: cui quidem Præpoſito, ſicut ceteris, nihil de ſui ipſius miſſione in alterutram partem, niſi de Societatis conſilio cum dicto Pontifice curandum erit. Voveant etiam ſinguli, ſe in omnibus, quæ ad regulæ hujus noſtræ obſervationem faciunt, Societatis Præpoſito (qui ad hoc munus, quàm fieri poſſit idoneus, ad plura vota, prout in Conſtitutionibus declarabitur, eligetur) obedientes fore. Ille autem omnem eam auctoritatem & poteſtatem habeat ſupra Societatem, quæ ad bonam ejusdem Societatis adminiſtrationem, correctionem, & gubernationem utilis erit. Iubeat autem ea, quæ ad conſtructionem propoſiti ſibi à Deo & à Societate finis cognoverit eſſe opportuna; & in prælatione ſuâ benignitatis, ac manſuetudinis, caritatisque Chriſti, Petri, Paulique formulæ ſemper ſit memor: & tam ipſe, quam conſilium prædictam ad normam hanc aſſiduè ſpectent. Singuli verò ſubditorum, tum propter ingentes ordinis utilitates, tum propter numquàm ſatis laudatum humilitatis aſſiduum exercitium, non ſolùm Præpoſito in omnibus, ad inſtitutum Societatis pertinentibus, parere ſemper teneantur; ſed in illo Chriſtum veluti præſentem agnoſcant, & quantum decet, venerentur. Cùm autem experti fuerimus jucundiorem, puriorem, & ad proximi ædificationem aptiorem eſſe vitam ab omni avaritiæ contagione quàm remotiſſimam, & Evangelicæ paupertati quàm ſimillimam: cumque ſciamus Dominum noſtrum IESVM Chriſtum ſervis ſuis regnum Dei ſolum inquirentibus, neceſſaria ad victum & veſtitum eſſe ſubminiſtraturum; ſic voveant

Ingreſſuri Societatem quid conſiderare debeant.

Miſſiones non procurandæ.

Votum obedientiæ.

Præpoſiti electio, & poteſtas.

Gubernandi ratio.

Obedientia ſubditorum erga Præpoſitum.

Paupertatis votum.

veant ſinguli & univerſi perpetuam Paupertatem, ut non ſolùm privatim, ſed neque etiam communiter, poſſint Profeſſi vel ulla eorum Domus aut ecclesia ad aliquos proventus, reditus, poſſeſſiones, ſed nec ad ulla bona ſtabilia, præter ea, quæ opportuna erunt ad uſum proprium & habitationem, retinenda jus aliquod civile acquirere, rebus ſibi ex caritate donatis ad neceſſarium vitæ uſum contenti. Quia tamen Domus, quas Dominus dederit, ad operandum in vineâ ipſius, & non ad ſcholaſtica ſtudia exercenda deſtinandæ erunt; cùm valdè opportunum fore alioqui videatur, ut ex juvenibus ad pietatem propenſis, & ad litterarum ſtudia tractanda idoneis, operarii eidem vineæ Domini parentur, qui Societatis noſtræ, etiam profeſſæ, velut qoddam Seminarium exiſtant, poſſit profeſſa Societas ad ſtudiorum commoditatem, Scholarium habere Collegia, ubicumque ad ea conſtruenda, & dotanda ex devotione aliqui movebuntur: quæ ſimul atque conſtructa & dotata fuerint, (non tamen ex bonis, quorum collatio ad Sedem Apoſtolicam pertinet) ex nunc auctoritate Apoſtolicâ erigi ſupplicamus, ſeu pro erectis haberi: quæ Collegia poſſint habere reditus, cenſus, ſeu poſſeſſiones, uſibus & neceſſitatibus ſtudentium applicandas, retentâ penes Præpoſitum vel Societatem omnimodâ gubernatione ſeu ſuperintendentiâ ſuper dicta Collegia & prædictos ſtudentes, quoad Rectorum ſeu gubernatorum, ac ſtudentium electionem, ac eorumdem admiſſionem, emiſſionem, receptionem, excluſionem, ſtatutorum ordinationem, & circa ſtudentium inſtructionem, eruditionem, ædificationem, ac correctionem, victus, veſtitusque, & aliarum rerum neceſſariarum eis miniſtrandarum modum, atque aliam omnimodam gubernationem, regimen, ac curam, ut neque ſtudentes dictis bonis abuti, neque Societas Profeſſa in proprios uſus convertere poſſit; ſed ſtudentium neceſſitati ſubvenire: Qui quidem ſtudentes ingenii, & morum indole tales eſſe debebunt, ut merito ſperetur, poſt abſoluta ſtudia ad Societatis functiones idoneos fore: & ſic demum poſt cognitum in ſpiritu & litteris eorum profectum, & poſt ſufficientem probationem, in Societatem noſtram admitti poſſint. Socii autem omnes cùm Presbyteri eſſe debeant, ad dicendum officium ſecundum communem Eccleſiæ ritum, ſed privatim, & non communiter vel in choro, teneantur: & in iis, quæ ad victum, & veſtitum, & cetera exteriora pertinent, honeſtorum Sacerdotum communem & approbatum uſum ſequentur, ut quod inde pro cujusque neceſſitate, vel ſpiritualis profectus deſiderio ſubtractum fuerit, ex devotione, & non ex

IVLII III.

Profeſſi, & eorum Domus non poſſunt habere reditus.

De Collegiis, & eorum reditibus.

Collegiorum gubernatio penes Præpoſitum vel Societatem eſt.

De Officio divino recitando.

In victu & veſtitu ſequi debemus uſum communem honeſtorum Sacerdotum.

Ivlii III. ex obligatione, rationabile obſequium corporis Deo, prout expediet, offeratur. Hæc ſunt, quæ ſub præfati Domini Noſtri Pavli, & Sedis Apoſtolicæ beneplacito, de noſtrâ profeſſione typo quodam explicare potuimus; quod nunc fecimus, ut ſummatim informaremus tum illos, qui nos de noſtro vitæ inſtituto interrogant, tum etiam poſteros noſtros, ſi quos Deo volente imitatores unquam habebimus hujus vitæ: quam cùm multas, magnasque habere annexas difficultates fuerimus experti, opportunum judicavimus etiam ſtatuere, nequis ad profeſſionem in hac Societate emittendam, niſi diuturnis & diligentisſimis probationibus, prout in Conſtitutionibus declarabitur, ejus vita & doctrina explorata fuerit, recipiatur: quia reverà hoc inſtitutum omnino humiles, & prudentes in Chriſto, & in Chriſtianæ vitæ puritate ac litteris conſpicuos exigit. Imò & ii, qui in Coadjutores tam in ſpiritualibus quàm in corporalibus, & in Scholares admittentur, quorum utrique, poſt ſufficientes probationes, & tempus in Conſtitutionibus expreſſum, vota ſua ad devotionem & meritum majus, non quidem ſolemnia, (præter aliquos, qui de licentiâ Præpoſiti Generalis propter ipſorum devotionem, & perſonarum qualitatem, tria vota hujusmodi ſolemnia facere poterunt) ſed quibus teneantur, quamdiu Præpoſitus Generalis in Societate eos retinendos eſſe cenſuerit, emittere debeant, prout in Conſtitutionibus latiùs explicabitur; non niſi diligenter examinati & idonei reperti ad eumdem finem Societatis, admittantur ad hanc Iesv Chriſti militiam, qui tenuibus cœptis noſtris favere dignetur, ad gloriam Dei Patris, cui ſoli ſit ſemper decus, & honor in ſæcula. Amen. Quapropter conſiderantes, nihil quod pium ſanctumque non ſit, in dictâ Societate ejusque laudabilibus inſtitutis, ac exemplari Ignatii & aliorum Sociorum prædictorum vita & moribus reperiri; eaque omnia ad ſuorum & aliorum Chriſti fidelium animarum ſalutem, & fidei exaltationem tendere; Socios, ac illorum Coadjutores prædictos, & ipſius Societatis Scholares à quibusvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliisque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis à jure vel ab homine, quavis occaſione vel cauſsâ, latis, ſi quibus quomodolibet innodati exiſtunt, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes & abſolutos fore cenſentes, illosque ſub noſtrâ & Apoſtolicæ Sedis protectione ſuſcipientes, motu proprio, & ex certâ noſtrâ ſcientiâ, auctoritate Apoſtolicâ, tenore præſentium, erectionem & inſtitutionem Societatis, ac extenſionem numeri illius Sociorum; ac receptio-

Ad profeſſionem, non admittantur niſi diu, multumq́ probati.

Coadjutores, & Scholares vota ſua debent emittere.

Aliqui tria vota ſolemnia emittere poſſunt.

Idonei coadjutores, & ſcholares debent admitti.

Approbatur & confirmatur inſtitutum, & Privilegia conceſſa.

ptionis, & admiſſionis Coadjutorum, ac omnia & ſingula Privilegia, immunitates, exemptiones, libertates, & condendi & alterandi ſtatuta, & ordinationes, ac alia quævis indulta eisdem, Societati & illius Præpoſito, per prædeceſſorem noſtrum, & Sedem hujusmodi, ſub quibuſcumque tenoribus & formis conceſſa & confirmata, ac deſuper confectas, tam ſub plumbo, quàm in formâ brevis litteras, & in eis contenta, ac inde ſecuta quæcumque, perpetuo approbamus & confirmamus, ac eis perpetuæ firmitatis robur adjicimus, ſupplentes omnes & ſingulos tam juris quàm facti defectus, ſi qui intervenerint in eisdem: Eaque omnia, & ſingula perpetuæ & inconcuſſæ firmitatis robur obtinere, & inviolabiliter obſervari debere; & ſic per quoscumque Iudices & Commiſſarios, quavis auctoritate fungentes, ſublatâ eis & eorum cuilibet quavis aliter judicandi & interpretandi facultate & auctoritate, judicari, interpretari, atque decidi debere; nec non quidquid ſecus ſuper his per quoſcumque, quavis auctoritate ſcienter vel ignoranter contigerit attentari, irritum & inane decernimus & declaramus. Quocircà universis & ſingulis venerabilibus fratribus Patriarchis, Archiepiſcopis, Epiſcopis, ac dilectis filiis Abbatibus, Prioribus, & aliis perſonis in dignitate Eccleſiaſticâ conſtitutis, per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus ipſi, & eorum quilibet, per ſe vel alium ſeu alios, præfatis Præpoſito & Societati in præmiſſis efficacis defenſionis præſidio aſſiſtentes, faciant auctoritate noſtrâ ſingulas prædictas & præſentes litteras plenum effectum ſortiri, ac ab omnibus inviolabiliter obſervari: non permittentes quemquam contra illarum tenorem quomodolibet indebitè moleſtari: contradictores quoslibet & rebelles per cenſuras Eccleſiaſticas, & alia juris opportuna remedia, appellatione poſtpoſitâ, compeſcendo, ac cenſuras prædictas legitimis ſuper his habendis ſervatis proceſſibus, etiam iteratis vicibus aggravando: invocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſæcularis: Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac omnibus illis & ſingulis, quæ in litteris prædictis idem prædeceſſor noſter voluit non obſtare, ceterisque contrariis quibuſcumque, aut ſi aliquibus communiter vel diviſim ab Apoſtolicâ ſit Sede indultum: quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint per litteras Apoſtolicas non facientes plenam & expreſſam, ac de verbo ad verbum, de indulto hujusmodi mentionem. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ abſolutionis, ſuſceptionis, approbationis, confirmationis, adjectionis, ſuppletionis, decreti, declarationis, &

IVLII III.

Iudices qui aſſiſtant.

Non obſtantibus, &c.

IVLII III. mandati infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus, ſe noverit incurſurum. Datum Romæ, apud Sanctum Petrum, anno incarnationis Dominicæ milleſimo quingenteſimo quinquageſimo, duodecimo Kal. Auguſti, Pontificatus noſtri anno primo.

F. de Mendoza.

Fed. Card. Cæſius.

BREVE I.

CONFIRMATIO

PRIVILEGIORVM

Societati conceſſorum: & aliorum nova conceſſio.

ANNO M. D. LII.

Dilecto Filio Ignatio de Loyolâ, Præpoſito Generali Societatis IESV.

IVLIVS PAPA III.

Dilecte fili ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Sacræ Religionis, ſub quâ dilecti filii Societatis IESV, rejectis ſæculi vanitatibus, gratum Altiſſimo præbent ſub humilitatis ſpiritu famulatum; & ferventibus ſtudiis per exempla virtutum & ſolidam doctrinam alios ad divinæ Majeſtatis obſequia trahunt, favor expoſcit, & devotionis veſtræ merita Nos inducunt, ut ea, quæ per Nos, & prædeceſſorem noſtrum tibi & illis providè conceſſa ſunt, Apoſtolicæ firmitatis munimine roboremus: voſque amplioribus favoribus, & gratiis confoveamus, ea vobis concedentes, per quæ commoditatibus veſtris, & animarum tum veſtrarum tum etiam aliorum, quibus juvandis vacatis, per amplius conſulatur. Tuis itaque in hac parte nobis porrectis ſupplicationibus inclinati, omnia & ſingula, litteras, facultates, indulgentias etiam plenarias, conceſſiones, immunitates, exemptiones, libertates, gratias, privilegia, & indulta, tibi, & ad tui & pro tempore exiſtentis Præpoſiti Generalis Societatis hujuſmodi diſpoſitionem conceſſa, nec non facultatem inter alia cum perſonis Societatis hujuſmodi circa jejunia, & cibos prohibitos, per te, vel alios Societatem ipſam profeſſos diſpenſandi: ac quoſ-

Confirmantur Privilegia hactenus conceſſa.

Diſpenſare circa jejunia, & cibos prohibitos.

quoſcumque à caſibus hæreſis, & aliis contra fidem, & conſequentibus cenſuris quibuſcumque, etiam per te, & ſucceſſores tuos, vel alios ſimiliter profeſſos ad id idoneos, per te & pro tempore exiſtentem Præpoſitum Generalem Societatis hujusmodi deputandos abſolvendi, & quatenus opus ſit, in foro conſcientiæ diſpenſandi, per fel. record. PAVLVM Papam III. prædeceſſorem noſtrum, & forſan Nos tam in genere, quàm in ſpecie, & aliàs quomodolibet, & ſub quibuſcumque tenoribus & formis conceſſa, eorum omnium tenores & cauſſas, propter quas conceſſa ſunt, præſentibus pro ſufficienter expresſis habentes, Apoſtolicâ auctoritate, ex certa noſtra ſcientia, tenore præſentium approbamus & confirmamus, ac illis perpetuæ & inconcuſſæ firmitatis robur adjicimus; illaque inviolabiliter obſervari, & ſub quibusvis derogationibus, revocationibus, ſuſpenſionibus, alterationibus, decretis, declarationibus, ac litteris Apoſtolicis, etiam quasvis clauſulas generales vel ſpeciales, etiam derogatoriarum derogatorias, efficaciores, & inſolitas, ac etiam irritantia decreta, ſub quacumque verborum formâ, & expresſione in ſe continentibus, ac Cancellariæ Apoſtolicæ regulis, ſeu conſtitutionibus Apoſtolicis, quomodolibet pro tempore factis & editis, ullo unquam tempore comprehendi; aut eis in aliquo derogari, ſeu ea revocari, aut alterari nullatenus poſſe; ſicque per quoſcumque Iudices & Commiſſarios, quavis auctoritate fungentes, in quavis cauſſa & inſtantiâ, ſublatâ eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi & interpretandi facultate & auctoritate, judicari ac definiri debere: ac ex nunc quidquid ſecus ſuper his à quoquam, quavis auctoritate ſcienter vel ignoranter contigerit attentari, irritum, & inane decernimus: Et nihilominùs, ut tu, & Societas hujusmodi quietiùs & devotiùs in humilitate ſpiritus, Altisſimo gratum præbere posſitis famulatum, facultatem & licentiam anteponendi, & poſtponendi officium divinum, aliàs vobis conceſſam ad hoc, ut tu, & pro tempore exiſtentes religioſi Societatis hujusmodi ex legitimis ac juſtis cauſſis, in quo tuam, & ſucceſſorum tuorum Præpoſitorum Generalium pro tempore exiſtentium, & aliorum, quos ad hoc ſubſtitueritis, conſcientiam oneramus, officium ipſum celebrationi Miſſæ liberè, & absque conſcientiæ ſcrupulo poſtponere posſitis, auctoritate & tenore prædictis extendimus & ampliamus: ac inſuper tibi, & aliis Præpoſitis Generalibus Societatis hujusmodi pro tempore exiſtentibus, & aliis, quibus ad hanc commutationem, auctoritatem veſtram communicaveritis, ut recitationem officii hujusmodi pro iis, qui ob infirmitatem vobis videbun-

IVLII III.

Abſolvere à quibuſcumque caſibus hæreſis in foro conſcientiæ.

Privilegia prædicta ſub quibusvis derogationibus non comprehenduntur.

Facultas præponendi, ac poſtponendi officium divinum.

Poſtponere officium divinum Miſſæ celebrationi.

Infirmis commutare officium divinum.

JVLII III. buntur excuſandi, in aliud opus pium, ſeu leviorem orationem, durante tamen infirmitate, arbitrio veſtro commutare; nec non Scholaribus Collegiorum Societatis hujusmodi in Vniverſitatibus alicujus ſtudii generalis exiſtentium, quòd ipſi, ſi prævio rigoroſo & publico examine in eiſdem Vniverſitatibus idonei reperti fuerint, & Rectores Vniverſitatum hujusmodi eos gratis, & amore Dei absque aliquâ pecuniarum ſolutione promovere recuſaverint; in Collegiis prædictis, à Præpoſito Generali, pro tempore exiſtenti, vel de ejus licentiâ, à quovis ex inferioribus Præpoſitis, vel Rectoribus hujusmodi Collegiorum, cum duobus etiam, vel tribus Doctoribus, ſeu Magiſtris, per eosdem eligendis; Scholaribus verò Collegiorum eorumdem, extra Vniverſitates exiſtentium, ſtudiorum ſuorum curſu abſoluto, & rigoroſo examine præcedente, à dicto Præpoſito Generali, vel de ejus licentiâ, à quovis ex Præpoſitis, vel Rectoribus hujusmodi Collegiorum, cum duobus, vel tribus Doctoribus, vel Magiſtris, per eosdem eligendis, quoſcumque Baccalaureatus, ac Magiſterii, Licentiaturæ, ac Doctoratus gradus accipere: Præpoſitis, vel Rectoribus cum Doctoribus hujusmodi, ut eosdem Scholares ad gradus ipſos promovere, eisdemque Scholaribus, ut poſtquam promoti fuerint, in eis legere, diſputare, ac quoſcumque alios actus ad hæc neceſſarios facere, & exequi, ac omnibus, & ſingulis privilegiis, prærogativis, immunitatibus, exemptionibus, libertatibus, antelationibus, favoribus, gratiis, & indultis, ac omnibus, & ſingulis aliis, quibus alii in quibusvis Vniverſitatibus ſtudiorum hujusmodi, rigoroſo examine prævio, ac aliàs juxta inibi obſervari ſolitos, & requiſitos uſus, ordinationes, ritus, ac mores, pro tempore promoti de jure, vel conſuetudine, aut aliàs quomodolibet utuntur, potiuntur, & gaudent, ac uti, potiri, & gaudere poterunt quomodolibet in futurum, non ſolùm ad ipſorum inſtar, ſed pariformiter, & æquè principaliter absque ullâ penitùs differentiâ, uti, potiri, & gaudere, in omnibus, & per omnia, perinde ac ſi gradus hujusmodi in eiſdem Vniverſitatibus, & non eorum Collegiis hujusmodi accepiſſent: Præpoſitis quoque inferioribus à te, & pro tempore exiſtenti Præpoſito Generali præfato, vel etiam Provincialibus, præſertim in locis Indiarum, & aliis remotis partibus, pro tempore deputatis, ut ipſi quæcumque, gratias, facultates, conceſſiones, & indulta eis per te, & eumdem Præpoſitum Generalem, vel Provincialem, pro tempore exiſtentes, communicata, & conceſſa, quibusvis aliis perſonis de Societate hujusmodi Profeſſis, eis benè viſis, quoties eis videbitur, de tuâ tamen,

Quomodò Noſtri in Vniverſitatibus poſſunt ad gradus promoveri.

Noſtri extra Vniverſitates poſſunt ad gradus promoveri.

Privilegia eorum, qui ad gradus promoventur.

Præpoſiti inferiores gratias ſibi communicatas, de licentiâ Generalis, Profeſſis communicare poſſunt.

men, & Præpoſitorum Generalium pro tempore exiſtentium licentiâ, communicare, & concedere poſſint. Et inſuper religioſis Societatis hujusmodi pro tempore ſenio confectis, aut aliquâ infirmitate gravatis, & ad operandum in vineâ Domini non idoneis, etiam Profeſſis, ut in collegiis Societatis hujusmodi de tui, & pro tempore exiſtentis Præpoſiti Generalis, vel inferiorum, quibus hanc facultatem communicaveris, ſeu communicaverint, licentiâ, morari, & ex illorum reditibus, & proventibus ſe ſuſtentare absque aliquo conſcientiæ ſcrupulo, liberè & licitè valeant, plenam & liberam, auctoritate & tenore præmiſſis, facultatem & licentiam concedimus. Non obſtantibus quibusvis Apoſtolicis, ac in Provincialibus, & Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel ſpecialibus, conſtitutionibus, ordinationibus, ac Societatis, & Vniverſitatum hujusmodi, juramento, confirmatione Apoſtolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis ſtatutis & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & litteris Apoſtolicis eidem Societati, & Vniverſitatibus, illarumque Rectoribus, Doctoribus, & perſonis ſub quibuſcumque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, & inſolitis clauſulis, irritantibusque, & aliis decretis: etiam motu proprio, & de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, ac aliàs quomodolibet conceſſis, approbatis, & innovatis. Quibus omnibus, etiam ſi de illis, eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, & expreſſa mentio, aut quævis alia expreſſio habenda foret, tenores hujusmodi, præſentibus pro ſufficienter expreſſis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat ſpecialiter, & expreſſe derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque. Verùm quia difficile foret præſentes litteras ad ſingula quæque loca deferre; volumus, & eadem auctoritate decernimus, quòd ipſarum tranſumptis manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo alicujus Prælati, vel perſonæ in dignitate Eccleſiaſticâ conſtitutæ, aut curiæ Eccleſiaſticæ munitis, in judicio, & alibi, ubi opus fuerit, eadem prorſus fides adhibeatur, quæ adhiberetur eisdem præſentibus, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ. Datum Romæ apud Sanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris, die XXII. Octobris, M.D.LII. Pontificatus noſtri anno tertio.

Iulii III.

Profeſſi ſenes vel infirmi poſſunt cum facultate Generalis in Collegiis habitare.

Non obſtantibus, &c.

Tranſumptis habeatur fides.

Gal. Aquinas.

Pii IV.

CONFIRMATIO

Et nova conceſſio facultatis circa Societatis ædificia, etiam intra centum quadraginta cannas aliorum ordinum erigenda.

ANNO M. D. LXI.

Dilectis filiis Præpoſito Generali, & univerſæ Societati IESV.

PIVS PAPA IV.

Dilecti filii ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem. Etſi ex debito paſtoralis officii ſingulos Religioſos, qui ſpretis hujus tranſitorii ſæculi pompis, jugum Religionis libenter amplexi, propriam voluntatem abnegare, & in cælis theſauros ſuos reponere decreverunt, paternâ dilectione proſequamur; ad illos tamen, qui ſicut nomen Sociorum IESV aſſumpſerunt, ita opere, doctrina, & exemplis, Dominum noſtrum IESVM Chriſtum imitari, & ejus veſtigia ſequi nituntur; majoribus favoribus, & gratiis proſequendum invitamur. Cùm itaque ſicut accepimus, aliàs poſtquàm vos, quibus dudum anteà per ſpeciale privilegium vobis per fel. rec. PAVLVM III. conceſſum, & JVLIVM etiam Tertium prædeceſſores noſtros confirmatum, ut quæcumque, Domos, Eccleſias, & Collegia Societatis IESV, cum omnibus ad id neceſſariis, & opportunis, conſtrui ac ædificari facere, ac loca pro hujuſmodi conſtructionibus, vobis pro tempore conceſſa recipere poſſetis, indultum fuerat: decreto etiam in litteris eorumdem prædeceſſorum deſuper [illegible]fectis appoſito, quòd Domus, Eccleſiæ, Collegia, cellæ, & Oratoria ubilibet per vos, pro tempore conſtructa, ſeu vobis donata, eo ipſo quòd ædificatata, vel donata forent; Apoſtolicâ auctoritate erecta, approbata, & confirmata eſſent & eſſe cenſerentur, ac aliàs prout in litteris prædictis latiùs contineri dicitur: voſque in vim privilegii ſic vobis conceſſi, & poſteà, ut præfertur confirmati, in diverſis mundi partibus, quàm plura Collegia, Domos & Eccleſias dictæ Societatis, etiam in locis intra centum quadraginta cannas, ab aliis Religioſis locis diverſorum ordinum, etiam mendicantium conſiſtentibus erexeratis, in Dei laudem, & honorem, ac Chriſtianæ religionis non modicum incrementum: cùm poſtmodùm vos dicto veſtro

Conceſſio Pauli III. & confirmatio Iulii III. de erigendis Collegiis & Domibus Societatis.

privi-

privilegio utendo, unum Collegium ejusdem Societatis in civitate Palenti- P I I IV.
nâ, & fundo vobis ad id donato, juxta quemdam Conventum Ordinis Fratrum Minorum S. Franciſci de Obſervantiâ erexiſſetis; ſeu jam erectum, & vobis donatum accepiſſetis: Dilecti filii fratres dicti conventus, prætendentes Collegium prædictum, ſtantibus privilegiis dicto Ordini Fratrum Minorum conceſſis, conſtrui, ſeu erigi non poſſe, ſe præmiſſis oppoſuerunt, & vos deſuper moleſtare velle ſe jactaverunt, & jactant. Nos qui inter ſervos Chriſti pacem & tranquillitatem intimis deſideramus affectibus, attendentes quantum dicta veſtra Societas in Eccleſia Dei hactenus fructum attulerit, & quantum in futurum, Deo dante, ſit allatura: & propterea vos præ ceteris aliis Religioſis majoribus favoribus, & gratiis fore meritò proſequendos: & cupientes quòd Collegium ſic per vos in dictâ civitate Palentinâ erectum, ſeu vobis donatum, ad debitum ulteriorem effectum perducatur, motu proprio non ad veſtram, vel alicujus pro vobis, nobis ſuper hoc oblatæ petitionis inſtantiam, ſed ex noſtrâ certâ ſcientiâ, & ſpontaneâ voluntate, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, litterarum prædictarum, nec non Privilegiorum dictorum Fratrum Minorum veriores tenores, ac alia in præmiſſis, etiam forſan de neceſſitate exprimenda, pro expreſſis habentes; vosque à quibusvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliisque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis à jure, vel ab homine, quavis occaſione, vel cauſsâ latis, ſi quibus quomodolibet innodati exiſtitis, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutos fore cenſentes: vobis, ut Collegium per vos in dictâ civitate Palentinâ, ut præmittitur, erectum inhabitare, & inhabitari, ac in eo omnia & ſingula, quæ in aliis ejusdem Societatis Collegiis fieri, & exerceri ſolent, fieri, & exerceri facere, liberè ac licitè poſſitis, & valeatis, Apoſtolicâ auctoritate tenore præſentium, de ſpecialis dono gratiæ concedimus, & indulgemus, ac licentiam & liberam facultatem impartimur; vosque à quibusvis cenſuris & pœnis, in vos præmiſſorum occaſione forſan latis, motu ſimili abſolvimus. Et ut via moleſtandi, & impediendi vos ſuper ſimilibus erectionibus in futurum ceteris præcludatur, Privilegium, ut præfertur, per præfatos prædeceſſores noſtros vobis conceſſum, & confirmatum, tam quoad dictum in civitate Palentinâ erectum, quàm quoad alia quæcumque Collegia, Domos, Eccleſias, & Oratoria in quibusvis mundi partibus per vos hactenus erecta, & in poſterum erigenda, motu ſimili approbamus, & confirmamus, ac de novo concedimus,

Commendatio Societatis.

Erectio Collegii Palentini approbatur.

Confirmatio, & nova conceſſio Collegia ubique terrarum erigendi.

PII IV. illique perpetuæ, & inviolabilis firmitatis robur adjicimus: ac oppoſitionem, & contradictionem dictorum Fratrum Minorum, nullum vobis quoad dictum, & alia Collegia, Eccleſias, & domos per vos hactenus erecta, & in poſterum erigenda, præjudicium attuliſſe, vel in futurum afferre poſſe; ſed privilegium per nos confirmatum, & de novo conceſſum hujusmodi, perpetuò illæſum, & illibatum fore, & eſſe; ſicque per quoſcumque Iudices & Commiſſarios, etiam S. R. Eccleſiæ Cardinales, ac ſacri Palatii Apoſtolici cauſſarum Auditores, ſublatâ eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, definiendi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, definiri, & interpretari debere; & quidquid ſecus ſuper his à quoquam, quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari, irritum & inane decernimus. Quocircà univerſis, & ſingulis venerabilibus fratribus Patriarchis, Archiepiſcopis, Epiſcopis, ac dilectis filiis Abbatibus, Prioribus, & aliis perſonis in dignitate Eccleſiaſticâ conſtitutis, per præſentes motu ſimili mandamus, quatenus ipſi, & eorum quilibet, per ſe, vel alium, ſeu alios præſentes litteras, & in eis contenta quæcumque, ubi & quando opus fuerit, ac quoties pro parte veſtrâ, aut alicujus veſtrum fuerint requiſiti, ſolemniter publicantes, vobisque in præmiſſis efficacis defenſionis præſidio aſſiſtentes, faciant auctoritate noſtrâ, vos decreto, confirmatione, conceſſione, indultò, licentià, facultate, & abſolutione, ac aliis præmiſſis pacificè gaudere: ac easdem præſentes litteras, & in eis contenta quæcumque, perpetuò inviolabiliter obſervari: Non permittentes vos ſuper eisdem præmiſſis, vel eorum aliquo, per dictos Ordinis Minorum, vel alios aliorum quorumcumque Ordinum Religioſos, ſeu locorum Ordinarios, aut alios quoſcumq; judices, & perſonas cujuſcumq; ſtatus, gradus, ordinis, & conditionis exiſtant, & quacumque etiam Pontificali, Regia, vel alia auctoritate fungantur, publicè vel occultè, directè vel indirectè, tacitè vel expreſsè quovis quæſito colore, vel ingenio impediri, moleſtari, vel aliàs quomodolibet inquietari: Contradictores quoslibet, & rebelles per cenſuras Eccleſiaſticas, & alia juris opportuna remedia, appellatione poſtpoſitâ, compeſcendo, invocato etiam ad hoc ſi opus fuerit auxilio brachii ſæcularis. Non obſtantibus præmisſis, ac felicis recordationis BONIFACII Octavi, prædeceſſoris noſtri, de una, & in Concilio generali, de duabus dietis, dummodò non ultra tres dietas quis auctoritate præſentium ad judicium trahatur, aliisque Conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, noſtrisque de jure quæſito non tollendo, & aliis Cancellariæ

Deputantur Iudices conſervatores.

Non obſtantibus, &c.

riæ Apoſtolicæ regulis; nec non dicti Ordinis Fratrum Minorum, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & litteris Apoſtolicis eidem Ordini Fratrum Minorum, & aliis quibusvis, etiam Mendicantium Ordinibus, illorumque Superioribus, etiam ſuper non ædificandis Ecclesiis, Domibus, & Collegiis aliarum Religionum intra centum quadraginta cannas ab eorum cœnobiis, & conventibus, ac aliàs ſub quibusvis tenoribus, & formis per quoſcumque Romanos Pontifices, & novisſimè per felicis recordationis PAVLVM IV. prædeceſſores noſtros concesſis, confirmatis, & innovatis, ac omnibus aliis, quæ præfati PAVLVS & IVLIVS prædeceſſores noſtri, in eorum reſpectivè litteris voluerunt non obſtare; nec non quacumque lite inter vos, & Fratres prædictos, ſeu alios cujuſcumque Ordinis, vel Religionis exiſtant, coram quibuscumque judicibus, & in quacumque inſtantiâ forſan pendente, cujus ſtatum, actus, & merita, ac ſi de verbo ad verbum inſererentur, nominaque & cognomina Iudicum coram quibus pendet, præſentibus haberi volumus pro expresſis. Quibus omnibus, etiam ſi pro illorum ſufficienti derogatione, de illis, eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, expreſſa, & individua, ac de verbo ad verbum, non tamen per clauſulas generales idem importantes, mentio, ſeu quævis alia expresſio habenda, aut alia exquiſita forma ſervanda foret, tenores illorum, ac ſi de verbo ad verbum, nihil penitus omiſſo, & formâ in illis traditâ obſervatâ inſerti forent, præſentibus pro expresſis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat motu ſimili ſpecialiter & expreſsè derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcumque. Datum Romæ apud S. Petrum, ſub annulo Piſcatoris, die decimatertià Aprilis, M. D. LXI. Pontificatus noſtri anno ſecundo.

Derogatur privilegiis quorumvis Ordinum, etiam quantum ad cannas.

Cæ. Glorierius.

PII IV.

CONFIRMATIO

Et extenſio facultatis conferendi gradus in Artibus & Theologiâ : nec non exemptionis à qualibet decimarum & impoſitionum ſolutione.

ANNO M. D. LXI.

Dilectis filiis Præpoſito Generali, & univerſæ Societati

IESV.

PIVS PAPA IV.

Iulii III. Conceſſio circa promovendos ad gradus.

DIlecti filii, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Exponi nobis nuper feciſtis, quod cùm veſtræ Societati, per fel. rec. IVLIVM Tertium Romanum Pontificem prædeceſſorem noſtrum conceſſum ſit, ut ejus Collegiorum, extra ſtudiorum generalium Vniverſitates conſtitutorum, Scholares abſoluto ſtudiorum ſuorum curſu, & rigoroſo examine præcedente, à Generali Præpoſito pro tempore exiſtente, vel de ejus licentiâ, à quolibet ex Præpoſitis vel Rectoribus Collegiorum Societatis hujuſmodi, cum duobus vel tribus Doctoribus, vel Magiſtris, ad id per eos eligendis, quoſcumque Baccalaureatus, Licentiaturæ, Magiſterii & Doctoratus, in Artibus & Theologiâ gradus accipere; & poſtquam promoti fuerint, in eis legere, diſputare, & alios quoſcumque actus ad id neceſſarios facere & exequi; omnibusque & ſingulis privilegiis, prærogativis, immunitatibus, exemptionibus, libertatibus, antelationibus, favoribus, gratiis & indultis, quibus alii in Vniverſitatibus ſtudiorum generalium, rigoroſo examine prævio, ac aliàs juxta illarum ordinationes, uſus, ritus, & mores pro tempore promoti, de jure, vel conſuetudine, aut aliàs quomodolibet, uti, potiri, & gaudere poſſint; non ſolùm ad eorum inſtar, ſed pariformiter, & æquè principaliter, abſque ullâ penitùs differentiâ, uti, potiri, & gaudere valeant in omnibus & per omnia, perinde ac ſi gradus in Vniverſitatibus, & non in Collegiis hujuſmodi accepiſſent: Ac dicta Societas, ſua etiam in diverſis Vniverſitatibus habeat Collegia, in quibus artes liberales, etiam Theologia, aliaque litterarum ſtudia diligenter tractantur, & quorum Scholares partim propter obligationes & juramenta, per inibi promovendos præſtari ſolita, partim ob nimias,

Non expedire, ut Noſtri promoveantur in Vniverſitatibus,

mias, quæ ibi fieri ſolent impenſas, ab eisdem Vniverſitatibus, earumque Rectoribus, & deputatis promoveri non expediat. Præterea, quòd quamvis rec. me. PAVLVS Papa III. prædeceſſor eamdem Societatem, ejusque perſonas à decimarum, & aliarum quarumcumque impoſitionum ſolutione exemerit, prout in ipſorum prædeceſſorum litteris deſuper confectis pleniùs continetur; ipſique prædeceſſores in privilegio hujusmodi vobis conceſſo, ejus intentionis fuiſſe credantur; quia tamen id diſertis verbis non usquequaque explicatum, nec in exemptione vobis conceſſa hujusmodi, de Domibus probationis, & Collegiis ejusdem Societatis, (non tamen profeſſorum Domus) quæ juxta regularia illius inſtituta bona ſtabilia habent, aut habere poſſunt, ſpecialis mentio facta fuit; moleſtiam vobis inferri, ac Domus probationis, & Collegia veſtra præfata ſuper exemptione hujusmodi perturbari poſſe, tempore procedente timetis. Quare nobis humiliter ſupplicari feciſtis, quatenus privilegiis, & exemptioni, ac deſuper confectis litteris præfatis, pro firmiori illorum ſubſiſtentiâ, approbationis noſtræ robur adjicere; illaque, ut infrà dicetur, declarare, ampliare, & aliàs in præmisſis opportunè providere de benignitate Apoſtolicâ dignaremur. Nos igitur, qui votivum Religionis veſtræ profectum, ſincerè paternæ caritatis affectu libenter amplectimur, litterarum prædictarum veriores tenores, ac quarumcumque litium & cauſſarum vobis per quoſcumque deſuper motarum ſtatum, & merita, ac nomina, & cognomina Iudicum, & collitigantium, ac titulos eorum præſentibus pro ſufficienter expresſis habentes, hujusmodi ſupplicationibus inclinati, privilegia, & exemptionem, ac cum omnibus, & ſingulis in eis contentis clauſulis litteras, prædicta, & illorum vigore Domos & Collegia veſtra ubilibet conſtructa, & alia inde ſecuta quæcumque, juxta tenorem litterarum eorumdem prædeceſſorum, Apoſtolicâ auctoritate, ex certâ ſcientiâ confirmamus & approbamus; ac etiam plenariè innovamus, & de novo quatenus ſit opus concedimus: nec non illis perpetuæ & inviolabilis firmitatis robur adjicimus, omnesque & ſingulos juris & facti defectus, ſi qui forſan intervenerint in eisdem, ſupplemus: & nihilominùs pro potiori cautelâ, univerſam Societatem, omniaque, & ſingula illius, Domos probationis, & Collegia ubilibet conſiſtentia, præſentia & futura, eorumque perſonas, fructus, reditus, proventus, etiam bonorum Eccleſiaſticorum, ſæcularium, & regularium quorumcumque illis pro tempore unitorum, aliasque res, & bona quæcumque, à quibusvis decimis, etiam Papalibus, prædia-

propter obligationes, juramenta, & expenſas.

Exemptio à Paulo III. conceſſa ſuper decimarum & impoſitionum ſolutione.

Exemptionis prædictæ confirmatio, & nova conceſſio.

Exemptionis prædictæ declaratio, & extenſio.

PII IV. libus, perſonalibus, quartis, medietatibus, & aliis fructuum partibus, ſubſidiis, etiam caritativis, & aliis ordinariis oneribus, etiam pro expeditione contra infideles, defenſione patriæ, ac aliàs quomodolibet, etiam ad Imperatorum, Regum, Ducum, & aliorum Principum inſtantiam pro tempore impoſitis, etiamſi in illorum impoſitione caveatur, quòd nulla prorſus exemptio cuiquam adverſus illa ſuffragetur, ita quòd Societas, ejusque Domus, Collegia, fructus, res, & bona præfata ſemper ab illis, absque declaratione deſuper faciendâ, excepta ſint, & eſſe cenſeantur, perpetuò liberamus & eximimus. Et inſuper tibi moderno, & pro tempore exiſtenti Præpoſito Generali dictæ Societatis, ut per te, vel illum, ſeu aliquem ex Præpoſitis, vel Rectoribus Collegiorum veſtrorum, tam in Vniverſitatibus Studiorum generalium, quàm extra illas ubilibet conſiſtentium, in quibus ordinariæ Studiorum artium liberalium, & Theologiæ lectiones habebuntur, curſusque ordinarii peragentur, ut dictæ Societatis Scholares, & pauperes externos, qui dictas lectiones frequentaverint, & etiam divites (ſi Officiales Vniverſitatum eos promovere recuſaverint) cùm per examinatores veſtræ Societatis idonei ſint inventi (ſolutis tamen per divites ſuis juribus Vniverſitatibus) in veſtris Collegiis Vniverſitatum quarumcumque, & in aliis extra Vniverſitates conſiſtentibus Collegiis veſtris, alios quoslibet Scholares, qui inibi ſub eorumdem Collegiorum obedientiâ, directione, vel diſciplina ſtuduerint, ad quoſcumque Baccalaureatus, Licentiaturæ, Magiſterii, & Doctoratus gradus præfatos, ac aliàs in reliquis juxta litterarum IVLII prædeceſſoris prædicti tenorem promovere; ipſique ſic promoti privilegiis, aliisque in eisdem litteris contentis plenariè uti, potiri, & gaudere liberè & licitè valeant, auctoritate præfata concedimus, & indulgemus; ac ejusdem IVLII prædeceſſoris litteras ad præmiſſa extendimus & ampliamus. Nec non præſentes litteras, & in eis contenta de ſubreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, ſeu intentionis defectu quovis prætextu, quæſito v[illegible]lore, nullo unquam tempore notari vel impugnari poſſe, nec ſub quibusvis ſuſpenſionibus, revocationibus, derogationibus, vel limitationibus ſimilium vel diſſimilium gratiarum, à nobis & Sede Apoſtolicâ, ex quavis cauſſa, pro tempore emanatis, ullatenus comprehendi, ſed ſemper ab illis exceptas, & quoties illæ emanabunt, toties in priſtinum ſtatum reſtitutas, & de novo conceſſas fore, vobisque, & univerſæ Societati, ſingularibusque perſonis, & aliis præmiſſis omnino ſuffragari: & ſic in præmiſſis omnibus, & ſingulis per quoscum-

Facultas conferendi gradus in Collegiis Societatis, ubi lectiones Theologiæ & curſus ordinarii peraguntur.

Quomodo Noſtri Scholares, & externi pauperes, & divites ad gradus poſſunt à Noſtris in Vniverſitatibus promoveri.

Vbi non eſt Vniverſitas, Noſtri & externi Scholares ad gradus promoveri poſſunt in Collegiis, ubi ſtuduerint.

Conceſſio Iulii III. de gradibus ad præmiſſa extenditur, & ampliatur.

cumque Iudices & Commiſſarios, etiam S. R. E. Cardinales, ſublatâ eis, & eorum cuilibet, quavis aliter judicandi & interpretandi facultate, judicari & definiri debere : ac quidquid ſecus à quoquam, quavis auctoritate, ſcienter vel ignoranter attentari contigerit, irritum & inane decernimus. Quocircà univerſis, & ſingulis venerabilibus Fratribus Patriarchis, Archiepiſcopis, Epiſcopis, ac dilectis filiis Abbatibus, Prioribus, & aliis perſonis in dignitate Eccleſiaſticâ conſtitutis, per præſentes mandamus, quatenus ipſi, vel duo, aut unus eorum, per ſe vel alium, ſeu alios, præſentes litteras, & in eis contenta quæcumque, ubi & quando opus fuerit, ac quoties pro parte veſtrâ fuerint requiſiti, ſolemniter publicantes, vobisque in præmiſſis efficacis defenſionis præſidio aſſiſtentes, faciant auctoritate noſtrâ præſentes litteras, & in eis contenta quæcumque firmiter obſervari : vosque privilegiis, exemptione, ac aliis omnibus & ſingulis præmiſſis pacificè frui & gaudere : non permittentes vos deſuper, vel aliquem veſtrûm, aut alios, quorum intereſt, per quoſcumque quavis auctoritate fungentes, contra præmiſſa quomodolibet indebitè moleſtari, contradictores quoslibet & rebelles per cenſuras Eccleſiaſticas, & alia opportuna juris & facti remedia, appellatione poſtpoſitâ, compeſcendo : invocato etiam ad hoc, ſi opus ſit, auxilio brachii ſæcularis. Non obſtantibus præmiſſis, & quibusvis Cancellariæ Apoſtolicæ regulis, & præſertim illa de non tollendo jure quæſito, ac piæ memoriæ BONIFACII Papæ VIII. etiam prædeceſſoris noſtri de unâ, & Concilii generalis de duabus dietis, dummodò ultra tres dietas aliquis auctoritate præſentium, ad judicium non trahatur, nec non quibusvis aliis Apoſtolicis ac in Provincialibus, & Synodalibus Conciliis editis generalibus vel ſpecialibus Conſtitutiônibus & ordinationibus ; nec non quorumcumque Vniverſitatum, ordinum, conventuum, & aliorum locorum, etiam juramento, confirmatione Apoſtolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & litteris Apoſtolicis, illis eorumque Superioribus, & perſonis in genere, vel in ſpecie, ſub quibuſcumque tenoribus & formis, ac cum quibusvis, etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, & inſolitis clauſulis, irritantibusque, & aliis decretis, etiam in formâ Brevis, tam per Nos, quàm quosvis prædeceſſores noſtros, ac etiam dictæ Sedis Legatos, etiam ad quorumvis Imperatorum, Regum, Ducum inſtantiam, aut etiam motu proprio, & ex certâ ſcientiâ, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, aut & Conſiſtorialiter etiam per viam generalis legis, & ſtatuti perpe-

PII IV.

Deputantur Iudices conſervatores.

Non obſtantibus, &c.

tui,

PII IV. tui, quomodolibet conceſſis, ac etiam iteratis vicibus approbatis, & innovatis, etiam Mari magno, Bullâ aureâ aut aliàs nuncupatis. Quibus omnibus etiam ſi pro ſufficienti illorum derogatione de illis, eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, expreſſa, & individua, non autem per clauſulas generales idem importantes, mentio, ſeu quævis alia expreſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſervanda eſſet, tenores hujusmodi, ac ſi de verbo ad verbum inſererentur, præſentibus non ſufficienter expreſſis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat, ſpecialiter & expreſſe derogamus, contrariis quibuſcumque, ſeu ſi aliquibus communiter vel diviſim ab eadem ſit Sede indultum, quòd interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint, per litteras Apoſtolicas non facientes plenam ac expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi mentionem. Volumus autem, quòd præſentium tranſumptis manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo alicujus Epiſcopi, vel perſonæ in Eccleſiaſticâ dignitate conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides habeatur, quæ ipſis originalibus litteris haberetur, ſi forent exhibitæ vel oſtenſæ. Datum Romæ apud S. Petrum, ſub annulo Piſcatoris, die XIX. Auguſti, M. D. LXI. Pontificatus noſtri anno ſecundo.

Tranſumptis habeatur fides.

Cæ. Glorierius.

PII V.

CONFIRMATIO

Et extenſio Privilegii Societatis contra Apoſtatas.

ANNO M. D. LXV.

PIUS EPISCOPUS *Servus ſervorum Dei, Ad perpetuam rei memoriam.*

ÆQuum reputamus, & rationi conſonum, ut ea, quæ de Romani Pontificis gratiâ præceſſerunt, licet ejus ſuperveniente obitu litteræ Apoſtolicæ ſuper illis confectæ non fuerint, ſuum conſequantur effectum. Dudum ſiquidem fel. rec. PIO Papæ IV. prædeceſſori noſtro, pro parte cariſſimi in Chriſto filii noſtri, tunc ſui, Sebaſtiani Portugalliæ & Algarbiorum Regis illuſtris, ac dilectorum filiorum Præpoſiti Generalis, & Religioſorum Societatis IESU, expoſito, quòd licet aliàs piæ memoriæ PAULUS Papa Tertius etiam prædeceſſor noſter, in ſui, dictæque Societatis favorem inhibuiſſet, ne quis

Conceſſio Pauli III. contra Apoſtatas Societatis.

quis poſt emiſſa vota in dictâ Societate, ſecundùm illius Conſtitutiones, ſive Profeſſus, ſive Scholaris, ſive Coadjutor Societatis hujuſmodi ille eſſet, ad quemvis alium ordinem, etiam per Sedem Apoſtolicam approbatum (ordine Carthuſienſium dumtaxat excepto) niſi de expreſſâ ipſius Præpoſiti, aut Sedis licentiâ transferri poſſet: Volens, & concedens quòd Generalis, & alii inferiores Præpoſiti dictæ Societatis, per ſe vel per alios, ſic egreſſos, ac alios quoſcumque dictæ Societatis Apoſtatas, in quocumque habitu illos contingeret inveniri, excommunicare, capere, & incarcerare, aut aliàs ſuæ diſciplinæ ſubmittere, & ad id ſi opus foret, auxilium brachii ſæcularis invocare, liberè & licitè valerent, prout in ipſius PAULI prædeceſſoris litteris deſuper confectis pleniùs dicebatur contineri: ac inhibitio, voluntas, & conceſſio PAULI prædeceſſoris hujuſmodi, quæ tranquillitatem, conſervationem, & commune bonum dictæ Societatis concernebant, ab omnibus illius Religioſis humiliter ſervari debuiſſent: nihilominùs nonnulli animi levitate, ut credebatur, ducti, ac quietem labori, cui proculdubio Religioſi Societatis hujuſmodi, pro excolendâ & propagandâ Chriſtianâ Religione continuò erant expoſiti: ac privatum commodum, publicæ tam dictæ Societatis, quàm Chriſtianæ reipub. utilitati indiſcretè præferentes, fucatiſque coloribus aſſerentes, ſe id facere ob frugem melioris vitæ, aut ſtrictioris obſervantiæ, ſeu non obtentâ Superiorum licentiâ, ad alios, etiam Fratrum Mendicantium, ordines tranſire poſſe jactabant, & forſan aliqui de facto jam tranſierant. Alii verò (quod turpius erat) ambitiosâ cupiditate moti, poſtquàm ſe Deo dediderant, ſæculi libertatem quærentes, ad illud reverti, & in illo palàm degere non dubitaverant, nec dubitant, in animarum ſuarum detrimentum, ac Societatis prædictæ non modicum præjudicium & jacturam. Et niſi opportuno aliquo remedio, dictæ Societatis indemnitati, tranquillitati, & conſervationi conſuleretur, verendum erat, ne Societas ipſa, quæ in erudiendis & docendis viris, qui Chriſtianæ Reipub. per verbi Dei prædicationem prodeſſent, & Catholicam fidem in remotiſſimis etiam Braſiliæ partibus propagarent & ſeminarent, ſedulò intendebat; taliter deluſa & defraudata viris ſuâ impensâ & labore edoctis, careret litteratis, qui operam in vineâ Domini, juxta ipſius Societatis inſtituta, moremque, præſtari & exerceri ſolitam, valerent adimplere. Idcircò pro parte, tam Sebaſtiani Regis, ſe & Religioſorum Societatis hujuſmodi opera & doctrina plurimùm uti aſſerentis, quàm Præpoſiti Generalis, ac Religioſorum præfatorum, eidem PIO

Quibus de cauſſis è Societate nonnulli ad religionem aliam tranſire voluerint.

Societas non debet carere viris, ſuâ impensâ & labore edoctis.

PII V. prædeceſſori humiliter ſupplicato, quatenus ipſius Societatis quieti & conſervationi proſpicere, ac aliàs in præmiſſis opportunè providere de benignitate Apoſtolicâ dignaretur; præfatus PIVS prædeceſſor, qui votis illis, quæ dictæ Religionis profectum concernebant, Catholicis Regibus præſertim inſtantibus, gratum præbere ſolebat aſſenſum, eosdem Sebaſtianum Regem, ac Præpoſitum, & utrumque eorum, à quibusvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliisque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis, à jure, vel ab homine quavis occaſione, vel cauſsâ latis, ſi quibus quomodolibet innodati exiſtebant, ad effectum infra ſcriptorum dumtaxat conſequendum, abſolvens, & abſolutos fore cenſens: nec non veriores litterarum PAVLI prædeceſſoris, ac Conſtitutionum Societatis prædictarum tenores, nec non modum, formam, & qualitates, votorum, in ipsâ Societate, tam per Profeſſos, quàm Coadjutores, & Scholares ſuos hujuſmodi emitti ſolitorum, pro expreſſis habens, hujusmodi ſupplicationibus inclinatus, ſub Datum videlicet ſexto Kal. Decemb. Pontificatus ſui anno ſexto; quòd nullus dictæ Societatis religioſus in litteris PAVLI prædeceſſoris hujusmodi expreſſus, poſt emiſſa vota ſecundum illius Conſtitutiones, ſive Profeſſus, ſive Scholaris, ſive Coadjutor, cujuſcumque ſtatus, gradus, ordinis, vel conditionis ille foret, à dicta Societate exire, aut recedere, etiam prætextu cujusvis indulti, ab eodem PIO prædeceſſore, vel alio Romano Pontifice pro tempore exiſtente, ſeu illius majore Pœnitentiario, aut aliquo Nuntio, vel Legato, etiam de Latere, impetrati, vel impetrandi, (quod etiam ex tunc ſurreptitium idem PIVS prædeceſſor declaravit) abſque expreſsâ Superioris ſui licentiâ ad id ab eo ſpecialiter obtentâ, etiam quæſito colore ob frugem melioris vitæ, aut ſtrictioris obſervantiæ, ad quemvis alium, etiam Minorum, vel aliorum Fratrum Mendicantium, Ciſtercienſium, vel S. Benedicti, aut aliorum Monachorum ordinem tranſire, vel etiam per Superiores ordinum hujuſmodi ſuorumve Monaſteriorum (præfato ordine Carthuſienſium dumtaxat excepto) recipi ſeu admitti poſſet, ſeu præſumeret, ſub pœnâ excommunicationis, tam per recipientes, quàm receptos, ac recedentes præfatos ipſo facto incurrendâ, & quam idem PIVS prædeceſſor, ex tunc contra quemlibet transgreſſorem quomodolibet in præmiſſis protulit, & à quâ ſic innodatus, præterquàm in mortis articulo, ab alio quam Romano Pontifice, vel Superiore Societatis hujusmodi abſolui non poſſet. Quodque nihilominùs ſecus facta non tenerent, & nullius exiſterent efficaciæ, vel momenti; & in-

Nullus poſt emiſſa vota, etiam cujusvis indulti prætextu, poteſt à Societate exire abſq; licentiâ obtentâ à ſuo Superiore.

Nullus de Societate poteſt tranſire ad alium Ordinem, præter Carthuſienſium, ſine licentiâ ſui Superioris.

Tranſeuntes ad alium ordinem, ut præfertur, & qui eos recipiunt, ac alias, qui recedunt à Societa-

inſuper, ut qui pro tempore ab ipſâ Societate in Carthuſienſium præfatum, vel de Superioris licentiâ, ad alium ordinem tranſire vellent, ad Carthuſienſium videlicet, infra tres menſes, à die quo ab ipſa Societate receſſiſſent; ad alium vero Ordinem infra tempus eis à dicto Superiore præfigendum accedere; illosque actualiter ingredi, & ſi in illis permanere nollent, aut non poſſent, absque ulla mora ad dictam Societatem regredi tenerentur, ſub pœna excommunicationis præfata, quam tam ipſi Religioſi, quàm illos recipientes, vel eis auxilium, conſilium, vel favorem præſtantes, etiam incurrerent. Et nihilominùs ſi quis ex Religioſis præfatis, animo indurato aliquid in contrarium attentare præſumeret, vel à dicta Societate poſt in ea emiſſa vota, ut præfertur, absque Superioris licentia exiret, & in ſæculo, vel alio etiam Regulari loco degere præſumeret; liceret dicto Generali, aliisque dictæ Societatis Præpoſitis, & Superioribus, eosdem transgreſſores, & exeuntes, tamquàm Apoſtatas, etiam per auxilii ſæcularis brachii invocationem, ſummariè, & ſine figura judicii, ad dictam Societatem revocare, capere, & incarcerare, ac debitæ pœnitentiæ ſubjicere, auctoritate Apoſtolica, perpetuò ſtatuit, ordinavit, præcepit, atque mandavit. Ac inſuper eidem Societati, illiusque Generali, ac aliis Præpoſitis, & ſingularibus perſonis; quòd omnibus & ſingulis privilegiis, libertatibus, immunitatibus, favoribus, gratiis, & indultis per quoſcumque Romanos Pontifices prædeceſſores ſuos, ſingulorum Mendicantium Fratrum Ordinibus, illorumque Superioribus, & Fratribus, in genere, vel in ſpecie, etiam ſuper ſuis Religioſis alterutrùm non recipiendis, quomodolibet conceſſis, & approbatis, ac quibus illi utebantur, potiebantur, & gaudebant, uti, potiri, & gaudere liberè & licitè valerent, eadem auctoritate conceſſit & indulſit. Et ſic in præmiſſis omnibus, & ſingulis per quoſcumque Iudices, & Commiſſarios quavis auctoritate fungentes, ſublatâ eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiri debere. Ac quidquid ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate ſcienter vel ignoranter attentari contingeret, irritum & inane decrevit. Non obſtantibus præmiſſis, ac recolendæ memoriæ INNOCENTII Papæ III. ſimiliter prædeceſſoris noſtri, quæ incipit, *Licet*, & aliis quibusvis conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, nec non ordinum prædictorum, & aliis, etiam juramento, confirmatione Apoſtolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & litteris Apoſtolicis, etiam Mendicantium,

PIIV.

te, ſunt ipſo facto excommunicati: nec poſſunt abſolvi niſi à Papâ, aut à Superiore Societatis.

Recedentes à Societate, infra quod tempus Carthuſienſium, vel alium Ordinem tenentur ingredi, & ſub quâ pœnâ, quam etiam incurrunt illos recipientes, vel eis dantes auxilium, &c.

Superioribus Societatis datur facultas procedendi contra dictos Apoſtatas.

Communicantur Societati omnia privilegia procedendi contra dictos Apoſtatas.

Non obſtantibus, &c.

PII V. um, & aliis quibusvis Ordinibus, eorumque Superioribus, & perſonis, ſub quibuſcumque tenoribus & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus & inſolitis clauſulis, irritantibusque, & aliis decretis quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis: quibus omnibus, etiamſi de illis, eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, expreſſa, & individua, non autem per clauſulas generales idem importantes mentio, ſeu quævis expreſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ad id ſervanda foret, idem PIVS prædeceſſor, illorum omnium tenores pro ſufficienter expreſſis habens, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, eâ vice dumtaxat ſpecialiter & expreſsè derogavit, ceterisq; contrariis quibuſcumque. Ne autem de abſolutione, ſtatuto, ordinatione, inhibitione, præcepto, mandato, indulto, conceſſione, decreto & derogatione præfatis pro eo quòd ſuper illis ipſius PII prædeceſſoris, ejus ſuperveniente obitu, litteræ confectæ non fuerunt, valeat quomodolibet hæſitari, ipſique Sebaſtianus Rex, ac Præpoſitus, & Societas hujuſmodi illorum fruſtrentur effectu, volumus, & ſimiliter dictâ Apoſtolicâ auctoritate decernimus, quòd ſtatutum, ordinatio, inhibitio, præceptum, mandatum, indultum, conceſſio, decretum, & derogatio PII prædeceſſoris hujuſmodi, perinde à dictâ die VI. Kalendas Decembris, ſuum ſortiantur effectum, ac ſi ſuper illis ipſius PII prædeceſſoris litteræ, ſub ejusdem diei Datum confectæ fuiſſent, prout ſuperius enarratur: quodq; præſentes litteræ ad probandum plenè abſolutionem, ſtatutum, ordinationem, inhibitionem, præceptum, mandatum, indultum, conceſſionem, decretum, & derogationem PII prædeceſſoris hujuſmodi, ubique ſufficiant, nec ad id probationis alterius adminiculum requiratur.

Hæc Pii contra Apoſtatas conceſſio à die 26. Novembris anno 1565. ſortitur ſuum effectum.

Quocircà venerabilibus fratribus noſtris Toletan. & Avinionen. Archiepiſcopis, ac Epiſcopo Leodien. per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus ipſi, vel duo, aut unus eorum per ſe, vel alium, ſeu alios, præſentes litteras, & in eis contenta quæcumque, ubi, & quando opus fuerit, ac quoties pro parte Sebaſtiani Regis, vel Præpoſiti Generalis Societatis hujuſmodi fuerint requiſiti, ſolemniter publicantes, eisque in præmiſſis efficacis defenſionis præſidio aſſiſtentes, faciant, auctoritate noſtra, illos ſtatuto, ordinatione, inhibitione, præcepto, mandato, indulto, conceſſione, decreto, & derogatione prædictis pacificè frui & gaudere: non permittentes eos, vel eorum aliquem, deſuper per quoſcumque quavis auctoritate fungentes, quomodolibet indebitè moleſtari; contradictores quoslibet ac inobedientes, & rebelles per ſententias, cenſuras, &

Deputantur Iudices conſervatores.

pœ-

pœnas Eccleſiaſticas, aliaque opportuna juris remedia, appellatione poſtpoſita, compeſcendo; nec non legitimis ſuper his habendis ſervatis proceſſibus illos cenſuras & pœnas prædictas incurriſſe declarando, easque etiam iteratis vicibus aggravando, & auxilium brachii ſæcularis, ſi opus fuerit, invocando. Non obſtantibus ſanctæ memoriæ BONIFACII Papæ VIII. etiam prædeceſſoris noſtri, quâ cavetur, ne quis extra ſuam civitatem, vel diœceſim, niſi in certis exceptis caſibus, & in illis ultra unam dietam à fine ſuæ diœceſis ad judicium evocetur, ſeu ne Iudices à dictâ Sede deputati extra civitatem, vel diœceſim, in quibus deputati fuerint, contra quoſcumque procedere, aut alii vel aliis vices ſuas committere præſumant; & de duabus dietis in Concilio generali editâ, dummodò quis ultra tres dietas auctoritate præſentium, ad judicium non trahatur: & aliis Apoſtolicis conſtitutionibus contrariis quibuſcumque omnibus ſuprà dictis, aut ſi aliquibus communiter, vel diviſim, ab eadem ſit Sede indultum, quòd interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint, per litteras Apoſtolicas, non facientes plenam & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi mentionem. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ voluntatis, & decreti infringere, vel ei auſu temerario contraire: ſi quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum Romæ apud S. Petrum, anno Incarnationis Dominicæ milleſimo quingenteſimo ſexageſimo quinto, ſextodecimo Kal. Februarii, Pontificatus noſtri anno primo.

Io. Bapt. Fauchier.

F. de Torres.

PII V.

CONFIRMATIO

Conſtitutionum Societatis circa contractus non capitulariter celebrandos.

ANNO M. D. LXVIII.

PIVS EPISCOPVS *Servus ſervorum Dei, Ad perpetuam rei memoriam.*

INnumerabiles fructus, quos benedicente Domino, Chriſtiano orbi Societas IESV, viros litterarum præcipue ſacrarum ſcientiâ, religione,

Ampla commendatio Societatis.

vita exemplari, morumque ſanctimoniâ perſpicuos, multorum religioſiſſimos præceptores, ac verbi divini, etiam apud longinquas & barbaras illas nationes, quæ Deum penitùs non noverant, optimos prædicatores & interpretes producendo, feliciſſimè hactenus attulit, & adhuc ſollicitis ſtudiis afferre non deſiſtit, animo ſæpius revolventes noſtro, libenter non ſolùm ea, quæ aliàs in ipſius Societatis favorem à Romanis Pontificibus prædeceſſoribus noſtris, Nobisque, & aliis emanata ſunt, ut firmiùs ſubſiſtant cùm à nobis petitur, Apoſtolicæ & perpetuæ firmitatis robore, verùm etiam Societatem ipſam, quantum nobis ex alto conceditur, ſpecialibus favoribus & gratiis munimus. Sanè exhibita nobis nuper pro parte dilectorum filiorum Religioſorum dictæ Societatis petitio continebat, quòd litteris tam felicis recordationis PAULI III. ſub milleſimo quingenteſimo quadrageſimo ſexto, quàm piæ memoriæ IULII III. Romanorum Pontificum prædeceſſorum noſtrorum, ſub milleſimo quingenteſimo quinquageſimo annis Incarnationis Dominicæ, reſpectivè confectis, per dictorum pontificum ſucceſſores, & Nos confirmatis, in favorem ipſius Societatis emanatis, ac illius Conſtitutionibus, omnimoda Collegiorum ipſius Societatis gubernatio, ad pro tempore exiſtentem Præpoſitum Generalem, vel ipſam Societatem ſpectet: Indeque fit, ut neque Collegia præfata Capitulum habeant, neque capitulariter ad quævis peragenda congregentur; omnisque facultas celebrandi contractus ex eisdem Conſtitutionibus, penes Præpoſitum præfatum reſideat, quod etiam Generalis Congregatio ad commodiorem Societatis hujusmodi negotiorum expeditionem, utile, imò neceſſarium judicans, voluit, & publico inſtrumento decrevit & declaravit. Quare pro parte eorumdem Religioſorum nobis humiliter ſupplicatum fuit, quatenus litteris, & Conſtitutionibus, ac voluntati, decreto, & declarationi præfatis, pro illorum firmiori ſubſiſtentiâ, robur Apoſtolicæ confirmationis adjicere, ac præmiſſa eidem Societati de novo concedere, aliasque in præmiſſis opportunè providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, qui Societatem præfatam, nobis, & Apoſtolicæ Sedi apprimè caram, ſingulari paternoque amore proſequimur, Religioſos præfatos, eorumque ſingulos, à quibusvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliisque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis à jure, vel ab homine, quavis occaſione, vel cauſſa latis, ſi quibus quomodolibet innodati exiſtunt, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſo-

Juxta Bullas Pauli III. & Julii III. & ex conſtitutionibus, Collegiorum gubernatio penes Generalem, vel Societatem exiſtit.

In Collegiis capitula non congregantur.

Facultas celebrandi contractus ad Præpoſitum Generalem ſpectat, juxta conſtitutiones, & decretum congregationis.

ſolutos fore cenſentes : Nec non litterarum, & Conſtitutionum, ac de- PII V.
creti, & declarationis prædictorum tenores, ac Datum præſentibus pro expreſſis habentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, litteras & Conſtitutiones, ac voluntatem, & decretum, nec non declarationem, prædicta, prout præmiſſa concernunt, ex certa ſcientia, Apoſtolica auctoritate tenore præſentium perpetuò confirmamus, & approbamus, ac illis perpetuæ, & inviolabilis firmitatis robur adjicimus. & infrà. Volumus autem, & eadem Apoſtolica auctoritate decernimus, quòd præſentium litterarum tranſumptis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo alicujus Curiæ Eccleſiaſticæ, aut perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ, vel Canonici alicujus Cathedralis, ſeu Collegiatæ Eccleſiæ munitis, eadem prorſus fides ubilibet in judicio, & extra adhibeatur, quæ ipſis originalibus litteris adhiberetur, ſi exhibitæ forent vel oſtenſæ. Nulli, &c. Datum Romæ apud S. Petrum, anno Incarnationis Dominicæ M. D. LXVIII. III. Kal. Maii, Pontificatus noſtri anno tertio.

Superiora confirmat Pontifex.

Tranſumptis habeatur fides.

Io. Barengus.

Io. Bapt. Fauchier.

PII V.
PRIVILEGIA

Circa prælectiones in Collegiis, etiam ubi aliorum ſunt Univerſitates, declarantur. Alia item in Scholarium favorem, Societatis ſcholas frequentantium conceduntur.

ANNO M. D. LXXI.

PIUS PAPA V. *Ad perpetuam rei memoriam.*

CUm litterarum ſtudia ad benè beateque vivendum ſummoperè conferre cenſeamus, ad ea libenter attendimus, per quæ Magiſtrorum numerum, jamdudum in publicis ſtudiorum Vniverſitatibus inſtitutum, non ſolùm conſervemus, ſed etiam, quantum cum Deo poſſumus, per amplius augeamus. Exhibita ſanè nobis nuper pro parte dilecti filii præpoſiti Generalis Societatis IESV, petitio continebat, quòd licet ipſa Societas in Collegiis, tam extra quàm intra ſtudiorum generalium Vniverſitates conſtitutis, va-

PII V. rios Philoſophiæ, & Theologiæ Profeſſores manutenere ſtuduerit; ad effectum, ut non ſolùm dictam Societatem ingreſſi, ab illis eruditi, ſperatos in vineâ Domini fructus portare poſſent; verùm etiam, ut diverſarum nationum juvenes, qui Magiſtrorum penuriâ litteris operam dare deſiſtebant, hac commoditate allecti, rectè vivendi normam edocti, ſapientiæque donum amplexi, litteris ſimul & bonis operibus proficerent: ac propterea, prout etiam Sedis Apoſtolicæ auctoritate ſuffulti, id facere omnino poterant, ſemper curaverint, ut illarum ſtudioſi tam lectionibus, quàm diſputationibus, & aliis ſcholaſticis exercitationibus excolerentur; nihilominùs, cùm in quibusdam Vniverſitatibus quorumdam privilegiorum prætextu eveniat, ut qui in Collegiis Societatis hujusmodi eorum curſus confecerunt, illi eis ad gradus ſuſcipiendos minimè ſuffragentur, interdum etiam ſcholaſticis ipſis prohibeatur, ne hujusmodi lectiones ſub pœnâ excluſionis à gradibus prædictis, & aliis forſan cenſuris audiant, in magnum inibi proficere ſtudentium detrimentum, & legere ac laborare ſatagentium, vilipendium & gravamen. Quare idem Præpoſitus Generalis, cui nil aliud cordi eſt, quàm Catholicæ fidei, quæ plurimùm ex hac ratione propagari poteſt, conſervatio, nobis humiliter ſupplicari fecit, ut ſibi in præmiſſis opportunè providere de benignitate Apoſtolicâ dignaremur. Nos, qui quorumlibet privilegia, præſertim ex quibus communis utilitas provenit, illibata ubique cupimus præſervari; eumdem Præpoſitum Generalem à quibusvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliisque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis à jure, vel ab homine, quavis occaſione vel cauſſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtit, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutum fore cenſentes; nec non litterarum, & aliorum quorumcumque dictæ Societatis ſuper hoc illi conceſſorum privilegiorum tenores præſentibus pro expreſſis habentes, hujusmodi ſupplicationibus inclinati, auctoritate Apoſtolicâ per præſentes decernimus & declaramus, quòd Præceptores hujusmodi Societatis, tam litterarum humaniorum, quàm liberalium Artium, Theologiæ, vel cujusvis earum facultatum in ſuis Collegiis, etiam in locis, ubi Vniverſitates extiterint, ſuas lectiones, etiam publicas legere (dummodò per duas horas de manè, & per unam horam de ſerò cum lectoribus Vniverſitatum non concurrant) liberè & licitè poſſint; quodque quibuſcumque Scholaſticis liceat in hujuſmodi Collegiis lectiones, & alias ſcholaſticas exercitationes frequentare, ac quicumque in eis Philoſophiæ,

Præceptores Societatis poſſunt, etiam ubi Vniverſitates ſunt, publicè legere, quibusdam horis exceptis.

Externi poſſunt Societatis lectiones frequentare: & debent in Vniverſitatibus ad gradus admitti.

phiæ, vel Theologiæ Auditores fuerint, in quavis Vniverſitate ad gradus admitti poſſint; & curſuum, quos in Collegiis prædictis confecerint, ratio habeatur, ita ut ſi in examine ſufficientes inventi fuerint, non minùs, ſed pariformiter, & absque ulla penitùs differentia, quàm ſi in Vniverſitatibus præfatis ſtuduiſſent, ad gradus quoſcumque, tam Baccalaureatus, quàm Licentiaturæ, Magiſterii, & Doctoratus admitti poſſint, & debeant; eisque ſuper præmiſſis ſpecialem licentiam & facultatem concedimus. Diſtrictiùs inhibentes Vniverſitatum quarumcumque Rectoribus, & aliis quibuſcumque ſub excommunicationis majoris, aliisque arbitrio noſtro moderandis, infligendis, & imponendis pœnis, ne Collegiorum hujusmodi Rectores, & Scholares in præmiſſis quovis quæſito colore moleſtare audeant vel præſumant. Decernentes quoque præſentes litteras ullo unquam tempore de ſubreptionis vel obreptionis vitio, aut intentionis noſtræ, vel quopiam alio defectu notari, vel impugnari nullatenus poſſe, minusque ſub quibusvis ſimilium, vel diſſimilium gratiarum revocationibus, ſuſpenſionibus, limitationibus, & aliis contrariis diſpoſitionibus comprehendi ullatenus poſſe: ſicque per quoſcumque Iudices & Commiſſarios quavis auctoritate fungentes, etiam Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales, ac cauſſarum Palatii Apoſtolici Auditores, ſublatâ eis & eorum cuilibet quavis aliter judicandi facultate, judicari debere; irritum quoque & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate ſcienter vel ignoranter contigerit attentari. Quocirca Venerabilibus Fratribus Archiepiſcopo Valentin. & Epiſcopo Segobien. & dilecto filio Cauſſarum Curiæ Cameræ Apoſtolicæ generali Auditori per præſentes mandamus, quatenus ipſi, vel duo, aut unus eorum per ſe, vel alium ſeu alios, præſentes litteras, & in eis contenta quæcumque, ubi & quando opus fuerit, ac quoties pro parte ipſius Præpoſiti Generalis, vel pro eo agentium fuerint requiſiti, ſolemniter publicantes, eisque in præmiſſis efficacis defenſionis præſidio aſſiſtentes faciant omnes, quos præſentes litteræ concernunt, præmiſſis omnibus pacificè frui & gaudere. Non permittentes eos deſuper per quoſcumque quomodolibet indebitè moleſtari; contradictores quoslibet & rebelles per ſententias, cenſuras & pœnas, aliaque opportuna juris & facti remedia, appellatione poſtpoſitâ, compeſcendo, legitimisque ſuper his habendis ſervatis proceſſibus, ſententias, cenſuras, & pœnas ipſas, etiam iteratis vicibus, aggravando, & interdictum Eccleſiaſticum apponendo, invocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſæcularis. Non obſtantibus

Inhibetur Vniverſitatum Rectoribus, & aliis.

Hæ litteræ ſub quibusvis derogationibus non comprehenduntur.

Iudices qui aſſiſtant.

Non obſtantibus, &c.

PII V.

PI V. tibus præmiſſis, ac felicis recordationis BONIFACII Papæ VIII. prædeceſſoris noſtri de una, & Concilii generalis de duabus dietis, dummodò ultra tres dietas quis, vigore præſentium, ad judicium non extrahatur; ac aliis Apoſtolicis conſtitutionibus, & ordinationibus, ac quibusvis etiam juramento, confirmatione Apoſtolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis, indultis, & litteris Apoſtolicis tam prædictis, quàm quibusvis aliis Vniverſitatibus, & Collegiis, ac quibuſcumque perſonis, tam Eccleſiaſticis, quàm ſæcularibus in genere, vel in ſpecie, ac ſub quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, & inſolitis clauſulis, irritantibusque, & aliis decretis in genere, vel in ſpecie quomodolibet conceſſis, confirmatis, approbatis & innovatis. Quibus omnibus, etiamſi de illis, eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, & expreſſa mentio habenda foret, tenores hujusmodi præſentibus pro expreſſis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat ſpecialiter & expreſsè derogamus, contrariis quibuſcumque. Aut ſi aliquibus communiter, vel diviſim ab Apoſtolicâ ſit Sede indultum, quod interdici, ſuſpendi vel excommunicari non poſſint per litteras Apoſtolicas, non facientes plenam, & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi mentionem. Volumus autem, quod præſentium tranſumptis manu Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo alicujus perſonæ in dignitate Eccleſiaſticâ conſtitutæ munitis, eadem ubique fides adhibeatur, quæ ipſis originalibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ vel oſtenſæ. Datum Romæ apud S. Petrum, ſub annulo Piſcatoris, die x. Martii, M. D. LXXI. Pontificatus noſtri anno ſexto.

Tranſumptis habeatur fides.

Cæ. Glorierius.

PII V.

DECLARATVR

Societas ex inſtituti ratione Mendicans, aliisque Mendicantium ordinibus connumeratur, & privilegiis æquatur.

ANNO M. D. LXXI.

PIVS PAPA V. *Ad perpetuam rei memoriam.*

DVm indefeſſæ conſiderationis intuitu perſcrutamur, quantam Chriſtianæ Reipublicæ utilitatem attulerint dilecti filii Presbyteri Societatis IESV;

IESU; ac planè conſpicimus eos vere mundi hujus relictis illecebris, adeò Servatori ſuo ſe dedicaſſe, ut conculcatis theſauris, quos ærugo & tinea comedit; lumbisque paupertate, & humilitate præcinctis, non contenti terrarum finibus, usque ad Orientales & Occidentales Indias penetraverint; ac eorum aliquos ita Domini amor perſtrinxerit, ut etiam proprii ſanguinis prodigi, ut verbum Dei inibi efficacius plantarent, martyrio voluntario ſe ſuppoſuerint; perque eorum ſpiritualia exercitia etiam regna ipſa fidem Chriſti agnoverint; ac tam inibi, quàm ubique terrarum, caritatis & miſericordiæ opera exercere ſtudeant; facere nullo modo poſſumus, quin eos tamquam veros palmites in Chriſto per caritatem conjunctos, & benignè amplectamur, & ea ſibi ſpecialiter concedamus, quæ & paupertatis per eos emiſſæ voto, & eorum inſtituto ac commoditati credimus profutura. Hinc eſt quod Nos attendentes, quod licet dilecti filii Præpoſitus Generalis, & Presbyteri Societatis hujusmodi, tum quia ipſa Societas mendicans exiſtit (quippe quæ ex ejus inſtituto, & Conſtitutionibus Apoſtolicâ auctoritate confirmatis, bona ſtabilia poſſidere nequit, ſed incertis eleemoſynis, fideliumque largitionibus & ſubventionibus vivit) tum quia non minus quam ceteri mendicantes in excolendâ vineâ Domini aſſiduè laborant, fructusque ingentes & ſalutiferos producunt, ac propterea eisdem privilegiis, indultis, & gratiis Fratribus Mendicantibus hactenus conceſſis uti, frui, potiri, & gaudere meritò poſſint ac debeant. Cum tamen illud aliquando in controverſiam deduci poſſet, ex eo quod dicta Societas Collegia habeat ſecum adjuncta; Nos ambiguitatem hujusmodi omnino amputare volentes, eosdemque Præpoſitum & Societatem, eorumque ſingulos à quibusvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliisque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis, à jure vel ab homine quavis occaſione vel cauſâ latis, ſi quibus quomodolibet innodati exiſtunt, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutos fore cenſentes; nec non dictæ Societatis inſtituti, Conſtitutionum & diſpoſitionum, tam de jure quàm ab homine provenientium, nec non Privilegiorum, immunitatum, indulgentiarum, & gratiarum Mendicantibus Fratribus hujusmodi, quomodolibet conceſſorum, ac litterarum deſuper confectarum tenores præſentibus pro expreſſis habentes; Motu proprio, non ad ipſorum Præpoſiti Generalis, & Societatis, vel alicujus eorum, aut alterius pro eis nobis ſuper hoc oblatæ petitionis inſtantiam, ſed ex merâ liberalitate, & certâ ſcientiâ noſtris, illam, & illius Præpoſitum,

PII V.

Societas Mendicans exiſtit.

Societatem inter Mendican-

ac

PII V. tium Ordines connumerari debere, declaratur.

Diſpoſitiones quælibet in favorem Mendicantium, locum habent etiam in Societate.

Gratiæ & privilegia omnia Mendicantibus Ordinibus conceſſa, & concedenda, Societati conceduntur.

ac ſingulas perſonas Societatis hujuſmodi verè, & non ficte, mendicantes fuiſſe, eſſe, & fore; & inter aliorum Fratrum & Religioſorum Mendicantium Ordines, aliosque Fratres, & Religioſos mendicantes; prout illos nos connumeramus, & connumerari debere: ac omnes & ſingulas tam juris, quam hominum diſpoſitiones in favorem religioſorum, ſeu Fratrum Mendicantium nunc, & pro tempore emanatas, etiam in Societate, illiusque Domibus, Collegiis, Præpoſito, & aliis religioſis locum habere: Nec non omnia & ſingula quæcumque, quotcumque, & qualiacumque ſint, etiam ſpeciali notâ digna Privilegia, immunitates, exemptiones, facultates, conceſſiones, indulta, indulgentias, peccatorum remiſſiones, & gratias tam ſpirituales quam temporales, litterasque Apoſtolicas, etiam juſtitiam, ſive mixtim concernentia, hactenus per Nos, & quoſcumque alios Romanos Pontifices, tam prædeceſſores, quam ſucceſſores noſtros, & denique Sedem Apoſtolicam & illius Legatos de latere, ſive Nuntios, & quaſcumque alias perſonas, quavis auctoritate fungentes, etiam motu, & ſcientia ſimilibus, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, etiam conſiſtorialiter, tam in genere, quàm in ſpecie, & tam communiter, & conjunctim, quam particulariter, & diviſim, etiam per modum extenſionis, ſeu communicationis, & alias quomodolibet, quibusvis Ordinibus Fratrum & Sororum Mendicantium quocumque nomine nuncupentur, illorumque congregationibus, conventibus, & capitulis, ac utriusque ſexus perſonis, ac illorum Monaſteriis, Domibus, Eccleſiis, Hoſpitalibus, & aliis piis locis hactenus conceſſa, & in poſterum concedenda (quorum omnium, & ſingulorum tenores, ac ſi de verbo ad verbum inſerti forent, præſentibus pro expreſſis & inſertis haberi volumus) eisdem Præpoſito, ac Societati, & omnibus illius perſonis, Domibus ac Collegiis ubique terrarum ſitis, ita quòd Societas, Domus, Collegia, Præpoſitus, & perſonæ hujusmodi omnibus, & ſingulis prædictis Privilegiis, immunitatibus, exemptionibus, facultatibus, conceſſionibus, indultis, indulgentiis, gratiis, & litteris eisdem Fratrum, & Sororum Mendicantium Ordinibus, Congregationibus, Conventibus, Capitulis, perſonis, Monaſteriis, Domibus, Eccleſiis, Hoſpitalibus, & aliis piis locis, ut præfertur conceſſis & concedendis, anteà potuerint, & nunc ac in futurum (dummodò inſtituto Societatis, & Præpoſiti, ſeu deputatarum perſonarum hujusmodi voluntati & beneplacito non refragentur) poſſint liberè & licitè uti, frui, potiri, & gaudere in omnibus, & per omnia, non ſolùm ad illorum inſtar, ſed pariformiter, &

æquè

æquè principaliter, absque ullâ prorſus differentiâ, perinde ac ſi Societati, Præpoſito, perſonis, Domibus & Collegiis prædictis nominatim, & ſpecialiter, ac generaliter conceſſa fuiſſent; Apoſtolicâ auctoritate, tenore præſentium perpetuò ſancimus, volumus, & declaramus, ac pariter concedimus, indulgemus, & elargimur. Decernentes, præſentes litteras nullo unquam tempore per Nos, aut Sedem prædictam revocari, aut limitari, vel illis derogari poſſe, neque ſub ullis ſimilium, vel diſſimilium gratiarum revocationibus, alterationibus, limitationibus, derogationibus, aut aliis contrariis diſpoſitionibus, nunc, & pro tempore emanatis comprehendi, ſed ſemper ab illis excipi, & quoties revocari, alterari, limitari, vel derogari contingat, toties in priſtinum, & eum in quo ante præmiſſa erant, ſtatum reſtitutas, & de novo, etiam ſub poſteriori datâ per pro tempore exiſtentem Societatis hujuſmodi Præpoſitum Generalem eligenda, conceſſas eſſe, & fore; ac ita, & non aliter per quoſcumque judices tam ordinariâ, quàm delegatâ & mixtâ auctoritate fungentes, etiam S. R. E. Cardinales, etiam Sedis Apoſtolicæ Legatos de latere, & Nuntios, ac cauſſarum Palatii Apoſtolici Auditores, ſublata eis, & eorum cuilibet, quavis aliter judicandi facultate, ubique & in quavis inſtantia interpretari, cenſeri, cognoſci & decidi debere: Irritum quoque & inane quidquid ſecus ſuper his à quoquam, quavis auctoritate, ſcienter vel ignoranter, contigerit attentari. Quocircà venerabilibus Fratribus Patriarchis, Archiepiſcopis, & Epiſcopis, ac dilectis filiis eorum Vicariis in ſpiritualibus, aut officialibus generalibus, & curiæ cauſſarum Cameræ Apoſtolicæ generali Auditori, nec non Abbatibus, Prioribus, Præpoſitis, Decanis, Archidiaconis, Canonicis, & Capitulis, ac aliis ad quos id quomodolibet ſpectat, & ſpectabit, per præſentes Motu ſimili mandamus, quatenus ipſi, vel duo aut unus eorum, per ſe vel alium ſeu alios, præſentes litteras, & in eis contenta quæcumque, ubi & quando opus fuerit, ac quoties pro parte dictorum Præpoſiti, & perſonarum Societatis hujuſmodi, vel alicujus eorum, fuerint requiſiti, ſolemniter publicantes, eisque in præmiſſis efficacis defenſionis præſidio aſſiſtentes, faciant eos præmiſſis omnibus & ſingulis pacificè frui & gaudere, non permittentes eos deſuper per quoſcumque quomodolibet indebitè moleſtari: contradictores quoslibet & rebelles per ſententias, cenſuras, & pœnas Eccleſiaſticas, aliaque opportuna juris & facti remedia, appellatione poſtpoſitâ, compeſcendo, legitimisque ſuper his habendis ſervatis proceſſibus, ſententias, cenſuras, & pœnas ipſas etiam iteratis

P I I V.

Hæ litteræ ſub quibusvis derogationibus non comprehenduntur.

Deputantur Iudices.

ratis

PII V. ratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſæcularis. *Non obſtantibus, &c.* Non obſtantibus noſtra de non expediendis litteris ſuper indulgentiis ad inſtar, ac felicis recordationis BONIFACII Papæ VIII. Prædeceſſoris noſtri de una, & Concilii generalis de duabus dietis, dummodò ultra tres dietas quis vigore præſentium ad judicium non trahatur; & aliis Apoſtolicis conſtitutionibus, ac quibusvis etiam juramento, confirmatione Apoſtolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis ſtatutis & conſuetudinibus, Privilegiis quoque, indultis, & litteris Apoſtolicis, quibusvis perſonis per quoſcumque Romanos Pontifices prædeceſſores noſtros, ac Nos, & Sedem Apoſtolicam, etiam Motu & ſcientiâ ſimilibus, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, & cum quibusvis irritativis, annullativis, caſſativis, revocativis, modificativis, præſervativis, exceptivis, declarativis, mentis atteſtativis, ac derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus & inſolitis clauſulis, irritantibusque & aliis decretis in genere vel in ſpecie, ac aliàs quomodolibet, etiam pluries conceſſis, confirmatis, & innovatis: quibus omnibus & ſingulis, etiam ſi in eis caveatur expreſſe, quòd illis nullatenus derogari poſſit, pro illorum ſufficienti derogatione, de illis, eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, & expreſſa mentio habenda, ſeu aliqua alia forma ad hoc ſervanda foret, tenores hujusmodi præſentibus pro expreſſis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat ſpecialiter & expreſſe derogamus, contrariis quibuſcumque: aut ſi aliquibus communiter vel diviſim ab eadem ſit Sede indultum, quòd interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint per litteras Apoſtolicas, non facientes plenam & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem. Volumus autem, *Tranſumptis habeatur fides.* quòd præſentium tranſumptis manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo alicujus perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides in judicio, & extra adhibeatur, quæ ipſis originalibus litteris adhiberetur, ſi forent exhibitæ vel oſtenſæ. Datum Romæ apud S. Petrum, ſub annulo Piſcatoris, die VII Iulii, M. D. LXXI. Pontificatus noſtri anno ſexto.

P. Ruis.

Io. Beiel.

GRE-

GREGORII XIII. FACVLTAS

Conſervatores Iudices aſſumendi in quibuſcumque cauſſis.

ANNO M. D. LXXIII.

GREGORIVS EPISCOPVS *Servus ſervorum Dei, Ad perpetuam rei memoriam.*

ÆQuum reputamus & rationi conſonum, ut ea, quæ de Romani Pontificis gratia proceſſerunt, licet ejus ſuperveniente obitu litteræ Apoſtolicæ ſuper illis confectæ non fuerint, ſuum ſortiantur effectum. Dudum ſiquidem fel. rec. PIO Papæ V. prædeceſſori noſtro, pro parte dilectorum filiorum Præpoſiti Generalis & Religioſorum Societatis IESV, expoſito, quòd cùm dicta Societas, benedicente Domino, longè lateque eſſet propagata, ac ad Dei laudem & honorem, militantisque Eccleſiæ profectum in dies augeretur; & propter diverſa bona temporalia, quæ Collegia Scholarium ſub eorum curà inſtituta poſſidebant conſervanda & recuperanda, lites aliaque forenſia frequenter ſubire neceſſariò cogeretur, exindeque fieret, ut ejus perſonæ, quæ animarum ſaluti implicitæ litium anfractus, qui ab eorum inſtitutis valdè diſſonabant, evitare cupiebant, ab earum miniſterio, non ſine animi ſui dolore, cum animarum hujusmodi diſpendio diſtraherentur; & eidem prædeceſſori, pro parte eorumdem Præpoſiti Generalis & Religioſorum asſerentium, eorum bona à quorumcumque locorum ordinariorum jurisdictione libera & exempta, ac ſub Romani Pontificis & Sedis Apoſtolicæ protectione aliàs recepta fuiſſe, humiliter ſupplicato, ut eorum quieti more pii patris, ac aliàs in præmiſſis opportunè conſulere de benignitate Apoſtolicâ dignaretur; idem prædeceſſor, qui ad gratos Deo, & univerſæ Reipublicæ Chriſtianæ utiles, & neceſſarios fructus, quos Societatis prædictæ perſonæ in vineà Domini ſemper proferebant, debitum reſpectum habebat, facere nullo modo poterat, quin ipſis ea concederet, per quæ ipſi, eorumque res & bona à noxiis, juſtitiæ miniſterio, præſervarentur; eosdem Præpoſitum Generalem & Religioſos, ac eorum ſingulos à quibusvis excommunicationis, ſuſpenſionis & interdicti, aliisque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis, à jure vel ab homine, quavis occaſione vel cauſſa latis, ſi quibus quomodolibet innodati exiſtebant, ad effectum infra ſcriptorum dumtaxat conſequen-

GREG. XIII. ſequendum abſolvens, & abſolutos fore cenſens, hujuſmodi ſupplicationibus inclinatus, ſub Dat. videlicet VIII. Kal. Iunii Pontificatus ſui anno tertio, eidem Societati, ſingulisque illius perſonis, ac eorum familiaribus, clerical charactere tamen inſignitis, ut in quibuſcumque cauſſis tam civilibus, quàm criminalibus, ac mixtis, etiam in eis, in quibus actores, vel conventi rei forent, ipſis contra quaſcumque Communitates & Collegia hujusmodi, omnes & ſingulos Archiepiſcopos, & Epiſcopos, ac Abbates, nec non alias perſonas in dignitate Eccleſiaſticâ conſtitutas, ac Metropolitanarum, & aliarum Cathedralium Eccleſiarum Canonicos, ac eorumdem Archiepiſcoporum, & Epiſcoporum Vicarios in ſpiritualibus, & Officiales generales ubilibet conſtitutos, in ſuos poſſent aſſumere Conſervatores, & Iudices ordinarios, indulſit: ipſis verò ſic electis, vel duobus, aut uni eorum, ut per ſe, vel alium, ſeu alios, etiamſi ſint extra loca, in quibus Conſervatores & Iudices deputati forent, eidem Societati efficacis defenſionis præſidio aſſiſtentes, non permitterent Societatem, Collegiaque hujusmodi ſuper terris, locis, domibus, poſſeſſionibus, & juribus, nec non fructibus, cenſibus, reditibus, & proventibus, ac quibuſcumque aliis bonis mobilibus & immobilibus, ſpiritualibus & temporalibus, nec non privilegiis & indultis, eis & dictæ Societati tam Apoſtolica, quàm ordinaria, & aliàs ritè Regia auctoritatibus conceſſis, & aliis rebus ad dictam Societatem communiter, vel diviſim ſpectantibus à quibuſcumque perſonis tam ſæcularibus, quàm Eccleſiaſticis, ac quácumque auctoritate & ſuperioritate fungentibus, quoquo modo indebitè moleſtari, vel eis gravamina, damna, aut injurias irrogari: facerentque cùm ab eisdem Societate, aut perſonis, vel Procuratoribus ſuis, ſeu aliquo ex eis, forent requiſiti ſuper reſtitutione locorum, terrarum, domorum, poſſeſſionum, jurium, & bonorum mobilium & immobilium, redituum quoque & proventuum, ac aliorum quorumcumque bonorum, nec non privilegiorum & indultorum, eis tunc & pro tempore conceſſorum, obſervatione; nec non de quibuslibet moleſtiis, injuriis, damnis tunc præſentibus, & futuris, in illis videlicet, quæ judicialem requirerent indaginem, ſummariè, ſimpliciter, & de plano, ſine ſtrepitu & figura judicii; in aliis verò prout eorum qualitas exegiſſet, juſtitiæ complementum: occupatores, ſeu detentores, præſumptores, & injuriatores hujusmodi, nec non contradictores quoslibet & rebelles, etiamſi aliàs, quàm ut præfertur, qualificati exiſterent, quandocumque, & quotieſcumque expediſſet, auctoritate Apoſtolica per ſententias, cen-

Conſervatores Iudices eligere poſſunt Societatis tum religioſi, tum familiares clerici.

In moleſtiis, & damnis, ſummariè;

In aliis, prout rerum qualitas exegerit, procedendum.

Conſervatorum Iudicum facultates.

cenſuras, & pœnas Eccleſiaſticas, aliaque opportuna juris & facti remedia, GREG. XIII. appellatione poſtpoſita, compeſcendo: legitimisque, ſuper his habendis, *Per cenſuras compeſcendi: Declarandi, &c.* ſervatis proceſſibus, eos, quos ſententias, cenſuras, & pœnas, per eosdem Conſervatores ſeu Iudices pro tempore latas, incurriſſe, eis conſtitiſſet; eas incurriſſe declararent, & quoties opus fuiſſet, etiam iteratis vicibus aggravarent, nec non auxilium brachii ſæcularis invocarent, commiſit & mandavit. Ac inſuper ſi per ſummariam informationem, per eos ſuper his habendam, ipſis conſtitiſſet, quòd ad loca, in quibus occupatores, præſumptores, moleſtatores, & injuriatores hujusmodi, ac alios, quos litteræ tunc deſuper conficiendæ concernerent, pro tempore majori contigiſſet, pro monitionibus, & inhibitionibus ipſis, ac citationibus eis faciendis, tutus non pateret acceſſus, Iudicibus & Conſervatoribus hujusmodi monitiones & citationes præfatas, ac inhibitiones quaslibet, per edicta publica locis publicis affigenda, de quibus eſſet veriſimilis conjectura, quòd ad ipſorum monitorum, citatorum, & inhibitorum notitiam pervenire valerent, faciendi; nec non eisdem occupatoribus, detentoribus, præſumptoribus, moleſtatoribus, injuriatoribus, contradictoribus, & rebellibus, etiam ſub cenſuris & pœnis Eccleſiaſticis, ac etiam pecuniariis eorum arbitrio moderandis, inhibendi: ac quibusvis inhi- *Inhibendi:* bitionibus, eis pro tempore, etiam prætextu quarumcumque litterarum Conſervatoriarum, ſeu privilegiorum Apoſtolicorum, quibuslibet conceſſorum & concedendorum, pro tempore factis non obſtantibus, eorum juriſdictionem libere exercendi; loca ad quæ eos declinare contigerit, & in quibus ſcienter ſtare permiſſi forent, Eccleſiaſtico interdicto ſubjiciendi, ple- *Interdicendi.* nam & liberam facultatem conceſſit. Ac monitiones, requiſitiones, inhibitiones, & citationes, ſic factas, perinde ipſos monitos, requiſitos, inhibitos, & citatos arctarent, ac ſi eis perſonaliter factæ, inſinuatæ, & intimatæ forent; Ac tunc deſuper conficiendis litteris, & in eis contentis diſpoſitio- *His litteris per quaſcumque alias derogationes non cenſetur derogatum.* nibus, per quaſcumque derogationes, in quibusvis aliis litteris Apoſtolicis gratiam, vel juſtitiam, & mixtim continentibus, per eumdem prædeceſſorem, & Sedem Apoſtolicam, etiam cum derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, & inſolitis clauſulis, & per quas earumdem litterarum tunc deſuper conficiendarum tenor, ac ſi de verbo ad verbum in eis inſertus foret, pro expreſſo haberetur, quibuſcumque perſonis, ſeu in eorum favorem, etiam Motu proprio, & ex certâ ſcientiâ, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine conceſſas, & factas, ac faciendas, & concedendas nullatenus de-

GREG. XIII. derogatum cenſeretur, aut derogari poſſet, niſi tenor earumdem tunc deſuper conficiendarum litterarum, de verbo ad verbum, nihil penitùs omiſſo, foret in illis inſertus; & derogatio pro tempore facta hujuſmodi, per trinas diſtinctas litteras eumdem tenorem continentes, tribus ſimiliter diſtinctis vicibus eidem Societati intimata & inſinuata foret; & quod aliter earumdem litterarum tunc deſuper conficiendarum pro tempore factæ derogationes nemini ſuffragarentur. Quodque quilibet Iudicum, & Conſervatorum præfatorum valeret proſequi articulum, etiam per alium inchoatum, quamvis idem inchoans nullo foret canonico impedimento præditus: quodque cuilibet Conſervatorum, & Iudicum eorumdem, ab eadem die octavo Kal. Iunii eſſet in præmiſſis omnibus, ac eorum ſingulis, cœptis & non cœptis, tunc præſentibus & futuris, perpetua poteſtas & jurisdictio attributa; ut eo vigore, eâque firmitate poſſent in præmiſſis omnibus cœptis & non cœptis, tunc præſentibus & futuris, & pro prædictis procedere, ac ſi prædicta omnia, & ſingula coram eis cœpta fuiſſent, & eorum, ac cujuslibet ipſorum jurisdictio de præmiſſis omnibus, & ſingulis per citationem, vel modum alium perpetuata legitimè extitiſſet. ſicque per quoſcumque Iudices, & Commiſſarios, & cauſſarum Palatii Apoſtolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales, ſublatâ eis & eorum cuilibet quavis aliter judicandi & interpretandi facultate & auctoritate, judicari & definiri debere: ac ex tunc ſi ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate, ſcienter vel ignoranter, attentari contingeret, irritum & inane decrevit. Non obſtantibus, piæ mem. BONIFACII Papæ VIII. etiam prædeceſſoris noſtri, quâ cavebatur, ne quis extra ſuam civitatem, vel diœceſim, niſi in certis exceptis caſibus, & in illis ultra unam dietam à fine ſuæ diœceſis ad judicium evocaretur: ſeu ne Iudices à Sede prædictâ deputati extra civitatem, vel diœceſim in quibus deputati forent, contra quoſcumque procedere præſumerent: & de duabus dietis in Concilio generali editâ, dummodò non ultra tres dietas aliquis, vigore earumdem litterarum tunc deſuper conficiendarum extraheretur; & quibusvis aliis Apoſtolicis, ac in Provincialibus & Synodalibus Conciliis editis, generalibus vel ſpecialibus Conſtitutionibus & Ordinationibus, ac quibusvis juramento, confirmatione Apoſtolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & litteris Apoſtolicis, quibusvis Regibus, Ducibus, Comitibus, ceteriſque cujuſcumque dignitatis, qualitatis, & præeminentiæ, ac Ordinis, etiam Mendi-

Quilibet Conſervator poteſt proſequi articulum per alium inchoatum.

Non obſtantibus, &c.

dicantium, & conditionis exiſtentibus perſonis, in genere, vel in ſpecie, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, & inſolitis clauſulis, irritantibusque, & aliis decretis, quomodolibet etiam iteratis vicibus conceſſis, approbatis, & innovatis: Quibus omnibus idem PIVS prædeceſſor, etiam ſi pro illorum ſufficienti derogatione, de illis eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, expreſſa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes, mentio, ſeu quævis alia expreſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ad id ſervanda foret; tenores hujusmodi, ac ſi de verbo ad verbum, nihil penitùs omiſſo, & formâ in illis traditâ obſervatâ, inſerti forent, pro ſufficienter expreſſis habens, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, eâ vice dumtaxat ſpecialiter & expreſsè derogavit, ceterisque contrariis quibuſcumque. Voluit inſuper idem PIVS prædeceſſor, quòd litterarum tunc deſuper conficiendarum tranſumptis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, ac ſigillo alicujus perſonæ in dignitate Eccleſiaſticâ conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides adhiberetur, quæ ipſis originalibus litteris adhiberetur, ſi forent exhibitæ vel oſtenſæ. Ne autem de abſolutione, indulto, & aliis præmiſſis, pro eo quòd ſuper illius ipſius PII prædeceſſoris, ejus ſuperveniente obitu, litteræ confectæ non fuerunt, valeat quomodolibet hæſitari, ipſaque Societas illorum fruſtretur effectu; Volumus, & ſimiliter Apoſtolicâ auctoritate decernimus, quòd indultum, & alia præmiſſa perinde à dictâ die VIII. Kal. Iunii, ſuum ſortiantur effectum, ac ſi ſuper illis ipſius PII prædeceſſoris litteræ confectæ fuiſſent, prout ſuperius enarratur: Quodque præſentes litteræ ad probandum plene abſolutionem, indultum, & alia præmiſſa ubique ſufficiant, nec ad id probationis alterius adminiculum requiratur. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ voluntatis & decreti infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, ac BB. Petri & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum Romæ apud S. Petrum anno Incarnationis Dominicæ milleſimo quingenteſimo ſeptuageſimo ſecundo, VIII. Kal. Iunii, Pontificatus noſtri anno primo.

GREG. XIII.

Tranſumptis habeatur fides.

A. Quintal.

GREG. XIII.

GREGORII XIII.
APPROBATIO

Et nova conceſſio facultatum horas Canonicas extra Chorum recitandi, & ſacros ordines poſt emiſſa vota, etiam ante profeſſionem ſuſcipiendi.

ANNO M. D. LXXIII.

GREGORIVS PAPA XIII. *Ad futuram rei memoriam.*

EX Sedis Apoſtolicæ benignitate provenire dignum eſt, ut regularia inſtituta pro religionum quarumlibet ſalubri directione edita, illibatam obtineant roboris firmitatem. Cùm itaque inſtituto Clericorum regularium Societatis IESV, quod per felicis recordationis PAVLVM Tertium, & IVLIVM etiam Tertium prædeceſſores noſtros approbatum & confirmatum fuit; Cuique per ſacrum Concilium Tridentinum derogatum minimè extitit, inter alia expreſsè caveatur, quod Socii omnes, etiam qui in ſacris fuerint, horis Canonicis recitandis ſatisfeciſſe cenſeantur, ſi eas juxta uſum Romanæ Eccleſiæ ſinguli privatim, & particulariter, & non communiter, ſeu in Choro, recitaverint; Nec non ut ii, qui in eadem Societate tria Paupertatis, & Caſtitatis, & Obedientiæ vota emiſerint, ad omnes, etiam ſacros, & Presbyteratus ordines, de licentiâ pro tempore exiſtentis ſui Præpoſiti Generalis, etiam antequam ſolemnem profeſſionem emiſerint, promoveri valeant; Nos conſiderantes Religionem prædictam uberrimos fructus, ad Dei laudem, & ſanctæ Catholicæ fidei propagationem, per univerſum orbem dediſſe, meritoque in ſuis piis inſtitutis confovendam eſſe; Motu proprio, & ex certâ noſtrâ ſcientiâ, Sociis prædictis ut horas Canonicas ſinguli, & privatim juxta uſum Romanæ Eccleſiæ, non autem communiter, ſeu in Choro, recitare teneantur, quò acriùs ſtudiis, lectionibus, & prædicationibus intendere poſſint. Nec non ut ii, qui tria vota prædicta, in eadem Societate emiſerint, de licentiâ ſui Præpoſiti Generalis ad ſacros etiam Presbyteratus ordines, etiam ante ſolemnem profeſſionem emiſſam, dummodò aliàs ætate, moribus, & doctrinâ idonei ſint, promoveri valeant, inſtituta prædicta approbantes, tenore præſentium, auctoritate Apoſtolicâ, quatenus opus ſit, de novo concedimus. Non obſtantibus Conſtitutionibus Apoſtolicis, & in ſpecie

Socii horas Canonicas privatim recitant.

Emiſſis tribus votis ad ſacros ordines etiam ante profeſſionem promoventur.

Non obſtantibus, &c.

ſpecie Conſtitutione PII V. prædeceſſoris noſtri, quâ decretum Concilii Tridentini, quod incipit, *Cùm non deceat*, ad Clericos Regulares non profeſſos extendit, ceteriſque contrariis quibuſcumque. Datum Romæ apud S. Petrum, ſub annulo piſcatoris, die ultimâ Februarii, M. D. LXXIII. Pontificatus noſtri anno primo. GREG. XIII.

Cæ. Glorierius.

GREGORII XIII.
FACVLTATES

Variæ circa librorum prohibitorum uſum.

ANNO M. D. LXXV.

GREGORIVS PAPA XIII. *Ad perpetuam rei memoriam.*

EXponi nobis nuper fecerunt dilecti filii Præpoſitus Generalis, & Religioſi Societatis IESV, Quòd aliàs, dum fel. rec. PIVS Papa V. prædeceſſor noſter in minoribus conſtitutus Inquiſitoris generalis officium gereret; ſufficienti facultate ſuffultus, inter alia eiſdem conceſſit, quòd Præpoſitus Generalis prædictus poſſet impertiri facultatem legendi libros hæreticos, & alios prohibitos ad oppugnandum, dum tamen id conſideratè fieret, & cum delectu, re conſultatâ cum ſuis Aſſiſtentibus; ac Religioſi dictæ Societatis poſſent uti libris non hæreticis, licet haberent annotationes, & ſcholia auctorum hæreticorum; vel auctores ipſi mali eſſent, ſi libri non eſſent editi ad ſtabilienda dogmata hæretica, dummodò nomen auctoris, ſi hæreticus eſſet, vel in Indice prohibitus, & ſi quid inter legendum impium occurreret, deleretur; ipſique à Superiore deputati ad emendandos libros eorum, qui ad ipſos Religioſos vel in ſcholis, vel extra illas recurrere ſolent, facultatem haberent, quando auctores boni eſſent, ut Auguſtinus, Hieronymus, & ſimiles, ſed haberent prava ſcholia, vel malas annotationes; aut cùm auctor, & impreſſor impii eſſent, ſed non libri; aut cùm Ethnici exiſterent auctores, ſicut Cicero, & alii ſimiles, ſed haberent ſcholia, annotationes, vel quid ejuſmodi, propter quod prohibiti eſſent, donec purgarentur, deletis tamen erroribus, & nomine auctoris, vel impreſſoris mali: Nec non quòd ipſi Religioſi non ſolùm libros ſuos, quos in ſuis Collegiis vel Domibus haberent, ſed etiam ſcholaſticorum, qui ad ejuſdem Societatis ſcholas confluerent, quorum auctores

Generalis quomodo poſſit dare Sociis facultatem legendi libros hæreticos.

Socii quomodo, & quibus libris prohibitis uti poſſint: Quos aliorum libros, & quomodo emendare.

Similiter & proprios & Scholaſticorũ.

GREG. XIII. ctores Ethnici, quamvis aliqui boni eſſent, ſed propter ſcholia, vel annotationes, aut commentaria, vel impreſſorem, in Indice prohiberentur, emendare poſſent, ſi ad id à Præpoſito Generali per ſe ipſum, vel per alios deputati forent, & ſuis ſcholaſticis utendo relinquere poſſent, deletis tamen erroribus, & nominibus auctorum prohibitorum; Quodque ipſi Religioſi ea in ſuis libris executioni demandarent, quæ in catalogo, & decreto Sanctæ Romanæ, & univerſalis Inquiſitionis præcipiuntur; ad effectum, ut illi retineri poſſent; eaſdemque conceſſiones, & facultates circa libros prohibitos, & ſuſpectos aliàs à prædeceſſoribus noſtris, & Sede Apoſtolicâ eisdem Præpoſito, & Religioſis conceſſas, & confirmatas Venerabilis Frater noſter Scipio Epiſcopus Sabinenſis Cardinalis de Piſis nuncupatus, vivæ vocis oraculo, à nobis deſuper ſibi facto approbavit & confirmavit. Cùm autem ea firmiùs ſubſiſtant, in quibus pluries Apoſtolica auctoritas intercedit, propterea Præpoſitus, & Religioſi prædicti nobis humiliter ſupplicari fecerunt, quatenus prædictis, & aliis facultatibus circa eadem ſibi conceſſis, pro earum ſubſiſtentiâ firmiori, Apoſtolicæ confirmationis robur adjicere, aliaſque circa illa opportunè providere de benignitate Apoſtolicâ dignaremur. Nos igitur eoſdem Præpoſitum ac Religioſos à quibusvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis à jure vel ab homine quavis occaſione, vel cauſâ latis, ſi quibus quomodolibet innodati exiſtunt, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutos fore cenſentes; nec non facultatum & conceſſionum hujusmodi ſeriem, ac ſi de verbo ad verbum inſereretur, præſentibus pro expreſſis habentes, hujusmodi ſupplicationibus inclinati, eaſdem conceſſiones, & facultates, ac alias quaſcumque ſuper hujusmodi libris habendis, legendis, aut corrigendis, Apoſtolicâ auctoritate tenore præſentium approbamus & confirmamus; illiſque plenariæ & inviolabilis firmitatis robur adjicimus: omneſque, & ſingulos defectus, ſi qui forſan intervenerint in eisdem, ſupplemus; illaque de novo, quatenus opus ſit, potiorique pro cautela concedimus & impertimur. Non obſtantibus præmiſſis, ac litteris in die Cœnæ Domini legi ſolitis, aliiſque Conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ceteriſque contrariis quibuſcumque. Et quia difficile nimis eſſet præſentes ubique locorum, in quibus illarum uſus opus erit, deferri; volumus harum litterarum exemplis, etiam impreſſis, Notarii publici manu, & ſigillo ejusdem Societatis, vel perſonæ in dignitate Eccleſiaſticâ conſtitutæ obſi-

Exequantur catalogi Rom. Inquiſitionis præceptum.

Præmiſſorum confirmatio, & nova conceſſio.

Non obſtantibus, &c.

Tranſumptis habeatur fides.

obſignatis, eamdem prorſus fidem in judicio & extra ubiq; locorum haberi, GREG. XIII. quæ præſentibus haberetur, ſi eſſent exhibitæ vel oſtenſæ. Datum Romæ apud S. Petrum ſub annulo Piſcatoris, die octavâ Ianuarii, M. D. LXXV. Pontificatus noſtri anno tertio.

Cæ. Glorierius.

GREGORII XIII.
FACVLTAS

Societati, ſuis & aliorum Ordinum privilegiis more ſuo utendi, ac Præpoſito illa per ſe, vel alios communicandi conceditur, &c.

ANNO M. D. LXXV.

GREGORIVS PAPA XIII. *Ad futuram rei memoriam.*

DEcet Romanum Pontificem, ne religioſæ perſonæ pro uſu gratiarum à Sede Apoſtolicâ emanatarum, ab inſtituti ſui norma recedere cogantur, declarationis ſuæ oraculo, aliiſque opportunis remediis diligenter providere. Sanè dilectus filius Everardus Mercurianus Præpoſitus Generalis Societatis IESV, tam ſuo, quàm dilectorum filiorum Societatis hujuſmodi nominibus, nobis nuper expoſuit; Quòd licet gratiæ, immunitates, indulgentiæ, & privilegia aliorum Ordinum Mendicantium, ceterarumque Religionum, & piorum locorum per nonnullos Romanos Pontifices, & præſertim felic. recor. PIVM Quintum, prædeceſſores noſtros, dictæ Societati fuerint communicata & conceſſa; nihilominùs aliquando circa illorum praxim, & uſum, ſeu modum, & formam eiſdem utendi, propter inſtituti ipſius Societatis ab aliis prædictis Religionibus diverſitatem hujuſmodi contingit. Nos igitur dubietatem hujuſmodi omnino ſubmovere volentes, Præpoſitum prædictum, ac omnes alias, & ſingulas perſonas Societatis hujuſmodi à quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis à jure, vel ab homine quavis occaſione, vel cauſſa latis, ſi quibus quomodolibet innodati exiſtunt, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutos fore cenſentes; nec non immunitatum, indulgentiarum, gratiarum, & privilegiorum hujuſmodi, ac litterarum dictorum prædeceſſorum deſuper confecta-

GREG. XIII.

Societas gaudet privilegiis omnium Ordinum, ac piorum locorum conceſſis, & concedendis, & juxta inſtituti rationem.

fectarum tenores pro expreſſis habentes, ſupplicationibus prædicti Everardi Præpoſiti eisdem nominibus nobis hac in parte porrectis inclinati, Quòd præfatus pro tempore exiſtens Præpoſitus, & Societas hujusmodi omnibus & ſingulis privilegiis, immunitatibus, exemptionibus, facultatibus, conceſſionibus, indultis, indulgentiis, remiſſionibus, gratiis, & litteris Fratrum, & Sororum Mendicantium, aliarumque Religionum Ordinibus, Congregationibus, Conventibus, Capitulis, Monaſteriis, Domibus, Eccleſiis, Confraternitatibus, Hoſpitalibus, & aliis piis locis, ac perſonis, tam ſæcularibus, quàm regularibus hactenus conceſſis, & in futurum concedendis, ac Præpoſito, Societatique prædictis, nec non ejus Domibus, Collegiis, locis, & perſonis, ubique terrarum conſtitutis, communiter vel diviſim, Apoſtolicâ, ſeu delegatâ auctoritate, vel vigore quarumcumque facultatum, etiam ad inſtar, aut æquè principaliter, etiam per communicationem, ſeu aliàs quomodolibet conceſſis, juxta Societatis hujusmodi inſtituti rationem, Conſtitutiones,

Privilegia Societatis & aliorum Ordinum cenſentur conceſſa Generali, qui per ſe, vel alios poteſt illa quibusvis Sociis, poſtquam tria vota emiſerint, communicare.

ritus, mores, uſus, conſuetudines, normas, obſervationes, & procedendi modum, in prædictis Societatis Domibus, Collegiis, Congregationibus, concionibus, lectionibus, diſputationibus, cæremoniis, & aliis cujusvis generis actibus publicis, & privatis; ac denique ubique locorum uti, frui, potiri, gaudere, & illa exequi, ac in eis procedere poſſint: quodque privilegia, immunitates, exemptiones, facultates, conceſſiones, indulta, indulgentiæ, remiſſiones, gratiæ, & litteræ hujusmodi, nec non & ipſi Societati nominatim, vel ejus Præpoſito, aut perſonis, ſeu locis hactenus conceſſa, ſeu in poſterum concedenda, prædicto, & pro tempore exiſtenti Præpoſito Generali Societatis hujusmodi conceſſa eſſe intelligantur. Qui illa per ſe ipſum, vel

Nec aliter Socii privilegiis gaudent.

alium, ſeu alios ab eo, vel de ejus commiſſione, electos, ſeu eligendos, quibuſcumque locis, & perſonis dictæ Societatis, ſub ejusdem Societatis obedientia, emiſſis tribus votis etiam ſimplicibus, degentibus, prout magis expediens fuerit, communicare liberè & licitè valeat: Nec aliter ceteræ perſonæ dictæ Societatis prædictis privilegiis, facultatibus, & aliis præmiſſis, aut aliquo eorum, niſi per Generalem Præpoſitum, & de ejus beneplacito, aut per alium, ſeu alios de ejus commiſſione electos, ut præmiſſum eſt, uti, aut gaudere poſſint.

Privilegia celebrandi contractus aliis Religionibus conceſſa, & concedenda, Societati, nonnullis intervenientib. Sociis, conceduntur.

Et inſuper quòd omnia privilegia, aliaque præmiſſa aliarum Religionum, Capitulis, ſive Conventibus aut Congregationibus, tam in celebrandis quibusvis contractibus, quàm in quibuſcumque aliis actibus, tam publicis quàm privatis, per ejusmodi Capitula, ſive Conventus exerceri ſoli-

tis

tis hactenus conceſſa, & in poſterum concedenda, Congregationibus Societatis prædictæ, ejusque Domorum, Collegiorum, & locorum, congregatis, & intervenientibus illis dumtaxat, qui more Societatis prædictæ, & ſecundùm ejus Conſtitutiones & ſtatuta, regimen & adminiſtrationem Domorum & Collegiorum juvare & promovere ſolent; cujusmodi ſunt in generalibus Congregationibus qui ex diverſis Provinciis conveniunt, in univerſali autem totius Societatis adminiſtratione Generalis Præpoſitus cum ſuis Aſſiſtentibus; in rebus verò & negotiis Domorum & Collegiorum tractandis, Præpoſiti, aut Rectores, vel Vicepræpoſiti, aut Vicerectores, Miniſtri, Conſultores, & Procuratores, ſervato in ejusmodi Congregationibus peculiari ac proprio dictæ Societatis procedendi modo, conceſſa eſſe intelligantur: ac eo modo per Præpoſitum, & Societatem hujusmodi in quibuſcumque Domibus, Collegiis, & locis ubique terrarum obſervari, & ad praxim, ad uſum plenè & perfectè, ac validè deduci & referri valeant. Ne quis autem Apoſtolicorum indultorum prætextu regularem ac exemplarem inſtituti prædictæ Societatis diſciplinam, quam modis omnibus retineri & conſervari volumus, diſſolvere aut relaxare præſumat; non eſſe, nec fore unquam mentis noſtræ, aut Sedis Apoſtolicæ, ut perſonæ Societatis absque expreſsâ Superiorum ejusdem Societatis licentiâ, utantur facultatibus, quæ in Iubilæis, Bullis cruciatæ, Confeſſionalibus, aut aliis quibusvis Apoſtolicis indultis, ſive communitatibus, ſive privatis perſonis, ſive piis locis, aut quomodocumque aliter hactenus conceſſæ ſunt, aut in poſterum concedentur, etiamſi in illis expreſsè indulgeatur, ut omnes regulares, etiam Mendicantes, hujuſmodi facultatibus uti poſſint. Si quando autem uſus aliquarum ex præfatis facultatibus, perſonis ex dictâ Societate ab eisdem Societatis Superioribus concedetur, ut nulli earum liceat, niſi intra numerum eorum, qui ad confeſſiones perſonarum ejusdem Domus aut Collegii audiendas deputati ſunt, confesſarium eligere, niſi ratione itineris, aut alia de cauſſa, ab eisdem Superioribus aliis confeſſariis, intra aut extra Societatem, confitendi facultas ad id ſpecialiter daretur; Apoſtolicâ auctoritate, tenore præſentium perpetuò declaramus, ſtatuimus, & ordinamus: ſecusque facta, irrita & inania fore decernimus. Et quia ipſa Societas inter omnia Religionum inſtituta, ex peculiari, ac ſolemni voto ſpecialem curam habet, cauſſa ſalutis proximorum, per totum orbem diſcurrendi; ejus ſalutari miniſterio, & univerſi Chriſti gregis ſaluti conſulentes, omnibus, & ſingulis ipſius Societatis prædicatoribus,

GREG. XIII.

Confiteri non posſunt, præter quam ab eo deputatis ſine ſpeciali ejus facultate.

GREG. XIII. bus, ac confeſſariis ab aliquo ordinario ſemel approbatis, & à ſuis Superioribus ad hujusmodi munera deputatis, ut quandocumque, ſive mari, ſive terra, iter fecerint, populos, non repugnantibus tamen Curatis parochialium Eccleſiarum, prædicatione verbi Dei inſtruere, ac conſolari, & quorumcumque Chriſti fidelium, præſertim ægrotorum, & eorum qui in vinculis detinentur, confeſſiones audire, eisque pro commiſſis ſalutares pœnitentias injungere (dummodo id non faciant in ipſis oppidis aut locis, in quibus Ordinarii exiſtunt, niſi eorum licentia deſuper obtentâ) libere & licite valeant; eadem auctoritate, etiam perpetuò, de ſpeciali gratia concedimus. Et insuper facultatem aliàs Presbyteris Societatis prædictæ à Sede Apoſtolica conceſſam, commutandi vota etiam ad jurata, dummodò commutatio hujusmodi in alterius præjudicium non fiat, extendimus. Poſtremò conſiderantes quantæ Societati hujusmodi curæ ſit perfectio Divini cultus, quamque etiam ſæpè remotis in locis Collegia & Reſidentias habeat, Volumus, ut in Oratoriis & Capellis, quæ ipſius Societatis Provinciales per ſe in Domibus, Collegiis, & aliis locis, ubi aliqui Societatis reſidebunt, approbaverint, & ad Divinum dumtaxat cultum deputaverint, Miſſæ & alia Divina officia, alterius licentiâ deſuper minimè requiſitâ, celebrari poſſint. Et ſic in præmiſſis omnibus, & ſingulis, per quoſcumque Iudices & Commiſſarios, etiam cauſſarum Palatii Apoſtolici Auditores, ac Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales, in quavis cauſâ & inſtantiâ, ſublatâ eis, & eorum cuilibet, quavis aliter judicandi & interpretandi facultate & auctoritate, judicari & definiri debere, ac quidquid ſecus ſuper his à quoquam, quavis auctoritate, ſcienter vel ignoranter, contigerit attentari, irritum & inane decernimus. Quocircà venerabilibus Fratribus Patriarchis, Archiepiſcopis, & Epiſcopis, ac dilectis filiis eorum Vicariis in ſpiritualibus, aut officialibus generalibus, & curiæ cauſſarum Cameræ Apoſtolicæ generali Auditori; nec non Abbatibus, Prioribus, Præpoſitis, Decanis, Archidiaconis, Canonicis, & Capitulis, ac aliis, ad quos id quomodolibet ſpectat, & ſpectabit, per easdem præſentes mandamus, quatenus ipſi, vel duo, aut unus eorum per ſe, vel alium, ſeu alios præſentes litteras, & in eis contenta quæcumque, ubi, & quando opus fuerit, ac quoties pro parte dictorum Præpoſiti, & perſonarum Societatis hujusmodi, vel alicujus eorum fuerint requiſiti, ſolemniter publicantes, eisque in præmiſſis efficacis defenſionis præſidio aſſiſtentes, faciant eos præmiſſis omnibus, & ſingulis pacificè frui & gaudere, non permittentes eos deſuper

Socii ſemel approbati poſſunt ubiq; extra loca tamen ubi ordinarii exiſtunt, concionari, & confeſſiones audire, non repugnante Parocho.

Facultas Societatis commutandi vota, ad jurata extenditur, dummodo id in præjudicium alterius ne fiat.

In Societatis Oratoriis & Capellis, per Provinciales approbatis, Miſſa & Divina officia celebrari poſſunt.

Deputati Iudices.

per

per quoſcumque quomodolibet indebitè moleſtari. Contradictores quoslibet & rebelles per ſententias, cenſuras, & pœnas Eccleſiaſticas, aliaque opportuna juris & facti remedia, appellatione poſtpoſitâ, compeſcendo, legitimisque ſuper his habendis ſervatis proceſſibus, ſententias, cenſuras, & pœnas ipſas, etiam iteratis vicibus, aggravando, invocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſæcularis. Non obſtantibus præmiſſis, ac de non expediendis litteris ſuper indulgentiis ad inſtar, & de non tollendo jure quæſito, Cancellariæ Apoſtolicæ regulis, ac piæ mem. BONIFACII Papæ VIII. etiam prædeceſſoris noſtri de unâ, & Concilii generalis de duabus dietis, dummodò ultra tres dietas quis vigore præſentium ad judicium non trahatur; & aliis Apoſtolicis, nec non in Generalibus, Provincialibus, & Synodalibus Conciliis editis, generalibus, vel ſpecialibus Conſtitutionibus, & ordinationibus, ac quibusvis etiam juramento, confirmatione Apoſtolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & litteris Apoſtolicis quibuſcumque perſonis, per quoſcumque Romanos Pontifices prædeceſſores noſtros, ac Nos, & Sedem prædictam, etiam Motu proprio, & ex certâ ſcientia, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, & cum quibusvis irritativis, annullativis, caſſativis, revocativis, modificativis, præſervativis, exceptivis, declarativis, mentis atteſtativis, ac derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus & inſolitis clauſulis irritantibus, & aliis decretis, in genere, vel ſpecie, ac aliàs quomodolibet, etiam pluries conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis, etiam ſi in eis caveatur expreſſe, quod illis nullatenus, aut non niſi ſub certis modo & formâ in illis expreſſis derogari poſſit, pro illorum ſufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, & expreſſa mentio habenda, ſeu aliquâ alia exquiſita forma ad hoc ſervanda foret, tenores hujusmodi præſentibus pro expreſſis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat, ſpecialiter & expreſſe derogamus; contrariis quibuſcumque, aut ſi aliquibus communiter, vel diviſim ab eadem ſit Sede indultum, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint per litteras Apoſtolicas non facientes plenam & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem. Volumus autem quod tranſumptis earumdem præſentium tranſumptis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo alicujus perſonæ in dignitate Eccleſiaſticâ conſtitutæ, ſeu etiam ipſius Societatis munitis, eadem prorſus fides in judicio & extra adhibeatur,

GREG. XIII.

Non obſtantibus, &c.

Tranſumptis habeatur fides.

GREG. XIII. quæ ipſis originalibus litteris adhiberetur, ſi forent exhibitæ vel oſtenſæ. Datum Romæ apud S. Petrum, ſub annulo Piſcatoris, die III Maji, anno milleſimo quingenteſimo ſeptuageſimo quinto, Pontificatus noſtri anno tertio.

Io. Bapt. Canobius.

GREGORII XIII. FACVLTAS

Medendi citra aduſtionem, & inciſionem, &c. pro medicinæ peritis. ANNO M. D. LXXVI.

GREGORIVS PAPA XIII. *Ad futuram rei memoriam.*

VNigeniti Dei Filii, Redemptoris noſtri IESV Chriſti vices, licet immeriti, gerentes in terris; animarum ſalutem, quibus poſſumus mediis, ſedulò procuramus. Cùm itaque, ſicut experientiâ compertum eſt, Chriſti fideles ad Religionem & pietatem plurimùm moveantur, ſi ſpirituales & religioſas perſonas in ipſos & alios caritatis officia non ſolùm ad animarum, ſed etiam corporum ſalutem exercere experiantur; In Societate autem IESV, ſicut accepimus, non deſint aliqui Religioſi, medicinæ periti, quorum opera maximè in regionibus medicorum penuriâ laborantibus, dum ſæpe ad infirmis ſpiritualia exhibendum officia, & animas juvandas vocantur, etiam ægris corporibus curandis poſſet eſſe perutilis, & id pietatis opus in animarum quoque non modicam ædificationem, & omnipotentis Dei laudem redundaret; Vt igitur Religioſi præfati id absque aliquarum cenſurarum, ſeu pœnarum incurſu, & conſcientiæ ſcrupulo valeant exercere; omnibus & ſingulis præfatæ Societatis IESV Religioſis medicinæ peritis, nunc vel in futurum pro tempore exiſtentibus, ut de ſuorum Superiorum licentiâ, quibuscumque perſonis infirmis, ſive illæ ejusdem Societatis Religioſi, ſive extranei, & ſæculares fuerint, absque aliquo conſcientiæ ſcrupulo, aut aliquarum cenſurarum & ſententiarum Eccleſiaſticarum, vel aliarum pœnarum incurſu, citra tamen aduſtionem, & inciſionem per ſeipſos faciendam, mederi liberè & licite valeant, Apoſtolicâ auctoritate, tenore præſentium, quando tamen medici ſæculares commodè haberi non poſſunt, indulgemus: & ad id licentiam & facultatem eis concedimus & impertimur. Non obſtantibus quibusvis

Medendi facultas de Superiorum licentiâ.

Citra aduſtionem & inciſionem.

Quando ſæculares Medici commodè haberi non poſſunt.

vis Conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ac dictæ Societatis, juramento, confirmatione Apoſtolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, ceteriſque contrariis quibuſcumque. Datum Romæ, apud S. Petrum, ſub annulo Piſcatoris, die XI. Februarii, anno milleſimo quingenteſimo ſeptuageſimo ſexto, Pontificatus noſtri anno quarto. GREG. XIII.

Cæ. Glorierus.

GREGORII XIII.
EXEMPTIO
Societatis à publicis ſupplicationibus.
ANNO M. D. LXXVI.

GREGORIVS PAPA XIII. *Ad perpetuam rei memoriam.*

QVæcumque ſacrarum Religionum inſtituta offendere, & illarum perſonarum functiones, & ſalutaria miniſteria retardare noſcuntur, noſtrum nos incitat officium de medio removere. Sanè licet, ſicut accepimus, dilecti filii Præpoſitus Generalis, & alii Presbyteri religioſi Societatis IESV, ab illius primæva erectione, à Sede hac Apoſtolica juxta Divinæ vocationis directionem emanata, & per Nos confirmata, ad Divinum officium privatim tantùm, & non in communi, ſeu in choro recitandum teneantur; ac propter ipſius Societatis tam multa Collegia, & Seminaria, quæ ſpecialem poſtulant inſtituti religioſi modum, nec non miniſteriorum illius amplitudinem, ac difficultatem, & in Eccleſia Dei utilitatem, ex antiquâ conſuetudine jam inde ab hujuſmodi erectione receptâ obſervatum; decretoque etiam generalis eorum Congregationis deſuper edito, ne ad publicas ſupplicationes, ſeu proceſſiones quivis ex illius perſonis accederet, niſi ubi propter hæreticorum, vel gentilium converſionem, aut aliàs expediens eſſe, pro tempore exiſtens Generalis ipſius Societatis Præpoſitus judicaret, ordinatum fuerit; Nihilominùs nonnulli locorum Ordinarii, forſan Concilii Tridentini auctoritate & decreto moti, dictos Presbyteros ad ſupplicationes prædictas procedere nuper coëgerunt, non ſine illorum functionum ac miniſteriorum retardatione. Nos igitur, qui præfatos Presbyteros & religioſos dictæ Societatis à ſtudiis, lectionibus, prædicationibus, confeſſionibus audiendis, & aliis verbi Dei miniſteriis, ac pietatis operibus, quibus continuè laudabiliter

GREG. XIII. incubuerunt, & incumbere non deſiſtunt, quavis ex cauſſa diſtrahi nolumus; conſiderantes in Eccleſiâ Dei non deeſſe alios Ordines religionum, qui vel ex inſtituto, vel absque propriarum functionum impedimento, ſupplicationibus hujusmodi intereſſe, aliaque publica Divina officia exercere, ſanctè, continenterque valeant; in præmiſſis opportunè providere, ipſosque Præpoſitum, Presbyteros, & eorum ſingulos ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequi volentes, & à quibusvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliisque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis, à jure vel ab homine quavis occaſione vel cauſſa latis, ſi quibus quomodolibet innodati exiſtunt, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes & abſolutos fore cenſentes; Motu proprio, non ad dictorum Præpoſiti, & Presbyterorum, vel aliorum pro eis nobis ſuper hoc oblatæ petitionis inſtantiam, ſed de noſtrâ merâ deliberatione, Præpoſitum, ac omnes & ſingulos Presbyteros, ac religioſos, & perſonas alias omnes dictæ Societatis ubique locorum exiſtentes, ab intereſſentiâ ſupplicationum, ſeu precum, aut proceſſionum hujuſmodi, Apoſtolicâ auctoritate, tenore præſentium, perpetuò eximimus & liberamus: Diſtrictiùs inhibentes quibusvis locorum Ordinariis, etiam Patriarchali, vel Archiepiſcopali dignitate, ac etiam Cardinalatus, & legationis Sedis Apoſtolicæ honore præfulgentibus, & aliis perſonis quacumque auctoritate fungentibus, ne modernos, & pro tempore exiſtentes Præpoſitum, & alios Presbyteros, & Religioſos Societatis hujusmodi, ad proceſſionibus præfatis intereſſendum quavis occaſione, cauſſa, ſeu quovis prætextu, ingenio, vel colore, directè vel indirectè, mediatè vel immediatè cogere, aut eos deſuper præmiſſis moleſtare, perturbare, vel inquietare, ſeu moleſtari, perturbari, aut inquietari facere audeant, vel præſumant, ſeu permittant. Quocircà Venerabilibus Fratribus Patriarchis, Archiepiſcopis, & Epiſcopis, ac dilectis filiis eorum Vicariis in ſpiritualibus, aut officialibus generalibus, & curiæ cauſſarum Cameræ Apoſtolicæ generali Auditori, nec non Abbatibus, Prioribus, Præpoſitis, Decanis, Archidiaconis, Canonicis, & Capitulis, ac aliis, ad quos id quomodolibet ſpectat, & ſpectabit, per easdem præſentes mandamus, quatenus ipſi, vel duo, aut unus eorum, per ſe vel alium, ſeu alios, præſentes litteras, & in eis contenta quæcumque, ubi & quando opus fuerit, ac quoties pro parte dictorum Præpoſiti, Presbyterorum, & religioſorum Societatis hujusmodi, vel alicujus eorum fuerint requiſiti, ſolemniter publicantes, eisdem in præmiſſis efficacis defenſionis præſidio

Univerſa Societas a publicis ſupplicationibus eximitur.

Inhibentur Ordinarii omnes.

ſidio aſſiſtentes, faciant eos præmiſſis omnibus & ſingulis pacificè frui & gaudere, non permittentes eos deſuper per quoſcumque quomodolibet indebitè moleſtari. Contradictores quoslibet & rebelles per ſententias, cenſuras, & pœnas Eccleſiaſticas, aliaque opportuna juris & facti remedia, appellatione poſtpoſita, compeſcendo; legitimisque, ſuper his habendis, ſervatis proceſſibus, ſententias, cenſuras, & pœnas ipſas, etiam iteratis vicibus aggravando; invocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſæcularis. Non obſtantibus fel. record. BONIFACII Papæ VIII. prædeceſſoris noſtri de unâ, & Concilii Generalis de duabus dietis, dummodo non ultra tres dietas quis vigore præſentium, ad judicium trahatur; & aliis Apoſtolicis, nec non in generalibus, provincialibus, & ſynodalibus Conciliis editis, generalibus vel ſpecialibus Conſtitutionibus & ordinationibus, ceterisque contrariis quibuſcumque. Aut ſi aliquibus communiter, vel diviſim ab Apoſtolicâ ſit Sede indultum, quòd interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint per litteras Apoſtolicas non facientes plenam & expreſſam, ac de verbo ad verbum, de indulto hujusmodi mentionem. Volumus autem, quòd earumdem præſentium tranſumptis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo alicujus perſonæ in dignitate Eccleſiaſticâ conſtitutæ, ſeu etiam Præpoſiti ipſius Societatis munitis, eadem prorſus fides in judicio & extra adhibeatur, quæ ipſis originalibus litteris adhiberetur, ſi forent exhibitæ vel oſtenſæ. Datum Romæ apud S. Petrum, ſub annulo Piſcatoris, die XVI. Julii, M. D. LXXVI. Pontificatus noſtri anno quinto.

GREG. XIII.

Non obſtantibus, &c.

Tranſumptis habeatur fides.

Cæ. Glorierius.

GREGORII XIII. CONFIRMATIO

Et extenſio privilegii Societatis, ædificandi & habitandi ubique, etiam intra cannas aliorum Ordinum.

ANNO M. D. LXXVI.

GREGORIUS PAPA XIII. *Ad futuram rei memoriam.*

SAlvatoris Domini noſtri IESU CHRISTI, qui caritas eſt & Deus pacis, his in terris vices, licet immeriti, gerentes; ea quæ pacis ſunt, præſertim

cùm

GREG. XIII. cùm militantis Eccleſiæ firmamentum, omnisque filiæ Sion decor, in animorum conjunctione, pace, & tranquillitate verſetur, nosque unum in Chriſto corpus ſimus; pro noſtri debiti officio, tamquàm ipſius myſtici corporis caput, quærentes, litium quarumvis, quæ fraternam dilectionem lacerant, maxime verò quæ inter religioſas perſonas ventilantur, occaſionibus obviamus exortasque, quantum cum Deo poſſumus, conſopimus. Sanè, ut accepimus, licet dilecti filii Presbyteri venerabilis Societatis IESV, in vineâ Domini, tamquam fructiferi palmites, in toto ferè orbe, tam in continendis in viâ mandatorum Chriſti fidelibus, infirmis in fide conſolidandis, ægrotisque ſanandis, confractis alligandis, & abjectis reducendis, ovibusque diſperſis, & lupis veſpertinis, leonumque famelicis catulis, in devorationem expoſitis, reclamandis, & defendendis; quàm etiam iis, quæ extra ovile Chriſti, ſacroſanctique Imperii noſtri tutelam, ſub ignorantiæ jugo in obſcuris & tenebricoſis locis ac deſertis, per montuoſas ac difficiles vias aberrant, convertendis; & ad nationes Catholicâ religione imbutas, & ad immanes, barbarasque Divini cultus, politicique ornatus ignaras gentes, ferino potiùs quàm humano more viventes, ſeſe extendentes, optimum & uberrimum fructum attulerint, & in dies majori cum ſollicitudine afferre, zizania extirpare, bonum ſemen renovare, plantare, terrasque incultas Evangelico ſulco, ac Eccleſiaſticæ diſciplinæ vomere eruderare non ceſſent; Ac dudum propter ipſius Societatis tam utiles, tamque neceſſarias functiones, quæ tum in Domibus per frequentem Pœnitentiæ & Euchariſtiæ ſacramentorum adminiſtrationem, & ad eorum frequentationem ſectandam exhortationem, prædicationemque, & ſpiritualia exercitia, ac alia verbi Dei miniſteria, tum in Collegiis per lectiones tam bonarum litterarum, quàm Philoſophiæ etiam, & Theologiæ, ad juventutem bonis moribus & litteris imbuendam, ex ipſius Societatis primævâ inſtituti erectione, ac Divinâ vocatione, magno Dei beneficio, & Eccleſiæ ſpirituali emolumento exercet; Felicis recordationis PAVLVS Papa Tertius ſpeciali privilegio, ut quæcumque Domos, Eccleſias, & Collegia ædificare, vel conceſſa recipere & inhabitare poſſet, indulſerit; Et deinde piæ memoriæ IVLIVS etiam Papa Tertius, Indultum hujusmodi confirmaverit; & ſucceſſivè recolendæ memoriæ PIVS Quartus prædeceſſores noſtri idem Indultum, etiam intra centum quadraginta cannas ordinum Mendicantium, de novo conceſſerit; Nosque poſtremò, cùm lis & cauſſa, ſeu controverſia, aut quæſtionis materia deſuper occaſione certæ domus per ipſos Presby-

Commendatio Societatis.

Miniſteriorum Societatis utilitas ac neceſſitas.

Privilegia Pauli III.

Iulii III.

Et Pii IV.

Presbyteros à dilecto filio Comite de Orgaz Toleti emptæ, conceſſionem GREG. XIII. ejusdem PII prædeceſſoris confirmantes, emptionem dictæ domus rectè factam, & in ea Presbyteros ipſos habitare poſſe & debere declaraverimus; & aliàs, prout in ſingulis litteris Apoſtolicis, deſuper confectis, pleniùs continetur; Nihilominùs præfati Presbyteri à diverſis dictorum Ordinum religioſis diverſimode, vigore ſeu prætextu privilegiorum hujusmodi cannarum, adhuc prout de facto, tam in Mexicana, quam in Guaxicana Novæ Hiſpaniæ civitatibus, non ſine animi noſtri diſplicentia, moleſtantur, imò & excommunicationis ſententiâ interdum feriuntur, in Chriſtiani populi ſcandalum non modicum. Nos igitur attendentes dictam Societatem, quæ quàmvis Collegia habeat annexa, & hæc reditus pro ſtudentium neceſſitate habere poſſint, inter Mendicantium Ordinum religiones, per ſanctæ memoriæ PIUM Papam Quintum ſimiliter prædeceſſorem noſtrum, per quasdam ſuas in formâ Brevis litteras, ſub die ſeptimâ menſis Iulii, Pontificatus ſui anno ſexto, expeditas, aſcripta & declarata, ac privilegiorum Ordinum Mendicantium particeps effecta fuit, ex ejus inſtituto, & Conſtitutionibus Apoſtolicâ auctoritate confirmatis bona ſtabilia poſſidere non poſſe; ſed incertis eleemoſynis, fideliumque largitionibus & ſubventionibus vivere, nec minùs, quàm ceteros Mendicantes Ordines, in excolendâ vineâ Domini aſſiduè laborare, imò nec alios juxta ſe domos & monaſteria ædificare prohibere, neve ullum, aut certe quàm minimum præjudicium aliis religioſorum monaſteriis ex Societatis Domorum, Collegiorum & Eccleſiarum vicinitate provenire, ex eo quòd, propter diverſam functionum & inſtituti rationem, Societas ipſa nec chori uſum habet, nec ad funerales aſſociationes accedit, nec defunctorum funera, niſi rara, nulla item Miſſarum vel ſepulchralia ſtipendia, nullas ſepulchrorum vel capellaniarum fundationes, nullam denique prorſus eleemoſynam, quæ ad quoduis ipſius Societatis miniſterium vel opus dirigi intelligatur, admittit; Ac, prout noſtrum Nos invitat officium, inconvenientibus hujusmodi obviare, ac ſcandala quæcumque, & contentionum, præcipuè inter religioſas perſonas, occaſiones removere; nec non tám ſalubribus dictæ Societatis miniſteriis, quæ pro eorum dignitate, ac majori fidelium fructu, in locis aptis, ubi major ſeges, & frequentior populi conſuetudo viget, exerceri & miniſtrari debent, viam potiùs aperire, quàm impedimenta ulla obiici permittere volentes, Motu proprio, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, non ad alicujus nobis ſuper hoc oblatæ

Societas declarata eſt Mendicans.

GREG. XIII. petitionis inſtantiam, ſed de noſtrâ merâ deliberatione, eosdem Presbyteros, eorumque ſingulos, à quibusvis excommunicationis, ſuſpenſionis & interdicti, aliisque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis à jure, vel ab homine quavis occaſione, vel causâ latis, ſi quibus quomodolibet innodati exiſtunt, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutos fore cenſentes, ac ſuprà dictarum litterarum, nec non & aliorum Ordinum privilegiorum, & in eis contentarum clauſularum tenores, ac alia etiam forſan circa præmiſſa de neceſſitate exprimenda, præſentibus pro expreſſis habentes; ac privilegia dictorum Ordinum ſuper non ædificatione intra dictas cannas, quo ad dictam Societatem tantùm, ſuſpendentes, revocantes, ac invalidantes, ſilentium perpetuum quibusvis ſuper præmiſſis, aut eorum aliquo vigore cujusvis confirmationis, aut ampliationis, & de novo conceſſionis dictarum cannarum à Sede Apoſtolicâ quomodolibet, & pari motu, etiam conſiſtorialiter, ac cum quibusvis præſentium derogationibus, ſpecificè factis, obtentarum, & in futurum obtinendarum, contra præſentium tenorem venientibus, imponentes; eisdem Presbyteris, & Societati ut quæcumque Domos, Collegia, Eccleſias, & alia ædificia erigere, ac per eos ubivis locorum erecta inhabitare, ac quæcumque loca, Domos, Eccleſias, Oratoria, & alia cujuscumque ſtructuræ ædificia, ſibi quomodolibet relicta vel oblata recipere, acceptare, emere, poſſidere, & retinere; ac in eis omnia & ſingula functiones, lectiones, & miniſteria, in aliis ejusdem Societatis Domibus, Collegiis, Eccleſiis, & aliis locis fieri, & exerceri ſolita, habere, facere & exercere liberè & licitè poſſint & valeant, earumdem præſentium tenore ſpecialis dono gratiæ concedimus & indulgemus. Eosque à quibusvis cenſuris & pœnis, in illos præmiſſorum occaſione forſan latis, abſoluimus. Nec non indulta per PAVLVM, IVLIVM, & PIVM prædeceſſores noſtros prædictos, & Nos eis, ut præfertur, conceſſa & confirmata, cum omnibus & ſingulis in eis contentis conceſſionibus, privilegiis, facultatibus, prærogativis, & aliis gratiis, declarationibus, & derogationibus, aliisque quibusvis, etiam derogatoriarum derogatoriis, irritantibusque, & aliis decretis & clauſulis, approbamus & confirmamus, illisque perpetuæ & inviolabilis firmitatis robur adiicimus. Nec non oppoſitionem & contradictionem quorumcumque quovis titulo, vigore, prætextu, colore ipſis Presbyteris præjudicium afferre, ac præſentes litteras de obreptionis vel ſubreptionis vitio, aut intentionis noſtræ defectu notari, vel impugnari, ſuſpendi, revocari, annullari, invalidari,

Privilegia cannarum, quoad Societatem, revocantur.

Perpetuum ſilentium imponitur, non obſtante quacumque novâ conceſſione aut confirmatione, etiam obtinendâ.

Facultas ædificandi & habitandi ubique.

Privilegia Societatis circa hoc confirmantur.

Hæ litteræ ſurreptionis argui non poſſunt.

dari, aut ad viam juris reduci, vel contra illas attentari non poſſe, neque debere; ſed illas perpetuò validas, efficaces, & illibatas exiſtere: & ubi aliquid contra eas extorqueri & obtineri contigerit, illas nihilominùs in ſuo pleno & integro robore, absque eo quòd deſuper impetranda ſit à Sede prædictâ illarum confirmatio, reſtitutio, revalidatio, vel nova conceſſio, permanere: irritumque & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam, quavis auctoritate, ſcienter vel ignoranter, attentatum forſan eſt hactenus, vel in poſterum contigerit attentari, decernimus. Ac quasvis excommunicationis ſententias, vigore talium privilegiorum cannarum, contra dictos Presbyteros vel Societatem latas & ferendas, eos vel eorum aliquem nullatenus afficere poſſe declaramus. Quocircà univerſis & ſingulis venerabilibus Fratribus Patriarchis, Archiepiſcopis, Epiſcopis, ac dilectis filiis Abbatibus, Prioribus, & aliis perſonis in dignitate Eccleſiaſticâ conſtitutis, per præſentes pari motu mandamus, quatenus ipſi, vel eorum quilibet, per ſe, vel alium, ſeu alios, præſentes litteras, & in eis contenta quæcumque, ubi & quando opus fuerit, & quoties pro parte dictorum Presbyterorum, aut alterius eorum fuerint requiſiti, ſolemniter publicantes, eisque in præmiſſis efficacis defenſionis præſidio aſſiſtentes, faciant auctoritate noſtrâ eos decreto, confirmatione, indulto, aliisque præmiſſis pacificè gaudere; ac easdem præſentes litteras, & in eis contenta quæcumque perpetuò inviolabiliter obſervari. Non permittentes eos ſuper eisdem præmiſſis, vel eorum aliquo, per quorumcumque Ordinum, etiam Mendicantium, religioſos, ſeu locorum Ordinarios, aut alios quoscumque Iudices, & perſonas, cujuscumque ſtatus, gradus, ordinis, & conditionis exiſtant; & quacumque etiam Pontificali, Regiâ, vel aliâ auctoritate fungantur, publicè vel occultè, directè vel indirectè, tacitè vel expreſſè, quovis quæſito colore vel ingenio, impediri, moleſtari, perturbari, vel aliàs quomodolibet inquietari. Contradictores quoslibet & rebelles per cenſuras Eccleſiaſticas, & alia opportuna juris remedia, appellatione poſtpoſitâ, compeſcendo; invocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſæcularis. Non obſtantibus præmiſſis, ac piæ memoriæ BONIFACII Papæ VIII. etiam prædeceſſoris noſtri de unâ, & in Concilio Generali de duabus dietis, dummodò non ultra tres dietas quis auctoritate præſentium ad judicium trahatur, aliisque Conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis; nec non dictorum Ordinum, etiam juramento, confirmatione Apoſtolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quo-

GREG. XIII.

Cenſuræ deſuper latæ vel ferendæ Socios non afficiunt.

Deputantur Iudices.

Non obſtantibus, &c.

GREG. XIII. que, indultis, & litteris Apoſtolicis, eisdem ordinibus, illorumque Superioribus, & perſonis, etiam ſuper non ædificandis Eccleſiis, Domibus, Collegiis, & aliis ædificiis aliarum Religionum intra centum quadraginta cannas ab eorum cœnobiis, & conventibus, vel Monaſteriis, & Domibus; ac aliis ſub quibuscumque tenoribus, & formis, per quoscumque Romanos Pontifices conceſſis, confirmatis, & innovatis; ac omnibus aliis, quæ Nos, & prædicti prædeceſſores noſtri in ſingulis litteris prædictis volumus non obſtare. Quibus omnibus, etiamſi pro illorum ſufficienti derogatione, de illis eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, expreſſa, & individua, ac de verbo ad verbum, non tantùm per clauſulas generales idem importantes, mentio, ſeu quævis alia expreſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ſervanda foret, tenores illorum, acſi de verbo ad verbum, nihil penitùs omiſſo, & formâ in illis traditâ obſervata, inſerti forent, præſentibus pro expreſſis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat, motu ſimili, ſpecialiter & expreſſè derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque. Aut ſi aliquibus communiter, vel diviſim ab eadem ſit Sede indultum, quòd interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint per litteras Apoſtolicas non facientes plenam & expreſſam, ac de verbo ad verbum, de indulto hujusmodi mentionem. Volumus autem, & eadem auctoritate decernimus, quòd ipſarum tranſumptis manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo alicujus Prælati, vel perſonæ in dignitate Eccleſiaſticâ conſtitutæ, aut Curiæ Eccleſiaſticæ, vel etiam Generalis Præpoſiti ipſius Societatis munitis, in judicio, & alibi, ubi opus fuerit, eadem prorſus fides adhibeatur, quæ adhiberetur eisdem præſentibus, ſi forent exhibitæ vel oſtenſæ. Datum Romæ apud S. Petrum, ſub annulo Piſcatoris, die xxx. Octobris, M. D. LXXVI. Pontificatus noſtri anno quinto.

Tranſumptis habeatur fides.

Cæ. Glorierius.

GRE-

GREGORII XIII.
FACVLTAS

Alienandi in euidentem utilitatem, juxta Societatis Conſtitutiones.

ANNO M. D. LXXVI.

GREGORIVS PAPA XIII. *Ad perpetuam rei memoriam.*

APoſtolicæ Sedis circumſpecta benignitas, in quarumvis Religionum, præſertim earum quæ gregi Dominico invigilant, ac prædicationibus & lectionibus, cùm humanis tum ſacris, inſiſtunt; commodis & utilitatibus conſequendis, providentiæ ſuæ auctoritatem interponit, & quanto poteſt favore proſequitur. Sanè dilectus filius Everardus Mercurianus Præpoſitus Generalis Societatis IESV, nobis nuper exponi fecit, quòd, cùm litteris tam felic. record. PAVLI III. quàm piæ memoriæ IVLII etiam Tertii, Romanorum Pontificum prædeceſſorum noſtrorum, in favorem dictæ Societatis emanatis, & per dictorum Pontificum Succeſſores, & Nos reſpective confirmatis, ac ejusdem Societatis Conſtitutionibus, omnimoda Collegiorum illius, ac etiam temporalium bonorum ad ipſa Collegia ſpectantium gubernatio ad pro tempore exiſtentem Præpoſitum Generalem, vel ipſam Societatem, ita tamen quòd in ipſius Præpoſiti, aut profeſſæ Societatis, vel alios quàm ipſorum Collegiorum uſus, bona hujusmodi expendi aut diſtrahi non poſſint, ſed in ſtudentium utilitatem ſic converti, ut illis dictis bonis abuti non valeant, ſpectare & pertinere dignoſcatur; indeque fiat, ut Collegia ipſa capitulariter nullo modo congregentur, ſed omnis facultas celebrandi contractus, prout per eaſdem Conſtitutiones, ac etiam primam ipſius Societatis generaliter habitam Congregationem ſtabilitum & declaratum fuit, penes eumdem Præpoſitum pro tempore exiſtentem reſideat. Cumque etiam dicta Societas, quæ Ordo Mendicans exiſtit, aliorum Ordinum Mendicantium ſuper contractibus ineundis, à Sede Apoſtolicâ conceſſis privilegiis gaudeat; Nosque eisdem Everardo Præpoſito, & Societati, ut intervenientibus illis dumtaxat, qui more Societatis prædictæ, & ſecundùm ejus Conſtitutiones & ſtatuta, regimen, & adminiſtrationem Domorum, & Collegiorum juvare & promovere ſolent, ſervato in ejusmodi Congregationibus peculiari, ac proprio dictæ Societatis procedendi modo, privile-

Conceſſio alia Gregorii XIII. *de quâ pag.* 72.

GREG. XIII. vilegiis illis utendi, nec non contractus ineundi licentiam & facultatem conceſſerimus, prout in ſingulis litteris Apoſtolicis deſuper confectis pleniùs continetur. Tamen quia nec modus ille quis ſit, nec omnes, per quos Præpoſitus Generalis facultatem hujuſmodi alioqui exercere poteſt, in dictis noſtris litteris ſatis expreſſi fuêre; ac etiam quia eidem Societati privilegiis & litteris Apoſtolicis hujuſmodi, tum quòd variis litteris & munimentis conceſſa ſunt, uti & illa ad ſingulos contractus ineundos afferre diſpendioſum moleſtumque exiſtit; tum quòd in nonnullis regionibus emphiteuſes ad tres vitas concedi ſolent, nec particulares homines illas ad brevius tempus accipere facilè adducuntur; Et propterea, ac etiam ex eo quòd nonnumquàm pro Collegiorum ipſorum, nec non Domorum probationis, vel aliorum locorum ejusdem Societatis neceſſitate, bona hujuſmodi locare, alienare, permutare, vel in emphiteuſim, ſeu livellum dare expedit; ac quandoque contingit, ut conditio ſemel oblata, ſi prætermittatur, non paruam afferat jacturam; pro parte dicti Everardi Præpoſiti nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut præmiſſa omnia pleniùs declarare, & aliàs in eisdem opportunè providere de benignitate Apoſtolicâ dignaremur. Nos igitur, qui operarios in vinea Domini, præſertim pondus diei & æſtus ſuſtinentes, ſincero proſequimur affectu, noſtrarum ac eorumdem prædeceſſorum noſtrorum litterarum, nec non Societatis prædictæ Conſtitutionum, aliorumque præmiſſorum tenores præſentibus pro expreſſis habentes; & eumdem Præpoſitum, ac dictæ Societatis ſingulares perſonas à quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis, à jure vel ab homine quavis occaſione vel cauſâ latis, ſi quibus quomodolibet innodati exiſtunt, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutos fore cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, eisdem Societati, ac Generali Præpoſito moderno & pro tempore exiſtenti, ut ex nunc de cetero perpetuis futuris temporibus, informatione de contractibus ineundis per litteras, vel aliàs, prout ipſe Generalis ſtatuerit, à ſubordinatis localibus Præpoſitis, vel Rectoribus, aut Præfectis, ſeu eorum Viceſgerentibus, vel à Provincialibus, ſeu Viſitatoribus, aut Commiſſariis, vel ab aliis ſibi benè viſis, auditis juxta eorum inſtitutum Conſultoribus, acceptâ; quæcumque Domorum, tum Profeſſarum tum Probationis, Collegiorum, & aliorum locorum ejusdem Societatis ubilibet conſiſtentium bona ſtabilia & immobilia, ſeu quaſi ſtabilia, nec non & pretioſa mobilia, cujuſcum-

Generalis, informatione acceptâ, quæcumque bona Domorum & Collegiorum in euidentem eorum utilitatem alienare poteſt.

cumque qualitatis & quantitatis ac valoris,& in quocumque loco poſita,pro GREG.XIII.
pretio,& ſub pactis,conditionibus,modis,& formis hinc inde conveniendis, in evidentem tamen Domorum & Collegiorum hujusmodi utilitatem, per ſe,vel alium ſeu alios,vendere,alienare, permutare, ac etiam in emphiteuſim, ſeu livellum ad tres generationes, vel nominationes tantùm,ſeu aliud longum tempus pro affictu ſibi benè viſo concedere,abſque aliâ à nobis,vel ſucceſſoribus noſtris Romanis Pontificibus pro tempore exiſtentibus, aut Sede prædictâ, vel illius de latere Legatis, ſeu Nuntiis, aut etiam locorum Ordinariis petendâ vel obtinendâ licentiâ,ſeu confirmatione, liberè & licitè poſſit & valeat,concedimus & indulgemus.Ita tamen,quòd ſi ex ejusdem Generalis Præpoſiti facultate, pro rerum exigentiâ, opus ſit, in Europæ videlicet Provinciis, ante datam eidem Præpoſito informationem,contractus alienationum fieri,dominium nihilominùs,& poſſeſſio bonorum quorumvis,ſuper quibus contractus hujusmodi initi fuerint,penes Domos, Collegia,ac loca prædicta,donec ipſe Generalis rem confirmaverit,aut ſuum conſenſum deſuper præſtiterit,remaneat,ac remanere intelligatur. In Indiis verò,& aliis extra Europam regionibus,contractuum hujusmodi confirmatio ipſis Provincialibus, aut Viceprovincialibus,Viſitatoribus, ſeu Commiſſariis, ſimili per eos informatione acceptâ,committi poſſit ab ipſo Generali Præpoſito, aliàs,& in eventum,in quem ordo ſupraſcriptus non fuerit obſervatus, venditio, alienatio, permutatio,locatio,& concesſio,ac contractus,nec non inde ſecuta quæcumque,nulla & invalida,nulliusque roboris ac momenti exiſtant. Ac ita in præmisſis ſic perpetuò declaramus,& decernimus. Et nihilominùs ex nunc,prout ex tunc,& è contrà poſtquàm venditiones,alienationes,permutationes,locationes,concesſiones,ac contractus pro tempore, ut præmittitur,facti,& per dictum Præpoſitum Generalem approbati & ratificati fuerint,ſeu conſenſus ejusdem Præpoſiti Generalis intervenerit,eaſdem venditiones, alienationes, permutationes, locationes,concesſiones, & contractus,& inde ſecuta quæcumque, nec non inſtrumenta, & ſcripturas deſuper pro tempore confecta Apoſtolicâ auctoritate approbamus & confirmamus,ac perpetuæ firmitatis robur obtinere debere ſtatuimus; omneſque & ſingulos tam juris, quàm facti defectus,ſi qui forſan intervenerint quomodolibet,in eisdem ſupplemus. Decernentes ea omnia,abſque alio,deſuper ordinariâ,vel Apoſtolicâ,aut aliâ auctoritate, ſeu de Sedis Apoſtolicæ commisſione faciendo examine,ac præſentes, & in eis contenta, validas & efficaces, vali-

In emphiteuſim ad tres generationes tantùm.

Abſque aliâ confirmatione.

Extra Europam contractuum confirmationes committere poteſt.

Approbantur ex nunc auctoritate Apoſtolica contractus ſic facti.

GREG. XIII. validaque & efficacia, perpetuò fore, nec non ab omnibus obſervari debere; ipſoſque contrahentes ad contractuum, & ſtipulatarum conventionum obſervationem omnino teneri; ac ſuper præmisſis, & inde ſecutis quibuscumque per quoscumque quavis auctoritate, quomodolibet moleſtari, vel impediri non poſſe: Nec non irritum & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam, quavis auctoritate, ſcienter vel ignoranter, contigerit attentari. Quocircà venerabilibus Fratribus Patriarchis, Archiepiſcopis, & Epiſcopis, ac dilectis filiis eorum in ſpiritualibus Vicariis, aut officialibus generalibus, & Curiæ cauſſarum Cameræ Apoſtolicæ generali Auditori, nec non Abbatibus, Prioribus, Præpoſitis, Decanis, Archidiaconis, Canonicis, & Capitulis, ac aliis, ad quos id quomodolibet ſpectat, & in futurum ſpectabit, per easdem præſentes committimus & mandamus, quatenus ipſi, vel duo, aut unus eorum per ſe, vel alium, ſeu alios, præſentes litteras, & in eis contenta quæcumque, ubi & quando opus fuerit, ac quoties pro parte Generalis Præpoſiti, vel aliarum perſonarum ejusdem Societatis, aut alicujus eorum, ſuper his fuerint requiſiti, ſolemniter publicantes; eisque & eorum cuilibet in præmisſis efficacis defenſionis præſidio asſiſtentes, faciant eosdem præſentes & in eis contenta quæcumque ab omnibus, quos illa concernunt, integrè & inviolabiliter obſervari. Non permittentes eos, aut eorum aliquem deſuper contra earumdem præſentium tenorem, quomodolibet indebitè moleſtari. Contradictores quoslibet & rebelles per ſententias, cenſuras, & pœnas Eccleſiaſticas, aliaque opportuna juris & facti remedia, appellatione poſtpoſitâ, compeſcendo, legitimiſque ſuper his habendis ſervatis procesſibus, ſententias, cenſuras, & pœnas ipſas, etiam iteratis vicibus, aggravando; invocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſæcularis. Non obſtantibus felicis recordationis BONIFACII VIII. de unâ, & in Concilio generali editâ de duabus dietis, dummodò ultra tres dietas quis vigore præſentium ad judicium non trahatur; & piæ memoriæ SYMMACHI, ac PAULI II. prædeceſſorum noſtrorum, de rebus Eccleſiæ non alienandis, vel alienatis recuperandis, aliisque Conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis; nec non quibuſvis etiam juramento, confirmatione Apoſtolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis & litteris Apoſtolicis quibusvis ſub quibuscumq; tenoribus & formis, ac cum quibuſvis, etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus & inſolitis clauſulis, ac irritantibus, & aliis decretis, in genere, vel in ſpecie, etiam Motu proprio, ac aliàs quomodo-

Contrahentes ad contractuum obſervationem tenentur.

Deputantur Judices.

Non obſtantibus, &c.

modolibet, etiam iteratis vicibus conceſſis, approbatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis, etiam ſi de illis, ac totis eorum tenoribus, ſpecialis, ſpecifica, individua, & expreſſa mentio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſervanda eſſet; tenores hujusmodi, ac ſi de verbo ad verbum infererentur, præſentibus pro ſufficienter expreſſis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat, ſpecialiter & expreſsè derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque, ſeu ſi aliquibus communiter vel diviſim ab eadem ſit Sede indultum, quòd interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint per litteras Apoſtolicas, non facientes plenam & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem. Volumus autem, quòd earumdem præſentium tranſumptis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo alicujus perſonæ in dignitate Eccleſiaſticâ conſtitutæ, ſeu etiam ipſius Præpoſiti Societatis munitis, eadem prorſus fides in judicio & extra adhibeatur, quæ ipſis originalibus litteris adhiberetur, ſi forent exhibitæ vel oſtenſæ. Datum Romæ apud S. Petrum ſub annulo Piſcatoris, XVIII. Decembris, M. D. LXXVI. Pontificatus noſtri anno quinto.

GREG. XIII

Tranſumptis habeatur fides.

Cæ. Glorierius.

GREGORII XIII. DEROGATIO

Capitis *Nuper*, de Decimis.

ANNO M. D. LXXVIII.

GREGORIUS PAPA XIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

PAſtoralis officii cura nobis, meritis licet imparibus, ex alto commiſſa, Nos admonet, ut noſtræ proviſionis efficiatur miniſterio, quòd ea, quæ religioſis quibuslibet, præſertim ſub ſacratiſſimi nominis IESU totius humani generis Redemptoris vexillo, ad illius honorem & gloriam, proximorumque ſpiritualem profectum, ac orthodoxæ fidei defenſionem & propagationem in terris, militantibus, ab Apoſtolicâ Sede providè conceſſa reperiuntur, ſublatis quibuslibet impedimentis, ſuos, ut par eſt, debitos effe-

GREG. XIII. ‑ctus, perpetuis futuris temporibus ſortiantur. Exponi ſiquidem nobis nuper fecit dilectus filius Everardus Mercurianus Præpoſitus Generalis Societatis IESV, quòd licet alias felicis recordationis PAVLVS Papa Tertius prædeceſſor noſter, volens dictam Societatem per eum Apoſtolicâ auctoritate inſtitutam & approbatam, illiuſque Socios favore proſequi gratiæ ſpecialis, inter alia eidem Societati & Sociis dictâ auctoritate conceſſit ac indulſit, ut de iis, quæ in ornamentis aut pro eis, ſeu libris, fabricâ, luminaribus, vel victu, aut indumentis eorum, nec non annuis cenſibus redimendis, ad quorum ſolutionem aliquæ Domus ipſius Societatis obligatæ forſan exiſtebant; ac de Domibus, & Collegiis, eorumque prædiis, hortis, & aliis locis eiſdem Sociis juxta eorum vivendi inſtitutum habere conceſſis, aut de iis, quæ pro hujusmodi rebus, Domibus, Collegiis, prædiis, locis, & hortis emendis, per quaſcumque perſonas pro tempore legari aut relinqui contingeret; & aliis bonis quibuscumque per dictam Societatem, & illius Collegia poſſeſſis & obtentis, aliquam decimam etiam Papalem ſolvere, ſeu Canonicam portionem exhibere, aut ad præſtationem procurationum Legatorum dictæ Sedis, vel Nuntiorum ipſius, ſeu Ordinariorum locorum, aut exactionum, collectarum, vel ſubſidiorum, ſeu proviſionum quorumcumque minimè tenerentur; nec ad id per litteras Sedis, vel Legatorum, ſeu Nuntiorum, aut dioeceſanorum prædictorum cujuscumque tenoris forent, ullo unquam tempore compelli poſſent, niſi ipſæ litteræ Apoſtolicæ plenam & expreſſam ac de verbo ad verbum, de indulto & conceſſione hujusmodi, ac de eorum ordine mentionem facerent. Et ſi fortè per ipſum prædeceſſorem vel dictam Sedem, de piis legatis diſpoſitis & relictis in genere vel ſpecie decima, vel altera portio, ſeu quarta, alteri piæ vel non piæ cauſſæ, quomodolibet eatenus conceſſa eſſet, vel illam in poſterum concedi, ſeu ſolvi, aut dari, mandari contingeret: Socios prædictos, ac illorum Domos, & bona quæcumque, nec non eis legata & relicta, aut alias in eorum favorem diſpoſita, in conceſſionibus & mandatis hujusmodi decreverit, & voluerit minimè comprehendi, niſi de ipſis, ac ſuis decreto & voluntate hujusmodi, non per clauſulas generales idem importantes, ſed vera, expreſſa, & ſpecifica mentio fieret in eiſdem. Et ſucceſſivè piæ memoriæ PIVS Papa IV. etiam prædeceſſor noſter, exemptionem, ac cum omnibus & ſingulis in eis contentis clauſulis litteras ipſius PAVLI prædeceſſoris deſuper confectas, nec non inde ſecuta quæcumque, per ſuas litteras ex certâ ſcientiâ confirmaverit, approbaverit,

Pauli III. exemptio à decimis.

Pii IV. confirmatio ſuperioris exemptionis.

& etiam

& etiam plenariè innovaverit: Ac pro potiori cautelâ univerſam Societatem prædictam, omniaque & ſingula illius, Domos, etiam Probationis, & Collegia ubilibet conſiſtentia, præſentia, & futura, eorumque perſonas, fructus, reditus, & proventus etiam bonorum Eccleſiaſticorum ſæcularium, & regularium quorumcumque illis pro tempore unitorum, aliasque res, & bona quæcumque à quibusvis decimis, etiam Papalibus, prædialibus, perſonalibus, quartis, medietatibus, & aliis fructuum partibus, ſubſidiis etiam caritativis, & aliis ordinariis oneribus etiam pro expeditione contra infideles, defenſione patriæ, ac aliàs quomodolibet, etiam ad Imperatorum, Regum, Ducum, & aliorum Principum inſtantiam, pro tempore impoſitis, etiamſi in illorum impoſitione caveretur, qvòd nulla prorſus exemptio cuiquam adverſus illa ſuffragaretur; Ita quòd Societas, ejusque Domus, etiam Probationis, Collegia, fructus, res, & bona præfata ſemper ab illis absque declaratione deſuper faciendâ excepta eſſent, & eſſe cenſerentur, perpetuò liberaverit & exemerit, prout in ſingulis litteris prædeceſſorum hujusmodi plenius continetur. Nihilominùs quia in illis nulla de Conſtitutione recolendæ memoriæ INNOCENTII Papæ Tertii, ſimiliter prædeceſſoris noſtri in Concilio generali ſuper decimis editâ, quæ incipit, *Nuper*, expreſſa & ſpecifica mentio facta, nec ei ſpecialiter & expreſsè derogatum fuit, idem Præpoſitus dubitat, ſingulas litteras prædictas de ſubreptionis, ſeu nullitatis vitio notari, ac Societati, illiusque Domibus, Collegiis, & perſonis prædictis minùs utiles reddi, aut illa ſuper exemptione hujusmodi moleſtari vel perturbari poſſe tempore procedente. Nos igitur, qui votivum ipſius Societatis profectum ſincero paternæ caritatis affectu libenter amplectimur, eidem Societati, illiusque Domibus, etiam Probationis, Collegiis, & perſonis, ne propterea dictarum litterarum fruſtrentur effectu, opportunè providere volentes; ipſumque Præpoſitum & ſingulares perſonas Societatis hujusmodi à quibusvis excommunicationis, ſuſpenſionis, interdicti, aliisque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis, à jure vel ab homine, quavis occaſione vel cauſſâ, latis, ſi quibus quomodolibet innodati exiſtunt, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutos fore cenſentes; nec non ſingularum litterarum prædictarum veriores tenores ac quarumcumque litium & cauſſarum ſuper præmiſſis jam forſan motarum ſtatum, & merita, nominaque & cognomina Iudicum & collitigantium, ac titulos, & jura eorum, præſentibus pro ſufficienter expreſſis habentes, GREG. XIII.

GREG. XIII. *Pauli* III. & *Pii* IV. *privilegia perinde valeant, &c.*

ipſius Præpoſiti ſupplicationibus in hac parte inclinati, volumus ac Societati illiusque Domibus, etiam Probationum, Collegiis; & perſonis prædictis eadem auctoritate concedimus, quòd ſingulæ litteræ prædictæ cum exemptionibus, ceterisque omnibus, & ſingulis in eis contentis clauſulis & decretis; proceſſusque habiti per easdem ac inde ſecuta quæcumque valeant, plenamque roboris firmitatem obtineant, & eis, quibus conceſſæ exiſtunt, perpetuò ſuffragentur in omnibus, & per omnia; perinde ac ſi in illis de Conſtitutione INNOCENTII prædeceſſoris, & ſeu Concilii generalis hujusmodi ſpecifica & expreſſa mentio facta, eique ſpecialiter & expreſsè derogatum fuiſſet, prout Nos eidem Conſtitutioni ad effectum præmiſſum ſpecialiter & expreſsè harum ſerie derogamus. Decernentes ita in quibuscumque cauſſis pendentibus, & futuris, per quoscumque Iudices & Commiſſarios quavis auctoritate fungentes judicari & definiri debere; irritum quoque & inane quidquid ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate, ſcienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus litis pendentiis, ſi quæ ſint, & aliis præmiſſis, ac INNOCENTII prædeceſſoris, & ſeu generalis Concilii hujusmodi, aliisque Apoſtolicis, nec non in Provincialibus, & Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel ſpecialibus Conſtitutionibus, & ordinationibus, ac omnibus illis, quæ in ſingulis litteris prædictis expreſſum fuit non obſtare, ceterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem quod earumdem præſentium tranſumptis, etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo alicujus perſonæ in dignitate Eccleſiaſticâ conſtitutæ, ſeu etiam pro tempore exiſtentis Præpoſiti Generalis dictæ Societatis, munitis, eadem prorſus fides in judicio & extra ubicumque adhibeatur, quæ ipſis originalibus litteris adhiberetur, ſi forent exhibitæ vel oſtenſæ. Datum Romæ apud S. Petrum ſub annulo Piſcatoris, die primo Ianuarii, M. D. LXXVIII. Pontificatus noſtri anno ſexto.

Derogatur Conſtitutioni Innocentii III.

Non obſtantibus, &c.

Tranſumptis habeatur fides.

Cæ. Glorierius.

GRE-

GREGORII XIII. INDVLGENTIA PLENARIA

Semel in anno in Societatis Eccleſiis: Facultas celebrandi per horam ante Auroram; conferendi gradus, etiam per ſtudiorum Præfectum; ac concurrendi cum Vniverſitatum Lectoribus.

ANNO M. D. LXXIX.

GREGORIVS *Epiſcopus Servus Servorum Dei, Ad perpetuam rei memoriam.*

QVanta in vineâ Domini fructuoſa opera Societas IESV qvotidie verbo & exemplo in populo Chriſtiano attulerit; continuosque labores, quos pro Divini nominis gloriâ, & exaltatione fidei Catholicæ Presbyteri dictæ Societatis ſupportant, cordi noſtro provenit ſatisfactio. Ac propterea dignum cenſentes, ut ipſam Societatem, ejusque in odorem ſuavitatis Altiſſimo deſervientes ſpecialibus favoribus proſequamur; illaque ſibi favorabiliter concedamus, per quæ Societas ipſa ad animarum auxilium fideliter in Domino procedere valeat. Sanè pro parte dilecti filii Euerardi Mercuriani Præpoſiti Generalis prædictæ Societatis nobis nuper exhibita petitio continebat, Quòd aliàs fel. rec. PAVLVS Papa Tertius prædeceſſor noſter inter ceteras gratias eidem Societati conceſſas, omnibus & ſingulis utriuſque ſexus Chriſti fidelibus verè pœnitentibus, & confeſſis, ſeu ſtatutis à jure temporibus firmum confitendi propoſitum habentibus, qui aliquam Eccleſiam, aut alium pium locum dictæ Societatis, ſemel ſingulis annis, præter annum Iubilæi, in die per pro tempore exiſtentem ejusdem Societatis Præpoſitum eligendo, à primis veſperis usque ad occaſum Solis ejusdem diei incluſive, devote viſitarent, ac inibi orationem Dominicam & Salutationem Angelicam recitarent, plenariam omnium peccatorum ſuorum indulgentiam, & remiſſionem, in formâ Iubilæi: Et deinde, ex certis tunc expreſſis cauſſis, Presbyteris ejusdem Societatis, ut Miſſas ante diem, circa tamen diurnam lucem, & etiam infra horam poſt meridiem, quando & quoties, ſtante legitimo impedimento, tunc & pro tempore exiſtenti ejusdem Societatis Præpoſito id neceſſarium

Conceſſiones Pauli III.

Ejusdem Pauli III.

GREG. XIII. ſarium, vel aliàs in Domino expedire viſum foret, celebrare: Ac poſtmodum piæ memoriæ IULIUS Papa III. etiam prædeceſſor noſter, Collegiis ejusdem Societatis, tam in univerſitatibus ſtudiorum generalium, quàm extra illas conſiſtentibus, ut Scholares dictæ Societatis ab illius Generali, vel de ejus licentiâ à quovis alio ex Præpoſitis, vel Rectoribus Collegiorum hujuſmodi, accitis ſibi duobus, vel tribus Doctoribus, ad quoſcumque Baccalaureatus, ac Magiſterii, Licentiaturæ, & Doctoratus gradus promoveri, ac ſtudii generalis Vniverſitatum privilegiis, indultis, prærogativis, & aliis gratiis quomodolibet, non ſolùm ad inſtar, ſed pariformiter & æquè principaliter gaudere liberè & licitè poſſent & valerent, ſub certis modo & formâ conceſſerunt. Et ſucceſſivè recolendæ memoriæ PIUS Papa IV. ſimiliter prædeceſſor noſter dictam promovendi conceſſionem ad Scholares pauperes externos, qvi in Collegiis eiſdem, in quibus ordinariæ Artium liberalium, & Theologiæ lectiones haberentur, lectiones eaſdem frequentarent, & etiam ad divites, in Vniverſitatibus tamen, ſi illarum officiales eos promovere recuſarent, aliàs per examinatores Societatis hujuſmodi idoneos repertos, & ſolutis per divites juribus ſuis eiſdem Vniverſitatibus, extendit & ampliavit. Prætereà ſanctæ memoriæ PIUS Papa V. pariter prædeceſſor noſter, ut Præceptores dictæ Societatis in ſuis Collegiis, etiam in locis, ubi Vniverſitates, ut præfertur, exiſterent, ſuas lectiones, dummodo per duas de manè & per unam de ſero horas cum Lectoribus Vniverſitatum hujusmodi non concurrerent, publicè legere; ac eorum auditores in quibuslibet Vniverſitatibus ad gradus admittere poſſent, decreuit & declarauit; prout in ſingulis eorumdem prædeceſſorum deſuper confectis litteris pleniùs continetur. Cum autem, ſicut eadem petitio ſubjungebat, idem Everardus Præpoſitus cupiat, indulgentiam hujusmodi, quam à pluribus pro quibuslibet dictæ Societatis Eccleſiis conceſſam fuiſſe judicatum extitit, cujus quidem uſus, ſi pro unicâ tantùm Eccleſiâ quolibet anno eſſet futurus, raró admodùm cuilibet dictæ Societatis Eccleſiæ ob magnam illius Eccleſiarum, Deo benedicente, multiplicationem uſque modò per diverſas totius orbis Chriſtiani partes factam, id contingere poſſet: ſicut è converſo, eò majori pietate, ac devotionis fervore Chriſti fideles per eumdem Chriſtianum orbem ad pœnitentiæ, & ſacroſanctæ Euchariſtiæ ſacramenta frequentanda, Chriſto propitio, accederent; quo majoribus & frequentioribus in ſingulis ejuſdem Societatis eccleſiis, quolibet anno, ad id à nobis, ſanctaque Sede Apoſtolicâ gratiis & indulgen-

Iulii III.

Pii IV.

Pii V.

Inſeritur petitio.

gentiis ſe invitari cognoſcerent; eiſdem Chriſti fidelibus in qualibet dictæ Societatis eccleſia ſuffragari: ac etiam eiſdem Presbyteris propter itinerum & alia impedimenta, quæ frequenter eveniunt, facultate celebrandi Miſſas etiam per horam ante Auroram, & infra horam poſt meridiem uti licere: nec non conceſſionem promovendi ad quoſcumque gradus ad Collegii cujuslibet Præfectum ſtudiorum, in quo Philoſophiæ vel Theologiæ lectiones ordinariæ habentur, extendi: nec non Lectores dictæ Societatis in illius Collegiis, ubi Vniverſitates fuerint ſtudiorum generalium, dummodo de manè per unam, & de ſero per aliam horas cum aliis Vniverſitatum Lectoribus præfatis, qui hoc poſtulaverint, non concurrant, publicè legere poſſe. Quare pro parte dicti Everardi Præpoſiti nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut in præmiſſis opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, qui perſonarum quarumlibet, præſertim Deo famulantium, votis, quantum cum Deo poſſumus, libenter annuimus; Everardum Præpoſitum præfatum à quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis, à jure, vel ab homine, quavis occaſione, vel cauſſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtit, ad effectum præſentium duntaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutum fore cenſentes; ac ſingularum litterarum præfatarum tenores præſentibus pro expreſſis habentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati; Quòd prædicta indulgentia omnibus & ſingulis utriuſque ſexus Chriſti fidelibus vere pœnitentibus, & confeſſis, & ſacroſanctæ Euchariſtiæ cibo refectis, qui Circumciſionis Dominicæ, vel alio per præfatum Everardum Præpoſitum, ſeu viſitandi loci Superiorem, ſemel pro ſemper, nominando die, quamlibet ex dictæ Societatis eccleſiis, ſeu capellis, aut piis locis ubicumque Societatis hujuſmodi Religioſos habitare contigerit (dummodo ſi plures ejuſdem Societatis Eccleſiæ in eadem civitate, terrâ, vel loco fuerint, una tantùm ex eis ad id per illius Generalem Præpoſitum ſtatuatur) annis ſingulis devote viſitaverint, & inibi quinquies orationem Dominicam, & totidem Salutationem Angelicam recitaverint, vel alias ad Deum orationes pro ſanctæ matris Eccleſiæ exaltatione, fideique Catholicæ incremento effuderint, & aliàs juxta illius continentiam & tenorem ſuffragetur. Nec non Presbyteris Societatis hujuſmodi, ut miſſas per horam ante Auroram, & infra horam poſt meridiem, itineris, vel alterius legitimi impedimenti cauſſa, de ipſius Everardi, & pro tempore exiſtentis Præpoſiti Generalis, vel

GREG. XIII.

Indulgentia plenaria ſemel in anno in Societatis eccleſiis, &c.

Facultas Miſſas celebrandi per horam ante Auroram, poſt meridiem, &c.

GREG.XIII. vel cujusvis alterius ad id ab eo deputati licentiâ celebrare valeant, auctoritate Apoſtolicâ, tenore præſentium, de ſpeciali gratiâ indulgemus. Et inſuper facultatem præfatam promovendi ad gradus in Philoſophiâ, vel Theologiâ, ad cujuslibet dictæ Societatis Collegii ſtudiorum, in quo Artium, vel Theologiæ facultates hujusmodi pro tempore legentur, Præfectum, & aliâs in omnibus, & per omnia, juxta litterarum præfatarum tenores, auctoritate & tenore prædictis, extendimus & ampliamus: Ac etiam, quòd Lectores dictæ Societatis in illius Collegiis, in locis, ubi Vniverſitates ſunt ſtudiorum generalium, dummodo de manè per unam, & de ſero per aliam horas cum aliis Vniverſitatum hujusmodi Lectoribus, qui id poſtulaverint, non concurrant, publicè legere poſſint & valeant: Reliquis omnibus in iisdem litteris contentis in ſuo robore, & ſtatu permanſuris, eisdem auctoritate & tenore, etaim de ſpeciali gratiâ concedimus, & indulgemus. Sicque per quoſcumque Iudices, & Commiſſarios quavis auctoritate fungentes, ſublatâ eis, & eorum cuilibet, qvavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari & definiri debere: Ac quidquid ſecus ſuper his, à quoquam, quavis auctoritate, ſcienter vel ignoranter, attentari contigerit, irritum & inane decernimus. Quocirca Venerabilibus Fratribus noſtris Archiepiſcopo Valentinenſi, & Pariſienſi, ac Salamantinenſi Epiſcopis, per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus ipſi, vel duo, aut unus eorum, , per ſe vel alium, ſeu alios, præſentes litteras, & in eis contenta quæcumque, ubi & quando opus fuerit, ac quoties pro parte dicti Everardi Præpoſiti fuerint requiſiti, ſolemniter publicantes, ſibique in præmiſſis efficacis defenſionis præſidio aſſiſtentes, faciant, auctoritate noſtrâ, easdem præſentes, & in eis contenta hujusmodi, firmiter obſervari, ac ſingulos, quos ipſæ concernunt, illis pacificè gaudere, non permittentes eos deſuper per quoscumque quomodolibet indebitè moleſtari. Contradictores & rebelles per ſententias, cenſuras, & pœnas Eccleſiaſticas, aliaque opportuna juris remedia, auctoritate noſtrâ, appellatione poſtpoſitâ, compeſcendo. Nec non legitimis ſuper his habendis ſervatis proceſſibus, illos ſententias, cenſuras, & pœnas incurriſſe declarando; necnon eas etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſecularis. Non obſtantibus piæ memoriæ BONIFACII Papæ VIII. etiam prædeceſſoris noſtri, quâ cavetur, ne quis extra ſuam Civitatem, vel diœceſim, niſi in certis exceptis caſibus, & in illis ultra unam dietam à fine ſuæ diœceſis, ad judicium vocetur; ſeu ne Iudices à Sede prædicta depu-

Promovendi ad gradus per ſtudiorum Præfectum.

Concurrendi cum Vniverſitatum Lectoribus, &c.

Deputantur Iudices.

Non obſtantibus, &c.

putati extra Civitatem, vel diœceſim, in quibus deputati fuerint per quoſcumque procedere, aut alii vel aliis vices ſuas committere, ſeu aliquos ultra unam dietam à fine diœceſeon eorumdem, trahere præſumant; & de duabus dietis in Concilio generali edita; dummodo ultra tres dietas aliquis, auctoritate præſentium ad judicium non trahatur; & aliis Conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis nec non omnibus illis, quæ dicti prædeceſſores in ſingulis eorum litteris prædictis voluerunt non obſtare, contrariis quibuscumque. Aut ſi aliquibus communiter, vel diviſim ab eadem ſit Sede indultum, quòd interdici, ſuſpendi vel excommunicari non poſſint per litteras Apoſtolicas non facientes plenam & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem. Ceterum quia difficile foret, easdem præſentes litteras ad ſingula loca, in quibus de eis fides forſan facienda foret, deferri; volumus, & ſimiliter auctoritate Apoſtolica decernimus, quòd ipſarum præſentium tranſumptis, etiam impreſſis, manu unius Notarii publici ſubſcriptis, ac ſigillo alicujus Prælati, ſeu perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis eadem prorſus fides in judicio, & extra illud adhibeatur & habeatur, quæ adhiberetur & haberetur eisdem præſentibus, ſi forent exhibitæ vel oſtenſæ. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ abſolutionis, indultorum, extenſionis, ampliationis, conceſſionis, decretorum, mandati, & voluntatis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, ac BB. Petri & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum Romæ, apud S. Petrum anno Incarnationis Dominicæ M. D. LXXVIII. Non, Maji, Pontificatus noſtri anno ſexto.

GREG. XIII.

Tranſumptis habeatur fides.

Cæ. Glorierius.

GREGORII XIII.

RESTITVITVR

Societati IESV ad illius Miſſiones, uſus altaris portatilis.

ANNO M. D. LXXIX.

Dilectis filiis Præpoſito Generali, & Presbyteris Societatis IESV

GREGORIVS *Papa* XIII.

Dilecte fili, ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem. Vſum Altaris viatici Societati veſtræ à fel. record. PAVLO Papa III. conceſſum, deinde à

GREG. XIII. Concilio Tridentino universè ſublatum, vobis eatenus reſtituimus, ut inter Miſſiones, quæ à Superioribus fiunt, Presbyteri veſtri, ſervata alias forma dictæ conceſſionis, Miſſæ ſacrificium licitè valeant celebrare ſuper hujusmodi Altari ubique gentium, etiam in caſtris militum; modò loca, etſi communia, & profana, tuta & honeſta ſint; & Generalis, aut per eum Provinciales Præpoſiti, eo tum utendum fore judicaverint. Itidemque poſſint ibi Presbyteri ipſi ſanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum miniſtrare fidelibus, ad illud ſumendum debitè præparatis. Non obſtantibus præmiſſis, ac Conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ceterisque contrariis quibuscumque. Eadem porrò fides ubique detur præſentium exemplis eo, quo ſolent alia in veſtrâ Societate tranſumpta, modo monitis, quæ daretur ipſis præſentibus, ſi exhiberentur, vel oſtenderentur. Datum Romæ, apud S. Petrum, ſub annulo Piſcatoris, die primo Octobris, M. D. LXXIX. Pontificatus noſtri anno octavo.

Cæ. Glorierius.

GREGORII XIII.

CONCEDVNTVR

Religioſis Societatis IESV in eorum Eccleſiis Indulgentiæ omnes Eccleſiis aliis locorum, ubi illi morantur, conceſſæ.

ANNO M. D. LXXIX.

GREGORIVS PAPA XIII. *Ad perpetuam rei memoriam.*

CVm, ſicut accepimus, dilecti filii Religioſi Societatis IESV, ad Eccleſias & alia pia loca civitatum, terrarum, & locorum, in quibus moram trahunt, ut conſequantur indulgentias illis pro tempore elargitas, inter medios utriusque ſexus populos promiſcuè, abſque decentiæ religioſæ diſpendio, ac functionum ſuarum & ſpiritualium miniſteriorum incommodo accedere vix poſſint; Ideoque frequenter contingat, tanto eos indulgentiarum fructu privari; imo & interdum, quod ad illas conſequendas non accedant, de earum contemptu notari formident; Quare nobis humiliter ſupplicari fecerunt,

runt, ut illorum devotioni, ac ſpirituali fructui providere de benignitate Apoſtolicà dignaremur. Nos igitur Religioſorum prædictorum ſtatui, decentiæ, commodisque annuere volentes, hujusmodi ſupplicationibus inclinati, univerſis, & ſingulis dictæ Societatis perſonis, nunc & pro tempore, in qualibet mundi parte exiſtentibus, ut ante Altare ſanctiſſimi Euchariſtiæ Sacramenti, in ipſius Societatis eccleſiis, orationes ad DEum pro Sanctæ Romanæ Eccleſiæ exaltatione, hæreſium extirpatione, & inter Principes Chriſtianos fovenda pace, aut alias pro cujusque peculiari devotione fundendo, omnes & ſingulas indulgentias, etiam plenarias, & peccatorum remiſſiones conſequantur, quas ſcilicet conſequerentur, ſi indulgentiarum ipſarum diebus eccleſias, & loca pia his decorata, in locis, in quibus eosdem religioſos moram trahere contigerit, viſitarent, de omnipotentis DEi miſericordia, ac BB. Petri & Pauli Apoſtolorum ejus auctoritate confiſi, tenore præſentium concedimus & largimur, contrariis non obſtantibus quibuscumque. Datum Romæ, apud S. Petrum ſub annulo Piſcatoris, die XXIII. Decembris, M. D. LXXIX. Pontificatus noſtri anno octavo. GREG. XIII.

Cæ. Glorierius.

GREGORII XIII. FACVLTAS

Aperiendi litteras Sacræ Pœnitentiariæ.

Dilecto filio Claudio Aquavivæ Præpoſito Generali Societatis IESV

GREGORIVS *Papa* XIII.

Dilecte fili, ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem. Exponi nobis nuper feciſti, quòd aliàs quondam Alexander Frumentus tunc officii Sacræ Pœnitentiariæ Regens, dilectis filiis Presbyteris Societatis IESV, cui præeſſe dignoſceris, etiamſi nullis Magiſterii in Sacrâ Theologiâ, & Doctoratus in Jure Canonico gradibus inſigniti eſſent, aliàs tamen idoneis & approbatis ipſius Societatis Confeſſariis, ut quaſcumque obſignatas, etiam Magiſtris in Theologiâ, & Jure Canonico Doctoribus directas, in foro conſcientiæ, ejusdem Sacræ Pœnitentiariæ litteras aperire, & abſolutionis beneficium, juxta illarum diſpoſitionem, impendere poſſent & valerent, verbotenus conceſſit, eâque facultate ipſi Presbyteri hactenus uſi ſunt. Cum itaque ipſius Societatis religioſi ad hujusmodi gradus, niſi pro neceſſitate ſcholarum ſuarum pro-

GREG. XIII. moveri non ſoleant; pœnitentes etiam ad ipſos Presbyteros cum ſuis litteris abſolutionum in dies recurrant, & importunè obſecrent; opportunè etiam eos juvari convenit. Nos idcircò tuis in hac parte ſupplicationibus inclinati, Presbyteris Societatis hujuſmodi per te, vel tibi ſubordinatos illius Superiores de tuâ licentiâ deſignandis, & ab Ordinariis locorum approbatis vel approbandis, etiam ſi magiſterii vel doctoratus, aut aliis gradibus inſigniti non ſint, litteras hujuſmodi aperiendi, confeſſionibusque fidelium ad ipſos recurrentium auditis, & impoſita ſalutari in illis expreſſâ, vel de jure infligenda pœnitentia, abſolvendi, ac in foro conſcientiæ quaſcumque ſibi, verbo vel ſcriptis, commiſſas abſolutiones, diſpenſationes, & pœnitentiarum injunctiones excipiendi & exequendi licentiam & facultatem, tenore præſentium concedimus & impertimur. *Non obſtantibus, &c.* Non obſtantibus Conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ceteriſque contrariis quibuſcumque. Volumus autem quod præſentium tranſumptis manu alicuius Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo tuo, ſeu perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ, munitis, eadem ubique fides adhibeatur, quæ ipſis præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ vel oſtenſæ. Datum Romæ, apud S. Petrum, ſub annulo Piſcatoris, die III. Aprilis, M. D. LXXXII. Pontificatus noſtri anno decimo.

Cæ. Glorierius.

GREGORII XIII.

EXTENDITVR

Ad cenſus redimibiles, &c. Facultas Alienandi Societati IESV alias conceſſa.

GREGORIVS *Epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, Ad perpetuam rei memoriam.*

EX debito Paſtoralis officii ad ea libenter intendimus, per quæ religioſorum locorum, ac perſonarum in eis degentium, utilitates & commoda valeant procurari. Exhibita ſiquidem nobis nuper pro parte dilecti filii Claudii Aquavivæ Præpoſiti Generalis Societatis IESV petitio continebat, quod poſtquam alias per diverſas litteras Apoſtolicas Diverſorum Romanorum Pontificum prædeceſſorum noſtrorum, & dictæ Societatis Conſtitutiones & Decreta, illius Præpoſito Generali pro tempore exiſtenti, vel ipſi Societati, omnimoda Collegiorum, & Domorum Probationum, bonorumque

que ad illa ſpectantium gubernatio, absque alia perſonarum in eis degentium capitulari congregatione facienda; etiam cum facultate quosvis contractus emptionum, venditionum, aliarumque venditionum, alienationum, nec non obligationum, & ceſſionum quarumlibet rerum temporalium, mobilium & immobilium, etiam in beneficialibus, ab ſpiritualibus, aliisque quibuscumque, etiam præjudicialibus; nec non inſtrumenta quæcumque tam per ſe, quàm per alios celebrandi; ac inſuper Mendicantium, nec non per noſtras litteras aliorum Ordinum & piorum locorum privilegiis omnibus utendi, & aliàs ſub certis modo & formâ inibi expreſſis conceſſa fuiſſet; denique cum uſus privilegiorum hujusmodi dictæ Societati parum prodeſſet, eò quòd contrahentes renuerent, neque adducerentur ad contrahendum ſolo privilegio communicationis; eſſetque frequentiſſimum, & maximè neceſſarium ipſi Societati in his ſuis quaſi primordiis, pro Collegiorum, & Domorum illius fundationibus, & ampliationibus, Domos, agros, & bona alia commutare, & vendere, ac ſuper his cenſus imponere. His aliisque de cauſſis Nos eidem Societati, illiusque Præpoſito Generali pro tempore exiſtenti, quòd informatione de contractibus ineundis per litteras, vel aliàs prout ipſe Præpoſitus Generalis ſtatueret, à ſubordinatis localibus Præpoſitis, vel Rectoribus, aut Præfectis, ſeu eorum Vicesgerentibus, vel à Provincialibus, ſeu Viſitatoribus, aut Commiſſariis, vel ab aliis ſibi benè viſis, auditis juxta eorum inſtitutum Conſultoribus, acceptâ; quæcumque Domorum, tum Profeſſarum, tum Probationis, Collegiorum, & aliorum locorum ejusdem Societatis ubilibet conſiſtentium bona ſtabilia, nec non etiam pretioſa mobilia cujuscumque qualitatis, & quantitatis, ac valoris, & in quovis loco poſita, pro pretio, & ſub pactis, conditionibus, modis, & formis hinc inde conveniendis, in evidentem tamen Domorum, & Collegiorum hujusmodi utilitatem, per ſe, vel alium, ſeu alios vendere, alienare, permutare, in emphyteuſim, ſeu livellum ad tres generationes, vel nominationes tantùm, pro affictu ſibi benè viſo dare licitè valeret; etiam absque alia Sedis Apoſtolicæ, vel locorum Ordinariorum licentiâ, ſeu confirmatione deſuper obtinendâ: ita quòd venditiones, alienationes, permutationes, locationes, conceſſiones, contractus, inſtrumenta, & inde ſecuta quæcumque poſtquàm ab ipſo Præpoſito Generali ratificata fuiſſent, ſeu illius conſenſus interveniſſet, eo ipſo Apoſtolicâ auctoritate, nullo alio deſuper habendo examine, vel commiſſione, approbata & confirmata eſſent, indul-

GREG. XIII.

Petitioni inſeritur facultas alienandi aliàs conceſſa.

GREG. XIII. ſit: prout in ſingulis litteris Apoſtolicis deſuper confectis pleniùs continetur.

Reliquum petitionis. Cùm autem, ſicut eadem ſubjungebat petitio, ea quæ de novo emergunt, novo indigeant auxilio; ipſique contrahentes præſertim in Curiâ, varias quotidie requirant cautelas,[1] ſine quibus exiſtimant ſibi non fore ſatis cautum; inter quas ea potiſſima eſt, quòd in indulto hujuſmodi non fuerit expreſſum, quòd etiam cenſus redimibiles ſuper eiſdem bonis poſſent vendi, quæ tamen ſpecies eſt, eaque minima, venditionis; & idcircò ab aliquot jam annis frequens fuit, ut cenſus redimibiles aliàs juxta formam privilegii hujuſmodi venderentur & imponerentur. Quare pro parte dicti Claudii nobis fuit humiliter ſupplicatum, quatenus ſibi, dictæque Societati in præmiſſis conſulere de benignitate Apoſtolicâ dignaremur. Nos igitur eumdem Claudium, & ſingulares ipſius Societatis perſonas à quibusvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliisque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis à jure, vel ab homine quavis occaſione, vel cauſſa latis, ſi quibus quomodolibet innodati exiſtunt, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutos fore cenſentes; ac prædictarum litterarum, & Conſtitutionum tenores præſentibus pro expreſſis habentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati; eidem Claudio, & pro tempore exiſtenti Præpoſito Generali dictæ Societatis, vel ipſi Societati, dum ea ſcilicet erit generaliter congregata, ex nunc de cetero perpetuis futuris temporibus per ſe vel alios, ut informatione, ſic ut præmittitur, vel ſi utrilibet viſum erit, extrajudicialiter, ac ſummariè, & ſimpliciter acceptâ, vel etiam eâ omnino omiſſa, bona Domorum, Collegiorum, & locorum hujuſmodi ſtabilia, & etiam mobilia pretioſa, præſentia, & futura, pro illorum utilitate, ſeu neceſſitate, quibuscumque perſonis, tam Eccleſiaſticis, quàm ſæcularibus cujuscumque gradus, ordinis, & dignitatis exiſtentibus, etiam Collegiis, Communitatibus, & Vniverſitatibus ad eam rationem, quæ faciliùs inveniri poterit, & pro pretio reperibili vendere, alienare, permutare, in emphyteuſim, ſeu livellum ad tres generationes, vel in aliud longum tempus dare, locare, etiam cum donationis, ſeu inveſtituræ receptione, ac repræſentatâ pecuniâ, ſine tamen ſoliti illorum reditus diminutione; nec non generaliter, & ſpecialiter obligare, & hypothecare, ſuper illis cenſus quoscumque redimibiles imponere, & vendere, 'nec non de bonis eiſdem compromittere, & quomodolibet ſuper illis tranſigere, illisque ſimpliciter, vel liti deſuper habitæ, ac actioni, etiam in non poſſeſſorem cedere, & reum

Extenſio prioris facultatis.

cita-

citare; utilitatemque venditionum, & aliorum hujusmodi, vel etiam neceſſitatem, aut aliam cauſſam, propter quam fiant, ſimpliciter & absque figurâ judicii cognoſcere, judicare, definire, & penitus terminare, liberè & licitè valeat; & aliàs juxta dictarum litterarum tenorem, harum ſerie Apoſtolicâ auctoritate concedimus: Et ad hoc, ſi opus ſit, licentias & facultates omnes prædictas extendimus & ampliamus. Ipſosque contrahentes, habitâ ſolâ Præpoſiti Generalis, vel congregatæ Societatis per litteras patentes more ipſius Societatis, vel aliàs confirmatione, aut conſenſu, ſolo contractu ſecuros exiſtere; nec ad venditionum, communicationum, & aliarum hujusmodi alienationum utilitatis, ſeu neceſſitatis, aut in æquivalentia, vel meliora bona pretii converſionis, vel aliam demonſtrationem teneri: Nec non contractus quoscumque ſuper his hactenus initos perpetuò valere: partesque ipſas ad illorum obſervationem omnino obligari: & tam ipſos hactenus initos contractus, quàm in futurum ineundos, quibus ipſius Generalis Præpoſiti nunc, & pro tempore exiſtentis, vel etiam congregatæ Societatis conſenſus, ſeu confirmatio acceſſerit, aliâ Sedis Apoſtolicæ confirmatione & approbatione non indigere: Sicque per quoscumque Iudices ordinarios, & delegatos, etiam cauſſarum Palatii Apoſtolici Auditores, ac Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales, ſublatâ eis & eorum cuilibet quavis aliter judicandi & interpretandi facultate & auctoritate, judicari & definiri debere: nec non quidquid ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate, ſcienter vel ignoranter, contigerit attentari, irritum & inane decernimus. Quocircà venerabilibus fratribus noſtris Toletanenſi, & Treverenſi, ac Rigenſi Archiepiſcopis per præſentes committimus & mandamus, quatenus ipſi, vel duo, aut unus eorum, per ſe vel alium, ſeu alios, easdem præſentes & in eis contenta quæcumque, ubi & quandò opus fuerit, ac quoties pro parte Claudii, vel pro tempore exiſtentis Præpoſiti Generalis, aut Societatis hujusmodi, vel alicujus eorum fuerint deſuper requiſiti, ſolemniter publicantes, eisque in præmiſſis efficacis defenſionis præſidio aſſiſtentes, faciant auctoritate noſtrâ, præſentes, & in eis contenta hujusmodi firmiter obſervari, ac ſingulos, quos litteræ ipſæ concernunt, pacificè frui & gaudere. Non permittentes eos, vel aliquem eorum deſuper contra præſentium tenorem per quoscumque quomodolibet indebitè moleſtari. Contradictores quoslibet & rebelles per cenſuras & pœnas Eccleſiaſticas, aliaque opportuna juris & facti remedia, appellatione poſtpoſitâ, compeſcendo, legitimisque ſuper his haben-

GREG. XIII.

GREG. XIII. habendis ſervatis proceſſibus, cenſuras & pœnas ipſas, etiam iteratis vicibus aggravando; invocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſæcularis.

Non obſtantibus, &c. Non obſtantibus fel. record. SYMMACHI, & PAULI, aliorumque Romanorum Pontificum etiam prædeceſſorum noſtrorum, de rebus Eccleſiæ non alienandis, ſeu alienatis recuperandis, aliiſque Apoſtolicis Conſtitutionibus & Ordinationibus; nec non quibuslibet, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate aliâ roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & litteris Apoſtolicis quibusvis ſub quibuscumque tenoribus & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus, & inſolitis clauſulis, etiam Motu proprio, & Conſiſtorialiter, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine conceſſis, approbatis, & innovatis: quibus omnibus, etiamſi de illis, eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, individua, & expreſſa mentio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſervanda foret, tenores hujusmodi, ac ſi de verbo ad verbum, nihil penitùs omiſſo, & formâ in illis traditâ obſervatâ, inſerti forent, præſentibus pro expreſſis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, ac dictis litteris, ſi in aliqua obſtent, hac vice dumtaxat ſpecialiter & expreſſe derogamus contrariis quibuscumque.

Tranſumptis habeatur fides. Ceterùm quia difficile foret easdem præſentes ad ſingula quæque loca, ubi neceſſarium fuerit, deferre; volumus quòd illarum tranſumptis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo alicujus perſonæ in dignitate Eccleſiaſticâ conſtitutæ, ſeu etiam ipſius Societatis Præpoſiti Generalis munitis, eadem prorſus fides adhibeatur in judicio, & extra, quæ ipſis originalibus litteris adhiberetur, ſi forent exhibitæ vel oſtenſæ. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ abſolutionis, conceſſionis, extenſionis, ampliationis, decreti, mandati, derogationis, & voluntatis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum Romæ, apud S. Marcum, anno Incarnationis Dominicæ M. D. LXXXII. Non. Auguſti, Pontificatus noſtri anno undecimo.

Pro Reverendiſſimo D. Summatore
A Lanfredinus.
Cæ. Glorierius.

GRE-

GREGORII XIII.
CONCEDITVR

Præpoſito Generali, ut de ejus licentiâ Societatis Religioſi, etiam Profeſſi, ad quosvis alios regulares Ordines tranſire valeant.

GREGORIVS PAPA XIII.

Ad futuram rei memoriam.

CVm ol'às fel.rec. PAVLVS Papa III. Societati IESV inter alia conceſſerit, ut eorum nemo, ſive Profeſſus, ſive Scholaris, ſive Coadjutor ex dicta Societate egrediens ad alium, quàm ad Carthuſienſium Ordinem, niſi de expreſſa Romani Pontificis, vel Præpoſiti Generalis dictæ Societatis licentiâ ſe conferret; itemque PIVS Papa IV. voluerit, ut ne quis prædictorum ab eadem Societate prætextu cujusvis indulti, vel quæſito colore melioris vitæ, vel ſtrictioris obſervantiæ, etiam ad Mendicantium, vel Ciſtercienſium, ſeu S. Benedicti, aut aliorum Monachorum Ordinem (Carthuſienſi excepto) tranſire poſſit, dubitare contingit, an Præpoſitus pro tempore exiſtens valeat etiam Profeſſos, ex cauſſis id exigentibus, ab ipsâ Societate emittere, aut eis ſic emiſſis liberum ſit de ejus licentiâ, ſe ad quemvis alium Mendicantium, vel non Mendicantium Ordinem transferre. Nos, re perpensâ, atque diligenter examinatâ, Societatis ipſius puritati atque incremento, emiſſorumque pro tempore ſaluti, conſulere volentes, ſtatuimus, ut deinceps in perpetuum liceat dicto Præpoſito, quos judicaverit ab ipsâ Societate emittere, eosque de ipſius Præpoſiti licentiâ non tantùm ad Carthuſienſium, ſed ad quemvis alium Mendicantium, vel non Mendicantium, paris, laxioris, aut arctioris obſervantiæ ordinem per ipſum Præpoſitum illis præſcribendum, de conſenſu tamen Superiorum loci illius, quò deſtinabuntur, demigrare; in eisque profeſſionem per loci illius Monachos, aliosque regulares ejusdem emitti ſolitam emittere; habitumque ſuſcipere, & conſuetâ uti eorum diſciplina. Ipſis inhibentes ſub excommunicationis latæ ſententiæ pœna, ne quid contra præſentium tenorem quomodolibet audeant tentare. Non obſtantibus omnibus iis, quæ dicti Pontifices voluerunt non obſtare, ceterisque contrariis quibuscumque. Præſentis autem gratiæ communicationem omnibus a-

Licet Præpoſito quibus judicaverit. à Societate adquemvis alium Ordinem tranſeundi licentiam concedere.

Non obſtantibus, &c.

Præſentis privilegii communicatio prohibetur.

GREG. XIII. liis, etiam qui ſua privilegia cum prædicta Societate copioſè participant, participareque poterunt quomodolibet in futurum, fieri omnino prohibemus. Ceterùm quia difficile eſſet præſentes, quocumque illis opus erit, deferre, volumus ut præſentium tranſſumptis manu Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in dignitate Eccleſiaſticâ conſtitutæ, ſeu etiam dicti Præpoſiti munitis, eadem prorſus fides in judicio & extra illud adhibeatur, quæ ipſis præſentibus adhiberetur, ſi eſſent exhibitæ vel oſtenſæ. Datum Tuſculi, ſub annulo Piſcatoris, die XXII. Septemb. M. D. LXXXII. Pontificatus noſtri anno undecimo.

Tranſumptis habeatur fides.

Cæ. Glorierius.

GREGORII XIII.
FACVLTAS

Societati IESV denuo conceditur, ordiens à quocumque Antiſtite ſuſcipiendi, idque etiam extra tempora, &c.

GREGORIVS PAPA XIII.

Ad futuram rei memoriam.

PIum & utile Societatis IESV inſtitutum non patitur certa quædam ab iis, qui ſub ejus vexillo atque diſciplina ſalutari militant, obiri, quæ in Sacris ineundis generaliter præſcribuntur. Quocirca cum dictæ Societatis ac diſciplinæ alumni nulli Eccleſiæ, nullive loco certo mancipati ſint, ut ibi permaneant; ſed veluti viatores omni tempore parati, expectanteſque diem & horam, qua vel ad extremas orbis regiones, cum venit uſus, emittantur; ubi quiſque pro captu ſuo, & juxta datam ſibi à Domino ſapientiam, ſeſe in vinea Domini excolenda exerceat; ejuſque rei cauſſa fel. rec. PAVLVS Papa III. Præpoſito ejuſdem Societatis conceſſerit, ut idoneos & comprobatos ab ipsâ Societate quibuſcumque mallet Catholicis Antiſtibus, gratiam & communicationem Sedis Apoſtolicæ habentibus, præſentare poſſet; qui illos ſic præſentatos, abſque ulla promiſſione vel obligatione, ad ordines hujuſmodi promoverent. Nonnulli tamen Antiſtites poſt Concilii Tridentini decreta, eos ſic præſentatos priùs in cujuſque, tam minorum, quàm ſacrorum Ordinum hujuſmodi præſcripto munere exercitatos, temporum-

Pauli III. conceſſio.

porumque determinatorum poſt ſuſceptos præſcriptum finem, antequàm ad ſuperiores ordines aſcendant, omnino expectandum, eosque in eorumdem ordinum functionibus, chorique officiis plenè inſtructos; & denique ſuper eorumdem vita, moribus, ætate, & natalibus ad Parochi inquiſitionem, aut alias teſtimonium, & certa alia requiſita habenda eſſe contendunt; quamvis non niſi ad eosdem Ordines ſuſcipiendos numeris alioqui omnibus idonei dimittantur. Nos his incommodis, quantum in nobis eſt, occurrere volentes, omnibus Epiſcopis, & aliis Antiſtitibus præſentibus & futuris, in perpetuum præcipimus, atque interdicimus, ne ab hujusmodi promovendis, qui licentiam à Præpoſito Generali dictæ Societatis pro tempore exiſtente, vel ab eo delegatis habuerint, quidquam prædictorum requirant vel exigant: ſed ipſos, etiam absque ulla functione in ordinibus ipſis, interſtitiorumque ad illos ſuſcipiendos obſervatione, aut inquiſitione de cantu, officiis, & ceremoniis Eccleſiaſticis, idoneitate, proprii Ordinarii licentia, & aliis in aliis requiſitis, ad minores, ac etiam extra tempora à jure ſtatuta, tribusque Dominicis, vel aliis feſtis diebus, etiam continuis, ad ſacros, etiam Presbyteratus ordines promoveant, ac ſi illi omnibus requiſitis præditi eſſent. Nos enim illis ordines omnes prædictos ſic ſuſcipiendi, ac prædictis Antiſtitibus eos ipſis conferendi facultatem tribuimus. Non obſtantibus præmiſſis, ac Conſtitutionibus & Ordinationibus Apoſtolicis, ceterisque contrariis quibuscumque. Præſentis autem gratiæ communicationem omnibus aliis, etiam qui ſua privilegia cum ipſa Societate copioſè participant, participareque poterunt quomodolibet in futurum, fieri omnino prohibemus. Ceterùm quia difficile eſſet præſentes, quocumque illis opus erit, deferre, volumus, ut earumdem præſentium tranſumptis, manu Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ, ſeu etiam dicti Præpoſiti munitis, eadem prorſus fides in judicio, & extra illud adhibeatur, quæ ipſis præſentibus adhiberetur, ſi eſſent exhibitæ vel oſtenſæ. Datum Tuſculi, ſub annulo Piſcatoris, die XXII. Septembris, M. D. LXXXII. Pontificatus noſtri anno undecimo.

GREG. XIII.

Facultas ad ordines ſuſcipiendos.

Etiam extra tempora, &c.

Non obſtantibus, &c.

Præſentis privilegii communicatio prohibetur.

Tranſumptis habeatur fides.

Cæ. Glorierius.

GREG.XIII.

GREGORII XIII.
SOCIETATIS IESV

Inſtitutum, Privilegia, & Conſtitutiones confirmantur: & eos omnes, qui peracto Novitiatu tria vota emiſerint, tametſi ſimplicia, verè & propriè Religioſos eſſe, declaratur.

GREGORIVS *Epiſcopus, Servus ſervorum Dei, Ad perpetuam rei memoriam.*

QUantò fructuoſiùs in colenda Domini vinea ſe exercet Veneranda IESV Societas, digniſque æterna mercede operariis abundare conatur; tantò propenſiùs contendimus eam, religioſamque ſubinde, quam inſtituit prolem, unde tota Reſpublica Chriſtiana ubique ſublevatur, proſequi & confovere: ſimulque omnia removere, quibus & ſpiritualis ipſorum profectus retardari, & caritatis fervor, qui ab eisdem in regeneratas pretioſo Domini noſtri IESV Chriſti ſanguine animas ſe diffundit, alicubi frigeſcere, aut in lubricum defluere poſſet. Cùm enim, ſicut juxta dictæ Societatis Conſtitutiones, & laudabile inſtitutum â felicis recordationis PAVLO III. & IVLIO etiam III. confirmatum, ac etiam à PAVLO IV. Romanis Pontificibus prædeceſſoribus noſtris diligentiſſimè examinatum, & à Concilio Tridentino commendatum, Societas ipſa non ſolùm Profeſſis & Novitiis, ſicut & reliqui regulares ordines, conſtet; ſed varii in eadem Societate religioſarum perſonarum gradus ſint, in quibus ſinguli, juxta commiſſi cuique à magno Patrefamilias talenti menſuram, & Præpoſitorum ſuorum directionem, Altiſſimo famulantur. Sicut enim finis dictæ Societatis fidei propagatio & defenſio, animarumque in vita & doctrina Chriſtiana progreſſus; ita etiam gratiæ ejus vocationis proprium eſt, diverſa loca ex Romani Pontificis, ac Præpoſiti Generalis ejusdem Societatis directione peragrare; vitamque in quavis mundi parte agere, ubi laborioſam eorum operam, & induſtriam fructuoſam copioſiores ſalvandarum animarum Proventus ad Dei æterni gloriam conſequi poſſe ſperantur: ad quem finem Spiritus ſanctus, qui bonæ memoriæ IGNATIVM LOYOLAM ipſius Societatis inſtitutorem, ejusque Socios excitavit, media etiam præclara maximeque opportuna

tuna hujus Sedis miniſterio eis tribuit atque confirmavit, publicarum ſcilicet prædicationum Verbi Dei miniſterii cujuſcumque, Spiritualiumque exercitiorum, & caritatis operum, Pœnitentiæ & Euchariſtiæ ſacramentorum adminiſtrationis, ac frequentis uſus. Ad quæ pro dignitate exequenda, & ad difficultates ſuperandas, ſubeundaque pericula, quibus dictæ Societatis Religioſi in hujusmodi excurſionibus & miniſteriis exponuntur, cùm hæc magnum tum virtutis, tum devotionis præſidium poſtulent; ſtatutum eſt, ut & Novitii in Societate prædicta per biennii ſpatium probentur; & qvi expleto Novitiatu litteris operam dederint, illorum ſtudiis abſolutis; tertium etiam annum probationis in humilitatis exercitiis expendant, ut, ſi qua in re vel hujus virtutis amor, vel pietas, ac devotionis fervor per litterarum occupationem diſtractus intepuerit, per earumdem virtutum frequentiorem exercitationem, & divinæ gratiæ ardentiorem invocationem reſtauretur. Qui enim profeſſionem emittere debent, eos vocatio hæc viros in vitæ puritate ac litteris conſpicuos, diuturnisque & diligentiſſimis experimentis probatos, eosque Sacerdotes, & in verbi Dei, ac Sacramentorum adminiſtratione diu multumque verſatos exigit, ut & Conſtitutionibus dictæ Societatis, & à Summis Pontificibus eſt decretum. Sed neque omnes ad eamdem profeſſionem idonei eſſe poſſunt, neque qui temporis progreſſu futuri ſunt, tales evadere, aut cognoſci ſine longa exercitatione atque experimento. Quapropter Societatis corpus in ſua membra, ordinem, & gradus idem IGNATIVS divino inſtinctu, ita duxit diſponendum, ut biennio Novitiatus abſoluto, omnes, qui in Societate perſeverare voluerint, tria vota ſubſtantialia quidem, Paupertatis, Caſtitatis, & Obedientiæ, ſimplicia tamen, emittere debeant, ac Novitii eſſe deſinant. Quibus votis emiſſis, in corpus ejusdem Societatis cooptati, & quantum ex parte ipſorum perpetuò obligati remanent. Quòd ſi injuſſi diſcedant, apoſtaſiæ notam & excommunicationis, ac alias, quibus ipſi Profeſſi ſubjacent, pœnas incurrunt: quamvis rationabili ex cauſſa, juxta Conſtitutiones easdem, ab ipſo Præpoſito Generali dimitti, & votis hujusmodi liberari poſſint. Quæ omnia ipſis primo ingreſſu per aliquot dies in ſeparatâ habitatione conſtitutis, antequàm ad aliorum Novitiorum communem convictum admittantur, in ipſius Societatis Privilegiis, Conſtitutionibus, & Regulis conſideranda traduntur. Biennio itaque Novitiatus completo, & emiſſis votis ſimplicibus, una eſt omnibus omnino vivendi & obediendi ratio: debentq; omnes in communi vive- GREG. XIII.

GREG. XIII. re, ac in omnibus obedire, non ſecus ii qui profeſſionem non emiſerunt, quàm Profeſſi. Quod verò ad Paupertatem attinet, quamvis bonorum ſuorum jus atque dominium juſtas ob cauſſas, pro Superiorum arbitratu, ad tempus retinere valeant, ut in pios uſus, juxta Evangelicum conſilium, diſtribuant; in illorum tamen uſu religioſam paupertatem ſervant, nec ulla re tamquàm propria & ſine Superioris facultate uti poſſunt. Peractis igitur hujuſmodi probationibus & experimentis, cùm dictæ Societati fuerit per ea in Domino ſatisfactum; quos idem Præpoſitus Generalis idoneos judicat, eos vel ad profeſſionem per vota ſolemnia, vel ad gradus Coadjutorum formatorum ſpiritualium, ſi Sacerdotes, vel temporalium, ſi laici ſint, per vota eadem publicè emiſſa, quamvis non ſolemnia, juxta Conſtitutiones admittit. Quibus emiſſis eo ipſo nihil omnino, proprii ampliùs vel domi, vel foris habere poſſunt, fiuntque incapaces cujusvis hereditariæ ſucceſſionis; nec propter emiſſa hujuſmodi vota publica, aut per mortem ab inteſtato, in illorum, ſicuti nec in Profeſſorum bonis, ulla, aut Eccleſia vel Collegium dictæ Societatis ſuccedere poteſt. Et licet eos, qui poſt biennium Novitiatus emenſum, dicta tria vota ſimplicia, ſicuti ab hac Sede probata ſunt, emittentes, & extra Novitiorum numerum habiti, ac in corpus ipſius Societatis cooptati, illiusque meritorum & privilegiorum non ſecus atque ipſi Profeſſi, ex prædictæ Sedis diſpoſitione participes effecti, quique, quantum in eis eſt, & profeſſionem emittere parati, ſi ipſe Præpoſitus Generalis id prædictæ Societatis inſtituto congruere judicaverit, & in perpetuum DEI ſervitio conſecrati, ac ſuâ ſorte, prout illorum laudabile inſtitutum exigit, contenti, ac denique excommunicationis, & aliis Apoſtatarum pœnis ſubjecti ſunt; vere & propriè religioſos eſſe compertum ſit: nonnullorum tamen animos, qui pii alioqui & utiles operarii exiſtunt, ſollicitari & affligi interdum contingit, quaſi non ſint religioſi, eo quod non ſint Profeſſi. Nec etiam deſint, qui religionis prætextu, transfigurante ſe ſatanâ in Angelum lucis, non ſolum ea occaſione inquieti ſunt, ſed etiam aliorum pacem & vocationem diſturbare, eosque in fraudem & defectionem deducere conantur, unde graviſſima poſſet hæc Religio, tantoperè utilis & ubique ab omnibus expetita, concipere detrimenta. Nos conſiderantes divinæ ſapientiæ atque providentiæ theſauros, pro temporum neceſſitate, varia & inter ſe diſſimilia, eademque ſalubria, ordinum inſtituta in Eccleſiâ ſuâ produxiſſe; & nunc maximè (ut feliciſſimi toto orbe ſucceſſus teſtantur) mirificos in agro Domini fructus hoc peculiari dictæ Societatis in-

ſtituto

ſtituto proferri; quare ad ſubmovenda circumſtantia hujuſmodi pericula, eamque in ſincera vocatione ſuà continendam, partes noſtras adhibendas decrevimus, ut, præciſis hujuſmodi perturbationum cauſſis, Religio ipſa, quæ in propagandam Religionem Chriſtianam, emendandoſque in eâ mores corde, animo, viribuſque omnibus ſine intermiſſione inſiſtit, votivo munere perfruatur: Motu proprio, certâque ſcientiâ noſtrâ, & de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, laudabile hujuſmodi inſtitutum, ac prædicta, ceteraque omnia dictæ Societatis privilegia, facultates, exemptiones, immunitates, gratias, & indulta tam à prædictis, quàm aliis prædeceſſoribus noſtris, & etiam à nobis conceſſa; Conſtitutiones quoque & ſtatuta, qualiacumque ſint, ea omnia, ac ſi ad verbum præſentibus inſererentur, pro expreſſis habentes, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium, approbamus & confirmamus, ſupplentes omnes juris & facti defectus, ſi qui intervenerint in prædictis Conſtitutionibus & ſtatutis; ac decernentes ex nunc irritum & inane quidquid ſecus ſuper his à quoquam, quavis auctoritate, ſcienter vel ignoranter, contigerit attentari. Adhæc dictam Societatem firmo declarationis noſtræ præſidio communire volentes, ſtatuimus ac etiam decernimus, non modò eos, qui in Coadjutorum formatorum, ſive ſpiritualium, ſive temporalium gradus & miniſteria admittuntur; ſed etiam alios omnes, & quoſcumque, qui in ipsâ Societate admiſſi, biennio probationis à quocumque peracto, tria vota prædicta, tametſi ſimplicia, emiſerint, emittentque in futurum, verè & propriè religioſos fuiſſe & eſſe, & ubique ſemper & ab omnibus cenſeri & nominari debere, ac ſi in Profeſſorum prædictorum numerum adſcripti fuiſſent. Præcipimuſque & interdicimus, ne quiſquam ſcrupulum de hoc cuiquam injicere, neve illud in controverſiam, dubium, vel ſuſpicionem ponere audeat quoquo modo. Non obſtantibus præmiſſis, ac Conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis; nec non dictæ Societatis juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, ceteriſque contrariis quibuſcumque. Volumus autem, ut præſentium tranſſumptis, etiam impreſſis, manu Secretarii dictæ Societatis, vel Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo Præpoſiti Generalis ejuſdem Societatis, vel alterius perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis eadem omnino fides habeatur in judicio & extra illud, quæ litteris ipſis originalibus haberetur, ſi eſſent exhibitæ vel oſtenſæ. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ approbationis, confirmationis, ſup-

Inſtituti, privilegiorum ac conſtitutionum confirmatio.

Eos omnes, qui biennio novitiatus peracto tria vota, tametſi ſimplicia, emiſerunt, eſſe vere ac proprie religioſos.

Præcipitur ne quiſquam rem hanc in dubium revocare audeat.

Non obſtantibus, &c.

Tranſumptis habeatur fides.

GREG. XIII. ſuppletionis, decretorum, ſtatuti, præcepti, interdicti, & voluntatis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis DEI, ac BB. Petri & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum Romæ, apud S. Petrum, anno Incarnationis Dominicæ M. D. LXXXII. Kalend. Februarii, Pontificatus noſtri anno undecimo.

M. Datarius.

Cæ. Glorierius.

GREGORII XIII. NOVA CONFIRMATIO

Inſtituti Societatis IESV.

GREGORIVS *Epiſcopus Servus Servorum Dei, Ad perpetuam rei memoriam.*

ASCendente Domino & Salvatore noſtro in naviculam, ecce motus magnus factus eſt in mari: ipſe autem à Diſcipulis rogatus ventis imperavit, & facta eſt tranquillitas. Quam Nos in Petri naviculâ collocati, turbinibus excitatis, ab eodem Domino aſſiduis precibus poſtulantes, noſtram intereà operam & laborem in frangendis procelloſis fluctibus impendere non deſiſtimus. Cumque tanti laboris Socios, & validos remiges divina nobis providentia præparaverit, eorum opera in ſuperandis ſævientis pelagi tempeſtatibus, Nos maximè ſublevat, qui pro communi fluctuantium animarum ſalute propria commoda nihili pendunt, ſeque ad omnia diſcrimina exponunt. In quo cum aliarum Religionum ſtudia, tum Societatis IESV aſſiduus pro Chriſto labor, nec non usque ad finem perſeverantia, promptam ſe oſtendit: cumque prolem Catholicæ Religioni valdè proficuam, & ad omnia pericula pro univerſali Eccleſiâ ſubeunda paratam procreavit, aliam atque aliam à primâ non degenerem, præſtante gratiâ Dei, quotidie ſubſtituit, ut nobis eorum Alumni per multiplices probationum gradus altiùs provecti ſemper præſtò ſint; quos in rebus arduis ſuſcipiendis fructuoſos operarios aſciſcamus. Eos autem ut firmiorem nobis opem ad prædicta navare poſſint, ab omni non modò injuriâ, ſed etiam calumniâ ſtudemus intactos conſer-

ſervare. Quod ut à nobis efficiatur, ipſius Inſtituta tamquam fundamenta ejus præſidii, quod Catholicæ Religioni impendunt, immota atque inconcuſſa, aliorum etiam Romanorum Pontificum exemplo, debemus Apoſtolica auctoritate tueri: quorum felic. rec. PAVLVS III. & IVLIVS etiam III. Conſtitutiones, & laudabile dictæ Societatis Inſtitutum confirmarunt: PAVLVSque idem eam ipſam ab omni quorumcumque ordinarium jurisdictione exemit: quo inſtituto per PAVLVM IV. examinato, & à Synodo Tridentinà commendato, PIVS V. item prædeceſſor noſter Societatem ipſam Ordinem eſſe Mendicantem declaravit. Quæ omnia non immeritò ab eis ſunt conceſſa ob egregias virtutes, & dona Societati antedictæ divinitus elargita, cujus præcipuus finis Catholicæ eſt Religionis defenſio ac propagatio, animarumque in Chriſtianâ vitâ & doctrinâ profectus: gratiæ quoque ejus vocationis eſt proprium diverſa orbis terrarum loca ex Romani Pontificis, ſeu Præpoſiti Generalis ejusdem Societatis directione peragrare: vitamque in quavis mundi parte agere, ubi ſalvandarum ſuâ operâ animarum copioſior proventus ad Dei gloriam ſperetur. Ad quem finem Spiritus ſanctus bon. mem. IGNATII LOYOLÆ Societatis ipſius Inſtitutoris, ejusque Sociorum excitator, media quoque prædicationum, ac cujuscumque miniſterii verbi DEI, doctrinæque Chriſtianæ, & ſpiritualium exercitiorum, aliorum item caritatis operum, & Sacramentorum adminiſtrationis, ac præcipuè Pœnitentiæ & Euchariſtiæ, horumque frequentioris uſus, accommodavit. Ad quæ ſufficienter & pro dignitate præſtanda, difficultates ſuperandas, periculaque adeunda, quibus dictæ Societatis Religioſi in hujusmodi diſcurſionibus, & miniſteriis exponuntur, neceſſe eſt, ut ipſi talia obituri magno virtutis & devotionis præſidio muniantur: quod illis gratia in primis omnipotentis Dei, ſimulq; educatio ipſa, longa item in Societate probatio, nec non regularum & Conſtitutionum obſervantia, præſtare noſcuntur. Quib9 Conſtitutionib9, ut tantæ ponant rudimenta virtutis ad quam aluntur, ſtatutum eſt, ut Novitii in Societate biennio probentur: quo expleto, ſi ipſi perſeverare voluerint, & Societati fuerit ab eis ſatisfactum (quoniam Societas ipſa non ſolis Novitiis, & Profeſſis, ut reliqui regulares Ordines, conſtat, tria ſubſtantialia vota ſimplicia (niſi quis interdum ad profeſſionem, vel gradum Coadjutorum formatorum admittendus videretur) Paupertatis, Caſtitatis, & Obedientiæ in eadem Societate ex Apoſtolico indulto, ac juxta vivendi formulam in eisdem Conſtitutionib9 expreſſam emittunt ac ſecundum illas promittunt

GREG. XIII.

Societatis confirmationes aliæ.

Exemptio.

Societas mendicans declarata.

Societatis finis.

Media.

Longa probatio.

Novitii biennio probantur.

Tria ſubſtantialia vota ſimplicia.

GREG. XIII. tunt ſe eamdem Societatem ingreſſuros, hoc eſt, ulteriorem aliquem illius gradum, prout Præpoſito videbitur Generali. Quibus votis emiſſis, Novitii eſſe deſinunt, & in Societatis corpus, qui litteris operam dederint, vel daturi ſunt, ut Scholares approbati, alii verò ut Coadjutores temporales nondum formati cooptantur; ac quantum eſt ex parte ipſorum perpetuò, ex parte verò Societatis juxta Apoſtolica indulta, & Conſtitutiones prædictas tamdiu obligati ſunt, quamdiu Præpoſitus Generalis eos in Societate retinendos eſſe cenſuerit. Quod ad Societatis conſervationem maximè eſt neceſſarium, idque ab illius exordio proviſum, & poſt experimento comprobatum eſt: idque initio ingreſſus illis explicitè manifeſtatur, atque ipſi conditionem hanc amplectuntur, quæ eis (ſi quos dimittere oporteat) multò eſt commodior, ut liberi potius, quam votis obligati dimittantur, aliisque juſtis & rationalibus de cauſſis. Coadjutores temporales non formati, qui non ad ſtudia litterarum, ſed ad domeſtica munia curanda deſtinantur, poſt aliquot annos, quibus Generali Præpoſito & Societati ſatisfecerint, per tria item Paupertatis, Caſtitatis, & Obedientiæ vota, licet publica, & in manibus Superioris emiſſa, non tamen ſolemnia, ſed tum ex Conſtitutionum præſcripto, tum ex voventis & admittentis intentione ſimplicia exiſtunt, in Coadjutorum temporalium formatorum gradum admittuntur. Scholares verò ſtudiis in Societate abſolutis, antequam Profeſſi, vel Coadjutores ſpirituales formati fiant, non ſolùm tertium adhuc ulterioris probationis annum in devotionis & humilitatis exercitiis impendunt, ut ſi qua fortaſſe in re harum virtutum fervor per litterarum occupationem intepuerit, per earumdem virtutum frequentiorem exercitationem, ardentioremque Divini auxilii invocationem recaleſcat: ſed etiam in verbi DEI ſacrarum & ſcholaſticarum lectionum, Pœnitentiæque & Euchariſtiæ Sacramentorum Societatis miniſteriis tamdiu probantur, quamdiu Præpoſito Generali videtur: nec antequàm ipſi Præpoſito ſint planè perſpecti, eique in omnibus ſatisfecerint, ad hujusmodi gradus promoventur. Qui enim ad profeſſionem quatuor votorum admittendi ſunt, eos juxta Conſtitutiones easdem, & Apoſtolica decreta & indulta, viros omnino humiles ac prudentes in Chriſto, & in vitæ puritate ac litteris conſpicuos, diuturniſque ac diligentiſſimis experimentis probatos, atque Sacerdotes, & in miniſteriis hujusmodi prius diu multumque verſatos, vocatio hæc requirit, utpote quos ardua maneant miniſteria. Quo fit, ut non omnes ad eamdem profeſſionem idonei eſſe, nec tales ſine longâ exercitatione atq; experi-

Scholares approbatis Coadjutores temporales.

Coadjutorum temporalium formatorum tria ſubſtantialia vota publica, & in manibus Superioris, ſed ſimplicia.

Tertius probationis annus.

Quinam ad profeſſionem quatuor votorum admittendi.

perimento fieri, aut etiam cognoſci poſſint. Quapropter Societatis corpus in ſua membra & gradus idem IGNATIVS divino inſtinctu ita duxit diſponendum, ut præter eos, quos Præpoſitus Generalis ad profeſſionem quatuor votorum idoneos eſſe cenſuerit, & nonnullos, quos interdum ad profeſſionem trium admittere poteſt, reliqui etiam Sacerdotes, quorum vita & doctrina in Societate diu probata eſſet, ac Præpoſito Generali perſpecta, & de ipſius licentiâ in Coadjutorum ſpiritualium formatorum gradum, per tria illa vota ſimiliter publica, ſed ſimplicia, in Superioris manibus emiſſa, admitterentur.

Profeſſi trium votorum, Coadjutores ſpirituales formati.

Quibus emiſſis tam hi, qui ſpirituales, quàm qui temporales Coadjutores formati fuerint, certum in Societate gradum habent, ſuntque omnis hereditariæ ſucceſſionis incapaces, nihilque omnino proprii juxta Conſtitutiones eaſdem habere poſſunt. Nec propter emiſſa hujuſmodi vota publica, aut per mortem ab inteſtato, in illorum, ſicuti nec in Profeſſorum bonis Domus ulla, aut Eccleſia, vel Collegium dictæ Societatis ſuccedere poteſt.

Coadjutorum formatorum certus in Societate gradus, & paupertas.

Qui verò quatuor votorum Profeſſi futuri ſunt, ii tribus illis ſolemnibus ſubſtantialibus votis quartum ſimiliter ſolemne addunt ſpeciale Summo Pontifici obedientiæ circa Miſſiones præſtandæ, ob certiorem Spiritus ſancti in Miſſionibus ipſis directionem, ac majorem ipſorum mittendorum Sedi Apoſtolicæ obedientiam, majoremque devotionem, humilitatem, mortificationem, ac voluntatum abnegationem.

Quartum votum ſolemne.

Poſt emiſſam verò profeſſionem, ſive quatuor ſive trium votorum, Profeſſi ad Paupertatis, quæ regularis inſtituti murus eſt & propugnaculum, perfectionem tuendam, omnemque ambitionis occaſionem excludendam, nonnulla alia ſimplicia vota emittunt; quibus promittunt ſe numquam quacumque ratione acturos, vel conſenſuros, ut, quæ in Conſtitutionibus Societatis circa paupertatem ordinata ſunt, immutentur, niſi quando ex juſtâ rerum exigentium cauſſa paupertas magis reſtringenda videretur; neque prætenſuros, ne indirectè quidem, ut in aliquam prælationem, vel dignitatem intra vel extra Societatem eligantur; nec extra Societatem in ſui electionem, quantum in eis fuerit, conſenſuros, niſi coactos obedientia ejus, qui id ipſis poſſit ſub pœnâ peccati præcipere: Item Societati vel ejus Præpoſito manifeſtaturos, ſi quem ſciant aliquid hujuſmodi moliri.

Alia vota ſimplicia Profeſſorum.

Porrò non ſolùm Profeſſi & Coadjutores formati, ſed ex aliis quicumque, abſoluto probationis biennio, prædicta tria ſubſtantialia vota etiam ſimplicia emiſerint, ſi absque expreſsâ licentiâ à Societate diſcedant, etiam ſi prætextu melioris frugis, & tranſitus ad alium quemcumque Ordinem

Qui emiſſis votis, etiam ſimplicibus, ſine licentiâ diſcedunt, Apoſtaſiæ, & excommunicationis pœnas incurrunt.

GREG. XIII. nem (Carthuſienſium dumtaxat excepto) id faciant, apoſtaſiæ & excommunicationis Apoſtolicæ Sedis decreto pœnas incurrunt, à quibus non niſi à Summo Pontifice, vel à Generali Præpoſito abſolvi poſſunt: iniquè enim cum Societate ipsâ ageretur, ſi viris multo labore ad ardua miniſteria eruditis, cũ religionis Catholicæ, & hujus Sedis detrimento, privaretur; præſertim cum Societatis Conſtitutiones, & Privilegia, quæ ſupradicta continent, in ſeparatâ, antequàm ad Novitiorum convictum admittantur, habitatione eis maturiùs conſideranda tradantur. Biennio Novitiatus completo, & emiſſis votis ſimplicibus, una eſt omnibus omnino vivendi & obediendi ratio: debent enim omnes in omnibus obedire, & in communi vivere, non ſecus alii atque ipſi Profeſſi, & Coadjutores formati; idque in Domibus quidem Probationum & Collegiis ex reditibus; in Domibus verò Profeſſorum, quæ nullos omnino reditus habere poſſunt, ex eleemoſynis tantùm. Et licet qui ad gradus Profeſſorum, & Coadjutorum formatorum nondum pervenerunt, bonorum ſuorum jus atque dominium, tum alias ob juſtas cauſſas, tum etiam ut majorem Societas habeat libertatem illos, ſi opus fuerit, cum minori offenſione dimittendi, ad tempus Generalis Præpoſiti judicio præſcribendum, valeant retinere, ut in pauperes tandem, ſeu alios pios uſus pro ipſorum devotione diſtribuant, juxta Evangelicum conſilium, ac promiſſionem, quam initio Novitiatus faciunt: interim tamen, quantum ad illorum uſum, religioſam paupertatem ſervant, nec ulla re tanquam propriâ, & ſine Superioris facultate uti poſſunt. Et quamvis ii omnes, qui poſt biennium Novitiatus dicta tria vota ſimplicia, ut præfertur, emiſerint, ac in corpus Societatis cooptati, illiusque meritorum & privilegiorum, non ſecus atque ipſi Profeſſi, participes effecti; quique, quantum in eis eſt, & profeſſionem emittere parati, ſi ipſe Præpoſitus Generalis id prædictæ Societatis inſtituto congruere judicaverit, & in perpetuum Dei ſervitio votis ſimplicibus conſecrati, ac ſuâ ſorte, prout laudabile Societatis inſtitutum exigit, contenti; verè & propriè Religioſi exiſtant; & ſi à Societate deficiant, excommunicationis, & aliis Apoſtatarum pœnis ſint ſubjecti; Tamen cum non ita pridem intellexiſſemus nonnullorum animos, qui pii alioqui & utiles operarii exiſtebant, ſollicitari interdum & affligi, quaſi non eſſent religioſi, eò quòd non eſſent Profeſſi: nec etiam deeſſe, qui Religionis prætextu, transfigurante ſe in Angelum lucis ſatanâ, non ſolum eâ occaſione inquieti exiſterent; ſed etiam aliorum pacem & vocationem diſturbare, eosque in fraudem & defectionem deducere conaren-

Pœnæ reſervatæ.

Omnibus una eſt vivendi & obediendi ratio.

Domus Probationum.

Domus Profeſſorum.

Promiſſio diſtribuendi bona in pauperes.

Qui expleto biennio Novitiatus tria ſubſtantialia Societatis vota ſimplicia emiſerint, vere & proprie religioſi exiſtunt.

Si à Societate deficiant, excommunicationis, & aliis Apoſtatarum pœnis ſubjacent.

narentur, unde fructuoſa hæc Religio graviſſima potuiſſet accipere detrimenta; idcircò cùm Divina providentia, pro temporum neceſſitate, varia & ſalutaria Ordinum inſtituta in Eccleſiâ ſuâ produxerit; novisque ſubinde in eâ naſcentibus morbis, nova remedia; novisque emergentibus hoſtium impugnationibus, nova regularium Ordinum auxilia excitârit; & cuique illorum, juxta cujuslibet peculiaris gratiæ vocationem, peculiares quaſdam notas, propria inſignia ac opportuna ad finem quem intendit, media ſuggeſſerit; & nunc maximè (ut feliciſſimi toto orbe ſucceſſus teſtantur) mirificos in agro Dominico fructus prædicto Societatis IESV inſtituto proferat: Quæ Societas (quemadmodum & alia naſcentium regularium Ordinum exordia) à ſpiritu contradictionis impugnatur; cumque ipſi Ordines Romanorum Pontificum propterea conſtitutionibus circummuniri conſueverint, cujus rei Sanctorum Dominici & Franciſci præclariſſimi Ordines exempla abundè ſuppeditarunt: ita Nos, licet aliàs Inſtitutum prædictum, Privilegia, & Conſtitutiones ipſius Societatis confirmaverimus & declaraverimus, Motu proprio ſtatuentes eos, qui biennio Novitiatus peracto, tria vota, tametſi ſimplicia, emiſerunt, eſſe verè & propriè Religioſos; cum præcepto, ne quis hæc in dubium revocare audeat, ac cum irritante, & aliis decretis, prout in noſtris ſuper hoc confectis litteris pleniùs continetur. Quia tamen non defuit temerariæ quorumdam audacia, qui poſt declarationem, decretum, præceptum, & interdictum noſtrum hujusmodi non ſolùm multa ex prædictis & fortaſſe alia ad Societatis inſtitutum, ac vivendi formam ſpectantia labefactare, ſed & ipſa Apoſtolica decreta ac præcepta publicè, & ex cathedrâ auſu temerario impugnare, mentemque noſtram perversè interpretari non erubeſcant, diſputantes, & prædicta in dubium revocantes; omniaque ex aliorum regularium Ordinum communibus rationibus, formis ac ſtatutis metientes, Societatis inſtitutum, peculiares Conſtitutiones, ac vim votorum ſimplicium illius, à Sede Apoſtolica in eadem Societatis Religione probata admiſſorum penitùs ignorantes, ac nonnulla jure antiquo, quæ poſt illud ſucceſſu temporum hujus Sedis auctoritate, approbatione, & confirmatione, ac peculiaribus privilegiis ſancita & roborata eſſe dignoſcuntur, perperàm interpretantes, convellere nituntur. Quin etiam Nos ſupradicta, Motu ſimili, & ex certâ ſcientiâ, de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine decernentes, ac præcipientes, privato ſenſu locutos fuiſſe, ac tamquàm privatos doctores errare potuiſſe, imò verè, & de facto ob falſam ſupradictorum infor-

GREG. XIII.

Societatis exordia impugnata, ut & aliorum Ordinũ.

Alia inſtituti Declaratio & Confirmatio refertur.

Impugnantiũ objectiones.

GREG. XIII. informationem erraſſe; ideoque præceptum noſtrum nullam ad obligandum vim habere: Neminem prætereà eorum, qui ſolemnem profeſſionem in dictâ Societate non emiſerunt, de illius corpore, aut verè & propriè religioſum eſſe poſſe, ſed eos merè ſæculares, ac Ordinariorum jurisdictioni ſubditos exiſtere; nec Societatem ipſam, aut illius Superiores, imò nec Nos jus in eos ullum ex vi Votorum hujusmodi habere, vel acquirere, aut Superioribus ipſis conferre poſſe: non conſiderantes voti ſolemnitatem ſolâ Eccleſiæ conſtitutione inventam eſſe; triaque hujusmodi Societatis vota, tametſi ſimplicia, ut ſubſtantialia Religionis vota, ab hac Sede fuiſſe admiſſa; illaque emittentes in ſtatu Religionis verè conſtitui; quippe qui per ea ipſa ſe Societati dedicant, atque actu tradunt, ſeque divino ſervitio in ea mancipant; in quibus votis nullus præter Romanum Pontificem poteſt manum apponere: aliisque atque aliis modis Societatem ipſam impetunt, univerſali Eccleſiæ perutilem, quæ diverſis functionibus, & perſonarum gradibus diſtributa, à Romanis Pontificibus Presbyterorum, à Tridentina Synodo Clericorum Religio appellata, habitu, nomine, pleriſque perſonarum gradibus, votorumque differentiis ab aliis Regularibus Ordinibus diſtinguitur. Quibus etiam adjungunt licere iisdem non profeſſis, etiam invitis dictæ Societatis Superioribus, ad quosvis alios Regulares Ordines ſe transferre; Transgreſſoresque horum votorum, ac inobedientes, aut etiam uxorem ducentes, nullam ipſi Societati injuriam facere, imò poſſe Epiſcopos cum eis diſpenſare, ut, invitis etiam Superioribus eisdem, uxorem ducant. Quibus cùm gloſſatores, & obtrectatores hujusmodi ſua falſa doctrina favere pergunt; horum votorum naturam, & pœnarum vim vel non intelligentes, vel eludere conantes, eò ſunt progreſſi, ut etiam vi facultatum, quæ litteris Indulgentiarum Cruciatæ ſanctæ nuncupatarum continentur, omnes transfugas, & ab ipſa Societate deficientes non profeſſos, quoties ab ea defecerint, ab excommunicationis latæ ſententiæ pœnâ à quocumque confeſſario abſolvi poſſe: nullamque ipſi Societati ſuis operariis privatæ injuriam fieri, aut præjudicium generari, exiſtiment; ſed & votorum ſubſtantialium Religionis prædictæ, ac decretorum contra eosdem Apoſtatas Sedis hujus auctoritate editorum vim, quantum in eis eſt, enervare contendant. Inſuper aſſerunt non poſſe vota aliqua in ſæculo emiſſa, in tria hæc ſubſtantialia Societatis commutari; cùm tamen hæc vota ſint ſtatus, ut præfertur, Religioſi adeò utilis & perfecti, ut illa in hæc poſſint, hæc

C. Quod votum *de voto, & voti redemptione.*

hæc verò in aliorum Ordinum, etiam ſolemnia vota commutari, ſit ab hac Sede juſtis de cauſſis interdictum. Nec etiam deſunt alia, quæ in animarum ſuarum præjudicium, Societatis perturbationem, & ſcandalum plurimorum comminiſcantur. Nos univerſalis Eccleſiæ utilitati, quam ex inviolato & inconcuſſo dictæ ſocietatis inſtituto, & religioſæ ſobolis educatione ſentimus, & majorem in dies ſperamus, proſpicientes; & præterea ejusdem Societatis indemnitati, paci, queti, & incremento conſulere volentes; Motu ſimili, & ex certâ ſcientiâ noſtrâ, deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, laudabile ipſius Societatis Inſtitutum, & quæ illud concernunt præmiſſa omnia & ſingula prædictaque illius, ac quæcumque alia privilegia, facultates, exemptiones, immunitates, gratias, & indulta, à prædictis prædeceſſoribus noſtris, & à Nobis etiam per communicationem conceſſa, Conſtitutiones quoque, ac ſtatuta, & decreta qualiacumque, ac ſi ad verbum præſentibus insererentur, pro expreſſis habentes, tenore præſentium approbamus, & confirmamus; ſupplentes omnes juris & facti defectus, ſi qui intervenerint in prædictis Conſtitutionibus, & ſtatutis. Ad hæc dictam Societatem firmo Sedis hujus præſidio communire volentes, hac noſtra perpetua Conſtitutione, motu, ſcientia & poteſtatis plenitudine ſimilibus ſtatuimus atque decernimus, tria vota hujusmodi, etſi ſimplicia, ex hujus Sedis inſtitutione, ac noſtra etiam declaratione & confirmatione eſſe verè ſubſtantialia Religionis vota, ac in dicta Societate tamquàm in Religione approbata per Sedem eamdem admiſſa fuiſſe, & eſſe: ac per Nos admitti, nec in illis à quoquam, præter Nos & Sedem hujusmodi diſpenſari, nec ea ullo alio modo, quàm per legitimam dimiſſionem à Societate ceſſare poſſe: & non modò eos, qui in Coadjutorum formatorum, ſive ſpiritualium ſive temporalium, gradus & miniſteria, ut præfertur, admittuntur; ſed & ſcholares ipſos, ac ſupradictos alios omnes & quoſcumque, qui in ipſam Societatem admiſſi, biennio probationis à quolibet eorum peracto, tria vota ſubſtantialia prædicta, tametſi ſimplicia emiſerint, aut emittent in futurum; verè & propriè religioſos fuiſſe, & eſſe, ac fore, & ubique ſemper & ab omnibus cenſeri, & nominari debere: non ſecus atque ipſos tum Societatis, tum quorumvis aliorum Regularium Ordinum Profeſſos; ſuisque Præpoſitis in omnibus & per omnia obedire; & huic Sedi immediatè ſubjectos, & à quorumvis Ordinariorum, & delegatorum, ſeu aliorum judicum jurisdictione omnino exemptos, prout Nos etiam vigore præſentium eximimus:

GREG. XIII.

Societatis commendatio.

Nova inſtituti, ac præmiſſorum omnium, Conſtitutionumq; & Privilegiorum Societatis confirmatio.

Hujusmodi tria vota, etſi ſimplicia, verè tamen ſunt Religionis ſubſtantialia vota.

Hujusmodi vota, etſi ſimplicia, emittentes, verè & propriè ſunt religioſi.

Nova exemptio.

GREG. XIII

mimus: denique ut omnium Societatis privilegiorum juxta Generalis Præpoſiti diſpoſitionem ſunt participes, ita quoque excommunicationis majoris latæ ſententiæ, & aliis Apoſtatarum pœnis, ſi qui à Societate deficiant, ſubjacere, ac tamquam veros Apoſtatas puniri poſſe; nec à quoquam, niſi per nos & Sedem prædictam, aut Generalem Præpoſitum, ab eisdem pœnis abſolvi; nec ante hujusmodi abſolutionem, & à Societate dimiſſionem, matrimonium contrahere; quinimò eos omnes ad contrahendum inhabiles, ac contractus hujusmodi nullos & irritos eſſe, prout irritos facimus, & annullamus. Et ut contradicentium audacia coërceatur, præmiſſas omnes & quasvis alias illis ſimiles aſſertiones contra dictæ Societatis Inſtitutum, vel quomodolibet in illius præjudicium pronuntiatas aut ſcriptas, falſas omnino & temerarias eſſe & cenſeri debere. Præcipimus igitur in virtute ſanctæ obedientiæ, ac ſub pœnis excommunicationis latæ ſententiæ, nec non inhabilitatis ad quævis officia & beneficia ſæcularia, & quorumvis Ordinum regularia, eo ipſo absque alia declaratione incurrendis (quarum abſolutionem Nobis & ſucceſſoribus noſtris reſervamus) ne quis cujuscumque ſtatus, gradus & præeminentiæ exiſtat, dictæ Societatis Inſtitutum, Conſtitutiones, vel etiam præſentes, aut quemvis earum, vel ſupradictorum omnium articulum, vel aliud quid ſupradicta concernens, quovis diſputandi, vel etiam veritatis indagandæ quæſito colore, directè vel indirectè impugnare, vel eis contradicere audeat; diſtrictiùs inhibentes, ne quis ſive extra, ſive intra dictam Societatem, niſi de illius Generalis, aut inferiorum Præpoſitorum licentia notationes, declarationes, gloſſas, vel ſcholia ulla ſuper præmiſſis facere, vel ea niſi quantum verba ipſa ſonant, interpretari, aut de eis diſceptare, ſeu ſcrupulum cuiquam injicere, vel in controverſiam aut dubium revocare audeat quoquomodo; nec gloſſas, aut interpretationes ſive impreſſas ſeu ſcriptas ad id pertinentes legere, docere, aliisque tradere, vendere, vel apud ſe retinere præſumat; ſi quid verò dubii de eisdem oriri contigerit, ad Sedem prædictam, vel ad Generalem Præpoſitum dictæ Societatis, aut ad eos, quibus id ipſe commiſerit, referatur. Sicque in præmiſſis omnibus & ſingulis per quoscumque Iudices & Commiſſarios, etiam cauſſarum Palatii Apoſtolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales in quavis cauſſa & inſtantia, ſublata eis & eorum cuilibet quovis aliter judicandi & interpretandi facultate & auctoritate, judicari & definiri debere: nec non irritum & inane quidquid ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate, ſcien-

Pœnæ Apoſtatarum innovanur.

Abſolutio reſervatur.

Novum matrimonii impedimentum dirimens.

Præcipitur ſub excommunicationis & inhabilitatis pœnis, eo ipſo incurrendis, ne quis audeat Societatis Inſtitutum, &c. impugnare.

Nec niſi de Præpoſitorum licentiâ interpretari.

Nec in controverſiam revocare.

Nec gloſſas legere, docere, aliis tradere, vel apud ſe retinere.

De dubiis referendum.

Sic judicari debere.

ſcienter vel ignoranter contigerit attentari. Mandantes univerſis & ſingulis Patriarchis, Archiepiſcopis, Epiſcopis & ceteris Eccleſiarum, & locorum, etiam Regularium Prælatis, per univerſum orbem conſtitutis, ut præſentes litteras, in ſuis quisque Eccleſiis, Provinciis, Civitatibus, diœceſibus, & jurisdictionibus ab omnibus inviolatè obſervari: quinetiam Præpoſitum, ac perſonas Societatis hujusmodi defendant, eosque præmiſſis omnibus & ſingulis pacificè frui faciant & gaudere: non permittentes ipſos per quoscumque quomodolibet moleſtari; Contradictores per cenſuras Eccleſiaſticas, & alia juris & facti remedia opportuna, appellatione poſtpoſita, compeſcendo. Invocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſæcularis. Non obſtantibus recol. memor. BONIFACII Papæ VIII, quæ incipit, *Quod votum*, & aliis Apoſtolicis Conſtitutionibus, ac etiam aliorum Ordinum, juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, Indultis, & litteris Apoſtolicis quibuscumque hujusmodi Ordinibus, Vniverſitatibus, locis vel perſonis per quoscumque Romanos Pontifices prædeceſſores noſtros, ac Nos, & Sedem prædictam, etiam motu proprio, & ex certa ſcientia, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, & cum quibusvis irritativis, annullativis, caſſativis, revocativis, modificativis, præſervativis, exceptivis, declarativis, mentis atteſtativis, ac derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, & inſolitis clauſulis, irritantibusque, & aliis decretis in genere vel in ſpecie, ac aliàs quomodolibet, etiam pluries conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis, etiamſi in eis caveatur expreſſe, quòd illis nullatenus, aut non niſi ſub certis modo & forma in illis expreſſis derogari poſſit, pro illorum ſufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica & expreſſa mentio habenda, ſeu aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſervanda foret; tenores hujusmodi præſentibus pro ſufficienter expreſſis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat ſpecialiter & expreſſe derogamus. Contrariis quibuscumque, aut ſi aliquibus communiter vel diviſim ab eadem ſit Sede indultum, quòd interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint per litteras Apoſtolicas non facientes plenam & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem. Præſentis autem Conſtitutionis & gratiæ communicationem omnibus aliis, qui ſua privilegia cum ipsâ Societate copioſè participant, participareque poterunt quomo-

GREG. XIII.

Mandatur omnibus Ordinariis, ut præſentes litteras obſervari faciant.

Non obſtantibus, &c.

Præſens conceſſio non communicatur.

GREG. XIII. dolibet in futurum, fieri omnino prohibemus. Ceterùm volumus, ut præſentium tranſumptis, etiam impreſſis, manu Secretarii dictæ Societatis, vel Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo Præpoſiti Generalis ejusdem Societatis, vel alterius perſonæ in dignitate Eccleſiaſticâ conſtitutæ munitis, eadem omnino fides habeatur in judicio & extra illud, quæ litteris ipſis originalibus haberetur, ſi eſſent exhibitæ, vel oſtenſæ. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ approbationis, confirmationis, ſuppletionis, decretorum, ſtatuti, præcepti, interdicti, derogationis, & voluntatis infringere, vel ei auſu temerario contraire: ſi quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, ac BB. Petri & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum Romæ, apud S. Petrum, anno Incarnationis Dominicæ M. D. LXXXIV. octavo Kal. Iun. anno Pontificatus noſtri tertiodecimo.

Tranſumptis habeatur fides.

M. Car. S. Stephani.

Cæ. Glorierius.

A. de Alexiis.

Regiſtrata apud Cæſarem Secretarium.

Anno à Nativitate Domini M. D. LXXXIV. Indict. XII. die verò Lunæ, XVI. menſis Iulii, Pontificatus Sanctiſſ. in Chriſto Patris, & D. N. D. GREGORII Divinâ providentiâ Papæ XIII. anno XIII. Retroſcriptæ litteræ Apoſtolicæ affixæ, lectæ, & publicatæ fuerunt, & per aliquod temporis ſpatium dimiſſæ in Valvis Baſilicarum Principis Apoſtolorum de Vrbe, & S. Ioannis Lateranenſis, nec non Cancellariæ Apoſtolicæ, & Aciei Campi Floræ, per nos Ioannem Freril, & Nicolaum Tagliettam, S. D. N. Papæ Curſores.

GRE-

GREGORII XIII. EXEMPTIO

Antiqua Societatis rerum ac perſonarum confirmatur, & nova alia conceditur.

GREGORIUS PAPA XIII. *Ad futuram rei memoriam.*

SAtis ſuperque dilectos filios Societatis IESU alumnos, ſuſcepti juxta majorum ſuorum inſtituta pro animarum ſalute, & Chriſti Domini noſtri nomine, & orthodoxâ fide propagandis labores defatigant, quibus ſublevandi eſſent, nedum ad alia opera, officiis eorum interruptis, diſtrahendi. Quod ne accideret, neve Obedientiæ perfectio, quam ſubditi ſuis Præpoſitis præſtare debent, quidquam imminueretur; nonnulli Romani Pontifices prædeceſſores noſtri dictam Societatem à primæva ejus erectione, illiusque perſonas & bona quæcumque à quorumvis Ordinariorum viſitatione, jurisdictione, correctione, & ſuperioritate exemerunt, & ſub Sedis Apoſtolicæ protectione ſuſceperunt, ut illa Romano Pontifici pro tempore exiſtenti immediatè ſubjecta eſſe noſcatur. Quare Nos præcipuâ erga eam animi noſtri propenſione dictam exemptionem illi confirmamus; ac in perpetuum ſtatuimus, neminem ex Religioſis ſub prædictæ Societatis obedientiâ degentem, à quibusvis, quacumque Eccleſiaſticâ vel ſæculari dignitate ſeu auctoritate fungentibus, etiamſi Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales, Patriarchæ, Archiepiſcopi, Epiſcopi, vel alii Antiſtites, & Prælati; nec non Synodi, Communitates, & Capitula quæcumque, aut officii hæreticæ pravitatis Inquiſitores, ac Commiſſarii, vel Iudices, tam ipſius officii, quocumque illi nomine cenſeantur, quàm alii Ordinarii, vel delegati, vel etiam Imperator, Reges, & alii ſæculares Principes ad quodvis munus, officium vel exercitium obeundum, etiam prætextu quòd alii inibi non inveniantur, à quibus adjuvari poſſint, abſque expreſſo ſui Superioris conſenſu ac etiam mandato deſtinari, adigi, vel cogi poſſe. Decernentes irritum & inane quidquid ſecus ſuper his per prædictos, & alios quoscumque quavis auctoritate ſcienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus Apoſtolicis, ac in Provincialibus, & Synodalibus Conciliis editis, generalibus, vel ſpecia-

Societatis operarii non diſtrahendi.

Obedientiæ perfectio non imminuenda.

Rom. Pontifices Societatem exemerunt.

Confirmatio exemptionis, ac nova conceſſio.

Non obſtantibus, &c.

GREG. XIII. ſpecialibus Conſtitutionibus, & ordinationibus, etiam de examinatoribus dêputandis, vel etiam deputatis, ſeu approbatis, nec non privilegiis, indultis, & litteris Apoſtolicis ſupradictis omnibus, & quibusvis aliis, ſub quibuscumque tenoribus & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, & inſolitis clauſulis, nec non irritantibus, & aliis decretis in genere & in ſpecie, etiam motu proprio, & ex certâ ſcientiâ, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, aut alias quomodolibet, etiam iteratis vicibus conceſſis, approbatis, & innovatis. Quibus omnibus illorum tenores, ac ſi ad verbum, nihil penitus omiſſo, & forma in illis tradita obſervata, inſerti forent, præſentibus pro ſufficienter expreſſis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat ſpecialiter & expreſſè derogamus, ceteriſque contrariis quibuscumque. *Communicatio prohibetur.* Præſentis autem gratiæ communicationem omnibus aliis, etiam qui ſua privilegia cum ipsâ Societate copiosè participant, participareque poterunt quomodolibet in futurum, fieri omnino prohibemus. Ceterùm quia difficile eſſet nimis easdem præſentes, quocumque illis opus erit, deferri; *Tranſumptis habeatur fides.* volumus, ut ipſarum tranſumptis, etiam impreſſis, manu Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in dignitate Eccleſiaſticâ conſtitutæ, ſeu etiam dictæ Societatis Præpoſiti Generalis munitis, eadem prorſus fides adhibeatur, quæ ipſis præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ. Datum Romæ, apud S. Marcum, ſub annulo Piſcatoris, die X. Septembris, M. D. LXXXIV. Pontificatus noſtri anno tertiodecimo.

Cæ. Glorierius.

GREGORII XIII.

NVLLI DE SOCIETATE

Licet ad Carthuſiam ſecundò tranſire, niſi de licentiâ Præpoſiti Generalis.

Dilecto filio CLAVDIO AQVAVIVÆ *Præpoſito Generali Societatis* IESV GREGORIVS *Papa* XIII.

Privilegia Pii IV. DIlecte fili, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Exponi nobis nuper feciſti, quòd aliàs poſtquàm fel. rec. PIVS Papa IV. prædeceſſor noſter

ſter ſtatuiſſet, ac præcepiſſet, ne ulli ex Societatis IESV Religioſis poſt emiſſa vota ſecundùm illius Conſtitutiones, ſive Profeſſus, ſive Scholaris, ſive Coadjutor ille foret, ab eadem Societate exire, aut recedere, nec ad quemvis alium etiam Mendicantium Ordinem (Carthuſienſium Ordine dumtaxat excepto) absque expreſsâ ſui Superioris licentiâ ad id ab eo ſpecialiter obtentâ, ſe transferre; vel etiam per Superiores Ordinum hujusmodi eorum quempiam admitti liceret ſub pœnâ excommunicationis, tam per recipientes, quàm per ipſos receptos, aut recedentes, ipſo facto incurrendâ: Quodque nihilominus ſecus facta non tenerent, & nullius exiſterent efficaciæ, vel momenti: & inſuper, ut qui pro tempore ab ipsâ Societate ad præfatum Carthuſienſium, vel de Superioris licentiâ ad alium Ordinem tranſire vellent, ad Carthuſienſium videlicet intra tres menſes à die quo ab ipsâ Societate receſſiſſent, ad alium verò Ordinem intra tempus eis à dicto Superiore præfigendum accedere, & actualiter ingredi, ubi ſi permanere nollent, aut non poſſent, absque ullâ morâ ad dictam Societatem regredi ſub præfata excommunicationis latæ ſententiæ pœnâ tenerentur: quam tam ipſi Religioſi, quam illos recipientes, vel eis auxilium, conſilium, vel favorem præſtantes etiam incurrerent. Succeſſivè piæ mem. PIVS Papa V, etiam prædeceſſor noſter, Præpoſito Generali pro tempore exiſtenti ejusdem Societatis vivæ vocis oraculo conceſſit, ut, ſi quis ex dictâ Societate ad Carthuſienſium Ordinem, juxta PII IV indultum hujusmodi tranſire vellet, ſi vel non ingrederetur, vel non admitteretur, vel non perſeveraret, ad eamdem Societatem redire teneretur: nec ei ampliùs ab ipsâ Societate ad eumdem Carthuſienſium Ordinem absque ipſius Præpoſiti Generalis licentia tranſire liceret. Verumtamen cum poſterioris PII V facultatis uſus eidem Præpoſito difficilior interdum reddatur, quod litterarum Apoſtolicarum præſidio fretus non ſit; ideò tuis in hac parte ſupplicationibus inclinati, conceſſionem & facultatem hujusmodi tibi, & pro tempore exiſtenti Præpoſito Generali prædicto, tenore præſentium confirmamus: eaque omnia, ſicut ſupradicta ſunt, vobis concedimus, eamque etiam quoad præterita valere decernimus, ac ſi litteræ Apoſtolicæ ſuper conceſſione PII V. prædeceſſoris hujusmodi tunc confectæ fuiſſent. Qui ſecus fecerit, in excommunicationis, & alias Apoſtatarum cenſuras & pœnas eo ipſo incurrat, à quibus non niſi à Nobis, vel à Romano Pontifice pro tempore exiſtente, vel à dictæ Societatis Generali Præpoſito abſolutionem valeat obtinere: non obſtantibus Conſtitutionibus, & ordinationibus Apo-

GREG. XIII.

Et Pii V.

Confirmatio, & nova conceſſio.

Qui ſecus fecerint, excommunicantur.

GREG. XIII. Apoſtolicis, ceteriſque contrariis quibuſcumque. Præſentis autem gratiæ communicationem omnibus aliis, etiam qui ſua privilegia cum ipſâ Societate copioſè participant, participareque poterunt quomodolibet in futurum, fieri omnino prohibemus. Volumus inſuper, ut præſentium tranſumptis, etiam impreſſis, manu Secretarii dictæ Societatis, vel Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo Præpoſiti Generalis ejusdem Societatis, vel alterius perſonæ in dignitate Eccleſiaſticâ conſtitutæ munitis, eadem omnino fides habeatur in judicio & extra illud, quæ litteris ipſis originalibus haberetur, ſi eſſent exhibitæ, vel oſtenſæ. Datum Romæ, apud S. Marcum, ſub annulo Piſcatoris, die XIII Octobr. M. D. LXXXIV.

Communicatio prohibetur.

Cæ. Glorierius.

GREGORII XIII.

FACVLTATEM

Prædicandi olim conceſſam fuiſſe iis etiam de Societate, qui nondum ad ſacros Ordines promoti eſſent, declaratur, eademque de novo conceditur.

Dilectis filiis Præpoſito Generali, & Religioſis Societatis IESV

GREGORIVS PAPA XIII.

Dilecti filii, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Vigore privilegii veſtræ Societati à fel. record. PAVLO Papa III Prædeceſſore noſtro conceſſi, ut veſtrûm quiſque idoneus, & à Præpoſito pro tempore exiſtente ejusdem Societatis deputatus, verbum Dei publicè prædicare, & qui ex vobis Presbyteri fuerint, quorumcumque utriusque ſexus Chriſti fidelium confeſſiones audire poſſint; ex illo conceſſionis hujusmodi tempore, etiam Scholares, & alii Religioſi veſtri, ſacris Ordinibus nondum initiati, aliàs tamen idonei, ad prædicandum verbum Dei paſſim & ubique mittuntur. Verùm quia nonnullis dubitatio curioſiùs inceſſit, an dictum privilegium prædicandi, etiam eos comprehendat, qui ad Ordines ipſos nondum aſcenderunt; Nos quemcumque hoc ſcrupulo eximere volentes, præſentium auctoritate decla-

Prædicandi facultas à Paulo III conceſſa.

declaramus, ac etiam decernimus, veſtrûm unumquemque, etiam ad ſacros Ordines prædictos non promotum, prædicationis munus in vim privilegii hujuſmodi exercere potuiſſe, & poſſe: Vobis inſuper concedentes, ut etiam Clerici veſtri primâ tantùm tonſurâ inſigniti, prout hucusque fecerunt, valeant deinceps ipſum Dei verbum ubique populo prædicare; diſtrictiùs inhibentes univerſis & ſingulis locorum Ordinariis, & quibusvis aliis quacumque dignitate & auctoritate fungentibus, ne quemquam veſtrûm quovis prætextu præmiſſorum occaſione impedire vel moleſtare audeant quoquo modo. Non obſtantibus Apoſtolicis, ac in generalibus & Provincialibus Conciliis editis, generalibus vel ſpecialibus Conſtitutionibus, & ordinationibus, ceterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem ut præſentium tranſumptis etiam impreſſis, manu Notarii publici, ſeu Secretarii Societatis ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in dignitate Eccleſiaſticâ conſtitutæ, ſeu etiam dictæ Societatis Præpoſiti Generalis munitis, eadem prorſus fides adhibeatur, quæ ipſis præſentibus adhiberetur, ſi eſſent exhibitæ, vel oſtenſæ. Datum Romæ, apud S. Marcum, ſub annulo Piſcatoris, die xx. Novemb. M. D. LXXXIV. Pontificatus noſtri anno tertiodecimo.

GREG. XIII. *Declaratur conceſſam olim fuiſſe facultatem.*

Ad prædicandum nova conceſſio.

Tranſumptis habeatur fides.

Jo. Bapt. Canobius.

GREGORII XIII.
ERECTIO PRIMARIÆ

Congregationis in Eccleſiâ Annuntiatæ Collegii Romani Societatis IESV, cum Indulgentiis, & cum facultate aggregandi quasvis alias Congregationes ſimiles, pro Generali Præpoſito.

GREGORIUS *Epiſcopus, Servus ſervorum Dei, Ad perpetuam rei memoriam.*

OMnipotentis Dei Salvatoris noſtri, qui ex pietatis ſuæ ſuperabundantiâ fidelium mentibus cæleſtis inſpirationis gratiam, & devotionis ardorem, ad Divinæ Majeſtatis obſequia, & piorum operum exercitia ſalubriter pera-

GREG. XIII. peragenda, continuò infundit, exemplo adducti; in eam Paſtoralis officii curam cogitationemque ſedulò incumbimus, per quam ipſorum fidelium fructuoſis hujuſmodi operibus & exercitiis vacantium religio & devotio continuum ſuſcipiat incrementum, eisque votiva ſalus proveniat animarum.

Primordia Congregationis ſtudioſorum. Aliàs ſiquidem per Nos accepto, quòd plerique probi & pii adoleſcentes bonarum litterarum ſtudiis in Collegio noſtro Societatis IESV de Vrbe inſiſtentes, ſingulari erga Beatiſſimam MARIAM Virginem Dei genitricem affectu ducti, ac etiam Lectorum & Magiſtrorum ſuorum ſpiritualium cohortationibus ad id accenſi, Eccleſiam Annuntiationis ejuſdem B. MARIÆ, in corpore ædificiorum dicti Collegii conſiſtentem, certis ſtatutis diebus & horis frequentare, & cum eximiâ devotionis ſinceritate, cordiſque contritione conſcientiam ſuam per Confeſſionis & Sanctiſſimæ Euchariſtiæ miniſterium expurgare, ac divinis officiis, colloquiis, & exhortationibus ſpiritualibus, aliiſque piis & ſalutaribus operibus vacare ſoliti erant; factoque

Aliorum concurſus. inde ad illorum exemplum majore aliorum concurſu, mutuis ſtudiis ſe invicem conſociaverant. Nos, ut pium hoc inſtitutum perampliùs coaleſceret, eiſdem & aliis Chriſti fidelibus hujuſmodi ſpiritualibus operibus & exercitiis pro tempore addictis nonnullas Indulgentias, & peccatorum ſuorum remiſſiones conceſſimus: prout in noſtris inde confectis litteris pleniùs continetur. Cùm autem, ſicut exhibita nobis nuper pro parte Dilecti filii Præpoſiti Generalis dictæ Societatis petitio continebat, in diverſis mundi partibus, & præſertim inſignioribus Europæ civitatibus ejuſdem Societatis Collegia ad juventutem bonis moribus & virtutibus ornandam, ac verâ pietate ſacrâque doctrinâ imbuendam, propagari; illorumque externi Scholares ibidem ſtudiorum cauſſa confluentes, optima devotionis & piorum operum hujuſmodi exercitia ferventi ſtudio imitari; & exinde multiplices fructus ad Dei gloriam, ipſiusque divini nominis cultum, ac B. MARIÆ Virginis honorem, nec non publicam ſalutem, & ſpiritualem conſolationem provenire cœperint; & operæpretium ſit, ut quemadmodùm piarum & fructuoſarum exercitationum hujuſmodi inſtitutum à Scholaribus dicti Collegii de Vrbe, quod noſtris auſpiciis & impenſis magnifico ædificiorum & ſtructurarum opere à fundamentis innovatur & extruitur, primordium ſuum in dicta Eccleſia Annuntiationis B. MARIÆ habuit; ita quoque inibi eorumdem Scholarium primaria Congregatio, ſeu primarium Sodalitium, ſub titulo ejuſdem Annuntiationis B. MARIÆ, ad laudabile eorum in piis operibus & officiis

officiis hujusmodi ſtudium noſtris beneficiis, & Indulgentiarum præmiis conſervandum ac augendum, ſtabiliatur & inſtituatur, pro parte ipſius Præpoſiti nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut præmiſſis annuere, & deſuper opportunè providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur religioſum ipſorum Scholarium, in his ſpiritualibus exercitiis ſtudium piæ voluntatis affectu proſequi volentes, ipſumque Præpoſitum à quibusvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliisque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis à jure, vel ab homine quavis occaſione, vel cauſſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtit, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes & abſolutum fore cenſentes; nec non litterarum prædictarum tenores præſentibus pro expreſſis habentes, hujusmodi ſupplicationibus inclinati in eadem Eccleſia unam, ſeu unum, externorum Scholarium dicti Collegii noſtri, ac etiam aliorum Chriſti fidelium Societati prædictæ devotorum primariam Congregationem, ſeu primarium Sodalitium ſub titulo Annuntiationis B. MARIÆ hujusmodi, quæ, ſeu quod, per prædictum & pro tempore exiſtentem Præpoſitum Generalem dictæ Societatis, ſeu illo defuncto, donec alius ad officium Præpoſiti Generalis hujusmodi canonicè aſſumatur, per Vicarium etiam Generalem ejusdem Societatis dirigi debeat; Apoſtolica auctoritate tenore præſentium perpetuò, ſine tamen ipſius Societatis præjudicio, erigimus & inſtituimus. Vt autem primaria Congregatio, ſeu primarium Sodalitium hujusmodi per gratiarum & munerum cæleſtium largitionem devotionis ac pietatis jugiter proficiat incrementis; de omnipotentis DEI miſericordiâ, ac Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus auctoritate confiſi, omnibus & ſingulis Chriſti fidelibus verè pœnitentibus & confeſſis, qui deinceps in Sodales ejusdem primariæ Congregationis, ſeu primarii Sodalitii recipientur, tam die receptionis eorum, ſi Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum in prædictâ eccleſiâ, aut ubicumque potuerint eo die ſumpſerint, quàm in mortis articulo; nec non ipſis, ac omnibus & ſingulis aliis utriusque ſexus Chriſti fidelibus etiam verè pœnitentibus & confeſſis, ſacrâque communione refectis, qui eccleſiam prædictam die feſtivitatis ejusdem Annuntiationis B. MARIÆ à primis veſperis usque ad occaſum Solis ipſius feſtivitatis devotè viſitaverint, & inibi pro Reipublicæ Chriſtianæ conſervatione & augmento, hæreſum

GREG. XIII.

Primariæ Congregationis inſtitutio.

Indulgentia plenaria pro Sodalibus in ingreſſu, & in mortis articulo.

Plenaria pro omnibus in die Annuntiationis.

GREG. XIII.

extirpatione, Principúmque Chriſtianorum mutua, & univerſali pace, ac noſtra, & pro tempore exiſtentis Romani Pontificis proſperitate; vel alias preces, prout unicuique ſuggeret devotio, ad DEum devotè effuderint. Inſuper eiſdem Sodalibus ſimiliter verè pœnitentibus, & confeſſis, qui in Nativitatis, & Aſcenſionis Domini noſtri IESV CHRISTI, ac Annuntiationis, Aſſumptionis, & Conceptionis, nec non Nativitatis B. MARIÆ Virginis feſtis diebus prædictum Sanctiſſimum Sacramentum ibidem, vel alibi acceperint, plenariam omnium peccatorum ſuorum indulgentiam & remiſſionem Apoſtolicâ auctoritate, & tenore præſentium miſericorditer in Domino concedimus & elargimur;

Plenaria pro Sodalibus ſexies in anno.

Indulgentias unius anni toties quoties pro Sodalibus, qui corpora defunctorum aſſociaverint.

Vel ſi impediti, pro eis aut pro infirmis oraverint.

Congregationibus,

Divinis officiis,

Exhortationibus interfuerint.

Miſſæ Sacrificio diebus feriatis.

Conſcientiam examinaverint.

Infirmos, vel incarceratos viſitaverint.

ipſiſque Sodalibus, qui de eorum numero exiſtentium, vel aliorum Chriſti fidelium defunctorum corpora ad ſepulturam Eccleſiaſticam aſſociaverint; aut infirmi, vel impediti, audito ſigno campanæ, genuflexi, ſi per infirmitatem licebit, orationem Dominicam & Salutationem Angelicam pro ſalute animæ defuncti, vel corporis infirmi recitaverint; nec non qui Congregationibus tam publicis, quàm privatis ac divinis officiis, ſpiritualibusque colloquiis, exhortationibus, & aliis piis officiis etiam in Sodalis, ſeu aliorum Chriſti fidelium defunctorum ſuffragium, per primariam Congregationem, ſeu primarium Sodalitium ordinandis, & ab ipſo Præpoſito, ſeu Vicario Generali approbandis; quique diebus feriatis Miſſæ ſacrificio interfuerint, aut veſpertino tempore, antequam cubent, conſcientiam ſuam diligenter examinaverint, ſeu pauperes infirmos tam Sodales, quàm alios in Hoſpitalibus, vel privatis domibus, nec non carceratos viſitaverint; aut pacem inter inimicos conciliaverint; quoties horum quodvis fecerint, unum annum de eis injunctis, vel aliàs quomodolibet debitis pœnitentiis Apoſtolicâ auctoritate & tenore ſimilibus etiam miſericorditer in Domino relaxamus, quaſcumque alias præſentibus non expreſſas Indulgentias, & peccatorum remiſſiones, etiam plenarias, & relaxationes Scholaribus, & aliis prædictis, ratione dicti eorum Inſtituti, vel aliàs in communi per Nos, & Sedem Apoſtolicam quomodolibet conceſſas revocando, & abrogando.

Aliæ indulgentiarum conceſſiones revocantur.

Inſuper ne præfati Sodales, ſi aliquando eos ab ipsâ Vrbe abeſſe, vel alibi commorari contingat, hujuſmodi Indulgentiarum, & aliarum gratiarum ſpiritualium effectu & fructu fruſtrati remaneant; eiſdem Sodalibus extra Vrbem ubivis locorum pro tempore commorantibus, ut in locis, ubi

ubi eos pro tempore reſidere, ſeu morari contigerit, opera prædicta, quæ ipſi Sodales in Vrbe præſentes pro ſingularum Indulgentiarum; remiſſionum, & relaxationum hujusmodi conſecutione obſervare deberent, apud Eccleſias eorumdem locorum, aut alibi, prout poterunt, obſervando, & exequendo, omnes easdem Indulgentias, remiſſiones, & relaxationes habeant, & illæ eis pariter ſuffragentur: nec non tam in Vrbe præſentes, quàm alibi ubivis locorum commorantes Sodales primariæ Congregationis, ſeu primarii Sodalitii hujusmodi, qui ſingulis quadrageſimalibus, & aliis anni temporibus, ac diebus Stationum Eccleſiarum dictæ Vrbis, & extra illius muros, quæ à Chriſti fidelibus pro conſequendis Indulgentiis & remiſſionibus viſitari ſolent; dictæ Societatis, ſi ibi fuerit, alioquin aliam Eccleſiam, ſeu Capellam in locis, ubi eos pro tempore reſidere, ſeu morari contigerit, ut præfertur, devotè viſitaverint, & ibi ſepties Orationem Dominicam, & ſepties Salutationem Angelicam recitaverint; tot & easdem Indulgentias conſequantur, quas conſequerentur, ſi iisdem temporibus, & diebus ſingulas Eccleſias dictæ Vrbis, & extra illius muros hujusmodi pro iisdem Stationibus, & Indulgentiis conſequendis deputatas perſonaliter viſitarent, ac omnia & ſingula, quæ pro hujusmodi gratiarum conſecutione quomodolibet requiruntur, plenè adimplerent. Præterea eidem Præpoſito, ſeu Vicario Generali pro tempore exiſtenti, ut in quibusvis aliis dictæ Societatis Collegiis extra Vrbem prædictam per univerſum orbem, nunc & pro tempore erectis, ſeu eorum Eccleſiis pro eorumdem piorum operum incremento, quascumque alias, ſeu quæcumque alia Scholarium ibidem litterarum ſtudiis inſiſtentium, & aliorum Chriſti fidelium ipſi Societati devotorum Congregationes, ſeu Sodalitia ſub eo titulo Annuntiationis B. MARIÆ, quæ ab ipsâ primariâ Congregatione, ſeu primario Sodalitio, tamquàm membra à capite dependeant; auctoritate noſtra, ſine tamen Societatis, aut Collegiorum, & Eccleſiarum hujusmodi præjudicio, erigere & inſtituere; illasque, ſeu illa, eidem primariæ Congregationi, ſeu primario Sodalitio aggregare; ac eis ſic erectis, inſtitutis, & aggregatis, eorumque Sodalibus prædictas, ac omnes & quascumque alias Indulgentias, peccatorum remiſſiones, relaxationes, gratias, & facultates tam ſpirituales, quàm temporales, a Nobis, dictaque Sede primariæ Congregationi, ſeu primario Sodalitio de cetero concedendas, ita ut Sodales aliarum Congregationum, ſeu

GREG. XIII.

Sodales ubivis locorum poſſunt conſequi prædictas indulgentias.

Indulgentiæ ſtationum Vrbis viſitantibus Eccleſiam Societatis ubi adſit, vel aliam quamcumque.

Facultas conceditur Generali Præpoſito quaſcumque alias Congregationes in Collegiis extra Vrbem erigendi & aggregandi.

Aggregatis quævis Primaria indulta, & Indulgentias concedendi.

GREG. XIII. aliorum Sodalitiorum hujusmodi, obſervantes & exequentes ea, quæ ipſius primariæ Congregationis, ſeu primarii Sodalitii Sodales, pro indulgentiis, remiſſionibus, & relaxationibus hujusmodi conſequendis obſervare & exequi debent, easdem Indulgentias, peccatorum remiſſiones, & relaxationes pariter conſequantur, facultate aggregandi, & gratias hujusmodi aliis concedendi dumtaxat excepta, communicare. Nec non tam Primariam, ſeu Primarium, quàm omnes & ſingulas ei aggregandas Congregationes, ſeu omnia, & ſingula ei aggreganda Sodalitia hujusmodi per ſe, vel alium, ſeu alios ejusdem Societatis Presbyteros idoneos ad id ab eo deputandos viſitare, & pro earum felici ſtatu, regimine, & directione quæcumque ſtatuta, conſtitutiones, & decreta, licita tamen & honeſta, ſacrisque Canonibus & Concilii Tridentini decretis non contraria; nec non ab ipſo Præpoſito, ſeu Vicario, ſi per alium, vel alios deputandos hujusmodi fiant, examinanda & approbanda edere; ac poſtquàm edita fuerint, quoties pro eorum, & temporum qualitate, aut alias expediens ei videbitur, immutare, corrigere, moderari, & reformare, aut alia ex integro condere liberè & licitè valeat; eisdem auctoritate Apoſtolicâ & tenore perpetuo concedimus & indulgemus; decernentes ſtatuta, Conſtitutiones & decreta hujusmodi, poſtquàm edita, immutata, correcta, moderata, reformata & condita fuerint, ab omnibus Sodalibus prædictis inviolabiliter obſervari debere; ac præſentes litteras ſub quibuscumque ſimilium vel diſſimilium Indulgentiarum, & aliarum gratiarum revocationibus, ſuſpenſionibus, limitationibus, derogationibus, & aliis contrariis diſpoſitionibus, etiam in favorem Baſilicæ Principis Apoſtolorum de Vrbe, ſeu Cruciatæ Sanctæ, aut aliàs per Nos, vel alios Romanos Pontifices ſucceſſores noſtros, aut dictam Sedem, etiam Motu proprio, & ex certâ ſcientiâ, Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, ſeu ad quorumvis etiam Imperatorum, Regum, Reginarum, Ducum, & aliorum Principum inſtantiam pro tempore quomodolibet factis minimè comprehendi, ſed ſemper ab illis exceptas, & quoties illæ emanabunt, toties in priſtinum ſtatum reſtitutas, repoſitas, & plenariè reintegratas, ac de novo conceſſas eſſe & cenſeri: nec non omnibus, quos illæ concernunt, ſuffragari debere; Irritum quoque & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate ſcienter

Congregationes viſitandi.

Statuta condendi.

Examinandi, approbandi.

Præſentes litteras non comprehendi ſub quibusvis aliis, etiam Cruciatæ ſanctæ, conceſſionum revocationibus.

enter vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus præmiſſis. GREG. XIII. & noſtrâ de Indulgentiis ad inſtar non concedendis, ac aliis Conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ceteriſque contrariis quibuscumque, præſentibus perpetuis futuris temporibus duraturis. Volumus autem, ut earumdem præſentium tranſumptis, etiam impreſſis, Secretarii ipſius Societatis, vel Notarii publici manu, & perſonæ alicujus in dignitate Eccleſiaſticâ conſtitutæ, vel pro tempore exiſtentis Præpoſiti, aut Vicarii Generalis ejusdem Societatis ſigillo munitis, eadem prorſus fides ubique locorum, in judicio & extra adhibeatur, quæ adhiberetur eisdem præſentibus, ſi eſſent exhibitæ vel oſtenſæ. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ abſolutionis, erectionis, inſtitutionis, conceſſionis, elargitionis, relaxationis, indulti, decreti, & voluntatis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis DEI, ac Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum Romæ apud S. Petrum, anno Incarnationis Dominicæ milleſimo quingenteſimo octuageſimo quarto, Nonis Decembris, Pontificatus noſtri anno tertiodecimo.

Non obſtantibus.

Tranſumptis habeatur fides.

Pro Reverendiſſ. D. Summatore

A. Juſtus.

Io Baptiſta Canobius.

A. de Alexiis.

Regiſtrata apud Io. Baptiſtam Secretarium.

SIXTI V.

SIXTI V.

EXTENDITVR FACVLTAS

Erigendi Scholarium Congregationes in Collegiis, primariæque Romanæ aggregandi, ac indulgentias eis communicandi Generali Soc. IESV Præpoſito aliàs conceſſa, ad alias non Scholarium, etiam in Domibus erigendas, Congregationes.

SIXTVS *Epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, Ad perpetuam rei memoriam.*

SVpernâ diſpoſitione, cujus inſcrutabili providentiâ ordinationem ſuſcipiunt univerſa, in ſupereminenti Apoſtolicæ dignitatis ſpecula, meritis licet imparibus conſtituti; & pia & ſalubria Chriſti fidelium vota, quæ ad Confraternitatum, ſeu Sodalitatum, præſertim in hac Vrbe noſtra ritè inſtitutarum, laudem & gloriam cum animarum ſalute tendere dignoſcuntur, libenter exaudimus; ipſaſque Confraternitates, ſeu Sodalitates condignis titulis extollimus, ac aliàs deſuper diſponimus, prout in Domino conſpicimus eiſdem Chriſti fidelibus ſalubriter expedire. Aliàs ſiquidem pro parte dilecti filii CLAVDII AQVAVIVÆ Præpoſiti Generalis Societatis IESV, felicis rec. GREGORIO Papæ XIII prædeceſſori noſtro expoſito, externos Scholares ad Collegia ejuſdem Societatis in diverſis mundi partibus inſtituta ſtudiorum cauſsâ confluentes, pia quædam & laudabilia Scholarium Collegii prædictæ Societatis de Vrbe exercitia ferventi ſtudio imitari; exindeque dictis Collegiis majorem in dies propagationem accipientibus, multiplices fructus ad Dei gloriam, ac ejus divini nominis cultum, & B. MARIÆ Virginis honorem, publicam ſalutem, & animarum ſpiritualem conſolationem provenire cœpiſſe; idem prædeceſſor ad laudabile eorumdem Scholarium in piis operibus, & officiis hujuſmodi ſtudium conſervandum, atque augendum, dicti CLAVDII Præpoſiti ſupplicationibus inclinatus, in Eccleſiâ Annuntiationis ejuſdem B. MARIÆ ſitâ in corpore ædificiorum dicti Collegii Vrbis, in quâ ab ejuſdem Collegii Scho-

Conceſſio Greg. XIII.

Scholaribus ſub illius Rectoris, & aliorum dictæ Societatis Religioſorum directione inſtructis, tam piarum & fructuoſarum exercitationum inſtitutum primordium ſuum habuerat, unam ſeu unum externorum Scholarium dicti Collegii, ac cum eis ſimul etiam aliorum Christi fidelium Societati prædictæ devotorum Primariam Congregationem, ſeu Primarium Sodalitium ſub titulo ejusdem Annuntiationis B. MARIÆ per dictum Claudium tunc, & pro tempore exiſtentem Præpoſitum Generalem, vel eo abſente, aut eſſe deſinente, donec novus ſuccederet, Vicarium etiam Generalem dictæ Societatis dirigendam, ſeu dirigendum, ſine tamen ipſius Societatis præjudicio, Apoſtolicâ auctoritate perpetuò erexit & inſtituit; pluresque Indulgentias, etiam plenarias, & peccatorum remiſſiones Scholaribus, & Chriſti fidelibus prædictis conceſſit: ac Præpoſito, ſeu Vicario prædicto, ut in quibusvis aliis dictæ Societatis Collegiis extra dictam urbem per univerſum orbem tunc, & pro tempore erectis & erigendis, ſive eorum Eccleſiis prodictorum piorum operum incremento, & animarum ſalute, quascumque alias, ſive alia Scholarium inibi bonarum litterarum ſtudio inſiſtentium, ac ſimul cum eis etiam aliorum Chriſti fidelium (ut præfertur) devotorum, Congregationes, ſive Sodalitia ſub eodem titulo in ſingulis ſcilicet Collegiis ſingulas, ſeu ſingula quæ a Primaria Congregatione, ſeu Primario Sodalitio prædicto, tamquàm membra à capite ſuo dependerent, erigere & inſtituere; illasque, ſeu illa eidem Primariæ Congregationi, ſeu primario Sodalitio aggregare; illisque ſic erectis & aggregatis, eorumque Sodalibus prædictas, & quascumque alias indulgentias, & peccatorum remiſſiones, relaxationes, gratias, & facultates ab eodem prædeceſſore, & Sede Apoſtolicâ ipſi Primariæ Congregationi, ſeu Primario Sodalitio eatenus conceſſas, & de cetero concedendas communicare, & alia facere poſſet, itidem etiam perpetuò conceſſit, & indulſit ſub certis modo & forma tunc expreſſis, prout in litteris ipſius Prædeceſſoris deſuper confectis pleniùs continetur. Cùm autem, ſicut exhibita nobis nuper pro parte dicti Claudii Præpoſiti petitio continebat, ex Congregationibus, ſeu Sodalitiis hujusmodi novi in dies, atque eò majores, quò plures ſunt Sodales, fructus provenire noſcantur; & in multis Collegiis, pro Sodalium frequentiâ ac diſparitate opus fuerit, non unam tantùm, ſed plures in eodem Collegio Congregationes hujusmodi inſtituere; quin etiam in eisdem Collegiis, ac etiam Domibus dictæ Societatis alia non ſtudioſorum Scholarium, ſed aliorum piorum Chriſti fidelium Sodalitia, ſeu Congregationes paſſim inſtituantur. Vt igitur

SIXTI V.

Primariæ Congregationis per Greg. erectio.

Indulgentiarum conceſſio.

Facultas Congregationes alias erigendi, ac Primariæ aggregandi.

Primariæ Indulgentias aggregatis Congregationibus communicandi.

SIXTI V. igitur tam Scholares, quam ceteri Chriſti fideles eò promptiores ad hujusmodi Congregationes, vel Sodalitia ingredienda reddantur; & ad piorum operum exercitia magis excitentur, ac excitati manu teneantur, quò amplioribus cæleſtis gratiæ donis ſe, ac eorum Congregationes, ſeu Sodalitia decoratos, ac refectos, ac decorata & refecta eſſe conſpexerint; pro parte dicti CLAVDII Præpoſiti nobis fuit humiliter ſupplicatum, quatenus ſibi, ac pro tempore exiſtenti prædictæ Societatis Præpoſito, ſeu Vicario Generali, ut in quibusvis dictæ Societatis Eccleſiis, ſeu Domibus ac Collegiis tam in Vrbe, quàm extra eam per univerſum orbem nunc, & pro tempore erectis, ſeu erigendis, quasvis alias, ſive Scholarium tantùm, ſive aliorum Chriſti fidelium tantum, ſive utrorumque ſimul, tam ſub eodem B. MARIÆ Annuntiatæ, quam alio quovis titulo, & invocatione Congregationes, ſeu Sodalitia dictâ auctoritate perpetuò erigendi, inſtituendi facultatem & licentiam concedere, aliasque in præmiſſis opportunè providere de benignitate Apoſtolicâ dignaremur.

Petitio.

Nos igitur, qui dudum inter alia voluimus, quòd litteræ ſuper Indulgentiis non expedirentur ad inſtar, niſi ſpecificarentur; ac animarum ſalutem, noſtris potiſſimùm temporibus, ſinceris deſideramus affectibus; CLAVDIUM Præpoſitum, ſeu Vicarium prædictum, ac eorum quemlibet à quibusvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliisque eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris & pœnis, à jure vel ab homine, quavis occaſione vel cauſsâ latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtit, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutum fore cenſentes, poſterioribus ſupplicationibus hac in parte nobis porrectis inclinati, eidem CLAVDIO, & pro tempore exiſtenti dictæ Societatis Præpoſito, ſeu Vicario Generali, ut in quibusvis ejusdem Societatis Eccleſiis, ſeu Domibus ac Collegiis, tam in dictâ urbe, quàm extra eam, per univerſum orbem nunc, & pro tempore erectis, ſeu erigendis, & inſtituendis, quasvis alias, ſive Scholarium tantùm, ſive aliorum Chriſti fidelium tantùm, ſive utrorumque ſimul, tam ſub eodem B. MARIÆ Annuntiatæ, quàm alio quovis titulo, & invocatione, Congregationes ſeu Sodalitia; unum ſcilicet, vel plura in ſingulis locis, vel Eccleſiis pro perſonarum frequentiâ, ſeu qualitate, auctoritate noſtrâ ſine alicujus præjudicio, perpetuò erigere & inſtituere; nec non Congregationes, ſeu Sodalitia hujusmodi jam nunc, & pro tempore erecta, & inſtituta eidem Primariæ Congregationi, ſeu Primario Sodalitio auctoritate Apoſtolica, & vigore præſentium litterarum etiam perpetuò aggregare; eisque

Præcedentis facultatis extenſio ad plures etiam non Scholarium Congregationes in quibusvis Societatis locis erigendum.

eiſque ſic erectis, inſtitutis, & aggregatis reſpectivè, eorumque Sodalibus, Scholaribus & non Scholaribus, omnes & ſingulas, tam plenarias, quàm alias indulgentias, & peccatorum remiſſiones ac relaxationes; nec non exemptiones, immunitates, ceterasque gratias, facultates, indulta, & privilegia ſpiritualia, & temporalia, tam dictæ Primariæ, quàm ſingulis aliis in quibusvis dictæ Societatis Collegiis, vel Domibus aggregatis, vel aggregandis Scholarium, & aliorum Congregationibus, ſeu Sodalitiis hactenus tam per dictum, quàm alios quoscumque Romanos Pontifices prædeceſſores noſtros, Noſque & Sedem Apoſtolicam, ac etiam Regiâ & Imperiali auctoritate, ac tam per viam extenſionis, quàm aliàs quomodolibet, & quandocumque conceſſas, & conceſſa hactenus, ac in poſterum concedenda quibuscumque aliis, ſive Scholarium dumtaxat, ſive aliorum Chriſti fidelium tantùm, ſive utrorumque ſimul, ac mixtim Congregationibus, ſeu Sodalitiis in quibuslibet Collegiis, aut Domibus dictæ Societatis hucusque inſtitutis, ac in poſterum inſtituendis, eorumque Sodalibus Scholaribus, & non Scholaribus, auctoritate Apoſtolicâ, & vigore præſentium hujusmodi etiam perpetuò communicare, illasque, & illa ad easdem omnes Congregationes, ſeu Sodalitia, eorumque Sodales etiam non Scholares indifferenter, & æquè principaliter extendere, ac etiam illis concedere, & elargiri liberè & licitè valeat; ita quòd nunc, & quandocumque in futurum ipſi Sodales Scholares, & non Scholares quicumque ſint, faciendo, & obſervando ea, quæ Sodales Primariæ, & aliarum Congregationum, ſeu Sodalitiorum prædictorum, pro indulgentiis, peccatorum remiſſionibus, relaxationibus, & aliis gratiis prædictis conſequendis facere, & exequi tenentur; ipſas indulgentias etiam plenarias, & alias hujusmodi gratias, plenariè & integrè conſequantur, ac illis fruantur, & potiantur, ac ſi illæ eis ſpecialiter, & ab initio conceſſæ fuiſſent, auctoritate Apoſtolicâ tenore præſentium perpetuò indulgemus: dictique GREGORII prædeceſſoris litteras, immunitates, exemptiones, facultates, privilegia, & indulta; nec non in eis contenta quæcumque, tam reſpectu dictarum Congregationum, ſeu Sodalitiorum hujusmodi, quàm dicti, & pro tempore exiſtentis Præpoſiti, ſeu Vicarii Generalis dictæ Societatis, ad prædictas Congregationes, ſeu Sodalitia Scholarium, & non Scholarium etiam Chriſti fidelium quorumcumque, tam erectas, quàm in poſterum, ut præfertur, erigendas, inſtituendas, ac aggregandas pariter perpetuò extendimus: ita ut omnia in illis contenta, & præſentibus litteris hujusmodi con-

SIXTI V.

Aggregandum.

Aggregatis Primariæ, & aliarum Congregationum Indulgentias communicandi, & concedendi.

SIXTI V. ceſſa, indulta, & elargita, ac ſi ſpecialiter de verbo ad verbum eisdem præſentibus inſerta, eorumque toti tenores expreſſi forent, conceſſa eſſe intelligantur. Decernentes easdem præſentes litteras ſub quibuscumque ſimilium vel diſſimilium indulgentiarum, vel aliarum gratiarum revocationibus, ſuſpenſionibus, limitationibus, derogationibus, & aliis contrariis diſpoſitionibus, etiam in favorem Baſilicæ Principis Apoſtolorum de dictà Vrbe, ſeu Cruciatæ Sanctæ, aut etiam per Nos, ſeu alios Romanos Pontifices prædeceſſores noſtros, ac dictam Sedem etiam motu proprio, etiam poteſtatis plenitudine, ſeu ad quorumvis Imperatorum & Regum inſtantiam pro tempore quomodolibet factis, minimè comprehendi; ſed ſemper ab illis exceptas, & quoties illæ emanabunt, toties in priſtinum ſtatum reſtitutas, repoſitas, & plenariè redintegratas, ac de novo conceſſas eſſe, & cenſeri debere: irritumque & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate, ſcienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus præmiſſis, ac voluntate noſtrâ prædictâ, necnon Conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ceterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, quòd ſi dictæ Congregationes aut Sodalitia, vel eorum quæcumque aliquo modo eidem Societati, vel Domibus ſeu Collegiis aliquod impedimentum, ſeu præjudicium pro tempore attulerint, idem Præpoſitus, ſeu Vicarius illas, vel illa, aut eorum ſingulas, vel ſingula diſſolvere poſſit: quodque præſentium tranſumptis etiam impreſſis, manu Secretarii ipſius Societatis, aut Notarii publici ſubſcriptis, & perſonæ alicujus in dignitate Eccleſiaſticâ conſtitutæ, ſeu ipſius Præpoſiti aut Vicarii Generalis pro tempore exiſtentis ejusdem Societatis ſigillo munitis eadem prorſus fides ubique locorum in judicio & extra illud adhibeatur, quæ adhiberetur eisdem præſentibus, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ abſolutionis, indulti, extenſionis, decreti, & voluntatis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum Romæ, apud S. Petrum, anno Incarnationis Dominicæ M. D. LXXXVI. Nonis Ianuarii, Pontificatus noſtri anno ſecundo.

Tranſumptis habeatur fides.

A. Brigantius. Pontius Scæva.

Quibus

Quibus omnibus, & ſingulis præmiſſis tanquàm ritè, rectè, & legitimè factis auctoritatem, & decretum dictæ curiæ, atque noſtram interponendam duximus, & interpoſuimus, prout interponimus præſentium per tenorem. In quorum omnium, & ſingulorum fidem, præmiſſorumque robur, & teſtimonium præſentes noſtras exinde fieri, per Notarium noſtrum publicum infra ſcriptum ſubſcribi, & publicari, ſigillique Rev. Cameræ Apoſt. quo in talibus utimur, juſſimus, & fecimus impreſſione muniri. Datum Romæ, in Palatio noſtro Iudiciali, horâ veſperorum Audientiæ cauſſarum conſuetâ, ſub anno à Nativitate D. N. Ieſu Chriſti M. D. LXXXVII. *Indictione* XV. *Die verò* XXVI. *Menſis Auguſti, Pontificatus Sanctiſſimi in Chriſto Patris, & D. N. D. Sixti divinâ providentiâ Papæ V. anno* III. *Præſentibus ibidem Dominis Io. Iacobo de Fabiis, & Marco Antonio Bruto ejusdem noſtræ Curiæ Notariis teſtibus ad præmiſſa omnia, & ſingula vocatis, habitis ſpecialiter, atque rogatis.* SIXTI V.

SIXTI V
BVLLA.

Confirmatur, & de novo conceditur facultas erigendi Congregationes in Eccleſiis, domibus, & Collegiis Societatis, ac Seminariis, & locis ſub illius gubernio exiſtentibus, & Primariæ Romanæ aggregandi, indulgentiasque illis communicandi, ac eas transferendi, conceſſa Generali illius Præpoſito.

ANNO M. D. LXXXVII.

die 28. Septembris.

SIXTVS EPISCOPVS

Servus ſervorum Dei.

Ad perpetuam rei memoriam.

ROMANVM decet Pontificem, cum de gratiis per eum, & Sedem Apoſtolicam, pro Chriſti fidelium Divinæ Majeſtatis obſequiis, & piorum operum exercitiis vacantium animarum ſalute, ac Religionis, devotionisque, & divini cultus incremento conceſſis dubitari contingit, illas ſuæ proviſionis adminiculo elucidare, ac dubitationis hujusmodi cauſam tollere, & alias deſuper opportunè providere, prout conſpicit in Domino ſalubriter expedire.

SIXTI V.

Primordia congregationis ſtudioſorum.

§. I. Dudum ſiquidem, poſtquam felicis recordationis Gregorius PP. XIII Prædeceſſor noſter acceperat, quod plerique probi, & pii adoleſcentes, bonarum litterarum ſtudiis, in Collegio ſuo Societatis IESV de Urbe, inſiſtentes ſingulari erga Beatiſſimam Mariam Virginem Dei genitricem affectu ducti, etiam Lectorum, & Magiſtrorum ſuorum ſpiritualibus exhortationibus ad id accenſi, Eccleſiam Annunciationis ejusdem Beatæ Mariæ, in corpore ædificiorum dicti Collegii conſiſtentem, certis ſtatutis diebus, & horis frequentare, & cum eximia devotionis ſinceritate, cordisque contritione conſcientiam ſuam per Confeſſionem, & Sanctiſſimæ Euchariſtiæ miniſterium expurgare, & divinis officiis, colloquiis, & exhortationibus ſpiritualibus, aliisque piis, & ſalutaribus operibus vacare ſoliti erant, factoque inde ad illorum exemplum majore aliorum concurſu, mutuis ſtudiis ſe invicem conſociaverant, cupiens, ut pium iſtud inſtitutum per amplius coaleſceret, eisdem, & aliis Chriſti fidelibus hujusmodi ſpiritualibus operibus, & exercitiis pro tempore addictis, nonnullas Indulgentias, & peccatorum remiſſiones per quasdam conceſſit.

Aliorum concurſus.

§. 2. Et deinde ipſi Prædeceſſori, pro parte dilecti filii Claudii Aquaviva, Præpoſiti Generalis dictæ Societatis expoſito, quod externi Scholares ad Collegia dictæ Societatis, in diverſis Mundi partibus inſtituta, ſtudiorum causâ confluentes, optima devotionis, & piorum operum hujusmodi exercitia, ferventi ſtudio imitari, & exinde multiplices fructus ad Dei gloriam, & ejus divini Nominis cultum, & Beatæ Mariæ Virginis honorem, nec non publicam ſalutem, & animarum ſpiritualem conſolationem provenire cœperant, dictus Prædeceſſor, ad laudabile eorumdem Scholarium in piis operibus, & officiis hujusmodi ſtudium conſervandum, & augendum, ſupplicationibus ejusdem Claudii Præpoſiti, ea in parte inclinatus, per alias ſuas, in eadem Eccleſia unum, ſeu unam externorum Scholarium primodicti Collegii, ac etiam aliorum Chriſti fidelium Societati prædictæ devotorum, primariam Congregationem, ſeu primarium Sodalitium, ſub Titulo Annunciationis Beatæ Mariæ hujusmodi per dictum, & pro tempore exiſtentem Præpoſitum Generalem dictæ Societatis, vel eo abſente, aut eſſe deſinente, donec alius ad officium Præpoſiti Generalis hujusmodi Canonicè aſſumeretur, per Vicarium etiam Generalem ejusdem Societatis dirigendum, ſeu dirigendam, perpetuò, (ſine tamen præjudicio dictæ Societatis) erexit, & inſtituit, omnibusque, & ſingulis Chriſti fidelibus verè pœnitenti-

Primaria congregationis per Gregorium XIII erectio.

tentibus, & confeſſis, qui de cætero, in Sodales ejusdem Primariæ Congregationis, ſeu Primarii Sodalitii reciperentur, tam die receptionis eorum, ſi Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum, in prædicta Eccleſia, aut ubicunque potuerint, eo die ſumerent, quàm in mortis articulo, nec non ipſis, ac omnibus, & ſingulis aliis utriusque ſexus Chriſti fidelibus, etiam verè pœnitentibus, & confeſſis, Sacraque Communione refectis, qui Eccleſiam prædictam, die feſtivitatis ejusdem Annunciationis Beatæ Mariæ, à primis Veſperis, usque ad occaſum Solis ipſius feſtivitatis, devotè viſitarent, & inibi pro Reipublicæ Chriſtianæ conſervatione & augmento, hæreſium extirpatione, Principumque Chriſtianorum mutua, & univerſali pace, ac pro tempore exiſtentis Romani Pontificis proſperitate, vel alias preces, prout unicuique ſuggereret devotio, ad Deum devote effunderent; Nec non eisdem Sodalibus, ſimiliter verè pœnitentibus, & confeſſis, qui in Nativitatis, & Aſcenſionis Domini Noſtri Ieſu Chriſti, ac Annunciationis, Aſſumptionis, & Conceptionis, nec non Nativitatis Beatæ Mariæ feſtis diebus, prædictum Sacramentum ibidem, vel alibi ſumerent; plenariam omniū peccatorum ſuorum Indulgentium, & remiſſionem, auctoritate prædicta conceſſit, & elargitus eſt: ipſisq; Sodalibus, qui de eorum numero exiſtentium, vel aliorum Chriſti fidelium corpora, ad ſepulturam Eccleſiaſticam aſſociarent, aut infirmi, vel impediti, audito ſigno Campanæ genuflexi, ſi per infirmitatem liceret, orationem Dominicam, & Salutationem Angelicam, pro ſalute Animæ defuncti, vel corporis infirmi recitarent; Nec non, qui Congregationibus, tam publicis quam privatis, ac divinis officiis, ſpiritualibusque colloquiis, exhortationibus, & aliis piis officiis, etiam in Sodalis, ſeu aliorum Chriſti fidelium defunctorum ſuffragium, per primariam Congregationem, ſeu primarium Sodalitium ordinandis, & ab ipſo Præpoſito, ſeu Vicario Generali approbandis, quique diebus feriatis Miſſæ Sacrificio intereſſent, aut veſpertino tempore, antequam cubarent, conſcientiam ſuam diligenter examinarent, ſeu pauperes infirmos, tam Sodales, quam alios, in Hoſpitalibus, vel privatis Domibus, nec non carceratos viſitarent, aut pacem inter inimicos conciliarent, quoties eorum aliquod facerent, unum Annum de injunctis eis, aut alias quomodolibet debitis pœnitentiis, miſericorditer in Domino relaxavit. Inſuper, ne prædicti Sodales, ſi aliquando eos ab ipſa Urbe abeſſe, vel alibi commorari contingeret, hujusmodi Indulgentiarum, & aliarum gratiarum Spiritualium effectu, & fructu fruſtrati remanerent, eisdem Sodalibus extra Urbem ubivis lo-

SIXTI V.

Indulgentias varias concedit Gregor. XIII.

SIXTI V. corum pro tempore commorantibus, ut in locis, ubi eos pro tempore reſidere, ſeu morari contingeret, opera prædicta, quæ ipſi Sodales in Urbe præſentes, pro ſingularum Indulgentiarum, remiſſionum, & relaxationum hujusmodi conſecutione, obſervare deberent, apud Eccleſias eorumdem locorum, aut alibi, prout poſſent, obſervando, & exequendo, omnes easdem Indulgentias, remiſſiones, & relaxationes haberent, & illæ eis pariter ſuffragarentur; Nec non, tam in Urbe præſentes, quam alibi, ubivis locorum commorantes Sodales Primariæ Congregationis, ſeu Primarii Sodalitii hujusmodi, qui ſingulis Quadrageſimalibus, & aliis anni temporibus, ac diebus, Stationum Eccleſiarum dictæ Urbis, & extra illius muros, quæ à Chriſti fidelibus pro conſequendis Indulgentiis, & remiſſionibus viſitari ſolent, dictæ Societatis, ſi ibi foret, alioquin aliam Eccleſiam, ſeu Capellam in locis, ubi eos reſidere, ſeu morari contingeret, ut præfertur, devote viſitarent, & ibi ſepties Orationem Dominicam, & toties Salutationem Angelicam recitarent, tot, & easdem Indulgentias conſequi poſſent, quas conſequerentur, ſi iisdem temporibus, & diebus ſingulis, Eccleſias dictæ Urbis, & extrà illius muros hujusmodi pro iisdem Stationibus, & Indulgentiis conſequendis deputatas, perſonaliter viſitarent, ac omnia & ſingula, quæ pro hujusmodi gratiarum conſequutione quomodolibet requiruntur, plene adimplerent.

Facultas congregationes alias in Collegiis Societatis extra Urbem erigendi, ac primariæ aggregandi.

§. 3. Præterea, eidem Claudio, & pro tempore exiſtenti Præpoſito, ſeu Vicario Generali, ut in quibusvis aliis dictæ Societatis Collegiis, extrà Urbem prædictam, per Univerſum Orbem tunc, & pro tempore erectis, ſeu eorum Eccleſiis, pro eorumdem piorum operum incremento, quascunque alias, ſeu quæcunque alia Scholarium, ibidem literarum ſtudiis inſiſtentium, & aliorum Chriſti fidelium, ipſi Societati devotorum Congregationes, ſeu Sodalitia ſub eo titulo Annunciationis Beatæ Mariæ, quæ ab ipſa primaria Congregatione, ſeu primario Sodalitio, tanquam membra à capite dependerent, auctoritate prædicta (ſine tamen Societatis, aut Collegiorum & Eccleſiarum hujusmodi præjudicio) erigere, & inſtituere, illasque, ſeu illa eidem primariæ congregationi, ſeu primario Sodalitio aggregare, ac eis ſic erectis, inſtitutis &

Et communicandi indulgentias primariæ conceſſas.

aggregatis, eorumq; Sodalibus prædictas, ac omnes & quascunq; alias indulgentias, peccatorum remiſſiones, relaxationes, gratias, & facultates, tam ſpirituales, quam temporales, ab eodem Prædeceſſore, dictaq; ſede primariæ Congregationi, ſeu primario Sodalitio de cætero concedendas, ita ut Sodales aliarum congregationum, ſeu aliorum Sodalitiorum hujusmodi obſervantes, & exequentes ea, quæ ipſius primariæ Congregationis, ſeu primarii Sodalitii

Soda-

Sodales, pro indulgentiis, remiſſionibus & relaxationibus hujuſmodi conſe- SIXTI V.
quendis obſervare & exequi debebant, eaſdem indulgentias, peccatorum remiſſiones, & relaxationes pariter conſequerentur, facultate aggregandi, & gratias hujuſmodi aliis concedendi dumtaxat excepta, communicare. Nec non tam primariam, ſeu primarium, quam omnes & ſingulas ei aggregandas Congregationes, ſeu omnia & ſingula ei aggreganda Sodalitia hujuſmodi per ſe, vel alium, ſeu alios ejuſdem Societatis Preſbyteros idoneos ad id deputandos, viſitare, & pro earum felici ſtatu, regimine & directione, quæcunq; Statuta, Conſtitutiones & Decreta, licita tamen & honeſta, ſacriſq; Canonibus, & Concilii Tridentini Decretis non contraria, nec non ab ipſo Præpoſito ſeu Vicario, ſi per alium, vel alios deputandos hujuſmodi fierent, examinanda & approbanda, edere, ac poſtquam edita forent, quoties pro eorum, & temporum qualitate, aut aliàs expediens videbitur, immutare, corrigere, moderari & reformare, aut alia ex integro condere, libere & licite valeret, auctoritate prædicta conceſſit & indulſit, ac Statuta, & Conſtitutiones, & Decreta hujuſmodi, poſtquam edita, immutata, correcta, moderata, reformata & condita forent, ab omnibus Sodalibus prædictis inviolabiliter obſervari debere; Nec non ſecundo dictas literas, ſub quibuscunq; ſimilium vel diſſimilium gratiarum revocationibus, ſuſpenſionibus, limitationibus, derogationibus, & aliis contrariis diſpoſitionibus, etiam in favorem Baſilicæ Principis Apoſtolorum de Urbe, ſeu Cruciatæ Sanctæ, aut aliàs, per dictum Prædeceſſorem, vel alios Romanos Pontifices ſucceſſores ſuos, aut Sedem Apoſtolicam, etiam motu proprio, & ex certa ſcientia, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, ſeu ad quorumvis Imperatorum, Regum, Reginarum, Ducum, & aliorum Principum inſtantiam pro tempore quomodolibet factis, minime comprehendi; ſed ſemper ab illis exceptas, & quoties illæ emanarent, toties in priſtinum ſtatum reſtitutas, repoſitas, & plenarie redintegratas eſſe, & cenſeri; ac omnibus, quos illæ concernerent, ſuffragari debere; nec non, ſi ſecus ſuper iis, à quoquam, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter attentari contingeret, irritum & inane decrevit.

Item Statuta condendi.

§. 4. Et ſucceſſive Nos nuper, per reliquas noſtras literas eidem Claudio, & pro tempore exiſtenti Præpoſito, ſeu Vicario hujuſmodi, ut in quibusvis ejuſdem Societatis Eccleſiis, ſeu Domibus, ac Collegiis, tam in dicta Urbe, quam extra eam, per univerſum orbem nunc, & pro tempore erectis, ſeu erigendis, & inſtituendis, quasvis alias ſive Scholarium tantum, ſive aliorum Chriſti fidelium tan-

Extenſio præcedentis facultatis, ad plures etiam non Scholarium congregationes, in quibusvis Societatis locis erigendum.

SIXTI V. tantum, ſive utrorumque ſimul, tam ſub eodem Beatæ Mariæ Annunciatæ, quam alio quovis titulo, & invocatione, Congregationes ſeu Sodalitia, unum ſcilicet, ſeu plura in ſingulis locis, vel Eccleſiis, pro perſonarum frequentia, ſeu qualitate, auctoritate noſtra, ſive alicujus præjudicio, perpetuo erigere, & inſtituere, illaſque ſeu illa, poſtquam erectæ ſeu erecta forent, eidem primariæ Congregationi, ſeu primario Sodalitio aggregare, nec non illis, eorumque Sodalibus, Scholaribus, & non Scholaribus omnes, & ſingulas, tam plenarias, quam alias indulgentias, & peccatorum remiſſiones, ac relaxationes, nec non exemptiones, immunitates, cæteraſque gratias, facultates, indulta, & privilegia Spiritualia, & temporalia, tam primariæ ſeu primario hujuſmodi, quam ſingulis aliis, in quibusvis dictæ Societatis Collegiis vel Domibus aggregatis, vel aggregandis Scholarium, & aliorum Congregationibus, ſeu Sodalitiis, hactenus tam per dictum, quam quoſcunque alios Romanos Pontifices Prædeceſſores noſtros, ac Nos, & Sedem prædictam, ac etiam Imperiali & Regia auctoritate, nec non tam per viam extenſionis quam alias quomodolibet, & quandocunque conceſſas, & conceſſa eatenus, & in poſterum concedenda quibuſcunque aliis; ſive Scholarium dumtaxat, ſive aliorum Chriſti fidelium tantum, aut Scholarium & Chriſti fidelium ſimul, ac mixtim Congregationibus, ſeu Sodalitiis, in quibuslibet Collegiis, aut Domibus dictæ Societatis, eouſque inſtitutis, ac impoſterum inſtituendis, eorumque Sodalibus, Scholaribus, & non Scholaribus communicare, illaſque, & illa ad Congregationes, ſeu Sodalitia, earumque, ſeu eorum Sodales, etiam non Scholares indifferenter, & æque principaliter extendere, ac etiam illis concedere & elargiri libere, & licite valeret: Ita quod ex tunc de cætero, ipſi Sodales Scholares, & non Scholares, quicunq; eſſent, faciendo & obſervando ea, quæ Sodales primariæ, ſeu primarii, & aliarum, ſeu aliorum, Congregationum, aut Sodalitiorum hujuſmodi, pro indulgentiis, remiſſionibus, relaxationibus, & aliis gratiis prædictis conſequendis facere, & exequi tenebantur; ipſas indulgentias, etiam plenarias, & alias hujuſmodi gratias plenarie, & integre conſequerentur, illiſque fruerentur, & potirentur, ac ſi illæ eis ſpecialiter; & ab initio conceſſæ fuiſſent, auctoritate Apoſtolica prædicta perpetuo indulſimus; Nec non prædicti Gregorii Prædeceſſoris literas, & in eis contenta quæcumque tam reſpectu Congregationum, ſeu Sodalitiorum hujuſmodi, quam dicti Claudii, & pro tempore exiſtentis dictæ Societatis Præpoſiti; ſeu Vicarii Generalis, ad Congregationes ſeu Sodalitia Scholarium,

Aggregandum.

Et aggregatis indulgentias communicandum.

um,& aliorum quorumcunq; Chriſti fidelium non Scholarium,tam erectas, ſeu erecta,quam impoſterum erigendas,ſeu erigenda,ac aggregandas,ſeu aggreganda ſimiliter perpetuo extendimus, & ampliavimus, prout in ſingulis literis prædictis plenius continetur. SIXTI V.

§. 5. Cum autem, ſicut exhibita Nobis nuper, pro parte dicti Claudii Præpoſiti, petitio continebat, a nonnullis dubitetur, utrum ipſe, & pro tempore exiſtens dictæ Societatis Præpoſitus, ſeu Vicarius Generalis vigore noſtrarum dictarum literarum, & per eas ſibi conceſſæ facultatis, poſſit etiam Congregationes, ſeu Sodalitia perſonarum,quæ in Collegiis, ſeu Seminariis, vel aliis locis ſub directione,& inſtitutione,aut gubernio ipſius Societatis,vel perſonarum illius degunt,& morantur,præſertim earum,quæ perNos & Prædeceſſores noſtros Romanos Pontifices, ac ſedem prædictam, & ejus Nuncios,vel Legatos inſtituta,vel ordinata ſunt,de novo erigere,inſtituere,aggregare,ac Indulgentias & alias gratias,quibus aliæ,ſeu alia,Congregationes,ſeuSodalitia potiuntur& gaudent,ac in futurum potientur,& gaudebunt,communicare. Pro parte ejusdem Claudii Præpoſiti, nobis fuit humiliter ſupplicatum, quatenus in præmiſſis opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. *Petitio.*

§. 6. Nos omnem dubitandi materiam circa præmiſſa quomodolibet inſurgentem tollere cupientes,ac ipſum Claudium Præpoſitum, a quibusvis excommunicationis,ſuſpenſionis & interdicti, aliisq; Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris & pœnis,a jure,vel ab homine,quavis occaſione vel cauſa latis,ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtit,ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum harum ſerie abſolventes, & abſolutum fore cenſentes, nec non ſingularum literarum prædictarum etiam veriores & totos tenores,illarumq; emanationis cauſas & occaſiones, præſentibus pro expreſſis habentes, hujusmodi ſupplicationibus inclinati eidemClaudio,& pro tempore exiſtenti dictæ Societatis Præpoſito,ſeu Vicario Generali, ut quascumque, ſeu quæcumque, Congregationes,ſeuSodalitia,unam,ſeu unum,vel plures,ſeu plura dictarum perſonarum in ſingulis Collegiis,Domibus ſeu ſeminariis, vel locis ſub directione, gubernio, adminiſtratione vel inſtitutione ipſius Societatis IESV, ſeu illius perſonarum exiſtentibus,vel ab ea dependentibus,ſub quovis titulo ſeu Invocatione modo præmiſſo, ac ſine ejusdem Societatis IESV præjudicio,etiam de novo erigere & inſtituere, illasque,ſeu illa,poſtquam erectæ,vel erecta fuerint, & etiam alias jam erectas & inſtitutas, eidem primariæ, ſeu primario, *Confirmatur iterumq; conceditur facultas Generali, etiam in ſeminariis & locis ſub Societatis gubernio exiſtentibus denuo erigendi ſub quovis titulo.* *Primaria Romana aggregandi.*

SIXTI V. *Et indulgentias communicandi primariæ & aliis ante conceſſas.*

Congregationi, vel Sodalitio aggregare, nec non illis omnes, & quaſcumque gratias, indulgentias etiam plenarias, & peccatorum remiſſiones, privilegia, immunitates & indulta, eidem Primariæ, ſeu Primario, Congregationi ſeu Sodalitio & aliis tam Apoſtolica, Imperiali & Regia, quam quavis alia auctoritate conceſſa, & impoſterum concedenda, communicare, concedere, & elargiri libere & licite valeat; licentiam & facultatem omnimodam, Apoſtolica auctoritate prædicta, tenore præſentium perpetuo concedimus, nec non ſingulas literas prædictas, & in eis contenta quæcumque, ad Congregationes ſeu Sodalitia in dictis Seminariis, Domibus, ſeu Collegiis, aliisq; locis, ſub directione, gubernio, adminiſtratione vel inſtitutione ejusdem Societatis, ſeu illius perſonarum exiſtentibus, vel ab eis quomodolibet dependentibus inomnibus, & per omnia auctoritate & tenore prædictis, etiam perpetuo extendimus, & ampliamus.

Si feſtum transferri contigerit, etiam transferri poſſunt Indulgentiæ.

§. 7. Et inſuper de omnipotentis Dei miſericordia, ac Beatorum, Petri & Pauli Apoſtolorum, ejus auctoritate confiſi, Indulgentias & peccatorum remiſſiones, & relaxationes Congregationibus ſeu Sodalitiis hujusmodi, ſub invocatione ejusdem Annunciationis Beatæ Mariæ erectis, & erigendis, pro illarum, vel illorum perſonis, in Feſto Annunciationis hujusmodi Eccleſias vel Capellas viſitantibus conceſſas, omnibus & ſingulis Congregationibus ſeu Sodalitiis, quæ ſub quacumq; alia invocatione ſeu titulo erectæ vel inſtitutæ, ſeu erecta vel inſtituta ſunt, ſeu inpoſterum erigentur & inſtituentur, pro eorum, ſeu earum perſonis viſitantibus Eccleſias, Capellas, Oratoria, ſeu loca, in quibus erunt in die Feſtivitatis, ſeu ſolemnitatis, invocationis, ſeu tituli, ſub qua, ſeu quo inſtitutæ ſunt, vel inpoſterum inſtituentur, ita quod in eventum, in quem officium ejusdem Annunciationis, ſeu cujusvis alterius Feſti, ſeu tituli invocationis Congregationum, ſeu Sodalitiorum hujusmodi transferri contigerit, Indulgentiæ prædictæ ſimiliter in diem translationis hujusmodi arbitrio Superioris loci dictæ Societatis transferri poſſint, auctoritate Apoſtolicâ, & tenore prædictis ſimiliter perpetuo concedimus & elargimur.

Non obſtantibus &c.

§. 8. Non obſtantibus præmiſſis, ac noſtra, quatenus opus ſit, de Indulgentiis ad inſtar non concedendis, & aliis Apoſtolicis Conſtitutionibus nec non omnibus illis, quæ nos in noſtris, & dictus Gregorius Prædeceſſor in ſuis literis prædictis, voluimus non obſtare, cæterisque contrariisque quibuscumque.

Tranſumptis habeatur fides.

Volumus autem, ut earumdem præſentium tranſumptis, etiam impreſſis, Secretarii ipſius Societatis & Notarii publici manu, & perſonæ alicujus in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ, vel pro tempore exiſtentis Præpoſiti, aut

aut Vicarii Generalis ejusdem Societatis ſigillo munitis, eadem prorſus fides ubique locorum in Judicio, & extra adhibeatur, quæ adhiberetur eisdem præſentibus, ſi eſſent exhibitæ vel oſtenſæ. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ abſolutionis, extenſionis, ampliationis, conceſſionum, elargitionis & voluntatis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus, ſe noverit incurſurum. Datum Romæ apud Sanctum Marcum. Anno incarnationis Dominicæ milleſimo quingenteſimo octogeſimo ſeptimo. Tertio Kal. Oct. Pontificatus noſtri Ao. Tertio.

R. BERGERIVS.

S. D. N.
GREGORII PAPÆ XIV

Conſtitutio, quâ Societatis inſtitutum & ratio gubernandi confirmantur: & ne quid contra hæc à quoquam tentetur, graviter interdicitur.

GREGORIVS *Epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, Ad perpetuam rei memoriam.*

ECcleſiæ Catholicæ, cui Deo auctore præſumus, decor atque utilitas poſtulat, ut, cùm in omnibus illius membris fovendis, atque ornandis aſſiduè nobis laborandum ſit: in illa tamen præcipuam vigilantiæ noſtræ partem impendere debeamus, quæ non modò ipsa per ſe robur ac pulchritudinem corpori huic myſtico afferunt; ſed ceteras etiam ejusdem partes, vel disruptas conſolidare, vel integras cuſtodire, vel fœdatas eluere, atque etiam ornare valeant. Inter hæc autem quem locum obtineant religioſi Ordines, præſertim verò qui proximorum utilitati deſerviunt, non obſcurè perſpicimus, cum & ſuperiora tempora & præſentia diligenter attendimus. In his verò Religio Societatis IESV, quam noviſſimis hiſce diebus divina providentia excitavit, adeò ſtrenuè laboravit, ac ſine intermiſſione laborat, ut illius vel turbationem, & infirmitatem ad commune Eccleſiæ damnum; vel pacem atque integritatem, ad ejusdem utilitatem maximè pertinere putemus. Et quoniam neque tranquillitati, neque firmitati hujusmodi Ordinum proſpectum eſſe poterit, niſi eorum inſtituta firmiter inconcuſſa ſerventur: iisdemque modis feliciter progrediantur, & creſcant, quibus à Fundatoribus, Domino inſpirante, atque

Societas commendatur.

Regulares Ordines eisdem modis creſcere debent, quibus fundati ſunt.

SIXTI V. hac ſanctâ Sede approbante, primum fundati ſunt; neceſſarium duximus ea, quæ ab Ignatio hujus Ordinis fundatore ordinata, & à prædeceſſoribus noſtris Romanis Pontificibus circa ejusdem Societatis Inſtitutum ſancita ſunt, Apoſtolicæ firmitatis munimine denuò roborare. Quamvis enim præfatæ Societatis inſtitutum jam inde ab ejus primordiis fuerit per fel. rec. PAVLVM III & IVLIVM etiam III Romanos Pontifices prædeceſſores noſtros approbatum; & à fel. rec. GREGORIO XIII etiam prædeceſſore noſtro, primò per ejus quasdam litteras ſub Dat. Kal. Febr. Pontificatus ejus anno undecimo: deinde copioſiùs per Conſtitutionem, quæ incipit, *Aſcendente Domino*, confirmatum; nihilominus tamen non idcircò defuerunt, qui adhuc ſub zeli & boni ſpecie, aliqua ex iis, quæ in dictis Pontificis approbationibus & confirmationibus continentur, & alia etiam quæ ad Inſtitutum, & rationem gubernandi dictæ Societatis pertinent, variis modis impugnare: quin etiam apud piæ mem. SIXTVM PP. V prædeceſſorem item noſtrum oblatis libellis, & variis excogitatis modis traducere, & calumniari, atque ut ea, quæ conſultiſſimè ſancita erant, infringerentur, conari veriti non fuerint; inſtantes ſcilicet, ut res & negotia Societatis non per Superiores, ut hactenus juxta illius Conſtitutiones, & Apoſtolica diplomata factum eſt, ſed per Capitula, ſeu Congregationes definiantur: ut electiones tam Provincialium, quàm Superiorum localium non à Præpoſito Generali juxta hujusmodi Conſtitutiones ac diplomata, ſed in Capitulis eisdem fiant: ut Novitii in Societatem, & ad vota Scholaſticorum, peracto biennio Novitiatus, in Capitulis eisdem admittantur: ut Profeſſioni certum, ac præfixum tempus ſtatuatur, quo exacto, per ſuffragia Congregationis religioſi hujusmodi ad Profeſſionem admittantur: ut qui juxta Inſtitutum ac formulam ipſam votorum, quâ voverunt, ſanctæque hujus Sedis approbationem à Societate dimittuntur, non niſi ordinarii judicii formâ ſervatâ, dimittantur. Illa etiam in controverſiam & examen eodem tempore adducta fuêre, nempe, Nomen ipſum Societatis IESV, quod non eſſet ita deinceps vocanda: Religioſos non profeſſos non debere ad ſacros ordines promoveri: Hujusmodi religioſos non eſſe prohibendos, quin ad alios regulares Ordines tranſire; ſimiliter nec laicos, ut ad Sacerdotium, nec alios non profeſſos, ut ad Profeſſionem, aut ad gradus mutationem aſpirare poſſint: Facultatem prætereà eos, qui profeſſi non

Summorum Pontificum inſtitutis Societatis approbationes.

Impugnantium inventa, & præſumtiones.

Quædam in dubium vocata.

non ſunt, dimittendi non probari. Quibus, & hujusmodi aliis novis impugnantium inventis ſi aditus pateret, univerſa Societatis ſtructura labefactaretur atque convelleretur. Nos igitur, hujusmodi impugnationibus diligenter conſideratis, & perpenſo circa reliqua, quæ in controverſiam & examen deducta fuerant, nonnullorum Venerabilium Fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium judicio, qui ex mandato ejusdem SIXTI prædeceſſoris illa accuratè diſcuſſerant & examinaverant: Simul etiam perpendentes, primùm quidem quòd modus ille res & negotia per Capitula definiendi, optimum Societatis ordinem, ac univerſam gubernandi rationem prorſus everteret; illam enim Ignatius Fundator, quamvis Superiorum conſilium prudentiamque, ac rerum experientiam adjuvare & promovere curaverit, adhibitis ſcilicet tam Generali Præpoſito, quàm ſingulis aliis Superioribus tum Provincialibus, tum localibus, ſuis ex ſelectioribus Conſiliariis atque Admonitoribus; monarchicam tamen, & in definitionibus unius Superioris arbitrio contentam eſſe decrevit. Deinde quòd ratio Capitularium electionum maxima ipſi Societati afferret incommoda; in quâ, licet electiones quædam primariæ, cujusmodi ſunt Generalis Præpoſiti, ac illius Aſſiſtentium, & Admonitoris in generalibus Congregationibus; in Provincialibus verò, tam eorum, qui Generalem Præpoſitum eligere, vel generali ipſi Congregationi cum jure ſuffragii intereſſe; quàm Procuratorum etiam, qui è ſingulis Provinciis quolibet triennio in Vrbem ad Procuratorum Congregationem mittuntur; & ejusmodi quædam aliæ electiones per ſecreta ſcrutinia, & deciſiva ſuffragia fiant; In reliquis nihilominùs proprii cujusque gradus judicium, & officiorum diſcretio ac diſtributio, juxta Conſtitutiones easdem, & Apoſtolica diplomata ipſius Inſtituti confirmatoria prædictorum PAVLI III ac IVLII etiam III prædeceſſorum noſtrorum, tota eſt in ipſius Præpoſiti Generalis manu. Quam Præpoſiti Generalis, ac reliquorum illi ſubordinatorum Superiorum auctoritatem nonnulli impugnatores multis modis contrahere ac enervare tentarunt: denique quòd in ipſorum dimiſſionibus, qui juxta formulam Votorum ſimplicium in Conſtitutionibus expreſſam voverunt, quosque in Societate retinere non expedit, nec contractus vitiosè claudicet, nec ulla alia interveniat injuſtitia. Conſiderantes inſuper, quòd in regularis diſciplinæ, ac ſpiritualis perfectio-

SIXTI V.

Ratio gubernandi in Societate.

Primariæ quædam electiones in Congregatione fiunt.

Graduum diſcretio, ac officiorum diſtributio eſt in manu Præpoſiti.

In ſimplicibus Societatis Votis, nec contractus vitiosè claudicat, nec injuſtitia ulla intercedit.

GREG. XIV. fectionis non exiguum detrimentum, totiusque ordinis perturbationem maximam atque perniciem vergeret, ſi ea, quæ à Fundatoribus ſanctè ſtatuta ſunt, atque ab univerſo ipſo Ordine ſæpiùs in illius generalibus Congregationibus recepta & approbata, &, quod præcipuum eſt, ab hac ſanctà Sede ſancita & confirmata ſunt, non ſolum mutari, ſed quocumque prætextu impugnari ac labefactari contingat; omni nobis ſtudio curandum eſſe duximus, ejusmodi novitatibus, ac temerariis impugnantium præſumptionibus omnem aditum præcludere, ac Societatis indemnitati proſpicere: ut hac ratione Societas ipſa noſtro & Apoſtolicæ Sedis præſidio munita, atque in ſui Inſtituti puritate, & Regularis diſciplinæ integritate, quiete ac pace conſervata, uberiores in dies fructus in agro Domini pergat, ipſo Domino adjuvante, alacriter, absque impedimento proferre. Motu igitur proprio, & ex certa ſcientiâ noſtrâ, deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, laudabile ipſius Societatis Inſtitutum, Conſtitutionesque omnes, ac ſtatuta & decreta, & quæ illud concernunt præmiſſa omnia, & ſingula, prædictaque, ac quæcumque alia ejus privilegia, facultates, exemptiones, immunitates, gratias, & indulta à prædictis, ſeu etiam ab aliis prædeceſſoribus noſtris, etiam per communicationem, conceſſa, qualiacumque illa, ac ſi ad verbum præſentibus infererentur, pro expreſſis habentes, tenore præſentium approbamus & confirmamus; ſupplentes omnes juris ac facti defectus, ſi qui intervenerunt in eisdem.

Nova Inſtituti, Conſtitutionum, ac præmiſſorum omnium, & privilegiorum Societatis confirmatio.

Et nihilominùs hac noſtrâ perpetuò valiturâ Conſtitutione, Motu, ſcientia, & poteſtatis plenitudine ſimilibus, ſtatuimus, decernimus, & ordinamus, ut in Societatis prædictæ Congregationibus quibuscumque eo prorſus modo procedatur, atque ea tantum tractentur & definiantur, quæ in Conſtitutionibus, ac Congregationum generalium decretis ſtatutum jam eſt, vel in poſterum ſtatuetur, ut in eisdem Congregationibus tractentur & definiantur.

In Congregationibus procedatur juxta Conſtitutiones & decreta.

Electio verò Superiorum tam Provincialium, & Viſitatorum, quàm quorumcumque localium tota ſit penes Præpoſitum Generalem juxta Conſtitutiones easdem; prout penes ipſum eſſe, & conſervari diſtrictè præcipimus, cum poteſtate illorum Facultatem revocandi, reſtringendi, & etiam augendi, ac adminiſtrationis rationem ab illis exigendi, & eosdem ab officio removendi, prout in Domino judicaverit expedire.

Superiorum electio tota ſit penes Præpoſitum.

Novitios etiam, tam in eorum admiſſione ad Societatem, quàm ad Scholaſticorum vota

Novitii ad Societatem, & Scholaſticorũ vota per Superiores admittendi.

ta

ta poſt biennium Novitiatus juxta Societatis morem, per Superiores admittendos eſſe. Graduum etiam diſcretio, & judicium, ac Coadjutorum tam ſpiritualium, quam temporalium, ſimulque & Profeſſorum promotio juxta hujuſmodi Conſtitutiones ſimiliter ſit in manu Præpoſiti Generalis. Tempus autem promotionis ad hujuſmodi gradus, nullo modo volumus certum ſeu determinatum eſſe; ſed Conſtitutiones ac diplomata prædicta hac etiam in parte omnino obſervari volumus & mandamus; quæ ſtatuunt ſelectos tantùm ſpiritus & doctrinæ viros, & multùm diuque exercitatos, ac in variis probationibus virtutis, & abnegationis ſui ipſorum, cum omnium ædificatione & ſatisfactione, ſatis cognitos ad Profeſſionem eſſe admittendos; & denique non niſi cùm Societati, vel ejus Præpoſito Generali fuerit ab eis plenè in Domino ſatisfactum. Omnis verò auctoritas, omnes denique facultates per dictæ Societatis Conſtitutiones, & Apoſtolica diplomata Præpoſito Generali conceſſæ, tam in iis quæ ipſe per ſe exercere debet, quàm in communicatione Provincialibus, & Viſitatoribus, ac aliis quibuſcumque Superioribus per ipſum facienda, integrè & inviolatè conſerventur. Quoniam, ut ratio ipſa docet, & Ignatius Fundator prudenter animadvertit; ad hoc ut Societas benè gubernetur, valde expedit, ut Præpoſitus Generalis omnem habeat in eâ auctoritatem ad ædificationem, ex quâ præter cetera quàm plurima, illud ſequetur commodi, ut univerſus Ordo ad monarchicam gubernationem compoſitus maxime ſervetur unitus; ipſiuſque membra per univerſum orbem diſperſa, per omnimodam hanc ſubordinationem ſuo capiti colligata, promptiùs atque faciliùs à ſummo capite Chriſti in terris Vicario, ad varias functiones juxta eorum peculiarem vocationem, ac ſpeciale votum dirigi atque moveri poſſint. Quod verò attinet ad dimiſſionem, declaramus formam judiciariam adhibendam non eſſe, ſed modum in Conſtitutionibus præſcriptum, & hactenus in ipsâ Societate ſervatum de cetero ſervari volumus, nempe ut etiam ſine aliquo proceſſu, telà, aut ordine judiciario, ac nullis terminis etiam ſubſtantialibus ſervatis, ſolâ facti veritate inſpectâ, culpæ, vel rationabilis cauſſæ tantùm ratione habitâ, ac perſonarum, aliarumque circumſtantiarum (quorum conſideratio ſit cum caritate & prudentia conjuncta) procedi poſſit, auctoritate prædictâ declaramus & decernimus. Quin etiam omnes facultates, omnemque juriſdictionem, quod

ad

GREG. XIV.

Graduum diſcretio, & ad illos promotio ſit in manu Præpoſiti.

Tempus promotionis ad hujuſmodi gradus non ſit determinatum.

Qui ad profeſſionem admittendi. Promoveri non debent, niſi cum Societati fuerit ab eis ſatisfactum.

Omnis auctoritas Præpoſito conceſſa inviolate conſervetur.

Formam judiciariam in dimiſſionibus ſervandam non eſſe.

GREG. XIV. ad ſubditorum correctionem & punitionem pertinet, quibuscumque Ordinibus, eorumque Generalibus hactenus conceſſas, non ad inſtar, ſed æquè principaliter, ipſi Societati, ejusque Præpoſito Generali concedimus, & elargimur. Quo vero ad reliqua, quæ in controverſiam vocata erant, ſic ſtatuimus. Nomen Societatis IESV, quo laudabilis hic Ordo naſcens à Sede Apoſtolicâ nominatus eſt, & hactenus inſignitus, perpetuis futuris temporibus in eâ retinendum eſſe: ac Religioſos hujusmodi poſt emiſſa vota, etſi ſimplicia, ad ſacros, etiam Presbyteratus, ordines juxta Summorum Pontificum conceſſiones, promoveri poſſe: eisdemque, emiſſis hujusmodi votis, ad quemvis alium Ordinem Mendicantium, vel non Mendicantium, (Carthuſienſium dumtaxat excepto) tranſire minimè licere. Laicos, vel alios non Sacerdotes ad Sacerdotium, vel eosdem, aut qui Sacerdotes ſunt, ad profeſſionem, aut cujusvis alterius gradus mutationem aſpirare non debere. Poteſtatem quoque à Societate dimittendi quoſvis non profeſſos ab hac Sede Apoſtolicâ ſæpiùs approbatam; eosque ab omni obligatione votorum juxta Conſtitutiones & diplomata hujusmodi emiſſorum, per dimiſſionem ipſam, per quam vota prædicta ceſſant, liberandi, tamquàm rem magni momenti ad Societatis puritatem & conſervationem retinendam, omnino ratam, intactam, & illibatam eſſe volumus. Et ut perturbatorum, & contradicentium audacia coërceatur; ac ne ipſi, vel pernicioſo eorum exemplo alii in poſterum, quæ ab hac Apoſtolicâ Sede ſemel ſtabilita ſunt, præcipuè circa Regularium Ordinum inſtitutionem & confirmationem, in quibus alioquin ad eamdem Sedem tantùm manus apponere ſpectat, impugnare aut enervare impunè præſumant, aut ullo modo valeant; præcipimus in virtute ſanctæ Obedientiæ univerſis & ſingulis perſonis, tam ſæcularibus quàm quorumvis Ordinum Regularibus, cujuscumque ſtatus, gradus, & præeminentiæ exiſtant, etiamſi Epiſcopali, Archiepiſcopali, Patriarchali, aut majori Eccleſiaſticâ dignitate, ſeu Cardinalatus honore, vel mundanâ quavis auctoritate, ſeu excellentiâ præfulgeant: ipſis verò Regularibus, etiam dictæ Societatis Religioſis, ſub pœnis excommunicationis latæ ſententiæ, nec non inhabilitatis ad quævis officia, & dignitates, vocisque tam activæ, quàm paſſivæ privationis, eo ipſo absque aliâ declaratione incurrendis (quarum abſolutionem Nobis, ac Succeſſoribus noſtris dumtaxat reſer-

Omnes facultates ad correctionem & punitionem aliis Ordinibus conceſſæ, Societati ejusq. Præpoſito conceduntur.

Nomen Societatis JESU eſſe retinendum.

Societatis religioſos emiſſis votis ſimplicibus, ad ſacros ordines promoveri poſſe.

Ad nullum Ordinem (Carthuſ. excepto) eis tranſire licet.

Ad Sacerdotium, vel ad profeſſionem, aut cujusvis gradus mutationem aſpirare non debere.

Perturbatorum audacia coërcetur.

Præcipitur omnibus in virtute ſanctæ obedientiæ;

Regularibus vero etiam ſub excommunicationis latæ ſententiæ, inhabi-

reſervamus) ne dictæ Societatis Inſtitutum, Conſtitutiones, aut decreta, vel ex eis quippiam, aut ex præmiſſis omnibus articulum quemlibet, vel aliud quid ſupradicta concernens, majoris boni, aut zeli, ſeu quovis alio quæſito colore, aut prætextu directè vel indirectè, impugnare, vel immutari, alterari, aut formam aliam, ſeu rationem circa ea induci curare, aut contra, vel præter ea, ſeu quævis alia ipſius inſtituti ſubſtantialia agere: vel quippiam ulli alii, præterquam Nobis, aut Romano Pontifici pro tempore exiſtenti, idque immediatè, vel per noſtrum, aut Sedis Apoſtolicæ Legatum, ſeu Nuntium, vel ipſius Societatis generali Congregationi, aut Præpoſito Generali, addendum, minuendum, aut immutandum, ſive alterandum proponere quoquo modo audeant vel præſumant. Pœnas denique omnes in GREGORII XIII prædeceſſoris prædicti Conſtitutione (*Aſcendente Domino*) contentas, ac Conſtitutionem eamdem, cum omnibus & ſingulis in eâ contentis, ac ſi ea omnia ad verbum præſentibus insererentur, per præſentes approbamus & innovamus. Decernentes præmiſſa omnia & ſingula, nec non præſentes, ac in eis contenta quæcumque nullo unquam tempore, etiam ex eo, quod intereſſe forſan habentes ad id vocati non fuerint, vel alio quocumque prætextu, & ex quavis cauſsâ quantumvis urgenti, legitimâ, & rationabili de ſubreptionis vel obreptionis vitio, aut intentionis noſtræ, vel alio quovis defectu notari, impugnari, invalidari, retractari, annullari, revocari, ad viam juris reduci, in dubium, vel controverſiam revocari, aut adverſus illa quodcumque juris, facti, vel gratiæ remedium impetrari poſſe vel debere: nec ſub quibusvis ſimilium, vel diſſimilium gratiarum revocationibus, ſuſpenſionibus, limitationibus, modificationibus, derogationibus, aut aliis contrariis diſpoſitionibus, comprehendi, ſed ab illis ſemper excepta, & quoties emanabunt, toties in priſtinum, & eum, in quo anteà quomodolibet erant, ſtatum reſtituta, repoſita, & plenariè redintegrata, ac de novo etiam ſub Datâ per Societatem, illiusque Præpoſitum Generalem, & alios Superiores prædictos quandocumque eligendâ, de novo conceſſa, ac etiam confirmata, & approbata, validaque, efficacia, & illibata, etiam absque eo quòd deſuper à dicta Sede illorum ulterior reſtitutio, revalidatio, confirmatio, ſeu Nova conceſſio impetranda ſit, fore, & eſſe, ſuoſque plenarios & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac easdem præſentes litteras ad probandum plenè omnia

GREG. XIV.

litatis, ac Societatis activæ & paſſivæ privationis pœnis eo ipſo incurrendis;

Ne Societatis Inſtitutũ, Conſtitutiones, aut decreta, impugnent, vel alterari curent:

Aut contra vel præter ea agant, vel quidpiam ulli alii alterandum præterquam Roman. Pontif. idque immediatè, vel per Legatum, aut Societati, vel Præpoſito proponant.

Innoventur pœnæ Conſtit. fel. rec. GREGORII XIII *omniaque in ea contenta confirmantur.*

Præſentes de ſubreptionis vitio notari non poſſe.

Nec ſub quibusvis revocationibus comprehendi.

GREG. XIV. & ſingula præmiſſa ſufficere, nec ad id alterius probationis adminiculum requiri. Sicque in præmiſſis omnibus, & ſingulis per quoscumque Judices & Commiſſarios, etiam cauſſarum Palatii Apoſtolici Auditores, ac Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales, etiam de Latere Legatos, in quavis cauſſa & inſtantia, ſublata eis, & eorum cuilibet, quavis aliter judicandi & interpretandi facultate & auctoritate, judicari & definiri debere: nec non irritum & inane quidquid ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate, ſcienter vel ignoranter contigerit attentari. Mandantes univerſis & ſingulis Patriarchis, Archiepiſcopis, Epiſcopis, ac ceteris Eccleſiarum & Locorum etiam Regularium Prælatis per univerſum orbem conſtitutis, ut præſentes litteras, in ſuis quisque Eccleſiis, provinciis, civitatibus, diœceſibus, & jurisdictionibus ab omnibus inviolatè obſervari faciant. Quin etiam Præpoſitum, ac perſonas Societatis hujusmodi defendant, eosque præmiſſis omnibus, & ſingulis pacificè frui faciant & gaudere; non permittentes, ipſos per quoscumque quomodolibet moleſtari, contradictores per cenſuras Eccleſiaſticas, & alia juris & facti remedia opportuna, appellatione poſtpoſitâ, compeſcendo, invocato ad hoc etiam, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſæcularis. Non obſtantibus tam ipſius SIXTI prædeceſſoris ſuper modo & formâ admittendi Novitios ad Religionem, quàm aliis quibusvis Conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, aut decretis per eumdem, vel quoslibet alios prædeceſſores noſtros, etiam vivæ vocis oraculo, aut alias quomodolibet editis, ac etiam aliorum ordinum juramento, confirmatione Apoſtolicâ, vel quauis firmitate aliâ roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis & litteris Apoſtolicis quibuscumque; hujusmodi Ordinibus, Vniverſitatibus, locis aut perſonis per quoscumque Romanos Pontifices prædeceſſores noſtros, ac Nos, & Sedem prædictam, etiam Motu proprio, & ex certâ ſcientiâ, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, & cum quibusvis irritatoriis, annullativis, caſſativis, revocativis, modificativis, præſervativis, exceptivis, declarativis, mentis atteſtativis, ac derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, & inſolitis clauſulis, irritantibusque, & aliis decretis in genere, vel in ſpecie, ac aliàs quomodolibet etiam pluries conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis, etiamſi in eis caveatur expreſsè, quod illis nullatenus, aut non niſi ſub certis modo & formâ in illis expreſſis derogari poſſit, pro

Sic judicari debere.

Mandatur ordinariis, ut curent præſentes litteras ab omnibus obſervari.

Non obſtantibus &c.

pro illorum ſufficienti derogatione, de illis, eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica & expreſſa mentio habenda, ſeu aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſervanda foret; tenores hujusmodi præſentibus pro ſufficienter expreſſis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat ſpecialiter, & expreſsè derogamus, contrariis quibuscumque: aut ſi aliquibus communiter, vel diviſim ab eadem Sede ſit indultum, quòd interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint per litteras Apoſtolicas non facientes plenam & expreſſam, ac de verbo ad verbum, de indulto hujusmodi mentionem. Præſentis autem Conſtitutionis & gratiæ communicationem omnibus aliis, qui ſua privilegia cum ipsâ Societate copioſè participant, participareque poterunt quomodolibet in futurum, fieri omnino prohibemus. Ceterùm volumus, ut præſentium tranſſumptis, etiam impreſſis, manu Secretarii dictæ Societatis, vel Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo Præpoſiti Generalis ejusdem Societatis, vel alterius perſonæ in dignitate Eccleſiaſticâ conſtitutæ munitis, eadem omnino fides habeatur in judicio & extra illud, quæ litteris ipſis originalibus haberetur, ſi eſſent exhibitæ vel oſtenſæ. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ approbationis, confirmationis, ſuppletionis, ſtatuti, ordinationis, decretorum, conceſſionis, elargitionis, præcepti, reſervationis, innovationis, mandati, declarationis, derogationis, prohibitionis, & voluntatis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, ac BB. Petri & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum Romæ, apud S. Petrum, anno Incarnationis Dominicæ milleſimo quingenteſimo nonageſimo primo, IV Kalendas Iulii, Pontificatus noſtri anno primo.

GREG. XIV.

Præſens conceſſio non communicatur.

Tranſumptis habeatur fides.

L. Dat.

M. Veſtrius Barbianus.

A. de Alexiis.

Regiſtrata apud Marcellum Secretarium.

GREG. XIV. Anno à Nativitate Domini M. D. XCI. Indict. IV. Die verò Veneris, XXVIII Menſis Junii, Pontificatus Sanctiſſimi in Chriſto Patris & D. N. D. GREGORII Divinâ providentia Papæ XIV. anno primo. Retroſcriptæ litteræ Apoſtolicæ affixæ, lectæ, & publicatæ fuerunt, & per aliquod temporis ſpatium dimiſſæ in Valvis Baſilicarum Principis Apoſtolorum de Vrbe, & S. Joannis Lateranenſis; nec non Cancellariæ Apoſtolicæ, & Aciei campi Floræ, per nos Laërtium Cecchettum, & Franciſcum Baron S. D. N. Papæ Curſores.

Claudius Mongeat Magiſter Curſorum.

GREGORII XIV
FACVLTAS NOVITIOS

Juxta Conſtitutiones admittendi, & cum illegitimis diſpenſandi, Societati reſtituitur, & de novo conceditur.

ANNO M. D. XCI.

GREGORIVS PAPA XIV.

Ad perpetuam rei memoriam.

EXponi nobis nuper fecit dilectus filius Claudius Aquaviva Societatis IESV Præpoſitus Generalis, quòd, cùm in ipſa Societate, juxta illius inſtitutum Apoſtolicâ auctoritate confirmatum, nec Conventus, ſeu Congregationes generales, niſi ad Præpoſitum Generalem eligendum, & aliàs rariſſimè, & ex cauſſis tantum magni momenti; neque Provinciales, in quibus, juxta felicis rec. SIXTI Papæ V prædeceſſoris noſtri priorem de Novitiis admittendis Conſtitutionem, quæ incipit, *Cum de omnibus*, Novitii ipſi admitti deberent; frequentiùs, quàm ſingulis trienniis, cogantur: Et dum hæ coguntur, duodecim ad ſummum dies durare, in quibus non de Novitiis admittendis, ſed graviora alia, juxta Societatis ejusdem Conſtitutiones, tractari debent. Ratio verò deputandi eos, qui Novitios extra Congregationes ipſas, juxta poſteriorem ejus-

ejuſdem prædeceſſoris declarationem, admittere poſſint; primùm quidem valdè difficulter & incommodè in praxim deduci poſſit: præſertim in regionibus Aquilonaribus, & Vltramarinis, propter magnam Collegiorum inter ſe diſtantiam, & ſæpiſſimè etiam propter itinerum difficultates, bellaque, & alia pericula. Denique etiam in univerſum modus ille minus exactus ſit eo modo, quem Societas ipſa ſequitur, cùm in illo duo vel tres deputati ſufficiant, in hoc plures communiter interveniant. Et poſtremo, cùm ratio illa decernendi valde differat à modo, quem Societatis Conſtitutiones, & Apoſtolica diplomata in deliberationibus faciendis, ac universâ illius gubernatione præſcribunt; juxta quem modum, Superior (auditis in rebus alicujus momenti Conſultoribus) decernit, quod ſibi ad majorem Dei gloriam facere videtur. Admiſſio autem illa per deputatos, cùm ad eorum ſuffragia non conſultiva (ut ſunt in Societate) ſed deciſiva fieri debeat, diverſitatem non parvam in Societatem inducit. Quare nobis humiliter ſupplicari fecit dictus Claudius, quatenus ſtatui & indemnitati dictæ Societatis conſulentes, in præmiſſis opportune providere de benignitate Apoſtolicâ dignaremur. Nos igitur, qui Societatem prædictam, propter ejus in Eccleſiâ Dei uberes fructus, ſinceris ſemper amplexi ſumus affectibus; atque, ut uberiores in dies proferre valeat, integram & intactam illi ſuos Novitios admittendi, & tam cum illis, quàm cum veteranis illegitimis diſpenſandi, facultatem ſervari cupimus; prædictum Claudium ſpecialibus favoribus & gratiis proſequi volentes, & à quibusvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliisque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis à jure vel ab homine, quavis occaſione vel cauſâ latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtit, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutum fore cenſentes, hujusmodi ſupplicationibus inclinati, Societati prædictæ, ut ex nunc deinceps perpetuis futuris temporibus tam in Novitiis, etiam cujusvis generis illegitimis admittendis, quam in diſpenſationibus ad quælibet officia, gradus, & dignitates in Societate obtinenda, ipſis cujusvis generis illegitimis concedendis formam & rationem omnimodam in illius Apoſtolicis diplomatis ac privilegiis quibusvis, nec non & in Conſtitutionibus, decretis, & regulis expreſſam, liberè & licitè proſequi & retinere valeat, Apoſtolicâ auctoritate decernimus; &, quatenus opus ſit, etiam de novo concedimus & indulgemus, eamque perpetuò obſervari volumus & mandamus.

GREG. XIV.

Facultas Novitios juxta Conſtitutiones admittendi, & cum illegitimis diſpenſandi.

GREG. XIV. damus. Prædictis ac noſtra nuper editâ, quæ incipit, *Circumſpecta*, aliiſque Conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis non obſtantibus quibuscumque. Volumus autem, quod præſentium tranſſumptis etiam impreſſis, manu dictæ Societatis Secretarii, aut Notarii publici ſubſcriptis, ac perſonæ alicujus in Eccleſiaſtica dignitate conſtitutæ, ſeu Præpoſiti Generalis pro tempore exiſtentis ejusdem Societatis, ſigillo munitis, eadem prorſus fides ubique locorum, in judicio, & extra illud adhibeatur, quæ eisdem præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ vel oſtenſæ. Datum Romæ, apud S. Marcum, ſub annulo Piſcatoris, die xxx Auguſti, M. D. XCI. Pontificatus noſtri anno primo.

Non obſtantibus, &c.

Tranſumptis habeatur fides.

M. Veſtrius Barbianus.

Super quibus omnibus, & ſingulis præmiſſis tamquàm ritè, rectè, & legitimè factis auctoritatem, & decretum dictæ Curiæ, atque noſtram interponendam duximus, & interpoſuimus, prout interponimus præſentium per tenorem. In quorum omnium, & ſingulorum fidem, præmiſſorumque robur, & teſtimonium præſentes noſtras exinde fieri, per Notarium noſtrum publicum infraſcriptum ſubſcribi, & publicari, ſigillique Rev. Cameræ Apoſt. quo in talibus utimur, juſſimus, & fecimus impreſſione muniri. Datum Romæ, in Palatio noſtro judiciali, horâ veſperorum Audientiæ cauſſarum conſuetâ, ſub anno à Nativitate D. N. IESV *Chriſti* M. D. XCVIII, *Indictione* XI. *die verò* X *menſis Novembris, Pontificatus Sanctiſſimi in Chriſto Patris, &* D. N. D. CLEMENTIS *divinâ providentiâ Papæ* VIII *anno ſeptimo. Præſentibus ibidem Dominis Marco Antonio Bruto, & Joan. Franciſco Vgolino, ejusdem noſtræ Curiæ Notariis, teſtibus ad præmiſſa omnia, & ſingula vocatis, habitis ſpecialiter, atque rogatis.*

BRE-

BREVE SANCTISS. D. N.
CLEMENTIS VIII.

Quo Societatis Religioſis uſus Bullæ Cruciatæ, quoad eligendum Confeſſarium, & obtinendam abſolutionem à reſervatis interdicitur.

ANNO M. D. XCV.

CLEMENS PAPA VIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

ROmanus Pontifex ad ea ſollicitudinis ſuæ partes intendere debet, per quæ Religioſorum ſtatus in pace & quiete tutius conſervatur. Sanè cum ratio doceat, & experientia compertum ſit, Religionibus valdè perniciosum exiſtere, ut earum Religioſis licitum ſit Confeſſarium ſibi eligere; & licet fel. record. GREGORIUS Papa XIII Prædeceſſor, per ſuas in forma Brevis litteras expreſſe prohibuerit, ne Religioſi Societatis IESU facultatibus Cruciatæ Sanctæ uti absque Superiorum ſuorum licentia valerent; nihilominùs, quia nonnulli exiſtimant, ex clauſulis litterarum dictæ Cruciatæ cuicumque ipſius Societatis privilegio derogari, & proptereà ipſis Religioſis hujusmodi facultatibus uti licitum eſſe; ſpeciali ad hoc noſtro, & Apoſtolicæ Sedis opportuno remedio neceſſe ſit; Nos pro noſtri paſtoralis muneris debito, ea, quæ ipſius Societatis quieto & pacifico ſtatui, ac debitæ Superioribus obedientiæ conſervandæ opportuna eſſe cognoſcimus, ſalubriter providere volentes, Motu proprio, & ex certa ſcientia, meraque deliberatione noſtra, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, hac noſtra perpetuò valitura Conſtitutione ſancimus, nulli Religioſorum ejusdem Societatis licere facultatibus Cruciatæ hujusmodi in quacumque mundi parte publicatæ, vel publicandæ, quoad eligendum Confeſſarium, & obtinendam abſolutionem à caſibus reſervatis uti; nec eis, quoad hanc eligendi Confeſſarium, & obtinendi abſolutionem prædictam facultatem, Cruciatam hujusmodi ſuffragari. Sicque per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, ſublata eis aliter judicandi & interpretandi facultate, judicari & definiri debere, ac irritum & inane, quidquid ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate, ſcienter vel ignoranter conti-

Noſtris interdicitur uſus Cruciatæ.

CLEM. VIII. contigerit attentari decernimus. Non obſtantibus præmiſſis, ac quibusvis Conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ſtatutis quoque, & conſuetudinibus, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, ceterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, ut præſentium tranſſumptis, etiam impreſſis, manu Secretarii dictæ Societatis, vel Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo ejusdem Societatis, vel perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, eadem ubique fides habeatur, quæ præſentibus ipſis haberetur. Datum Romæ, apud S. Marcum, ſub annulo Piſcatoris, die XIV Junii, M. D. XCV. Pontificatus noſtri anno quarto.

M. Veſtrius Barbianus.

EXTENDITVR

Facultas erigendi Congregationes, Primariæque Romanæ aggregandi, ac Indulgentias eis communicandi, Generali Societatis IESV Præpoſito alias conceſſa, etiam in Reſidentiis.

ANNO M. DC. II.

Dilecto filio Præpoſito Generali Societatis,
CLEMENS PAPA VIII.

Dilecte fili ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Cùm, ſicut nobis nuper exponi feciſti, Presbyteri Societatis IESV in Inſula Chienſi reſidentes, unam Congregationem laicorum ad inſtar aliarum Congregationum perſonarum ſecularium apud Collegia & Domos profeſſas ejusdem Societatis erectarum, quarum perſonæ Eccleſiaſtica Sacramenta frequentare, & alia exercitia & opera pia & ſpiritualia exercere conſueverunt, erexerint; & ipſius Congregationis, ut præfertur, erectæ perſonæ magno cum fructu & ædificatione Eccleſiaſtica hujusmodi Sacramenta frequentent, & exercitiis ac operibus piis & ſpiritualibus vacare ſtudeant; Cumque ut majori cum fructu & ſpirituali conſolatione in illis perſeverent, & alii Chriſti

Chriſti fideles ad illa alliciantur, quò uberius cæleſtium gratiarum donis conſpexerint ſe eſſe refectos; cupiant Congregationi primariæ Collegii Romani, ut Indulgentiarum & gratiarum ſpiritualium eidem Congregationi Collegii Romani dictæ Societatis per Romanos Pontifices conceſſarum participes fiant, aggregari; Tuque non ſolùm Congregationem prædictam in Inſula Chienſi, ſed alias etiam Congregationes apud quaſcumque Reſidentias Societatis IESV erectas, & erigendas, eidem Congregationi Primariæ Collegii Romani aggregare, illisque Indulgentias & gratias ſpirituales hujusmodi communicare, ex noſtrâ ſpeciali gratiâ poſſe cupias; nobis humiliter ſupplicari feciſti, ut opportunam ad hoc facultatem tibi concedere de benignitate Apoſtolicâ dignaremur; Nos igitur piis votis tuis benignè annuere volentes, hujusmodi ſupplicationibus inclinati, tibi prædictam Inſulæ Chienſis, & quaſcumque alias ſimiles Congregationes apud quaſcumque Reſidentias Presbyterorum dictæ tuæ Societatis IESV jam erectas, & in poſterum erigendas, prædictæ Congregationi Primariæ Collegii Romani aggregandi; illisque Indulgentias & gratias ſpirituales per quoſcumque Romanos Pontifices, Prædeceſſores noſtros, ac nos, & Apoſtolicam Sedem eidem Congregationi Primariæ conceſſas, communicandi facultatem, auctoritate Apoſtolicâ tenore præſentium concedimus & impertimur. Non obſtantibus noſtra de non concedendis Indulgentiis ad inſtar, aliisque Conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ceterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ, apud S. Marcum, ſub annulo Piſcatoris, die XXX Auguſti, M. DC. II, Pontificatus noſtri anno undecimo.

CLEM. VIII.

Extenditur facultas Congregationes erigendi, &c.

M. Veſtrius Barbianus.

PAVLI V.

BULLA SANCTISS. D. N.
PAVLI QVINTI,

Quâ Inſtitutum & Privilegia Societatis confirmantur: præſertim vero Conſtitutiones Gregorii XIII & XIV approbantur, & de novo conceduntur.

ANNO M. DC. VI.

PAVLVS *Epiſcopus, Servus ſervorum Dei, Ad perpetuam rei memoriam.*

QVantum Religio Societatis IESV in Eccleſiâ ad fidei, pietatis, & religionis augmentum profecerit, & in dies magis proficiat; Nos ipſi ſcimus, & Chriſtiana Reſpublica novit univerſa. Propterea illam diverſimodè perturbare, ab incepto retardare malis artibus humani generis hoſtis quotidie nititur: è contra verò illam & in ſuo laudabili propoſito confovere, & ad Inſtituti ipſius puritatem & nitorem priſtinum retinendum adjuvare, in quo uno ſolo vis Religionis conſiſtit, procurarunt prædeceſſores noſtri, & Nos totis viribus contendimus. Accepimus ſiquidem, quòd licet inſtitutum ipſum jam inde ab initio fuerit à felic. record. PAVLO III ſemel per quaſdam ſub datum v Kalendas Octobris, Pontificatus ſui anno ſexto, & iterum per alias ſub datum pridie Idus Martii ejuſdem Pontificatus ſui anno decimo; & à IVLIO etiam III per alias ſub datum XII Kalend. Auguſti, Pontificatus ſui anno primo; ac a GREGORIO XIII per alias etiam ſemel ſub datum Kalendis Februarii, Pontificatus ſui anno undecimo; & iterùm per alias ſub datum VIII Kalendas Junii, Pontificatus ſui anno tertiodecimo; & denique à GREGORIO XIV, Romanis Pontificibus, Prædeceſſoribus noſtris per alias litteras ſub datum IV Kalendas Julii, Pontificatus ſui anno primo: approbatum & confirmatum, & in priſtino candore, quo dicta Societas à bonæ Memoriæ Ignatio Loyola, illius inſtitutore & fundatore, ſancto Spiritu inſpirante, decoratum, adverſus malas quorumdam quæ ſua ſunt, non quæ IESV Chriſti, quærentium impugnationes & calumnias, Apoſtolicâ auctoritate, pœnis etiam adhibitis conſervatum. Nihilominùs quia nonnulli inquieti ſpiritus ad ſuam temeritatem promovendam, perpetuitatem Præpo-

Summorum Pontif. Inſtituti Societ. approbationes.

Perpetuitatis Præpoſiti Gener. & aliarum rerum Inſtituti impugnatio.

Præpoſiti Generalis dictæ Societatis in illius Conſtitutionibus ſtatutam, & perpetuo uſu in dictâ Societate, quemadmodum & in Religione S. Dominici, ſancitam & approbatam impugnare, atque immutandam ſatagere veriti non ſunt; & prætextu melioris gubernationis unitatem ejusdem Societatis ſcindere, nationum collectionem (quæ ingens gloria dictæ Societatis eſt) diſſolvere, atque in partes miſerè diſſecare, nec unam, ſed multas Societates ſtatuere cupientes, certum aliquod in ſuis regionibus caput, & ut vocant Commiſſarium, aut perpetuum Viſitatorem ſtatui deſiderarunt, & fortè deſiderant; & multa alia nova, quæ quietem & tranquillitatem ipſius Ordinis perturbant, regularem diſciplinam, obedientiam, & illius ſtatuta labefactant, moliti fuerunt, tentarunt, & forſan impetrarunt. Propterea ipſa Societas univerſa in Quintâ generali Congregatione ſuperioribus annis congregatâ, volens prædictis incommodis, moleſtiis, & perturbationibus occurrere, ejusdem Fundatoris Conſtitutionibus firmiter inhærendo, pro felici regimine dictæ Societatis, ac illius Inſtituti perpetuâ & firmiori obſervantiâ, infraſcripta ſalubria decreta, ſeu ſtatuta inter alia fecit & ordinavit, videlicet: *Quoniam diuturno quietis ſuæ detrimento Societas noſtra ſatis ſuperque experta eſt graviſſima incommoda, quæ filii quidā prævaricatores, & communis pacis illius perturbatores, ac rerum novarum architecti ſuis conatibus illi attulerunt; & multæ Provinciæ majorem in modum id efflagitarunt, ut hujusmodi homines debitis pœnis caſtigarentur; Congregatio pro eo ac debuit, ſpiritualium filiorum ſuorum jacturam dolenter ingemiſcens, ac nihilominus perpendens, quantum detrimenti unio, obedientia, religioſaque diſciplina Societatis ab iis hominibus paſſa ſit, quantumque apud externos bonæ illius famæ, qui bonus odor ubique gentium in Chriſto eſſe ſolet, detractum fuerit; ſtatuit omnino ſalutari alicujus ſeveri decreti medicamento huic tam gravi morbo depellendo proſpiciendū eſſe. Siquidē frequentes illi falſas calumnias, & varias criminationes (de quibus ſpeciale poſteà judicium Præpoſito Generali habendū erit) ſuæ Religioni immeritò impoſuerunt: atq; zeli, communiq; bonis pallio ſe contegentes, id ſibi arrogare auſi ſunt, ut judicio totius Societatis, imò & ipſiusmet Fundatoris P. N. ſanctæ memoriæ ſe præferrent: nec dubitarunt libellis ſcriptis, atq; ad ſummos Pontifices tranſmiſſis ſubſcribere his verbis: Ita petit tota Societas: cùm tamē ii pauci eſſent, & degeneres filii noſtræ Religionis, eaque poſtularent, quæ eſſentialia inſtituti noſtri labefactarent; rationemque gubernationis in Conſtitutionibus expreſſam immutarent; ac novam prorſus formam & rationem inducentes, univerſam Societatis ſtructuram diſſolverent, atque à fundamentis ever-*

PAVLI V.

Decret. 70. V. cong. gen. contra prævaricatores, & communis pacis Societatis perturbatores.

Perturbatorū inventa & præſumtiones.

terent. Quocircà Congregatio declarat ejusmodi homines, tantorum malorum auctores, aliorumque ſeductores, ac eorumdem vere complices, cenſuras & pœnas omnes in Apoſtolicis Bullis contentas incurriſſe. Nec non decernit, eos omnes, utpote graviſſimæ diviſionis Societatis auctores, à tota Societate velut peſtem quamprimum ſeparandos eſſe; judicio P. Præpoſiti permittens, utrum eos peculiaribus pœnitentiis ante dimiſſionem caſtigari conveniat. Quod ſi per aliqua neceſſaria impedimenta eos è Societate ſtatim ejici non licuerit, Congregatio ſtatuit, eos præterea inhabilitatis ad quævis officia & dignitates, ſeu Prælationes, vocisque tam activæ quàm paſſivæ privationis pœnis obnoxios fore, quamdiu eos in Societate neceſſariò retineri contigerit. Inſuper Congregatio ſtatuit, ut qui vehementer ſuſpecti de prædictis machinationibus reperti fuerint, ii, vel jurent ſe humiliter amplexuros Conſtitutiones & decreta generalium Congregationum, nec non ſummorum Pontificum Bullas, quibus Societatis Inſtitutum confirmatur, ſeu explicatur, præſertim verò fel. rec. IVLII III, GREGORII XIII & GREGORII XIV, *nec unquam ſe acturos quocumque prætextu contra illas, neque ut quidpiam de noſtri Inſtituti ratione immutetur curaturos per quoſcumque in Bulla* GREGORII XIV *non permiſſos: vel ſi hoc juramentum præſtare noluerint, aut poſt illud præſtitum non ſervaverint, etiamſi profeſſi & antiqui fuerint, de Societate omnino ejiciantur. Præcipit etiam Congregatio in virtute ſanctæ Obedientiæ, ſupradictos omnes auctores, & complices, tamquam Societati pernicioſos, & Apoſtolicæ Sedi inobedientes, à quocumque ex noſtris, ſive certâ ſcientiâ, ſive fide dignâ auditione deprehenſi fuerint, & quoſcumque alios, ſi qui in poſterum pariter deprehendentur ſimilia machinari, ad Præpoſitum Generalem fideliter eſſe deferendos, ut ille pro ſuo officio, & hujus congregationis voluntate eos iiſdem pœnis afficiat, & à Societate dimittat, certus, niſi id viriliter exequatur, ſe nec bono Societatis, pro quâ ſanguinem fundere paratus eſſe debet, nec propriæ conſcientiæ ſatisfacturum. Quod ut ſine impedimento fiat, & optatâ pace tandem aliquando Societas noſtra frui poſſit, Congregatio decernit, ſuppliciter à* S. D. N. CLEMENTE, *totius Religionis nomine petendum eſſe, ut prædeceſſorum ſuorum exemplo confirmare circa noſtrum Inſtitutum, quæ ab illis confirmata, & declarata ſunt; & ſuâ auctoritate & poteſtate illi aſſiſtere dignetur, ut quæ in hujuſmodi perverſos homines hoc decreto ſancita ſunt, ſine impedimento executioni mandentur.*

A Societate ut peſtis eiiciantur, & pœnis arbitrio Præpoſito Generali ſubjiciantur.

Inhabilitatis & vocis activæ & paſſivæ privationis pœna.

Suſpecti jurent, vel ejiciantur etiam profeſſi.

Præcipitur omnibus in virtute ſanctæ Obedientiæ ut machinantes revelent.

Decretum 63 quintæ Cong. gen. contra negotia ſæcu-

Quoniam Societas noſtra, quæ ad fidei propagationem, & animarum lucra à Domino excitata eſt, ſicut per propria inſtituti miniſteria, quæ ſpiritualia arma ſunt, cum Eccleſiæ utilitate, ac proximorum ædificatione ſub Crucis vexillo finem feli-

PAVLI V.

feliciter conſequi poteſt, quem intendit; ita & hæc bona impediret, & ſe maximis periculis exponeret, ſi ea tractaret, quæ ſecularia ſunt, & ad res politicas, atque ad ſtatus gubernationem pertinent; Idcircò ſapientiſſimè à noſtris majoribus ſtatutum eſt, ut militantes Deo, aliis quæ à noſtra profeſſione abhorrent, non implicemur. Cùm autem his præſertim temporibus valdè periculoſis, pluribus locis, & apud varios Principes (quorum tamen amorem & caritatem S. mem. P. IGNATIVS *conſervandam ad divinum obſequium pertinere putavit) aliquorum fortaſſe culpa, & vel ambitione, vel indiſcreto zelo Religio noſtra malè audiat; & alioquin bonus Chriſti odor neceſſarius ſit ad fructificandum; Cenſuit Congregatio ab omni ſpecie mali abſtinendum eſſe, & querelis, quoad fieri poterit, etiam ex falſis ſuſpicionibus provenientibus, occurrendum. Quare præſenti decreto graviter & ſeverè noſtris omnibus interdicit, ne in hujuſmodi publicis negotiis etiam invitati aut allecti, ullà ratione ſe immiſceant, nec ullis precibus aut ſuaſionibus ab Inſtituto deflectant. Et præterea quibus efficacioribus remediis omnino huic morbo, ſicubi opus ſit, medicina adhibeatur, Patribus Definitoribus accuratè decernendum & definiendum commendavit.*

Decretum 87 quintæ Cong. gen. de non præfigendo tempore Superioribus localibus.

Petitum fuit, ut auctoritate Congregationis ſtatueretur, ne Superiorum localium officia ultra triennium continuentur. Decrevit autem Congregatio, nullum certum tempus præfigendum, ſed ſervandum eſſe decretum LXXXVII *Congregationis ſecundæ generalis.*

Noua inſtituti, conſtitut. præmiſſorum decr. & priuilegiorum Societatis, nec non aliorum decr. & ord. in gen. Congr. editorũ confirmatio. Perpetuitas Præp. Gen. & electio ad vitam, ejuſdemq; in Vrbe ordinaria reſidentia, & unum

Nos igitur certò ſcientes, totum ſanctæ hujus, & nunquàm ſatis laudatæ Religionis ſtabilimentum, & profectum in viridi inſtituti ipſius, & decretorum ſuper hoc in Generalibus Congregationibus ejuſdem Societatis editorum, obſervantiâ conſiſtere; illamque ab hujuſmodi, & aliis impugnationibus, moleſtiis, & calumniis, ac illorum inventis vendicare, & in ſui inſtituti puritate, integritate, quiete, ac pace conſervare, quantum cum Deo poſſumus, cupientes; ac dilectum filium Claudium Aquavivam, modernum Præpoſitum Generalem dictæ Societatis, illiusque ſingulares perſonas, à quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis a jure vel ab homine, quavis occaſione vel cauſâ latis, ſi quibus quomodolibet innodati exiſtunt, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutos fore cenſentes; nec non ſingulorum privilegiorum, Conſtitutionum, ordinationum, ſtatutorum, indultorum, facultatum, & litterarum ſupradictorum, & inde ſecutorum quorumcumque, veriores, etiam totos tenores, ac ſi de verbo ad ver-

PAVLI V. inSocietate caput approbantur, & confirmantur.

verbum præſentibus infererentur, eisdem præſentibus pro expreſſis habentes; Motu proprio, & ex certâ ſcientiâ, ac merâ deliberatione noſtris, deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, laudabile dictæSocietatis inſtitutum, Conſtitutiones, ac perpetuitatem Præpoſiti Generalis Societatis hujusmodi, jamdiu ſtabilitam, & in eadem Societate uſu receptam, & ſolitam, ac ipſum Præpoſitum ad vitam eligendi uſum & conſuetudinem, illiusque in Vrbe ordinariam reſidentiam, & ipſius Societatis unitatem, & omnium nationum ſub uno capite collectionem, in dictisConſtitutionibus ſancitam: Nec non ſupradicta & quæcumque alia decreta, ſtatuta, & ordinationes, quæ inſtitutum, & Societatem hujusmodi, illiusque gubernandi rationem quomodolibet concernunt, in generalibus Congregationibus edita, nec non privilegia, facultates, exemptiones, immunitates, gratias, & indulta, à prædictis & aliis prædeceſſoribus noſtris, eidem Societati, & illius pro tempore exiſtenti Præpoſito Generali & Religioſis, principaliter vel per communicationem conceſſa, qualiacumque illa ſint, ac deſuper confectas litteras, quarum tenores præſentibus haberi volumus pro expreſſis, & indè ſecuta quæcumque (ſalvis litteris piæ memoriæ LEONIS Papæ XI, etiam prædeceſſoris noſtri, ſuper decimis emanatis) Apoſtolicâ auctoritate prædictâ, earumdem tenore præſentium perpetuò approbamus & confirmamus, ac illis perpetuæ & inviolabilis firmitatis, ac noſtræ & Sedis Apoſtolicæ auctoritatis robur adjicimus: eaque omnia & ſingula innovamus, & de novo concedimus: ac omnes & quoscumque, tam juris quàm facti defectus, ſi qui fortè quomodolibet intervenerint, in eisdem ſupplemus: hortantes & paternè monentes Præpoſitum Generalem illius, ceterosque Superiores, nunc & pro tempore exiſtentes, ut obſervationi ſupradictorum decretorum ſeriò invigilent, ne humanis reſpectibus, aut quorumcumque potentium interceſſionibus aut minis, Religionis ſuæ bonum, quod ex eorum obſervatione maximè pendet, ullâ ratione poſtponant: eosdemque monentes, ut eos qui novitati ſtudentes aliquid contra ipſius Societatis Inſtitutum, Conſtitutiones, decreta, canones, regulas, ordinationes, & communem vivendi rationem & normam ipſius, & præſertim dicti Præpoſiti Generalis perpetuitatem, uſumque eligendi illum ad vitam, ac ipſius Societatis unitatem, ſub uno capite collectionem, & liberam, & ſine ulla triennii aut certi temporis præfixione, Superiorum localium gubernationem, per ſe vel alios quoscumque, quavis auctoritate & dignitate, etiam Regia, ful-

Præp. Gen. & alii Super. ad obſervationem prædictorum decretorum ſerio invigilandum: & contra prædicta aliquid machinari audentes, tamquàm perturbatores ſui ordinis corrigendos & puniendos monentur.

fulgentes, quomodolibet machinari auſi fuerint, tamquàm perturbatores ſui ordinis, & rerum novarum molitores, præter pœnas in ſupradictis decretis contentas, ipſius Præpoſiti pro tempore exiſtentis arbitrio, coërceant, corrigant, & puniant. Decernentes easdem præſentes, nullo unquam tempore, etiam ex eo, quòd cauſſæ, propter quas emanarunt, priùs examinatæ, verificatæ, & approbatæ non fuerint; aut ex quovis alio capite vel prætextu, ac alia quacumque quantumvis legitima & juridica cauſſa de ſubreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, ſeu intentionis noſtræ, vel alio quovis defectu notari, impugnari, invalidari, aut in jus vel controverſiam revocari, ſeu ad terminos juris reduci, aut adverſus eas quodcumque juris-, gratiæ, vel facti remedium impetrari, etiam Motu pari concedi poſſe; illasque ſub ſimilium vel diſſimilium gratiarum revocationibus, limitationibus, modificationibus, ſuſpenſionibus, derogationibus, per quoſcumque Romanos Pontifices, prædeceſſores noſtros, ac etiam Nos, & Sedem prædictam, etiam in craſtinum aſſumptionis ad ſummi Apoſtolatus apicem quorumcumque ſucceſſorum noſtrorum, vel alias, etiam motu, ſcientiâ, & poteſtatis plenitudine ſimilibus, ſub quibuscumque tenoribus & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, & inſolitis, ac etiam irritantibus, & aliis decretis, & clauſulis quandocumque emanatis, etiamſi de eisdem præſentibus, earumque toto tenore ſpecialis, ſpecifica, & expreſſa, ac de verbo ad verbum mentio fieret, minimè comprehenſas, ſed tamquàm in divini cultus favorem, & fidei augmentum & propagationem conceſſas, ſemperque & omnino ab illis exceptas, & quoties illæ emanabunt, toties in priſtinum & validiſſimum ſtatum reſtitutas, repoſitas, & plenariè reintegratas, ac de novo etiam ſub quacumque poſteriori, & novâ datâ per pro tempore exiſtentem Præpoſitum Generalem, & alios Superiores dictæ Societatis, quandocumque eligendâ, conceſſas, ac etiam confirmatas, & approbatas, validasque, & efficaces, ac illibatas etiam absque eo, quod deſuper à dictâ Sede illarum ulterior reſtitutio, revalidatio, confirmatio, ſeu nova conceſſio impetranda ſit, fore & eſſe, ac ſuos plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, atque ab omnibus ad quos ſpectat, & pro tempore ſpectabit, inviolabiliter obſervari. Sicque per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, ac cauſſarum Palatii Apoſtolici Auditores, ac ejusdem Sanctæ

PAVLI V.

Præſentes de ſubreptionis vitio notari non poſſe.

Nec ſub quibusvis revocationibus comprehendi.

PAULI V. *Sic judicari debere.*

Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales, etiam de Latere Legatos, dictæque Sedis Nuntios, ſublatâ eis & eorum cuilibet quavis aliter judicandi & interpretandi facultate & auctoritate, judicari & definiri debere, irritum quoque & inane ſi ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate, ſcienter vel ignoranter, contigerit attentari. Quocircà univerſis & ſingulis Venerabilibus Fratribus noſtris Patriarchis, Archiepiſcopis, Epiſcopis, ac dilectis filiis Abbatibus, Prioribus, & aliis perſonis in dignitate Eccleſiaſticâ conſtitutis, per Apoſtolica ſcripta motu ſimili mandamus, quatenus ipſi vel duo, aut unus eorum, per ſe vel alium, ſeu alios, præſentes litteras, & in eis contenta quæcumque, ubi & quando opus fuerit, ac quoties pro parte Præpoſiti Generalis, aliorumque Superiorum pro tempore exiſtentium Societatis hujuſmodi fuerint requiſiti, ſolemniter publicantes, eisque in præmiſſis efficacis defenſionis præſidio aſſiſtentes, faciant auctoritate noſtrâ litteras, & in eis contenta hujuſmodi ab omnibus, ad quos ſpectat, & pro tempore ſpectabit, inviolabiliter obſervari, non permittentes eos deſuper à quoquam quomodolibet indebitè moleſtari, impediri, aut perturbari: Contradictores quoslibet & rebelles, per ſententias & cenſuras, & pœnas Eccleſiaſticas, aliaque opportuna juris & facti remedia, appellatione poſtpoſitâ, compeſcendo, ac legitimis ſuper his habendis ſervatis proceſſibus, ſententias, cenſuras, & pœnas ipſas etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſæcularis.

Mandatur ordinariis, ut curent præſentes litteras ab omnibus obſervari.

Non obſtantibus, &c.

Non obſtantibus præmiſſis, ac quorumvis aliorum Romanorum Pontificum contra præmiſſorum, & inſtituti, ac decretorum Societatis hujuſmodi tenorem conceſſis litteris, nec non felic. rec. BONIFACII Papæ VIII prædeceſſoris noſtri, quâ cavetur, ne quis extra ſuam civitatem, vel diœceſim, niſi in certis expreſſis caſibus, & in illis ultra unam dietam, à fine ſuæ diœceſis ad judicium evocetur, ſeu ne Judices à Sede prædictâ deputati extra civitatem, vel diœceſim, in quibus deputati fuerint, contra quoſcumque procedere, aut alii vel aliis vices ſuas committere præſumant; & in Concilio Generali editâ de duabus dietis, dummodò ultra tres dietas aliquis auctoritate earumdem præſentium ad judicium non trahatur, ac noſtrâ de non tollendo jure quæſito, & quibusvis aliis Conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis ac decretis, per quoſcumque Romanos Pontifices prædeceſſores noſtros, etiam vivæ vocis oraculo, aut alias

quomo-

quomodolibet editis, ac etiam aliorum ordinum, juramento, confirmatione Apoſtolicâ vel quavis firmitate aliâ roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis & litteris Apoſtolicis quibuscumque, hujusmodi ordinibus, univerſitatibus, locis & perſonis per eosdem Romanos Pontifices prædeceſſores, ac Nos & Sedem prædictam etiam motu, ſcientiâ, & poteſtatis plenitudine paribus, ac cum quibusvis irritantibus, annullativis, caſſativis, revocatoriis, modificativis, præſervativis, exceptivis, declarativis, mentis atteſtativis, ac derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus & inſolitis clauſulis, irritantibusque, & aliis fortiſſimis decretis in contrarium etiam pluries conceſſis, confirmatis, approbatis, & etiam iteratis vicibus innovatis. Quibus omnibus, etiamſi de illis eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, expreſſa & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes, mentio, ſeu quævis alia expreſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſervanda foret, tenores hujusmodi, ac ſi de verbo ad verbum nihil penitùs omiſſo, & formâ in illis traditâ obſervata, inſerti forent, præſentibus pro expreſſis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat harum ſerie ſpecialiter & expreſſe latiſſime derogamus ac derogatum eſſe volumus: Ceterisque contrariis quibuscumque, aut ſi aliquibus communiter, aut diviſim ab eadem ſit Sede indultum, quòd interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint per litteras Apoſtolicas non facientes plenam & expreſſam ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem. Volumus autem quòd præſentium tranſumptis etiam impreſſis, manu Secretarii dictæ Societatis, vel Notarii publici, & ſigillo Præpoſiti Generalis ejusdem Societatis, aut perſonæ in dignitate Eccleſiaſticâ conſtitutæ munitis, eadem omnino fides adhibeatur in judicio & extra illud, quæ litteris ipſis originalibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ vel oſtenſæ. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ abſolutionis, approbationis, confirmationis, adjectionis, innovationis, conceſſionis, ſuppletionis, hortationis, monitionis, decreti, mandati, derogationis, & voluntatis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis DEI, ac Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum Romæ apud S. Marcum, anno Incarnationis Domi-

PAULI V.

Tranſumptis habeatur fides.

PAVLI V. minicæ M. DC. VI. pridie Nonas Septembris, Pontificatus noſtri anno ſecundo.

Pro Illuſtriſſ. & Reverend. D. Summatore.

L. Ducius.

Scipio Cobellucius.

S. De Vrſinis.

Locus † plumbi.

PAVLI V
B V L L A.

Conceditur Indulgentia plenaria pro feſto invocationis Eccleſiarum Societatis IESV.

ANNO M. DC. XI.
die 16. Septembris.

PAVLVS PAPA V

VNiverſis Chriſti fidelibus præſentes litteras inſpecturis ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem. Splendor paternæ gloriæ, qui ſua mundum illuminat ineffabili claritate, pia vota fidelium de clementiſſima ejus Majeſtate ſperantium tunc præcipue benigno favore proſequitur, cum devota ipſorum humilitas Sanctorum precibus & meritis adjuvatur. Volentes igitur Eccleſias Presbyterorum Societatis IESV, in quacumque mundi parte conſtitutas, aliquo ſpiritualis gratiæ dono decorare, ac ut Chriſti fideles ad illas libentius devotionis cauſa confluant, quo uberius dono cœleſtis gratiæ conſpexerint ſe refectos, de omnipotentis Dei miſericordia, ac Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus, auctoritate confiſi; omnibus utriusque ſexus Chriſti fidelibus, vere pœnitentibus, & confeſſis, ac Sacra Communione refectis, qui aliquam ex ſupradictis Eccleſiis, in die feſto illius Invocationis, a primis veſperis usque ad occaſum Solis diei hujusmodi, ſingulis annis devote viſitaverint, & ibi pro Chriſtianorum Principum concordia, hæreſum extirpatione, ac Sanctæ Matris Eccleſiæ exaltatione pias ad Deum preces effuderint; ultra alias Indulgentias a Nobis, eisdem Eccleſiis ad tempus conceſſas plenariam omnium

um peccatorum ſuorum Indulgentiam, & remiſſionem miſericorditer in Domino concedimus & elargimur. Præſentibus perpetuis futuris temporibus valituris. Volumus autem, quod, ſi alias Chriſti fidelibus dictas Eccleſias viſitantibus aliquam aliam Indulgentiam perpetuam conceſſerimus, præſentes nullæ ſint. Volumus etiam, quod præſentium tranſumptis, etiam impreſſis, manu Secretarii dictæ Societatis ſubſcriptis, & ſigillo Præpoſiti Generalis ejusdem Societatis munitis, eadem prorſus fides ubique adhibeatur, quæ præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ. Datum Romæ apud Sanctum Petrum, ſub annulo Piſcatoris die XVI Decembris M. DC. XI, Pontificatus noſtri Anno Septimo.

PAVLI V.

Tranſumptis habeatur fides.

S. Cobellutius.

GREGORII XV
B V L L A.

Beatificationis B. ALOYSII GONZAGÆ
ANNO M. DC. XXI.
die 2. Octobris.

GREGORIVS PAPA XV
Ad perpetuam rei memoriam.

IN Sede Principis Apoſtolorum nullis licet noſtris ſuffragantibus meritis a Domino conſtituti, piis fidelium votis, quibus virtutum Dominus in ſervis ſuis honorificatur, libenter annuimus, eaque favoribus proſequimur opportunis. Sane pro parte dilectorum Filiorum Præpoſiti Generalis, ac Presbyterorum Societatis IESV nobis nuper expoſitum fuit, quod ipſi pro eo, quem erga Beatum ALOYSIVM GONZAGAM ejusdem Societatis, dum vixit, religioſum gerunt, devotionis affectu officium, & Miſſam de eo, ut infra, recitari poſſe ſummopere deſiderant. Quare nobis humiliter ſupplicari fecerunt, ut eorum votis hujusmodi annuere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur Præpoſitum Generalem ac Presbyteros prædictos ſpecialibus favoribus & gratiis proſequi volentes, & eorum ſingulares perſonas, a quibusvis excommunicationis, ſuſpenſionis & interdicti, aliisque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris & pœnis a jure, vel ab homine quavis occaſione vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatæ exiſtunt, ad effectum præſentium

dum-

GREG. XV. dumtaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutas fore cenſentes, hujusmodi ſupplicationibus inclinati, de venerabilium fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium ſacris ritibus præpoſitorum conſilio, ut de dicto B. ALOYSIO GONZAGA die XXI Junii, quo ex hac vita migravit ad Cœlum ab omnibus ejusdem Societatis Religioſis ubique terrarum exiſtentibus, juxta Rubricas Breviarii, & Miſſalis Romani, de communi Confeſſoris non Pontificis, officium recitari, & Miſſa celebrari reſpective, libere & licite valeat, nec non etiam confluentibus eo die ad eorumdem Religioſorum Eccleſias, Miſſam in illis, de eodem B. ALOYSIO GONZAGA, ut ſupra, celebrare liceat, Apoſtolica auctoritate tenore præſentium, perpetuo concedimus & indulgemus. Non obſtantibus conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ceterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, ut præſentium tranſumptis, etiam impreſſis, Secretarii ipſius Societatis, vel Notarii publici manu ſubſcriptis, & perſonæ alicujus in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ, vel pro tempore exiſtentis Præpoſiti, aut Vicarii Generalis ejusdem Societatis ſigillo munitis eadem prorſus fides in Judicio, & extra illud ubique locorum adhibeatur, quæ præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ. Dat. Tuſculi, ſub Annulo Piſcatoris die 2 Octobris M. DC. XXI Pontificatus noſtri anno primo.

Presbyteri Societatis poſſunt Miſſam & officium dic re de B. Aloyſio die 21 Junii.

Etiam externi in eorum Eccleſia.

Non obſtantibus, &c.

Tranſumptis habeatur fides.

S. Card. S. Suſannæ.

GREGORII XV
BULLA.

Conceditur Indulgentia plenaria, in Feſtis Sanctorum IGNATII & XAVERII.

ANNO M. DC. XXII.

die 8 Junii.

GREGORIUS PAPA XV

Ad perpetuam rei memoriam.

SPlendor paternæ gloriæ, qui ſua mundum illuminat ineffabili claritate, pia vota fidelium de clementiſſima ejus pietate ſperantium tunc præcipue benigno favore proſequitur, cum devota ipſorum humilitas Sanctorum precibus & meritis adjuvatur. Volentes igitur omnes & ſingulas Eccleſias Presbytero-

terorum Societatis IESV, vel earum aliquam ubicumq; exiſtentem aliquo ſpirituali munere illuſtrare, de omnipotentis Dei miſericordia, ac Beatorũ Petri & Pauli Apoſtolorum ejus, auctoritate confiſi, omnibus & ſingulis, utriusque ſexus Chriſti fidelibus, vere pœnitentibus & confeſſis, ac Sacra communione refectis, qui easdem Eccleſias, vel earum aliquam in Sancti IGNATII ultima Julii, ac Sancti FRANCISCI XAVERII ſecunda Decembris, menſium celebrari ſolitis feſtis diebus, a primis veſperis usque ad occaſum Solis dierum hujusmodi, ſingulis annis devote viſitaverint, & ibi pro Chriſtianorum Principum concordia, hæreſum extirpatione, ac Sanctæ Matris Eccleſiæ exaltatione pias ad Deum preces effuderint, quo die prædictorum id egerint, plenariam omnium peccatorum ſuorum Indulgentiam & remiſſionem miſericorditer in Domino concedimus. Præſentibus perpetuis futuris temporibus valituris. Volumus autem, quod præſentium tranſumptis, etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo alicujus perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis eadem prorſus fides adhibeatur, quæ præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ. Datum Romæ, apud Sanctam Mariam Majorem, ſub annulo Piſcatoris die VIII Junii M. DC. XXII Pontificatus noſtri Anno Secundo.

GREG. XV.

Tranſumptis habeatur fides.

S. Card. S. Suſannæ.

GREGORII XV
BVLLA.

Conceduntur Indulgentiæ docentibus, diſcentibus, promoventibus &c. Doctrinam Chriſtianam.

ANNO M. DC. XXII.

die 27. Septembris.

GREGORIVS PAPA XV.

Ad perpetuam rei memoriam.

Pietatis & Chriſtianæ charitatis opera ubique cum divini cultus incremento exerceri cupientes, Chriſti fideles quoscumque, præſertim ſub ſuavi Religionis jugo Altiſſimo famulantes, ut ad illa exercenda promptiores reddantur, Indulgentiis & peccatorum remiſſionibus invitamus, prout ad Chriſtianam

GREGOR. XV. nam propagandā religionē & animarum ſalutem procurandā conſpicimus inDomino ſalubriter expedire. Cum itaque, ſicut accepimus, dilecti filii Clerici Societatis IESV, inter pia, quæ exercent, opera, peculiare illud inſtitutum, juxta vota per eos emiſſa, ſumma pietate & diligentia amplectantur, ut nimirū pueros & adultos quoſcumque, per univerſumChriſtianumOrbem, Catholicæ fidei rudimenta & Chriſtianas omnes virtutes accurate doceant Nos pro noſtri Paſtoralis officii munere hoc pium Chriſtianæque Reipublicæ neceſſarium opus, ex quo hactenus uberrimi fructus provenerunt, ac multo uberiores poſthac proventuros ſperamus, confovere volentes, ut eorumdem Clericorum devotio ad dictum opus exercendum, in dies magis augeatur, de omnipotentis Dei miſericordia, ac beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus auctoritate confiſi, ſupplicationibus quoque dilecti filii Mutii Vitelleſchi prædictæ Societatis Præpoſiti Generalis Nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati; omnibus & ſingulis dictæSocietatisClericis, ac aliis univerſisChriſti fidelibus, ubivislocorum exiſtentibus, ac cum eiſdem Clericis in infraſcriptis cooperantibus, qui de Superiorum ſuorum licentia reſpective, ac de conſenſu ordinariorum locorum, pueros & adultos quoſcumque, Doctrinam Chriſtianam juxta decreta ſacri Concilii Tridentini docere, aut eidem, dum docetur, intereſſe cenſuerint, ſi vere pœnitentes & confeſſi, Sanctiſſimo Euchariſtiæ Sacramento, die feſto ab eiſdem Ordinariis in Eccleſiis, in quibus Doctrina Chriſtiana docetur, ſemel in anno deſignando, refecti fuerint; plenariam nec non ipſis, qui vere etiam pœnitentes & confeſſi dictum Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum ſumpſerint, aut id facere non valentes, animo contrito nomen IESV, ſaltem corde in mortis articulo invocaverint, plenariam ſimiliter omnium peccatorum ſuorum indulgentiam, & remiſſionem miſericorditer in Domino concedimus. Præterea eiſdem, qui pariter vere pœnitentes & confeſſi ſemel quolibet menſe Sanctisſimum Euchariſtiæ Sacramentum ſumpſerint, ſeptem annos & totidem quadragenas; Qui vero in cauſa fuerint, ut pueri, famuli aut quævis aliæ perſonæ ad Doctrinam Chriſtianam eant, ducentos dies; & qui diebus Stationum ejusdem Urbis hanc Doctrinam in Eccleſiis, aut Oratoriis, de Ordinariorum licentia docuerint, ac etiam illi, qui ad eamdem diſcendam acceſſerint, easdem Indulgentias conſequantur, quas conſequerentur & conſequi poſſent, ſi Eccleſias Stationum ejusdem Urbis perſonaliter viſitarent; easdem etiam Indulgentias Viſitatores Scholarum Doctrinæ hujusmodi, qui ex commiſſo ſibi officio, viſita-

Peculiare ſtudium Societatis in tradenda doctrina Chriſtiana.

Conceduntur plenariæ Indulgentiæ ſemel in anno.

In hora mortis.

Indulgentia 7 annorum & totidem quadragena.

Indulgentia Stationum, &c.

viſitabunt illas Scholas, quas illo die viſitare poterunt, conſequantur, ſi peccata ſua confeſſi Sanctisſimum Euchariſtiæ Sacramentum ſumpſerint. Inſuper eisdem, qui diebus feriatis hanc Doctrinam Chriſtianam aut publice aut privatim, ut præmittitur, explanaverint, centum dies; nec non omnibus & ſingulis Præceptoribus qui diebus feſtis diſcipulos ſuos ad Doctrinam Chriſtianam duxerint, eosque illam docuerint, ſeptem annos; & qui diebus feriatis in propriis Scholis eandem Doctrinam explicaverint, centum dies: prædictis etiam Clericis, qui in Eccleſiis, ſeu Oratoriis, ubi Doctrina Chriſtiana docetur, verbum Dei prædicaverint, aut collationes fecerint, licet illo die non intervenerint in aliqua ſchola docendi cauſa, ſeptem annos; omnibus autem & ſingulis Patribus & Matribus familias, qui in ſuis domibus liberis, famulis, & familiaribus utriusque ſexus, Doctrinam Chriſtianam ſimiliter explanaverint, qualibet vice id fecerint, centum dies; item iis, qui per Civitates, Terras & alia loca viros, mulieres, aut pueros, ad diſcendam eandem doctrinam Chriſtianam docendi cauſa circumierint, ſeptem annos: Ac etiam qui extra Civitates, ad illam, ut præfertur, docendum per caſtra & villas exierint, decem annos: Omnibus etiam & ſingulis Chriſti fidelibus, qui per mediam horam Doctrinæ prædictæ, aut diſcendi, aut docendi cauſa, ſtuduerint, aut eidem Doctrinæ interfuerint, centum dies: Eisdem etiam, qui doctrinam prædictam docere ſolent, ſi infirmos viſitaverint, quoties id fecerint, ducentos dies de injunctis eis, ſeu alias quomodolibet debitis pœnitentiis, in forma Eccleſiæ conſueta relaxamus. Præſentibus perpetuis futuris temporibus valituris. Non obſtantibus Conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, cæterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, ut ſi aliquæ aliæ Indulgentiæ, prædictis Clericis præmiſſa peragentibus à Nobis, vel Prædeceſſoribus noſtris ad tempus nondum elapſum, vel perpetuo duraturæ, conceſſæ fuerint, præſentes nullæ ſint, utque etiam præſentium tranſumptis etiam impreſſis, manu Secretarii ſubſcriptis, & ſigillo Præpoſiti Generalis dictæ Societatis, vel alicujus perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ, munitis, eadem prorſus fides adhibeatur, quæ eisdem præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ vel oſtenſæ. Dat. Romæ apud S. Mariam majorem ſub annulo Piſcatoris die XXVII Septembris M. DC. XXII, Pontificatus noſtri Anno Secundo.

GREGOR. XV.

Non obſtantibus, &c.

Tranſumptis habeatur fides.

S. Card. S. SUSANNÆ.

VRBA-

S. D. N.

D. VRBANI

Divinâ providentiâ Papæ VIII Bulla ſive litteræ decretales Canonizationis S. IGNATII Loyolæ Societatis IESV Fundatoris.

VRBANVS *Epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, Ad perpetuam rei memoriam.*

RAtioni congruit, & convenit æquitati, ut ea, quæ de Romani Pontificis providentiâ proceſſerunt, licet ejus ſuperveniente obitu litteræ Apoſtolicæ deſuper confectæ non fuerint, ſuum debitum conſequantur effectum. Dudum ſiquidem felicis recordationis GREGORIVS Papa XV prædeceſſor noſter, pie attendens, quòd ineffabilis Dei bonitas & miſericordia, quæ miro conſilio ſuis quæque temporibus aptè diſponit, & præteritis ſæculis, ſive ad diſſeminandum Evangelium inter gentes, ſive contra ſubnaſcentes hæreſiarchas, deſtinavit plures ſanctitate ac doctrinâ illuſtres viros; noviſſimis temporibus, cum pii Luſitanorum Reges in longinquas Indiarum terras, ac remotiſſimas Inſulas late patentem vineæ Domini propagandæ aditum aperuiſſent; nec minorem Catholici Caſtellæ Reges novum in Orbem ad Occidentem repertum patefacerent; veterem autem Religionem, omnemque illius ſanctitatem, ac perfectioris vitæ profeſſionem Lutherus, monſtrum teterrimum, aliæque deteſtabiles peſtes blasphemis eorum linguis in Septemtrionis partibus corrumpere & depravare, ac Sedis Apoſtolicæ auctoritati detrahere conarentur; excitavit ſpiritum IGNATII Loyolæ, qui ex medio honorum curſu, & à ſæculari & terrenâ militiâ admirabili quadam ratione vocatus, ita ſe divino imperio regendum & formandum tradidit, ut demum novâ Societatis IESV, quæ inter alia pietatis & caritatis opera Gentilibus convertendis, hæreticis ad fidei veritatem revocandis, & Romani Pontificis poteſtati tuendæ ex inſtituto ſe totam impendit, religione fundatâ, vitam admirabili ſanctitate traductam ſanctiſſimo pariter concluſerit exitu, ac plurimis ſit miraculis illuſtratus, ejuſdē Ignatii cata-

catalogo Sanctorum adſcriptioni, de quâ dudum agebatur, decrevit intendere. Quippe increbreſcente in dies in diverſis mundi partibus ipſius Ignatii ſanctitatis famâ, & miraculorum gloriâ; cùm claræ memoriæ Philippus Secundus, & Philippus Tertius, Hiſpaniarum Reges Catholici, & Maria ſimilis memoriæ, Maximiliani Secundi Romanorum Regis Illuſtris, in Imperatorem electi, & Margarita dicti Philippi Tertii Regis conjuges, nec non plures Eccleſiarum Præſules, & Populi, unà cum dilectis filiis Præpoſito & aliis dictæ Societatis Religioſis, apud piæ mem. CLEMENTEM PP. VIII. etiam prædeceſſorem noſtrum, oblatis illi proceſſibus, per diverſos locorum Ordinarios, etiam auctoritate tunc exiſtentis Sedis Apoſtolicæ in Regnis Hiſpaniarum Nuntii, ſuper prædictis ſanctitate & miraculis fabricatis, pro litterarum remiſſorialium, & compulſorialium, ad faciendos pro canonizatione progreſſus, conceſſione inſtitiſſent; ipſeque CLEMENS prædeceſſor oblatos proceſſus & petitionem ad dilectos filios noſtros, tunc ſuos, S. R. E. Cardinales ſuper Sacris Ritibus deputatos, diſcutiendos commiſiſſet; dictique Cardinales petitioni prædictæ ſatisfaciendum eſſe cenſuiſſent, ſi ita eidem CLEMENTI prædeceſſori placuiſſet; & dictus CLEMENS prædeceſſor morte præventus nihil deſuper conſtituere potuiſſet; ſimilis record. PAULUS PP. V, ſimiliter prædeceſſor noſter, repetitis per dictos Principes, ac Præpoſitum, & Religioſos, ac novis, per claræ etiam memoriæ Henricum Quartum Francorum & Navarræ Regem Chriſtianiſſimum, porrectis inſtantiis permotus, prædicto GREGORIO prædeceſſori, tunc in minoribus conſtituto, & officio Auditoris cauſſarum Palatii Apoſtolici fungenti, ac dilectis filiis Alfonſo Manzanedo, & Ioanni Baptiſtæ Pamphilio, etiam cauſſarum earumdem Auditoribus, dedit in mandatis, ut cauſſam hujusmodi in ſtatu & terminis, quibus reperiebatur, reaſſumentes, conjunctimq; procedentes, acta omnia & probationes perpenderent; &, ſi opus eſſet, alios teſtes ſuper vitâ & miraculis ejusdem Ignatii per ſe & alios ab eis ſubdelegandos, de novo in genere reciperent, & ſuper his ſuum ipſorum interponerent judicium: ut ſi ex iis conſtaret, inquiſitiones, probationes, ac proceſſus hujusmodi eſſe legitimè factos, cauſſamq; ſufficienter eſſe inſtructam, ea poſſet ipſe PAULUS prædeceſſor exequi, quæ Sanctorum dogmata, & ſacrorum Canonum poſtulant inſtituta. Unde dicti Auditores viſis, & diligenter diſcuſſis proceſſibus coram eis exhi- URB. VIII.

VRB. VIII. exhibitis, cenſuerunt cum illis debere conjungi proceſſus auctoritate Apoſtolicâ conficiendos: & ad hunc effectum per ſeipſos in Romanâ Curiâ, & per nonnullos Archiepiſcopos, & Epiſcopos extra eam, in diverſis mundi partibus ab eis ſubdelegatos, juridicos proceſſus ſuper præmiſſis confici curarunt. Quibus, juſſu ejusdem PAVLI prædeceſſoris, ad eosdem Cardinales ſuper Sacris Ritibus, ut præfertur, deputatos tranſmiſſis, & per eos viſis, & perpenſis; idem PAVLVS prædeceſſor, ex ſententiâ eorumdem Cardinalium, quod dictus Ignatius Beatus nuncupari, & de eo Miſſa, & Officium de Communi non Pontificis celebrari poſſet, benignè conceſſit, & indulſit. Et deinde cum preces eorum, qui pro canonizatione ejusdem Beati Ignatii inſtiterant, fierent in dies auctiores; volens idem PAVLVS prædeceſſor in hujusmodi cauſsâ ſecundùm conſuetudinem Sanctæ Sedis Apoſtolicæ procedere, eisdem Auditoribus per ſpeciale reſcriptum mandavit, ut proceſſus factos etiam de novo perpenderent, & alios teſtes ſupor veritate præmiſſorum in ſpecie diligentiſſimè examinarent, & ipſi PAVLO prædeceſſori referrent. Quod quidem mandatum Auditores prædicti exequi, prout par erat, volentes, cauſſam ſimiliter de novo excutere cœperunt: & alios quamplures teſtes ſuper eisdem præmiſſis per ſeipſos receperunt in dictâ Curiâ; & per alios ab eis ſubdelegatos extra eam examinari curarunt: ac nonnulla jura ad cauſſam facientia ex Archivio dictæ Societatis extraxerunt: & Alfonſus, ac Ioannes Baptiſta Auditores prædicti, nec non dilectus filius noſter Franciſcus, ejusdem S. R. E. Cardinalis, Sacratus nuncupatus, tunc, tamquàm Archiepiſcopus Damaſcenus, unus ex Auditoribus cauſſarum dicti Palatii locumtenens, & in locum dicti GREGORII prædeceſſoris, qui jam ad Eccleſiam Bononienſem aſſumptus fuerat, ſubrogatus, in pluribus Congregationibus inter eos habitis, de novo fabricatos, & alios proceſſus prædictos, etiam perpenderunt: illosque legitimè confectos, ac probationes in eis contentas rite & recte peractas, ac ſanctitatem, & miracula ſatis ſuperque probata fuiſſe prædicto PAVLO prædeceſſori retulerunt. Cumque, ipſo PAVLO prædeceſſore viam univerſæ carnis ingreſſo, dictus Præpoſitus ejusdem Societatis humiliter apud GREGORIVM prædeceſſorem prædictum inſtitiſſet, ut ad ulteriora in Canonizatione ejusdem Beati Ignatii procedere dignaretur; idem GREGORIVS prædeceſſor illius petitio-

titionem benigne audiens, relationem, ut præfertur, factam, ad eosdem Car- VRB. VIII.
dinales, ſuper prædictis Sacris Ritibus deputatos, recognoſcendam etiam remiſit. Cumque, pendente dictæ relationis diſcuſſione, ſupervenissent cariſſimi in Chriſto filii noſtri Ludovici Francorum & Navarræ Regis Chriſtianiſſimi primùm; mox verò nobilis viri Maximiliani utriusque Bavariæ Ducis, & ſucceſſivè etiam cariſſimi in Chriſto filii noſtri Ferdinandi Romanorum Regis, in Imperatorem electi, preces acceſſiſſent, dictique Cardinales relationem prædictam comprobaſſent; Venerabilis frater noſter Franciſcus Maria Epiſcopus Portuenſis, ejusdem S. R. E. Cardinalis à Monte nuncupatus, rei ſummam, ſuamque, & aliorum, ut præfertur, deputatorum Cardinalium ſententiam in noſtro, tunc ejusdem GREGORII prædeceſſoris, conſiſtorio ſecreto expoſuit: & alii, qui in illo conſiſtorio aderant Cardinales, dilecti filii noſtri, in eamdem ſententiam devenerunt, poſſe videlicet dictum GREGORIVM prædeceſſorem, juxta ſacros dictæ S. R. E. ritus, dictum Beatum Ignatium inter Sanctos referre. Quare idem GREGORIVS prædeceſſor ad ulteriora procedi mandavit. Voluerat autem ipſe GREGORIVS prædeceſſor nonnulla ex iis, quæ in proceſſibus & actis de vitâ, ſanctitate, & miraculis ejusdem B. Ignatii conſtabant, in eodem conſiſtorio recenſeri: videlicet:

Natus eſt B. Ignatius in eâ Hiſpaniarum regione, quæ ad Pyrenæum pertinet, ad oppidum Aſpeithiæ Pampilonenſis Diœceſis, anno Domini milleſimo quadringenteſimo nonageſimo primo, ex Beltramo Loyola, & Mariâ Sanchez nobilibus, Catholicis, & piis parentibus: qui ſimili pietate filium educandum curarunt. Adoleſcens ille factus, cùm eſſet eximiâ & animi & corporis indole, miſſus fuit in claræ ſimiliter memoriæ Ferdinandi Regis Catholici Curiam: ubi cùm inter honorarios pueros aliquamdiu manſiſſet; ad tunc exiſtentem Navarræ Proregem, in Civitate Pampilonenſi degentem, ſe contulit, & rei militari operam dare cœpit. Cumque dicta Civitas ab exercitu Gallorum obſideretur; ipſi Ignatio ante alios dimicanti lapis, ex muro bombardæ vi excuſſus, lævam læſit tibiam; dexteram verò ita confregit, ut ſemivivus corruerit: quorum vulnerum acerbam, gravem, & diuturnam curationem ita patienter tulit, ut omnibus eſſet domeſticis admirationi. Cumque eidem, in lecto affixo, libros profanos, tunc ſic Deo volente, non repertos, petenti, nonnulli pii libri, legendi cauſſa, porrecti fuiſſent,

VRB. VIII. ex eorum lectione tam ardenter fuit incenſus, ut ingenti ſui odio concepto, decreverit Chriſti, & Sanctorum veſtigia ſequi, Hieroſolymam proficiſci, ut ſacra illa loca veneraretur, & fideles in ſpiritu promoveret, ac infideles ad Evangelium adduceret. Curatis ergo vulneribus, patriam, parentes, res omnes fluxas, & caducas reliquit: & Chriſto deinceps militaturus ad Monaſterium B. Mariæ & Monte Serrato Ordinis S. Benedicti Vicenſis Diœceſis perrexit: ibique generali confeſſione peracta, gladio & pugione in templo ejusdem Monaſterii ſuſpenſis, aſpera talari tunica indutus, fune præcinctus, nudo capite, baculum manu geſtans, totam eam noctem, cui dies feſtus Angelicæ ſalutationis illuxit, ante aram ejusdem B. Mariæ Virginis inter preces, & lacrymas vigilavit, ſeque penitùs divino cultui, novum exinde militiæ genus ſecuturum, addixit. Minoreſſam inde vicinum oppidum petiit: & ad hoſpitale S. Luciæ divertit: & in eo, & quodam ſpecu, ad præterfluentis amnis ripam ſito, faciens dignos pœnitentiæ fructus, pauperem atque aſperam vitam tranſegit inter egentes, & ſordidos homines, quibus etiam humillimis inſerviebat obſequiis. Poſt aliquod verò tempus Almam Vrbem noſtram, & ſucceſſivè Venetias, ac poſtmodùm Hieroſolymam contendit: & perluſtratis ſacris locis, ibidem permanere, & animarum ſaluti incumbere vetitus, rediit ad partes Hiſpaniarum. Et quò meliùs poſſet in ſpiritu proximis utilitatem afferre, triginta jam natus annos, Grammaticæ primò in Civitate Barcinonenſi, & deinde Compluti Philoſophiæ & Theologiæ per annum cum dimidio operam dedit: ac demum Pariſiis omnia illa ſtudia repetiit, ex eleemoſynis victitans, & officia caritatis, humilitatis, & pœnitentiæ non intermittens: ſociis ejusdem propoſiti, inter quos fuit Franciſcus Xaverius, vir ſanctus, & Indiarum Apoſtolus, collectis: & voto cum eis nuncupato, ut conſummatis ſtudiis inceptis, Evangelica contenti paupertate, Hieroſolymam omnes adirent; unanimi ac ſummo conatu ſaluti proximorum inſervituri: quòd ſi per annum navigandi ſe non offerret occaſio, vel Hieroſolymis permanere prohiberentur; illo voto abſoluti Romam irent, & ſuam ipſorum operam Summo Pontifici in auxilium ſpirituale proximi offerrent. Verùm cùm ex ſtudiorum laboribus, & vigiliis gravem ſtomachi morbum Pariſiis contraxiſſet; juſſu medicorum, & ex ſociorum conſilio, in patriam rediit, anno ejusdem Domini milleſimo quingenteſimo trigeſimo quinto: ibique per tres men-

menſes in hoſpitali S. Mariæ Magdalenæ, oſtiatim victum emendicans, & pauperibus inſerviens, tempus ſedulò traduxit. Quo transacto, cùm convaluiſſet, Venetias, quò ſocii ex compoſito venire debebant, etiam ipſe profectus, in eâ civitate ad Sacerdotium promoveri voluit: & paupertatis, caſtitatisque in manibus Hieronymi Veralli Archiepiſcopi Roſſanenſis, in eâ tunc Sedis Apoſtolicæ Nuntii, votum emiſit. Et elapſo anno inter eos condicto, & navigatione in Palæſtinam, propter pacem inter Turcas & Venetos per id tempus ſublatam, interclusâ; Romam cum ſociis venit, anno milleſimo quingenteſimo trigeſimo ſeptimo: ubi à quondam Quirino Garzonio Romano cive, in quadam ipſius Garzonii vineâ ſub Monte Pincio receptus hoſpitio, conſtitutam operam piæ ſimiliter memoriæ PAVLO III, pariter prædeceſſori noſtro, ad animarum ſalutem obtulit paratiſſimam. Quam cauſſam quò uberiùs & cumulatiùs tractare poſſet, dictam Societatem à ſe inſtitutam, ad tria cum aliis Religionibus communia vota quarto adjuncto, per quod peculiarem polliceretur Romano Pontifici obedientiam in miſſionibus, non petito viatico, etiam ad Infideles, Turcas, Hæreticos, Schiſmaticos, & quoscumque alios obeundis, à prædicto PAVLO III prædeceſſore confirmandam curavit: eamque poſtmodùm optimis etiam conſtitutionibus & legibus ſtabilivit: & in Præpoſitum generalem electus ſummâ cum prudentiâ & probitatis laude moderatus eſt. Ac poſt multos labores, IESVM appellans, in eadem Vrbe piè obdormivit in Domino, pridie Kalendis Auguſti anni ejusdem Domini milleſimi quingenteſimi quinquageſimi ſexti. Vir verè, quem præelegerat Dominus, ut eorum Dux foret, qui portarent ejus ſanctiſſimum nomen coram gentibus, & populis: & infideles ad veræ fidei cognitionem inducerent, ac rebelles hæreticos ad illius unitatem revocarent, ſuique in terris Vicarii auctoritatem defenderent. Ornavit enim illum Dominus magnitudine, & excellentiâ Fidei, & maximâ Spe communivit, ut ſatis ſuperque ejus teſtantur actiones. Aſſiduum autem obſequium, quod pauperibus, & ægrotis exhibuit in hoſpitalibus; & eleemoſynarum diſtributio, quas à piis perſonis ſuo ipſius ſtudio corrogabat; maxima etiam cura & ſtudium, quod jam inde à principio ſuæ converſionis in eo poſuit, ut rudes & pueri doctrinam Chriſtianam perdiſcerent; & detentorum in carcere viſitatio ac ſublevatio, quam inſtituit & exercuit accuratè; nec non per univerſum terrarum orbem miſſiones, quas fecit; & Domus, Eccleſiæ, & Collegia, quæ erexit; & in dictâ Vrbe, præter ſcholas

VRB. VIII.

VRB. VIII. Grammaticæ, & humaniorum litterarum, quas gratis aperuit, Collegium Grammaticum, ac Orphanorum, & Catechumenorum domus, & S. Marthæ, ac S. Catharinæ Monaſteria, aliaque loca pia, quæ excitari curavit; & diſſidentium reconciliatio; ſalubria conſilia data; & ſpiritualia exercitia ab eo compoſita; Sacramentorum frequentationes procuratæ; injuriarum denique remiſſio, & pro inimicis oratio, quàm ardenter amaret proximum propter Deum, planè demonſtrant. Deum autem ipſum quantopere diligeret, patet ex illâ ſummâ curâ & diligentiâ, quâ ſtuduit propter Deum proximo in ſpiritualibus & temporalibus ſemper benefacere: & ex maximâ vigilantiâ, quâ curavit cor ſuum mundum cuſtodire. A ſuâ enim converſione nullum in eo deprehenſum eſt dictum, factumve, quod cenſeri poſſet eſſe peccatum mortale: omnes ſuas cogitationes, verba, & opera in Deum tamquàm in finem referebat, & ad Deum, & Dei gloriam & honorem deſtinabat. Atque hæc verba, videlicet, *Ad majorem Dei gloriam*, uti ſymbolum in ore ſemper habebat. Prudentia quoque fuit in eo admirabilis. In negotiis enim ad Dei honorem peragendis priùs quidem omnia Deo commendabat; deinde ſolerti habitâ conſultatione, & rationibus ad examen vocatis, congruentia ad optatum finem adhibebat præſidia, & eo pacto contingentia mala facilè declinabat. Ejus erga Deum & homines juſtitiam, aſpera vita, & voluntariæ pœnitentiæ, quibus offenſo jam Deo ſatisfacere ſe putabat, ſpiritus devotio & religio, quâ Deo reddidit debitum cultum & honorem; gratitudo quoque, quam erga ſuos & Societatis benefactores continuò oſtendit, & pura veritas, quæ ex ejus ore ſine ullâ fallaciâ, fuco, fictione, aut obſcuritate procedebat, cum cordis puritate & ſimplicitate ſatis commendant. Animi præclara magnitudo ex pœnitentiis, obſequio erga ægrotos, ex operibus caritatis, à quibus propter labores & difficultates, irriſiones, injurias, & contumelias non receſſit; ſed in illis conſtanter usque ad optatum finem perſeveravit; Patientia verò admirabilis, & manſuetudo ex multis & ingentibus laboribus, ex opprobriis, confuſionibus, & perſecutionibus, libenter & alacriter pro Dei amore perpeſſis, ex gratiarum actione in maledicentes relatâ, & beneficiis in injuriantes collatis apparent. Iejunium ipſe adeò coluit, ut eo tempore, quo fuit Minoreſſæ, & Barcinonæ, per totam jejunans hebdomadam, exceptis diebus Dominicis, ſolo pane veſceretur, & aquam biberet: & propter continuatas orationes, & abſtinentias ſemel & iterùm debilis ac ferè ſine viribus

bus eſt inventus. Caſtitatis fuit adeò diligens cuſtos in ſe, & in aliis, ut VRB. VIII.
in Conſtitutionibus Societatis voluerit illam ſuis eſſe tam perfectè ſervandam, ut eniti debeant corporis mentisque munditiâ, Angelicam puritatem imitari. Profundæ etiam Humilitatis non obſcura dedit indicia, dum ſe ad novæ vitæ genus accingens, noluit ſuum audire germanum, ſibi familiæ nobilitatem, opes, & in militia ſtrenuitatem, ac futuram inde gloriam repræſentantem: ſed ſtatim atque ex morbo & vulnere convaluit, ſæculo nuntium remiſit. Idem etiam denotatur, quia in patriam valetudinis cauſſâ rediens, cùm ſe à quodam jam cognitum eſſe animadvertiſſet, timens honorem, quem & germanum, & incolas Aſpeithiæ ſibi exhibituros eſſe intelligebat, noluit cum eo, à quo cognitus fuerat, via recta Aſpeithiam proficiſci, ſed per montes, & ſemitas obliquas ſolus illuc acceſſit: & nobile palatium cum vilitate humilis hoſpitalis libentiſſimè commutavit: nullisque precibus adduci potuit, ut domum paternam ingrederetur. Denique non ſolùm vanam mundi gloriam, ſed ſe etiam ipſum egregia magnanimitate contempſit. Renuntiatus enim Præpoſitus Generalis Societatis, tamdiu id muneris ſubire recuſavit, quoad ejus Confeſſarius ei, ut demandatum reciperet officium, imperavit. Et poſt receptum munus, ut eos, quos in Conſtitutionibus ad humilitatem hortatur verbo, firmaret exemplo; primùm quidem in coquinæ miniſteriis aliquot verſatus eſt dies: tum docere aggreſſus eſt pueros & rudes doctrinam Chriſtianam. Excellentem verò famuli ſui ſanctitatem comprobari voluit etiam Altiſſimus ſupernaturali ſplendore vultus, quem dum viveret aliquando viderunt B. Philippus Nerius, & quondam Oliverius Manareus Flander, ejusdem Societatis religioſus; ac teſtimonio miraculorum: quorum plura etſi ab eo vivente facta in proceſſibus recenſentur, inſigniora tamen poſt ejus felicem dormitionem edita probantur. Iſabella enim Rebelles Monialis, Ordinem S. Claræ in monaſterio S. Eliſabethæ Barcinonenſi ejusdem Ordinis expreſſe profeſſa, annos nata ſexaginta ſeptem, dum aliquid operis alto in loco molitur, repentè tam gravi caſu ad terram eſt collapſa, ut coxendicis, ſeu femoris os, quod maximum eſt in humano corpore, totum fuerit confractum: & per quadraginta dies & ultrà adhibitis per Medicum & Chirurgum, eventu planè irrito, medicamentis; ac dolore, & febri, quæ ex confractione ſupervenerant, non ceſſantibus, ægrota apud omnes erat citra ullam ſalutis opem, quæ ſaltem naturalibus

para-

VRB. VIII. parari poſſet remediis, ut eadem die moritura crederetur: petita tamen pia cum religione, & impetrata reliquia B. Ignatii, & ſuper coxendicem applicata, ſtatim ſana eſt reddita: & coxendicem, ac tibiam, priùs tumentem atque immobilem, expeditè ac ſine dolore movere cœpit: & die proxima ſurrexit, ac liberè & perfectè ambulavit. Ioannes Leida Majoricenſis in valdè acutam & periculoſam febrim inciderat: augebat periculum maxima ſtomachi nauſea: poſt duodecimum, vel tertiumdecimum diem aucto periculo cùm Deo ſeſe per merita B. Ignatii impenſe commendaſſet; ſequenti nocte ſomno excitatus, magno ſplendore circumfuſum cubiculum vidit: & uxorem inclamans, Nonne, inquit, vides me à B. Ignatio ſanatum? & illuceſcente die ſanus & valens ſine alicujus auxilio è lecto ſurrexit, & veſtibus ſe induit, ac in gratiarum actionem templum Societatis expeditè adiit. Hieronymus Honuphrius Etruſcus, incola oppidi Gandiæ, Valentinæ Diœceſis, puer decennis, cùm lethale in ſupercilio prope tempora vulnus accepiſſet, propter quod totius oculi tumor, & vehemens febris acceſſerant; & poſt adhibita per menſem integrum per Chirurgum, ex artis præſcripto, medicamenta, vulnus non ſolùm non ſolidaretur; ſed adeò latum & profundum eſſet, ut linamentum digitale inſerendum eſſet; ac tanta ſanies & putredo flueret, ut Chirurgus ipſe miraretur, & crederet os aliquod intus confractum; & alterum Chirurgum etiam vocari juſſiſſet, & ambo coram infirmo conveniſſent; remotis faſciis, quibus vulnus erat opertum & obligatum, præter omnem expectationem, meritis B. Ignatii, cui mater pueri voto jam facto illum commendaverat, vulnus illud penitùs obductum, clauſum, & ſolidatum invenerunt. Magdalena Talavera, in eodem oppido Gandiæ commorans, cùm per tres annos gravibus laboraſſet obſtructionibus, quæ in hydropiſim, quam confirmatam appellant, terminaverant; ejusque ventrem adeò tumentem, & inflatum reddiderant, ut ſe de loco ad locum movere non poſſet, niſi permoleſtè; videns remedia per duos Medicos adhibita ſibi nihil profuiſſe, ad divina confugit ſubſidia: & voto Deo facto, ac imagine dicti Beati ventri admota, ſtatim meliùs ſe habuit, depulſusque eſt morbus obſtructionis, & hydropiſis; ita prorſus, ut intra tres, vel quatuor dies detumuerit venter, & exinde illa ſe benè habuerit. Ferdinandus Pretel de Mendoza, cùm in febrim incidiſſet tertianam, quæ mox in duplicem, deinde in peſtilentem unà cum mentis ſtupore, & extraordinariis horroribus, ex humorum abundantiâ, & virium naturalium

defectu

defectu accidentibus, degeneraverat; & multis purgationibus incaſſum VRB. VIII.
adhibitis, vis morbi adeò aucta eſſet, ut à Medicis deſtitutus in ſupremo jam mortis diſcrimine verſaretur; ritè confeſſus, & communione inſtructus, ac ſacro perunctus oleo, manibus tenens imaginem B. Ignatii, quam collo pendentem geſtabat, & ex toto corde illi ſe commendans convaleſcere cœpit, & morbo eſt liberatus. Anna Barzellona ferè ſexagenaria, cùm toto biennii ſpatio morbo paralyſis graviter vexata immobilis eſſet ad omne opus laboris; & gradus aſcendere, aut ex illis deſcendere non poſſet, niſi ſcipionibus innixa; & inſuper novus apoplexiæ in altero latere morbus acceſſiſſet; humanis remediis omnino deſtitutam ſe intelligens, voto nuncupato meliùs ſe habere cœpit: & toto illo die, ac nocte inſequenti inchoata valetudo ita eſt aucta, ut jam illuceſcente manè ſana omnino ad Eccleſiam Collegii dictæ Societatis accurrerit expeditiſſimè, gratias Deo, ac B. Ignatio redditura. Ioannæ quoque Claræ & Noqueræ, mulieri Majoricenſi, annos natæ quinquaginta ſex, cæcitate laboranti videndi facultatem reddidit B. Ignatius. Bartholomæus Conteſti Chirurgus adeo acerbis & diuturnis capitis doloribus opprimebatur, ut præ nimio dolore ſæpe ad terram allideretur: acceſſit in oculorum altero tam gravis inflammatio, ut alterum etiam divexaret; ita ut ne tenuiſſimum quidem lucis radium perferre, aut aliquantulum quieſcere poſſet: ob idque in tenebroſo conditus cubiculo inde non egrediebatur: & eo deventum eſt, ut ex intolerando dolore non dubitaret affirmare, quod ſi quidam Chirurgus jam defunctus in humanis ageret, oculum ſibi erui juſſurus eſſet: religione demum eximia erga beatum iſtum incenſus, illius reliquiam ad ſe afferri juſſit: & in puncto, quo fuit illa delata, bene ſe habuit, capitis & oculorum ceſſavit dolor, viſum recuperavit, & lucis ſplendorem ſine ulla offenſione ſuſtinuit. Vtque intelligeretur ſubitam curationem divinæ virtuti, atque interceſſioni B. Ignatii tribuendam eſſe: bis, terve ſacra Reliquia è cubiculo exportata, dolor rediit: eademque in cubiculum reducta, illico morbus diſceſſit: quo facto admonitus Bartholomæus, ſacram Reliquiam penes ſe retinuit: atque ita intra tres, vel quatuor dies ita perfecte ſanatus eſt, quaſi numquam ægrotaſſet. Quo audito Columna Cortei & Vich, quæ capitis dolore ita vexabatur, ut neque noctu quieſceret; & ſuperveniente in uno oculorum tanto cruciatu, ut palpebram attollere non poſſet; & cæca denique remanſiſ-


VRB. VIII. ſet; miſit, qui eamdem Reliquiam ad ſe deferret: qua allata, & ſuper oculos, prævia invocatione ejusdem Beati, impoſita, palpebra, quæ prius per Chirurgos aperiri non poterat, confeſtim ultro, ac per ſe cœpit aperiri: ceſſavit dolor, lucis ſplendorem Columna pertulit, & intra tres dies paullatim viſum omnino recuperavit, & perfecte convaluit. Ioanna quoque de Aragona & Pignatella, Duciſſa Terræ-novæ, quæ quatuor jam menſes vehementiſſimo dolore cruciabatur ex tumore & duritie alterius mamillæ; eoque reducta erat, ut neque pedes, neque brachia movere poſſet, quin ſibi viſcera transfigi quodammodo viderentur; ad opem ejusdem Beati confugiens, & illius imaginem religioſe de mane venerata, & illi ſe commendans, veſpere ejusdem diei ſana ſine tumore, ſine duritie, & ſine ullo doloris ſenſu reperta eſt. Demum his, & quamplurimis aliis permotus idem GREGORIVS prædeceſſor, ex antiquo Romanorum Pontificum prædeceſſorum noſtrorum, tunc ſuorum, inſtituto, publico prius, in quo præter prædictos Cardinales, etiam Venerabiles fratres noſtri Patriarchæ, Archiepiſcopi, & Epiſcopi, ac alii Romanæ Curiæ Prælati, & dicti GREGORII prædeceſſoris familiares dilecti filii convenerunt; & dilectus filius Nicolaus Zambeccarius, Aulæ Pontificiæ Conſiſtorialis Advocatus, dicti B. Ignatii merita, & Principum ac populorum ſuper hujusmodi Canonizatione vota retulit; & ſucceſſive altero, quod ſemipublicum vocant, in quo prædicti omnes, ac etiam Sedis Apoſtolicæ Notarii, & cauſſarum dicti Palatii Auditores dilecti filii interfuerunt; & omnes, quod dictus B. Ignatius canonizandus eſſet, publicis ſuffragiis judicarunt; convocatis Conſiſtoriis, toto cordis affectu exultans in Domino, eumdem B. Ignatium, una cum BB. Iſidoro Agricola, & Franciſco Xaverio inter Sanctos referendum duxit. Præſcripto itaque Canonizationis die in feſto S. GREGORII Magni nuncupati, quarto videlicet Idus Martii, Pontificatus ipſius GREGORII prædeceſſoris anno ſecundo; iterum dictus GREGORIVS prædeceſſor eſt hortatus ad iteratas preces, jejunia, & eleemoſynas: ut in tanto opere exequendo, lumen ejus, qui lucem habitat inacceſſibilem, implorarent ad ea peragenda, quibus divinæ gloriæ honor, & Catholicæ Eccleſiæ fides augeretur. Omnibus vero juxta Sanctorum Patrum traditiones, ſacrorumque Canonum inſtituta, & Romanæ Eccleſiæ conſuetudinem rite & recte peractis, dicta die IV Idus Martii, idem GREGORIVS prædeceſſor ad Principis Apoſtolorum baſilicam cum Cardinalibus, Patriarchis, Archiepiſcopis, Epiſcopis, Prælatis,

latis, & ipſius GREGORII prædeceſſoris familiaribus prædictis; nec non dilectis filiis Clero ſæculari & regulari, ac maxima populi frequentia, convenit: & poſt iteratas primo, ſecundo, ac tertio pro Canonizationis decreto petitiones per dilectum filium noſtrum, tunc ſuum, Ludovicum tituli S. Mariæ Tranſpontinæ Presbyterum Cardinalem Ludoviſium nuncupatum, nomine prædictorum, qui pro ea inſtiterant; poſt ſacros Hymnos, Litanias, aliasque preces, & poſt imploratam Spiritus ſancti gratiam, ad honorem Sanctiſſimæ & individuæ Trinitatis, & fidei Catholicæ exaltationem, & Chriſtianæ Religionis augmentum, auctoritate ejusdem Dei omnipotentis Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, & BB. Petri & Pauli Apoſtolorum, decrevit & definivit, dictum Ignatium Lojolam, prædictæ Societatis fundatorem, ac BB. Philippo, necnon Thereſia, Sanctum, & Sanctorum Catalogo adſcribendum & aggregandum eſſe, prout adſcripſit & aggregavit: ſtatuens, ut ab univerſis Chriſti fidelibus in ejus honorem Eccleſiæ, & altaria, in quibus ſacrificia Deo offerantur, ædificari; & quolibet anno, dicta die illius obitus pridie Kalend. Auguſti, feſtum ipſius, & officium, tamquam de Confeſſore non Pontifice, ad formam in Rubricis Romani Breviarii præſcriptam, ſolemniter celebrari poſſint. Inſuper eadem auctoritate omnibus utriusque ſexus Chriſti fidelibus vere pœnitentibus & confeſſis, qui annis ſingulis ipſius feſto ad ſepulcrum, in quo corpus ejus requieſcit, viſitandum acceſſerint, unum annum, & quadraginta dies; iis vero, qui in ejusdem feſti octava id fecerint, etiam quadraginta dies de injunctis eis, aut alias quomodolibet debitis pœnitentiis miſericorditer in Domino relaxavit. Et decantato ſolemniter hymno, *Te Deum laudamus*, & divinâ ope implorata, S. Ignatii & aliorum Sanctorum prædictorum meritis, per peculiarem ad id orationem, quam dictus GREGORIVS prædeceſſor pie & ſolenniter recitavit; ſacroſanctum Miſſæ ſacrificium ſolemni pompa & ritu, cum eorumdem Sanctorum commemoratione, ad altare Principis Apoſtolorum celebravit: & omnibus Chriſti fidelibus tunc præſentibus plenariam omnium peccatorum ſuorum indulgentiam & remiſſionem, ad Dei laudem, & gloriam Sanctorum ejus, impertitus fuit. Ne autem de decreto, definitione, adſcriptione, aggregatione, ſtatuto, relaxatione, impertitione, aliisque præmiſſis, pro eo quod ſuper illis ipſius GREGORII prædeceſſoris litteræ, ejus ſuperveniente obitu, confectæ non fuerunt,

URB. VIII.

VRB. VIII. runt, valeat quomodolibet hæſitari; Volumus, & Apoſtolicâ auctoritate decernimus, quod decretum, definitio, adſcriptio, aggregatio, ſtatutum, relaxatio, impertitio, aliaque præmiſſa à dicta die IV Idus Martii ſuum debitum ſortiantur effectum, ac ſi ſuper illis ipſius GREGORII prædeceſſoris litteræ ſub Datum ejuſdem diei confectæ fuiſſent, prout ſuperius enarratur: quodque præſentes noſtræ litteræ ad probandum plene decretum, definitionem, adſcriptionem, aggregationem, ſtatutum, relaxationem, impertitionem, & alia præmiſſa ubique ſufficiant: nec ad id probationis alterius adminiculum requiratur. Ceterum, quia difficile foret præſentes noſtras litteras ad ſingula loca, ubi opus eſſet, deferri; Volumus, ut earum exmplis, etiam impreſſis, manu publici Notarii ſubſcriptis, & ſigillo alicujus perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, eadem ubique fides adhibeatur, quæ ipſis præſentibus adhiberetur, ſi eſſent exhibitæ, vel oſtenſæ. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam utriusque voluntatum noſtrarum, & decreti infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, ac BB. Petri & Pauli Apoſtolorum ejus, ſe noverit incurſurum. Datum Romæ apud S. Petrum anno Incarnationis Dominicæ milleſimo ſexcenteſimo vigeſimo tertio, VIII Idus Auguſti, Pontificatus noſtri anno primo.

† Ego Vrbanus Catholicæ Eccleſiæ Epiſcopus.



†

† Ego Franciſcus Maria Epiſcopus Oſtienſis Cardinalis à Monte.

†

†

† Ego Oct. Epiſcopus Præneſtinus Cardinalis Bandinus. VRB. VIII.
† Ego Ioannes Baptiſta Epiſcopus Albanenſis Cardinalis Detus.
†
† Ego A. tit. S. Laurentii in Lucinâ Presbyter Cardinalis Perettus.
† Ego B. tt. S. Mariæ Tranſtiberim Cardinalis Bevilaqua.
†
†
†
† Ego Dominicus SS. Apoſtolorum Cardinalis Gimnaſius.
† Ego C. Cardinalis tit. S. Cæſarei Madrutius.
† Ego S. tit. S. Chryſogoni Presbyter Cardinalis Burgheſius, major Pœnitentiarius.
† Ego Io. Garſia tit. SS. Quatuor Coronatorum Presbyter Cardinalis Millinus.
† Ego M. tt. SS. Quirici & Iulittæ Presbyter Cardinalis Lantes.
†
† Ego Io. B. tit. S. Cæciliæ Presbyter Cardinalis Lenius.
†
†
†
† Ego D. tit. S. Martini in montibus Cardinalis Rivarola.
†
†
†
† Ego G. tit. S. Crucis in Hieruſalem Presbyter Cardinalis Borgia.
† Fr. Felix tit. S. Anaſtaſiæ Presbyter Cardinalis Aſculanus.
†
† Tib. tit. S. Priſcæ Presbyter Cardinalis Mutus.
† Ego Gabriel tit. S. Bartholomæi in Inſula Presbyter Cardinalis de Trejo.
†
† Ego I. tit. S. Sabinæ Presbyter Cardinalis Sabellus.
† Ego M. tit. S. Mariæ de Pace Presbyter Cardinalis Kleſelius.
†
†

VRB. VIII. † Ego S. Presbyter Cardinalis S. Suſannæ S. R. E. Bibliothecarius.
†
†
†
† Ego Guido tit. S. M. de populo Presbyter Cardinalis Bentivolus.
†
†
†
†
†
† Fr. Deſiderius tit. S. Clementis Presbyter Cardinalis de Cremona.
†
† Ego Ludovicus Presbyter Cardinalis Ludoviſius tit. S. Laurentii in Damaſo S. R. E. Vicecancellarius.
†
†
†
†
† Ego Coſmus tit. S. Pancratii Presbyter Cardinalis de Torres.
†
†
†
†
† C. S. Nicolai in carcere Tulliano Diaconus Cardinalis Pius.
† M. S. Euſtachii Diaconus Cardinalis de Sabaudia.
†
† Ego Alexander S. Mariæ in Coſmedin Diaconus Cardinalis Vrſinus.
†
†
ű
†
† Ego Franciſcus S. Angeli in foro Piſcium Diaconus Cardinalis Boncompagnus.

† Ego

† Ego Hipp. S. Mariæ novæ Diaconus Cardinalis Aldobrandinus, S.R.E. Camerarius. VRB. VIII.

†

†

Ioſeph Anſelmus.

G. Montanus.

Locus † plumbi.

Regiſtrata in Secretaria Brevium.

BVLLA
CANONIZATIONIS
S. FRANCISCI XAVERII.

VRBANVS *Epiſcopus, Servus ſervorum Dei,*
Ad perpetuam rei memoriam.

RAtioni congruit, & convenit æquitati, ut ea, quæ de Romani Pontificis providentia proceſſerunt, licet ejus ſuperveniente obitu litteræ Apoſtolicæ deſuper confectæ non fuerint, ſuum debitum conſequantur effectum. Dudum ſiquidem felic. record. GREGORIVS Papa XV prædeceſſor noſter pie præmeditans, quod unigenitus & coæternus æterni Patris Filius, cum de regalibus Sedibus in hunc mundum, ut ſalutem humani generis operaretur, deſcendiſſet, ſemen bonum verbi ſui in agro orbis terrarum ſeminaverat, ut omnium cæleſtium virtutum, & ad extremum æternæ vitæ fructum credentibus germinaret, quodque cum pro divinæ hujus ſegetis incremento pretioſiſſimum ſanguinem ſuum, ignominiam Crucis voluntarie ſubiens, effudiſſet; ac perfecto demum opere, ad quod miſſus fuerat, ſuper omnibus cælorũ ſublimitatibus ad dexteram Patris in ſæculorum æternitate conſeſſurus aſcendiſſet; plurimos ſervos & amicos ſuos in terris reliquerat, qui laboribus, vigiliis, atque ad ipſius exemplum proprii ſanguinis effuſione, divinam hanc excolentes ſementem, meſſem quam uberrimam in horreum ejus congregarent, ejusq; fines eousq; dilatarent, donec juxta promiſſionem Patris omnes gentes, & termini terræ, darentur ei in hereditatem, & poſſeſſionem.

VRB. VIII. nem. Et quamvis verbum ejus ſemper à generatione in generationem proſperatum eſſet; attamen quando ab æternis temporibus prædeſtinatum beneplaciti ejus tempus advenerat, ut abundare faceret, quaſi imbrem inundantem miſericordiam ſuam magnam ſuper univerſum ſemen filiorum Adam, gloriamque Crucis ſuæ usque ad ultimum terræ, & in mari longe propagaret, vere admirabilis facta erat potentia ipſius, cum revelatis incognitis antea tribubus, & linguis, ac populis, & nationibus meſſem magnam atque uberem aperuerat, atque in ea operarios multiplicaverat, tantaque fructuum abundantia labores eorum compleverat; ut ipſis annuntiantibus Evangelicæ prædicationis ſonus, usque ad extremos orbis terrarum fines penetraſſet, & à Solis ortu usque ad occaſum, ab Aquilone & mari, magnum nomen Domini Dei noſtri in univerſis gentibus redditum eſſet.

Inter ceteros vero, quos ad perficiendum voluntatis ſuæ ſacramentum in tantarum gentium vocatione Dominus præordinaverat, egregius Servus ejus FRANCISCVS XAVERIVS, NOVVS INDIARVM APOSTOLVS, gloria ſanctitatis, & meritorum ſplendore præcipue emicuerat, qui cùm à juventute ſua perfecte coram Deo ambulaſſet; ſpretisque, ac conculcatis divitiis, ac ſæculi dignitatibus, ac ſemetipſo juxta Verbum Domini abnegato, animam ſuam pro nomine Domini noſtri IESV Chriſti tradidiſſet; dignus inventus erat, qui à Spiritu ſancto in tam inſigne opus aſſumeretur, ac tamquam aliorum Dux divina providentia conſtitutus, Apoſtolicis charismatibus affluenter decoraretur, etiam ob ſigna Apoſtolatus, quæ in eo in omni patientia, in ſignis, & prodigiis, ac virtutibus, manifeſta facta erant, novarum gentium Apoſtolus unanimi totius Chriſtiani orbis conſenſu meruerat appellari: ac propterea decebat, ut tantum Dei famulum, qui pro gloria ejus, & animarum D. N. IESV Chriſti ſanguine redemptarum ſalute innumeros maximosque labores atque ærumnas perpeſſus erat, ingentiaque terra marique ſubiverat pericula; quem Deus adeo magnificaverat, ut nomen ejus honorabile eſſet apud omnes gentes, idem GREGORIVS prædeceſſor pro ſuo paſtorali munere vere Sanctum, & electum Dei, in militanti Eccleſia declararet, ejusque virtutes, tamquam eximias, & præcellentes, univerſis Chriſti fidelibus imitandas proponeret, ut populus Chriſtianus actiones ſuas ad honorem Dei (ipſius exemplo) dirigens, eum apud Deum, & Dominum IESVM Chriſtum in ejus neceſſitatibus habere mereretur interceſſorem.

Atque

Atque ut omnes Christi fideles promptius ad laudandum Deum omnipotentem, ſecundum multitudinem magnitudinis ejus, excitarentur, devotioniſque ardor erga tantum Dei famulum augeretur, dum ejus in terris cæleſtem, & laudabiliter actam vitam orbi terrarum explicaret, & patefaceret, in primis & ante omnia præmitteret: Quod natus erat inſignis hic Dei ſervus Navarræ in oppido Xaverio Pampilonenſis diœceſis, maternæ ditionis loco, nobilibus ac piis progenitoribus: qui cum ipſum ab infantia timere Deum, ac ab omni peccato abſtinere edocuiſſent, ubi ætas demum adoleverat, Lutetiam Pariſiorum, ſtudiorum gratia eumdem miſerant. Quibus cum alacriter operam daret, poſt haud multum temporis de eo domum revocando pater cogitare cœperat, quod cum tunc in humanis agens Maria Magdalena ejus ſoror, quæ Monaſterium monialium oppidi nuncupati Gandiæ, Ordinis S. Claræ diſcalceatarum nuncupatarum Valentinenſis diœceſis, non ſine ingenti ſanctitatis fama tunc regebat, præſenſiſſet, fratris vocationem divinitus edocta per litteras cum patre vehementius egerat, ut Franciſci ſtudia omni ope etiam cum rei domeſticæ detrimento foveret: eum enim incognitarum gentium Apoſtolum divina providentia præordinatum eſſe prævidebat. VRB. VIII.

Cumque Lutetiæ commoraretur, in familiaritatem S. Ignatii inſinuatus, ac poſtmodum in ſocium ipſius, qui id ardentibus precibus à Deo ad ingentem Eccleſiæ utilitatem præſtandam poſtulaverat, adſcriptus; eoque duce ingreſſus erat arctam viam, quæ ad vitam ducebat. Vt enim ſpiritu vivificaretur, carnem ſuam ad antiquorum ſanctorum Patrum exemplum ſeveriſſime mortificaverat. Interdicto enim ſibi non ſolum carnis & vini, ſed panis etiam triticei uſu, vilibus tantummodo ac inſulſis cibis, iiſque quam parciſſime uſus erat. Quin etiam frequenter integro biduo triduoque ab omni cibo prorſus abſtinuerat. Aliquando vero omnes majoris hebdomadæ dies, uſq; ad Sabbatum Paſchatis jejunus tranſegerat; ſomnoque breviſſimo vires reficere conſueverat, humi, vel lectulo viliſſimis ſtragulis contecto jacens. Corpus ſuum ferreis flagellis adeò diverberabat, ut ſæpè copioſus ſanguis efflueret. Aliquando autem funiculis arctiſſimè conſtrictis lacertis & coxendicibus iter aggreſſus erat. Cumque plures dies in eo cruciatu perſeveraſſet, vincula adeo corpori ejus infixa erant, ut præ doloris magnitudine viribus deſtitutus in via concideret, ac niſi præcipuo Dei beneficio, abſque ullâ humanâ ope diſrupta fuiſſent, de ejus vitâ omnino

VRB, VIII. no deſperatum fuiſſet. Quàm præclare vero in ejus animo reliquæ Chriſtianæ virtutes effulſiſſent; quam potenter ſcuto fidei protectus omnia nequiſſimi ignea tela extinxiſſet, & quàm firmiter in Deo ſperaſſet; & Sacramentorum frequentia, quibus non ſolum ſemetipſum, ſed & alios etiam ſummâ cum devotione, ac indefeſſa aſſiduitate paſcebat: & Verbi Dei aſſidua prædicatio, quâ tam ingentem orbis terrarum partem illuminaverat, inſigniter atteſtabantur. Sed inter ceteras ejus virtutes, quaſi ſidus matutinum præcipue reſplenduerat caritas, quæ in omnibus quidem ejus actionibus, præſertim tamen, cùm ægrotis inſerviret, manifeſtabatur: eo etenim dilectionis ardore erga inopes infirmos, qui in domibus hoſpitalibus morabantur, ſe gerebat, ut rarò ab eis diſcederet, tantaque ſenſuum mortificatione quantumvis ſordidiſſima miniſteria peragebat; ut aquam ſæpius, quâ horribilia & incurabilia ulcera laverat, ebibiſſet. Cùm verò de vitâ periclitaretur, tunc cibi ſomnique prorſus oblitus, & præter proprias vires à Deo confortatus, veluti à commiſsâ cuſtodiâ nec die nec nocte diſcedebat: illisque ſanctiſſima Eccleſiæ Sacramenta ceteraſque ſpirituales alimonias præbebat. Quæ adeò libenter atque hilariter exequebatur, ut deliciæ ejus, deſervire ægrotis ac morientibus, eſſe dicerentur; & quaſi aliquod talentum, ſibi Divinæ benignitatis munificentiâ creditum, negotiaretur, aſſiduam hanc erga ægrotos curam ac vigilantiam toto vitæ ſuæ tempore, ubicumque moraretur, exercuerat. Sed & per eamdem caritatem, quæ per Spiritum ſanctum diffuſa erat in corde ipſius, adeò ad Deum accedebat, tantoque ſpiritus fervore in oratione perſeverabat, ut hujusmodi cibo intentus, quo interiorem hominem reficiebat, noctes integras tranſigeret; nec cùm in navi eſſet, atque in aperto vitæ diſcrimine, in ſummis tempeſtatibus verſaretur, deſiſteret, aut quidquam animo commoveretur: fieretque aliquando talis ſuper eum mentis exceſſus, ut oculis in cælum defixis Divinâ vi à terrâ elevaretur, vultu adeò inflammatus, ut Angelicam prorſus caritatem repræſentaret: nec Divini amoris perferre valens incendium, ſæpius exclamaret: Satis eſt, Domine, ſatis eſt. Cùm verò ſacroſanctum Miſſæ celebraret ſacrificium, ſæpenumerò à ſenſibus uſq; adeò abalienabatur; ut nec miniſtri veſtem ſuccutientes, niſi poſt diuturnam moram, eum excitare poſſent. Quin etiam aliquoties altiùs cubito à terrâ elatus, ab universâ adſtantium multitudine miraculi magnitudinem obſtupeſcente, ac Servi Dei ſanctitatem ſuſpiciente conſpectus fuerat; nec ſolùm vigilans

vir

vir ſanctus Deum in corde & ore habebat; ſed & dormiens in ipſo requieſcebat: frequenter enim in ſomnis ſanctiſſimum nomen IESV cum ſumma mentis dulcedine proferre audiebatur. Cumque tam ſingularibus floreret virtutibus, atque indies à Deo potioribus augeretur muneribus; non modò non extollebatur, ſed creſcebat in eo ſemper virtus humilitatis, adeò ut infima quæque domus officia ſemper tamquàm omnium poſtremus obiret. Veſtibus vero adeo pannoſis ac vilibus utebatur, ut pueris quandoque deridiculo eſſet. Venerabatur autem eximiè vir Dei non Epiſcopos modò, ſed Sacerdotes quoſcumque; Sancto verò Ignatio, tunc Præpoſito ſuo, non niſi flexis genibus ſcribebat. Honores verò ac laudes hominum adeo horrebat, ut ampliſſimam Apoſtolici Nuntii dignitatem, quâ inſtructus in Indias à Summo Pontifice miſſus fuerat, quàm ſtudioſiſſimè occultaret, nec niſi ſemel eâ poteſtate (neceſſitate coactus) uſus fuerat. VRB. VIII.

Ceterùm tantus vir inſigne ſtadium à Deo conſecutus erat, in quo glorioſè, uſque ad conſummationem curſus & coronam juſtitiæ, decertaret: Cùm etenim clar. mem. Ioannes Luſitaniæ Rex à piæ me. PAVLO Papa III, tunc dicti GREGORII, nunc etiam noſtro reſpectivè prædeceſſore, nonnullos ex Ignatii ſociis poſtulaſſet, quos ad Orientales Indias, ut in vaſtiſſimis illis regionibus verbum Dei diſſeminarent, tranſmitteret: idem Pontifex S. Ignatii hortatu ad tantum opus peragendum Franciſcum Xaverium elegerat, quem etiam Apoſtolici Nuntii dignitate, & ampliſſimâ poteſtate decoraverat. Cumque viatici nomine plurima ei à Prætore Regio pararentur, homo qui pro viatico ac perâ de Dei benignitate, in cujus Evangelii opus ſegregabatur, præſumebat; numquàm adduci potuerat, ut quidquam præter viliſſimum centonem acciperet: & in navi ſuper funem nauticum dormiebat, ac emendicato vivebat: ægrotis in viliſſimis miniſteriis indefeſsâ caritate noctu diuque ſerviebat.

In Indiam ut pervenerat, ſtatim nec modico quidem tempore ad quietem poſt longiſſimam, ac difficillimam navigationem ſumpto, ad prædicandum illis gentibus Evangelium ſe accinxerat, & indutus virtute ex alto, Apoſtolico ſpiritus fervore miniſterium, quod ſortitus erat, tanto cum fructu exequebatur, ut gratiâ Dei efficaciter verbo ejus cooperante, non ſolùm Chriſtianorum mores depravatos ad meliorem frugem paſſim toto Oriente revocaret; ſed multa centena hominum millia, qui in tenebris, &

VRB. VIII. in regione umbræ mortis ambulabant, ad agnitionem veræ lucis perducti, regenerationis lavacro mundarentur. Nam præter Indos, Brachmanes, & Malabares (in quorum regnis Apoſtolica prædicatio, quæ antiquis temporibus illic viguerat, ſed hoſtis humani generis fraude ex omnium memoriâ prorſus abolita erat, Xaverii prædicatione revixerat.) Ipſe primus Paravis, Malais, Iais, Acenis, Mindanais, Malacenſibus, & Iaponibus Evangelium Chriſti annuntiaverat, multique illarum nationum Reges, & Magni Principes, ingenti cum Fidei noſtræ emolumento, ſuavi Chriſti jugo colla ſubdiderant. Incredibilia autem videbantur, quæ propter nomen Domini noſtri IESV Chriſti toleraverat. Per diverſa etenim regna in vaſtis illis orbis terrarum ſpatiis ſemper pedibus etiam ſæpiùs nudis per arenas calidas pergebat, per ſpinas longiſſima itinera conficiebat, contumeliis ſæpenumerò, probris, & illuſionibus, quin etiam verberibus, & lapidibus appetitus, in periculis hoſtium, in periculis itinerum verſatus, ſæpè naufragus, vigilias, frigus, & nuditatem, ſitim, famemque perpeſſus erat, contractis ob aſſiduos ac intolerabiles labores graviſſimis morbis. Nec enim (Apoſtoli exemplo) animam ſuam faciebat pretioſiorem, quàm ſe, dummodo conſummaret curſum ſuum, & miniſterium verbi, quod acceperat, teſtificari Evangelium gratiæ Dei: ſigna verò & prodigia, quibus Dominus Apoſtolorum ſuorum ſermonem in naſcentis Eccleſiæ exordiis confirmavit, ad illius novæ ſobolis incrementum; in manu etiam ſervi ſui Franciſci miſericorditer renovaverat. Subitò enim à Deo diverſarum ac incognitarum gentium linguas, quas non noverat, edoctus diſertiſſimè, quaſi in iiſdem terris educatus eſſet, loquebatur: & acciderat quandoque, ut eum ad diverſarum nationum populos concionem habentem unusquisque eodem tempore lingua ſua, qua natus erat, magnalia Dei loquentem cum ſtupore, & ecſtaſi audiret, eoque miraculo multitudo magna commota reciperet verbum Dei.

Hinc poſt præmiſſa, ad Chriſti fidelium ædificationem aliqua ex inſignioribus prodigiis, quibus prædicationem & geſta ipſius Dominus illuſtraverat, recenſeret. Et primò illud memorandum videbatur, quòd cùm numeroſus Badegarum exercitus in exitium Chriſtianorum à Franciſco baptizatorum immineret, atque omnia atrocitatis exempla ſe in Chriſtianos editurum minaretur; ipſe ſolus Fide armatus, procedens obviam ac ſeverè eorum impietatem increpans; ſteterat illicò immobili veſtigio univerſus

verſus exercitus deterritus,ut milites Ducesque referebant, ab homine quodam magno nigris veſtibus induto,qui juxta Franciſcum ſtabat,cujus majeſtatem ac ſplendorem vultu oculisque micantem ferre non poterant; itaque vir ſanctus, quos Chriſto pepererat, à cæde ac direptione liberaverat. Succeſſivè apud Comorinum promontorium, cùm in quadam Eccleſia ſervus Dei infidelibus concionaretur, ac propter duritiam cordis eorum nihil proficeret: facta oratione, juſſit ſepulcrum, in quo pridie defunctus tumulatus fuerat,aperiri,ac populo ſignificans,ad comprobandam Chriſtianæ Fidei veritatem, mortuum illum Dei voluntate rurſum victurum,linteo,quo cadaver involutum erat,reſciſſo,ac rurſus precibus ad Deum fuſis, mortuo, ut viveret, imperaverat, qui ſtatim ſtupentibus omnibus ſurrexerat vivus. Quo tam inſigni miraculo commoti qui aderant, tum alii multi crediderunt in Deum. Eodem poſteà loco mendicus quidam beato viro occurrerat ulceribus plenus, cujus plagas Franciſcus magno caritatis affectu lavans, atque aquam, quâ eas laverat, ebibens, ac deinde Deum Patrem miſericordiarum, ut illius pauperis miſereretur, orans, è veſtigio ab omni plagâ atque ulcere,Dei munere, pauper ipſe omnino liber ſurrexerat. Sed & puer quidam Mutani in Orientali Indiâ peſtilenti febri vità ſublatus,ac linteo inſutus, de more gentis viginti quatuor horis aſſervatus,flentibus parentibus ferebatur ad ſepulcrum: quos ut vir Dei vidit, miſericordiâ motus ſuper eos, Deum omnipotentem, ut puerum vivificaret, genibus flexis precatus fuerat, atque aquâ benedictâ aſperſum,reſciſſo linteo,ſigno Crucis ſignaverat,apprehenſaque manu ejus, in nomine Domini IESV Chriſti, vivum atque incolumem parentibus reſtituerat; erecta in illo loco, ad tantæ rei memoriam conſervandam, ab incolis magna cum celebritate Cruce. Et ſucceſſive apud oppidum Combuture in ora Piſcariæ puer alius in puteum delapſus ſuffocatusque, maximo cum matris & cognatorum ejulatu efferebatur; cumque ex proxima eccleſia Franciſcus occurriſſet, miſertus eorum, in genua provolutus, oculisque in cælum fixis, Deum pro vita pueri precatus, eum apprehenſa manu in nomine Domini noſtri IESV Chriſti ſurgere juſſerat, & confeſtim puer ſurrexerat vivus, quem Sanctus vir reddiderat matri ſuæ, ſtupentibus omnibus, ac maximo cum clamore Deo gratias agentibus; quibus ipſe præcepit, ne cui rem geſtam narrarent. Inſuper dum in Iaponiâ inſulâ Franciſcus Chriſti fidem prædicaret, VRB. VIII.

 ac-

VRB. VIII. acceſſerat ad eum mercator quidam à multis annis cæcus, petens ut ſibi à Deo, ut videret, impetraret: Franciſcus, recitato ſuper eum Evangelio, ſignum Crucis oculis ejus impreſſerat, qui eodem temporis momento lucem amiſſam recuperaverat. Poſtero verò die reverſus ad eum, cum uxore ac univerſa familia, genibus advolutus gratias agens, & Chriſtianam fidem profeſſus ad Baptiſmi gratiam unà cum ſuis omnibus pervenerat. Exierat autem tam illuſtris miraculi fama per omnem terram illam, ac multi relictis idolis ſuis converſi erant ad verum Deum, & IESUM Chriſtum filium ejus.

Cumque ſervus Dei ad Sinas in magna navi, qua quingenti vehebantur, navigaret, ceſſaverant adeo venti, ut quatuordecim diebus navis eodem loco hæſiſſet immota; cumque inter ceteras difficultates aquæ penuriâ valde laboraretur, multique jam ſiti deficerent; vir ſanctus omnia navis vaſa marina aqua impleri juſſerat, fuſiſque inſtanter ad Deum precibus, ſuper ea ſignum crucis fecerat, ac repentè aqua illa ſalſa, dulcis ſalubrisque effecta erat, quo miraculo plures, qui in navi erant, infideles crediderant in Deum: quin etiam aquæ illius, quæ abundè ſuperfuerat, potu plurimi per multas Indiarum provincias variis, quibus vexabantur, morbis ſanati fuerant. Ad eoſdem Sinas contendens, cùm ſæviſſimâ ortâ tempeſtate omnes de ſe actum eſſe exiſtimarent, Gubernator navis, ne repentinæ vis procellæ ſcapham auferret, validis eam rudentibus ad onerariam alligari juſſiſſet; non multò poſt abruptis retinaculis, ſcapham tempeſtas abſtulerat tanto impetu, ut pænè temporis momento omnium conſpectum effugiſſet; & prout quisque cognatos, & neceſſarios in ſcaphâ habebat, certatim eorum caſum deplorare cœperant. Franciſcus ergo univerſos collacrymantes bonum eos habere animum juſſerat, ac prædixerat fore, ut ante triduum filia remearet ad matrem, ſignificans ſcapham, ad onerariam redituram, prout Deo dante apparere viſa fuerat, & rectà ad onerariam tendere & ſponte ad illius latus accedere, atque ita aptè ſe applicare; ut illi omnes, qui in ea erant, commodè excepti fuiſſent, quæ etiam in mediis fluctibus, nèmine illam retinente, tamdiu ſteterat, quoad religaretur ad navim, attonitis omnibus ex miraculo remanentibus. Ad Moluchas inſulas etiam Franciſcus advenerat, ubi magno ſpiritus fervore verbum Dei primus annuntiabat, atque in Vrbe Tolo vigintiquinque millia hominum baptizaverat, qui cùm ſuaſu Tyranni cujusdam Chriſti fidem deſeruiſſent, eccleſiam ſolo æquaſſent,

ſent,Cruces,Sanctorumque imagines confregiſſent,& conculcaſſent;Franciſcus zelum Domini zelatus viginti Luſitanos, ac quadringentos circiter indigenas ad ultionem tanti ſceleris incitaverat, eoque Duce,ac victoriæ ſponſore, tam parva militum manus adverſus urbem munitiſſimam, Chriſti rebellem, expeditionem aggrediebatur; ſed cùm prope urbem perveniſſent, ſubſtiterat vir Dei, ac orationi ſe dederat, ſtatimque vicinus mons magnum emiſerat incendium,adeoque ingentem cineris,ac pumicum vim eructaverat; ut urbis,atque arcis, quæ in edito ſita erat, muros æquaſſet, horribilisque præterea terræmotus totam urbem concuſſerat, plurimasque domos ſubverterat; quibus malis exterriti incolæ, deſerta urbe, in proximas ſilvas confugerant. Vrbs itaque à Franciſci militibus facile capta erat. Cives verò ad ejus pedes proſtrati, acceptaque ſalutari pœnitentia, delicti veniam impetrarant. VRB. VIII.

Vlteriùs,cùm inter easdem inſulas Franciſcus navigaret, ac ſæviſſima orta eſſet maris tempeſtas; ad eam ſedandam, Crucifixi imaginem,quam collo appoſitam geſtare ſolebat,undis immiſerat,quæ vi procellæ è manibus excuſſa, in profundum maris, non ſine magno ejus mœrore delapſa erat: ſed lætificaverat Dominus animam ſervi ſui; nam cùm ad terram applicuiſſet, ac ſecus littus iter faceret, marinus cancer ex undis ſubito proſiluerat, atque ante pedes ipſius ſteterat, eamdem crucem morſibus elevatam gerens, & Franciſcus in genua provolutus eam devotè ſuſceperat, ac diuturna oratione ob tam egregium munus Deo gratias egerat.

Prophetico etiam ſpiritu Deus ſervum ſuum,quem in lucem gentium dederat,illuminaverat, atque adeò inſigne donum plurimis manifeſtaverat exemplis. Atque inter cetera cum Aceni populi,inter quos & Turcæ erant multi,ſexaginta navium claſſe vecti,Chriſtianorum naves concremaſſent,ac multos crudeliſſimis ſuppliciis affectos enecaſſent,ducenti ac triginta milites in octo naves diſtributi,Franciſco ſuadente,ac in nomine Domini exercituum victoriam promittente, claſſem barbarorum inſecuti erant: transactoque jam menſe,cùm nullus ab ipſis nuntius adveniret,conſternatis omnibus, jamque de civium ſuorum ſalute deſperantibus, Franciſcus in ipſa conflictus hora claſſium congreſſum, ac inſignem Chriſtianorum victoriam,haud ſecus ac ſi præſens eſſet,in concione narraverat,ac diem quo tantæ rei nuntius adventurus eſſet,prædixerat. Quæ omnia cum ingenti omnium admiratione,eo ipſo,quod deſignârat, tempore,certis nuntiis appro-

VRB. VIII. probata fuerant. Cumque duæ naves eodem tempore à portu ſolviſſent, prædixerat Franciſcus, ſubortâ magnâ in mari tempeſtate, alteram naufragium paſſuram, alteram verò (& in hac ipſe reperiebatur) extra omne maris periculum in navali diſſolvendam ; quam prædictionem utriusque exitus comprobaverat, cùm alterius fragmenta non multò pòſt conſpecta fuiſſent, altera verò multis tutè peractis itineribus, cùm publicato vaticinio, Sancti Patris navis vocaretur, ac ubicumque appelleret, cum plauſu exciperetur ; demùm poſt multos annos in navali, ut reficeretur, ſubducta, ſponte corruerat.

Graſſante quoque peſtilentiâ in Luſitanorum ac Hiſpanorum claſſibus, quæ ad Amboinam inſulam appulerant , cùm Sanctus vir ægrotis de more miniſtraret, à Ioanne de Arauſio, ut vinum ſibi ad eorum uſum elargiretur, petierat, quod Arauſius gravatim , timens ne ſibi deeſſet, miſerat, quem Dei ſervus admonuerat , ut in caritatis operibus largior eſſe vellet, brevî etenim fore, ut vitâ defungeretur, ejusque omnia bona in uſus pauperum cederent. Cumque poſt non multum temporis ſpatium ad Ternatim inſulam, quæ ducentis ampliùs milliaribus à loco diſtabat, adventaſſet, ac Miſſæ ſacrificium celebraret, verſus ad populum, Orate (dixerat) pro animâ Ioannis de Arauſio, qui modò expiravit, ſtupentibus omnibus, poſt duodecimum demum diem ſupervenerat, qui viſionem ſancti viri veriſſimam fuiſſe, nuntiatâ Arauſii morte declaraverat.

Mercatori cuidam Meliapore diſceſſum, ac munuſculum aliquod tamquàm benevolentiæ ſignum à ſe poſtulanti, Servus Dei B. MARIÆ Virginis coronam precariam è collo detractam elargitus erat, affirmans fore, ut quamdiu illam penes ſe haberet, ab omni maris periculo incolumis eſſet evaſurus. A portu itaque mercator ſolvens naufragium fecerat, cumque in tabulata ex lignis raptim compoſita cum nonnullis aliis vectoribus exiiſſet, in alto mari alienato à ſenſibus animo viſus eſſet ſibi cum ipſo ſervo Dei Franciſco in eo loco , in quo coronam precariam præfatam acceperat , colloqui. Quinto demum die, ex quo deſilierat in illa tabulata, ab eâ animi ecſtaſi, velut ab alto ſomno experrectus , cùm neque tabulata , neque ſocii unquam comparuiſſent in littore, Nagapatani prope Meliaporem ſalvum & incolumem ſe repererat.

Petro Vellio autem, qui ſummâ voluntate in quoddam caritatis opus pecuniam viro Dei elargitus fuerat, promiſerat, fore ut numquàm ei neceſſaria deeſſent, ad mortis horam divinitus præcognoſceret : quorum utrumque

que acciderat. Nam quamvis Petrus maxima perpeſſus eſſet rei familiaris detrimenta; ſemper tamen ab omnibus ſummam liberalitatem expertus erat, ac tranſactis demum multis annis, revelatâ ſibi mortis horâ, ſe in eccleſiâ in feretro compoſuerat, auditaque Miſſa, ac precibus, quas pro animæ ſuæ ſalute recitari juſſerat, ibidem ſtatim in pace obdormiverat. VRB. VIII.

Demum vir Dei conſummato feliciter peregrinationis ſuæ curſu, fama ſanctitatis clarus, & bonis operibus plenus, cùm ei benedictionem Patriarchæ Abrahæ Dominus ſpiritualiter elargitus eſſet, ut multarum gentium pater efficeretur, & filios, quos Chriſto IESV genuerat, ſuper ſtellas cæli, & ſuper arenam, quæ eſt in littore maris, multiplicatos videret, & ex eis plurimos proprio ſanguine laureatos ad cæleſtia regna præmiſiſſet; ORIENTALIVM INDIARVM APOSTOLVS ab univerſis Indiæ regnis, totoque Chriſtiano orbe appellatus, dum aditum Evangelio in vaſtiſſimo Sinarum Imperio quærebat, aſſiduis laboribus, quos ultra humanas vires pro gloria Dei toleraverat, confractus, in Inſula prope Sinas, die ſecunda Decembris anni Domini milleſimi quingenteſimi quinquageſimi ſecundi, ad cæleſtem gloriam, perpetuò cum Deo regnaturus evolaverat. Defuncti corpus vivâ calce perfuſum, ut exeſa carne, oſſa in Indiam exportarentur, incluſumque arcâ ligneâ ſepultum fuerat, quod poſt quatuor menſes effoſſum ita recens, ac tractabile, veſtimentisque adeò integris ac ſi nuper eſſet tumulatum repertum extiterat, & quamvis nullo odoramentorum genere curatum fuiſſet; Divino tamen munere eam odorum fragrantiam ſpirabat, ut eſſet ſuper omnia aromata. Calce itaque rurſus injectâ, Malacamque (in Orientali India urbs eſt celeberrima) delatum extiterat; in qua cùm ſæviſſima peſtis plurimos quotidie conficeret, ingenti beneficentia adventum ejus Deus inſigniverat: nam ſacro corpore in urbem illato, adeò omnis contagio deſierat, ut ea deinceps nullus omnino correptus fuiſſet. Arca itaque rurſus aperta, integrum ſicut anteà, eamdemque odoris ſuavitatem diffundens repertum etiam fuerat. Cumque in novo loculo conderetur, ex humero ob arculæ brevitatem paullum compreſſo recens ſanguis effluxerat. Nono demum poſt obitum menſe, ſepulcro iterùm patefacto, rurſus, ut anteà, divinâ virtute à corruptione immune, ac cæleſtibus perfuſum aromatibus inventum, velo, quo facies ejus operta fuerat, ob ingeſtæ terræ pondus recenti cruore con-

VRB. VIII. ſperſo, novâ itaque arcâ ſericâ, aureâque veſte contectâ pretioſiſſimum pignus incluſum, in Indiam ad Coccini portum delatum erat, confluentibus undique ad honorandum communis in Chriſto IESV parentis corpus plurimis earum gentium populis. Inde Goam inſigni celebritate translatum à Prorege, ac omnibus civium ordinibus maxima frequentia, ac devotione exceptum, & in Eccleſia Societatis IESV, ut populorum devotioni ſatisfieret; validis cancellis incluſum, omnium oculis per triduum expoſitum remanſerat, ejusdemque Proregis juſſu ab inſigni medico, deindeque à Vicario Goano viſitatum ac pertentatum, omni ex parte incorruptum, integris etiam inteſtinis compertum fuerat, manante etiam ex parvo inflicto vulnere recenti cruore.

Quo tempore cum mulier quædam, affectu devotionis incitata, ſpecie oſculantis, pedis digitum, ut illum abſcinderet, morſu apprehendiſſet; ſtatim ſanguis effluxerat. Sed Altiſſimi benignitas non his modo mirabilibus Sanctum ſuum in conſpectu omnium populorum mirificaverat; ſed omni tempore ingentia præſtabat beneficia his, qui ejus interceſſionem fideliter implorabant, ut plurimis exemplis, præſertim vero infra inſertis, manifeſtum erat.

Puer quidam Goæ natus, qui utrumque pedem à nativitate adeo aridum, & crura ſicca habebat, ut illis non poſſet inſiſtere, ſed manibus reptare cogeretur; ad ſervi Dei ſepulcrum ab educatrice perductus, ſingulis novem diebus viſitare ſtatuerat. Cumque votum cœpiſſet adimplere, tertia jam die, qua ſepulcrum viſitabat, puer in ejus gremio exiſtens repente ferream ſepulcri cratem manibus apprehendens, ſuis ſtare pedibus, & ambulare cœperat, & ſtatim omnino ſanus evaſerat, & intra novem dies, quos promiſerat, crura carne repleta fuerant, & ſic ſemper valens, & ſanus deinde vixerat. Cottata Indiæ Orientalis civitate unius menſis infans mortuus ad ſepulcrum curatus erat: voverant itaque cum ingenti fide parentes, ſe inſigne donum, ſi puer reviveret, ſepulcro Servi Dei oblaturos, ac Franciſci nomen ei impoſituros; repente infans aperire oculos, brachia, pedeſque movere, ac vagire cœperat, ac paulo poſt non vivum modo, ſed & omnino ſanum atque incolumem filium receperant, redditisque cum ingenti gaudio votis, tam inſigne miraculum per totam illam regionem divulgarant.

In

In eadem Vrbe cæco cuidam Sanctus per quietem apparuerat, eumque monuerat, ut ad eccleſiam ejus viſitandam, oculorum lumen ibi recepturus pergere non differret. Paruerat fideliter homo, ac dum per novem dies ante Franciſci imaginem orabat, repente diſcuſſa omni cæcitatis caligine ſanatus erat, & perfecte viderat. VRB. VIII.

Quin etiam leproſus quidam in eodem loco magna fiducia ad Sancti interceſſionem confugerat, proprioque corpore oleo lampadis, quæ ad ejus imaginem ardebat, peruncto, dum proſtratus orabat, repente à lepra mundatus, atque omnino ſanus effectus erat. Eamdem virtutem experta erat Franciſca Rebelles, quæ à multo tempore ſanguinis fluxum, ac ventris tumorem cum ingenti dolore patiebatur. Lampadis enim ante ejus imaginem pendentis identidem ſe oleo ungens, ſtatim adeo perfecte convaluerat, ut nullas amplius eorum morborum ſenſiſſet reliquias: frequenter enim acciderat, ut lampades ad eamdem Servi Dei imaginem appenſæ, aqua tamen benedicta infuſæ haud ſecus, ac ſi oleo plenæ eſſent, arderent, lucerentque ſtupentibus etiam infidelibus, quos ad tantæ rei miraculum conſpiciendum non ſine magno fidei noſtræ incremento Chriſtiani incitabant. Cum fruſtra omnes medicæ artis opes expertus eſſet Gundiſalvus Coccinenſis civitatis incola, ut inveterato cancri morbo quod pectus ejus aſſiduis doloribus vexabat, mederetur; ad Divinam opem converſus omnipotentis Dei miſericordiam, ut ſe B. Franciſci meritis ſanum faceret, imploraverat. Imaginem igitur ejus ære excuſam ulceri applicuerat: eodemque momento ab omni plaga incolumis evaſerat.

Ejusdem Vrbis civis Emanuel Rodriguez pedes habebat ulceribus plenos, ac ob nervorum contractionem adeò debiles, ut illis inſiſtere non valeret: quibus malis etiam gravis & periculoſa dyſenteria acceſſerat. Medicis itaque de ejus vita diffidentibus, cum ad interceſſionem famuli Dei Franciſci æger confugiſſet, eadem imagine corpus ſuum in formam Crucis ſignaverat, & aquam, in quà eadem merſa fuerat, ebiberat: talemque Divinæ virtutis ſenſerat effectum, ut intra tridui tempus ab omnibus morbis incolumis, integram conſecutus fuiſſet ſanitatem. Ejusdemmet Servi Dei imaginis præſentem agnoverat virtutem Maria Diaz: ſeptem etenim annis cæcitatem, ac paralyſim perpeſſa, ſignum Crucis debilitatis membris impreſſerat, eaque ejusdem imaginis immerſione aqua ſanctificata laverat; necdum ſe-

VRB. VIII. ptem præterierant dies, cum oculorum lumen, ac totius corporis cæleſti dono acceperat incolumitatem.

Hincque factum erat, ut cum tot tantisque ſignis ſeruum ſuum, omnipotens Deus in brachio excelſo clarificaret, & per univerſum jam terrarum orbem tot mirabilium præconia longe lateque diffunderentur, ac proptetea non ſolum Chriſti fidelium erga ipſum devotio magna ſuſciperet incrementa; ſed multorum etiam infidelium corda ad agnoſcendum Deum & Dominum noſtrum IESVM Chriſtum illuminarentur; Ioannes Luſitaniæ Rex præfatus, zelo devotionis accenſus inſtiterat, ut à diverſis locorum ordinariis ſuper ejus ſanctitate & miraculis proceſſus fierent. Qui cum diligenter munus ſuum expleviſſent, ac procedentibus temporibus, omnia acta ad hanc ſanctam Sedem transmiſſa fuiſſent, recol. mem. PAVLVS Papa V, etiam prædeceſſor noſter, tunc ſuus, inſtante pro ſervi Dei Canonizatione etiam cla. me. Philippo III Hiſpaniarum Rege Catholico, deputavit bon. me. Horatium Lancellotum tunc Rotæ Auditorem, eoque ad Cardinalatus honorem ſublimato, dilectum filium Magiſtrum Ioannem Baptiſtam Coccinum, ejusdem Rotæ Decanum, & pariter bon. mem. Franciſcum Sacratum tunc Archiepiſcopum Damaſcenum, & Auditoris Rotæ Locumtenentem, ac deinde S. R. E. Cardinalem; qui & antiquos proceſſus examinarent, & novos auctoritate Apoſtolica faciendos, quatenus ipſis videretur, decernerent, atque omnia eidem PAVLO prædeceſſori una cum eorum ſententia referrent, qui litteras remiſſoriales ad diverſos Prælatos in Hiſpaniarum, Luſitaniæ, ac Indiarum regnis conſtitutos decreverant, atque ipſi interim in Curia novos teſtes examinarant. Cumque præfati Iudices partibus ſuis perfuncti eſſent; eisdem Auditoribus proceſſus à ſe confectos transmiſerant. Qui omnibus ſumma cum maturitate per plurimum temporis ſpatium, ut negotii gravitas poſtulaverat, conſideratis ac perpenſis; eidem PAVLO prædeceſſori retulerant, juxta canonicarum ſanctionum decreta abunde conſtare de vitæ ſanctimonia, ac eximiis virtutibus Servi Dei Franciſci, deque miraculis, quæ tam eo vivente, quam poſt felicem ejus obitum, ejus meritis ac interceſſionibus Deus omnipotens operari dignatus erat, dignumque videri, ſi eidem placeret, ut in ſanctorum Confeſſorum catalogo adſcriberetur: Cum interim præfatus PAVLVS prædeceſſor humanitatis debitum perſolviſſet, & prædictus GREGORIVS prædeceſſor ad ſacrum Apoſtolatus apicem Divinâ providen-

dentia aſſumptus fuiſſet; ac pro parte cariſſimi in Chriſto filii noſtri, VRB. VIII.
tunc ſui, Philippi IV Hiſpaniarum Regis Catholici inſtanter requiſitus eſſet, ut negotium hujusmodi promovere, ac ad ulteriora procedere dignaretur; accederentque aliorum Principum, ac Prælatorum, ac totius Indiæ Cleri, idem ſuppliciter expoſcentium preces; prædictus GREGORIVS prædeceſſor, ut in re tam gravi ea qua decebat maturitate progrederetur, prædictorum Auditorum relationem ad S. R. E. Cardinales ſacris ritibus præfectos, ut rurſus totum negotium quam diligentiſſime diſcuterent, remiſit. Quod cum illi accurate perfeciſſent, ac pro Servi Dei Canonizatione omnes unanimiter cenſuiſſent; bon. me. Franciſcus Maria Epiſcopus Portuenſis S. R. E. Cardinalis de Monte nuncupatus, totius proceſſus ſummam, & ſuam collegarumque ſententiam, coram dicto GREGORIO prædeceſſore, & venerabilibus fratribus noſtris, tunc ſuis S. R. E. Cardinalibus, de quorum numero tunc eramus, in Conſiſtorio ſuo ſecreto expoſuit. Quibus auditis, reliqui Cardinales ad ulteriora fore procedendum, communi ſuffragio pronuntiaverant.

Igitur, cum in publico Conſiſtorio quondam Iulius Zambeccarius, tunc Aulæ Conſiſtorialis Advocatus, plurima de hujus Servi Dei vita & virtutibus enarraſſet, atque ejusdem Hiſpaniarum Regis Catholici preces pro eadem Canonizatione expoſuiſſet, atque ut ad eam procedere dignaretur, humiliter ſupplicaſſet, dictus GREGORIVS prædeceſſor, præfati Regis pietatem, & religionis zelum plurimum in Domino commendans ſuper tanta re eosdem S. R. E. Cardinales, atque Epiſcopos in Romana Curia præſentes conſulturos eſſe reſpondit; atque interim Cardinales & Epiſcopos prædictos intimo cordis ſui affectu vehementer in Domino hortatus eſt, ut in omni humilitate & lacrymis, in jejuniis, & eleemoſynis expoſcerent ab eo, qui eſt via & veritas, ut dirigere dignaretur greſſus ſuos in ſemitis ſuis, ut ingrederetur in veritate ſua, ut quod beneplacitum eſſet in conſpectu ejus, intelligere & perficere, eo auxiliante, valeret.

Sequenti itaque ſemipublico Conſiſtorio, ad quod non Cardinales modò, ſed etiam Patriarchas, Archiepiſcopos, atque Epiſcopos in Curia præſentes convocari mandavit, præſentibusque etiam Sedis Apoſtolicæ Notariis, nec non ſacri Palatii Apoſtolici cauſſarum Auditoribus, cum plurima de egregia viri Dei Franciſci Xaverii vita ac miraculis e-

VRB. VIII. narraſſet, & quanta inſignis hic Dei ſervus pro nomine Domini Noſtri IESV Chriſti pertuliſſet, quantoque cum proventu (Domino incrementum dante) per incognitas nationes, verbum Dei diſſeminaſſet, expoſuiſſet; commemoratis etiam inſtantiis, quæ coram dicto GREGORIO prædeceſſore, tum à Rege Catholico, tum ab aliis etiam Reipublicæ Chriſtianæ Regibus, & Principibus fiebant; cum ſingulorum ſententias requiſiſſet, omnes uno ore benedicentes Deum, qui honorificantes ſe glorificat, ſervum ejus Franciſcum Xaverium canonizandum eſſe, atque inter Sanctos Confeſſores adſcribendum cenſuerunt. Quorum omnium audito conſenſu, exultavit in Deo ſalutari noſtro, gratias agens ei, qui eſt gloria virtutis noſtræ, in cujus beneplacito contra omnes adverſarias poteſtates exaltatur cornu noſtrum: qui Eccleſiam ſuam in diebus iſtis hoc lumine illuſtrare, ac novo patrocinio munire dignatus eſſet. Canonizationis itaque publicavit diem infra ſcriptum, eoſdemque Fratres, ac Filios noſtros paterna caritate monuit, ut bonis operibus inhærentes precarentur Deum miſericordiarum, ut ſuper eos ſereno vultu reſpicere, & eorum actiones ad voluntatem ejus perficiendam dirigere dignaretur.

Demum peractis omnibus, quæ ex ſacris Conſtitutionibus, ac Romanæ Eccleſiæ conſuetudine peragenda erant, quarto Idus Martii, Pontificatus ſui anno ſecundo, in ſacroſancta Principis Apoſtolorum baſilica cum eiſdem Cardinalibus, nec non Patriarchis, Archiepiſcopis, & Epiſcopis Romanæ Curiæ Prælatis, officialibus, & familiaribus ſuis, Clero ſæculari, & regulari, maximaque populi frequentia, convenit. Vbi, repetitis pro Canonizationis decreto, nomine ejusdem cariſſimi in Chriſto filii noſtri Philippi Hiſpaniarum Regis Catholici à dilecto filio noſtro, tunc ſuo, Ludovico tituli S. MARIÆ Tranſpontinæ, Cardinali Ludoviſio nuncupato, ejuſdem ſecundum carnem nepote, per Iulium Zambeccarium Advocatum prædictum petitionibus; decantatis ſacris precibus, ac Litaniis, & Spiritus Sancti gratia humiliter implorata; ad honorem Sanctiſſimæ & Individuæ Trinitatis, ac Fidei Catholicæ exaltationem, auctoritate omnipotentis Dei Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, ac BB. Petri & Pauli Apoſtolorum, ac ſua, de eorumdem S.R.E. Cardinalium, Patriarcharum, Archiepiſcoporum, & Epiſcoporum, in Romana Curia præſentium conſilio, ac unanimi conſenſu glorioſæ mem. Franciſcum Xaverium, de cujus vitæ ſanctitate, fidei ſinceritate,

te, ac miraculorum magnitudine, & frequentia plene conſtabat, Sanctum eſſe definivit, & in Sanctorum Confeſſorum catalogo adſcribendum eſſe decrevit, & adſcripſit, illumque ab univerſis Chriſti fidelibus tamquam vere Sanctum honorari ac venerari mandavit, ac ut ab univerſali Eccleſia in ejus honorem eccleſiæ, & altaria, in quibus ſacrificia Deo offerantur, ædificari & conſecrari, & ſingulis annis die ſecunda Decembris, qua ad cæleſtem gloriam vocatus eſt, ejus officium, uti de ſancto Confeſſore, ad præſcriptum Romani Breviarii celebrari poſſet, ſtatuit: eademque auctoritate omnibus Chriſti fidelibus vere pœnitentibus, & confeſſis, qui ſingulis annis eodem feſto die ad ſepulcrum, in quo corpus ejus requieſcit, viſitandum accederent, unum annum, & unam quadragenam: iis vero qui in ejusdem feſti octava, quadraginta dies de injunctis pœnitentiis miſericorditer in Domino relaxavit. VRB. VIII.


Poſtremo, gratiis Deo cum exultatione actis, quod Sanctum ſuum in conſpectu omnium gentium honorificaſſet, ac tam inſigni ſplendore Eccleſiam ſuam decoraſſet, cantata in S. Franciſci honorem ſolemni Sanctorum Confeſſorum oratione, ad altare Principis Apoſtolorum Miſſam celebravit, cum ejusdem Sancti Confeſſoris commemoratione: omnibusque Chriſti fidelibus præſentibus plenariam omnium peccatorum ſuorum indulgentiam elargitus eſt. Ne autem de definitione, decreto, adſcriptione, mandato, ſtatuto, relaxatione, aliisque præmiſſis, pro eo, quod ſuper illis ipſius GREGORII prædeceſſoris litteræ, ejus ſuperveniente obitu, confectæ non fuerunt, valeat quomodolibet hæſitari; Volumus, & Apoſtolica auctoritate decernimus, quod definitio, decretum, adſcriptio, ſtatutum, relaxatio, impertitio, aliaque præmiſſa à dicta die IV Idus Martii, ſuum debitum ſortiantur effectum, ac ſi ſuper illis ipſius GREGORII prædeceſſoris litteræ ſub data ejusdem diei confectæ fuiſſent, prout ſuperius enarratur, quodque præſentes litteræ ad probandum plene definitionem, decretum, adſcriptionem, aggregationem, ſtatutum, relaxationem, & alia præmiſſa ubique ſufficiant, nec ad id probationis alterius adminiculum requiratur.

Cæterum, quia difficile foret præſentes noſtras litteras ad ſingula loca, ubi opus eſſet, deferri; Volumus, ut earum exemplis, etiam impreſſis, manu publici Notarii ſubſcriptis, & ſigillo alicujus perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, eadem ubique fides habeatur,

quæ

VRB. VIII. quæ ipſis præſentibus adhiberetur, ſi eſſent exhibitæ, vel oſtenſæ. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtrorum decreti & voluntatum infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, ac BB. Petri & Pauli Apoſtolorum ejus, ſe noverit incurſurum. Datum Romæ apud S. Petrum anno Incarnationis Dominicæ milleſimo ſexcenteſimo vigeſimo tertio, VIII Idus Auguſti, Pontificatus noſtri anno primo.

† Ego Vrbanus Catholicæ Eccleſiæ Epiſcopus.



†
†
†
†
†
†
†
†
†
†
†

† Ego

† Ego Dominicus tt. S. Laurentii in Lucina Presbyter Cardinalis Gimnaſius. VRB. VIII.

†

†

†

†

† Ego M. tt. SS. Quirici & Iulittæ Presb. Cardinalis Lantes.

†

† Ego P. tt. SS. Nerei & Achillei Presb. Cardinalis Creſcentius.

† Ego A. tt. S. Petri ad Vincula Presb. Cardinalis Cappomus.

† Ego G. tt. S. Crucis in Hieruſalem Presb. Cardinalis Borgia.

†

†

†

†

† Ego Tiberius tt. S. Priſcæ Presb. Cardinalis Mutus.

† Ego R. tt. S. Alexii Presbyt. Cardinalis Vbaldinus.

† Ego Iulius tt. S. Sabinæ Presb. Cardinalis Sabellus.

†

†

†

†

†

†

†

† Ego Guido S. Mariæ de Populo Presbyt. Cardinalis Bentivolus.

†

†

† Ego Iulius tt. S. Mariæ ſupra Minervam, Presb. Cardinalis Rom.

† Ego Fr. Deſiderius tit. S. Clementis, Presbyter Cardinalis de Cremona.

†

†

†

†

†

VRB. VIII. †
†
†
†
†
†
†
†
† Ego Coſmus tit. S. Pancratii S. R. E. Presbyter Cardinalis de Torres.
†
†
†
†
† Ego C. S. Nicolai in Carcere Diaconus Cardinalis Pius.
†
†
†
†
†
†
†
†
† Ego Hippolytus tt. S. Mariæ Novæ, Diac. Cardinalis Aldobrandinus S. R. E. Camerarius.
†
† Ego A. S. R. E. Diaconus Cardinalis dela Cueva.

A. Hurandus.

G. Montanus.

Locus † plumbi.

Regiſtrata in Secretaria Brevium.

VRBA-

VRBANI VIII.
BVLLA I.

Beatificationis B. P. FRANCISCI BORGIÆ III. Generalis Societatis IESV.

ANNO M. DC. XXIV. *die 6. Septembris.*

VRBANVS PAPA VIII.
Ad perpetuam rei memoriam.

IN Sede Principis Apoſtolorum, nullis licet noſtris ſuffragantibus meritis à Domino conſtituti, piis fidelium votis quibus virtutum Dominus in ſervis ſuis honorificatur, libenter annuimus, eaque favoribus proſequimur opportunis. Sane pro parte dilectorum filiorum Præpoſiti Generalis ac Presbyterorum Societatis IESV Nobis nuper expoſitum fuit, quod ipſi pro eo, quem erga bo. me. FRANCISCVM BORGIAM, ejusdem Societatis, dum vixit, religioſum, ac Generalem Præpoſitum gerunt, devotionis affectu, Officium & Miſſam de eo recitari poſſe ſummopere deſiderant. Ideo Nobis humiliter ſupplicari fecerunt, ut eorum votis hujusmodi annuere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur Præpoſitum Generalem ac Presbyteros prædictos ſpecialibus favoribus & gratiis proſequi volentes, eorumque ſingulares perſonas à quibusvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliisque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis à jure, vel ab homine quavis occaſione vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatæ exiſtunt ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutas fore cenſentes, hujusmodi ſupplicationibus inclinati, de Venerabilium fratrum noſtrorum S.R.E. Cardinalium ſacris ritibus præpoſitorum conſilio, ut de dicto FRANCISCO BORGIA ab omnibus Societatis IESV hujusmodi Religioſis ubique exiſtentibus, nec non in ditionibus familiæ illorum de Borgia Calend. Octobris, ipſo nempe die ſui obitus, Miſſæ celebrari, ac officium de Communi Confeſſ. non Pont. recitari reſpective, libere & licite valeant, Apoſtolica auctoritate tenore præſentium perpetuo concedimus & indulgemus,

Officium & Miſſam de B. BORGIA *legere poſſunt Religioſi Societatis Calend. Octobr.*

VRB. VIII. *Non obſtantibus, &c.*

mus. Non obſtantibus conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, cæteriſque quibuscumque. Volumus autem, ut præſentium tranſumptis etiam impreſſis Secretarii ipſius Societatis vel Notarii publici manu ſubſcriptis, & perſonæ alicujus in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ, vel pro tempore exiſtentis Præpoſiti aut Vicarii Generalis ejusdem Societatis Sigillo munitis eadem prorſus fides in judicio & extra illud ubique locorum adhibeatur, quæ præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ vel oſtenſæ, quodque ſi eædem præſentes ad omnia Hiſpaniarum loca ubi opus fuerit opportuno tempore per Tabellarios deferri nequiverint, tunc & eo caſu Præpoſitus ſeu quorumvis Collegiorum ac regularium domorum dictæ Societatis Rectores ſeu Præpoſiti pro præſenti anno dumtaxat diem non impeditam ſibi eligere, in eoque Miſſam & officium de eodem FRANCISCO BORGIA modo & forma præmiſſis celebrare, & recitare libere ſimiliter & licite poſſint & valeant. Dat. Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die 6 Septembris M. DC. XXIV. Pontificatus Noſtri anno Secundo.

V. THEATIN.

VRBANI VIII.
BVLLA II.

Beatificationis B. P. FRANCISCI BORGIÆ III. Generalis Societatis IESV, cum extenſione Indulti legendi de eo Sacrum & Officium ad Seculares Sacerdotes & Regulares in ditione familiæ de Borgia.

ANNO M. DC. XXIV. *die 23. Septembris.*

VRBANVS PAPA VIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

IN Sede Principis Apoſtolorum, nullo meritorum noſtrorum ſuffragio à Domino conſtituti, piis fidelium votis, quibus virtutum largitor in ſervis ſuis honorificatur, libenter annuimus, eaque favoribus proſequimur oppor-

opportunis. Cum itaque, ſicut dilectus filius noſter GASPAR tituli S. Crucis in Hierufalem Presbyter Cardinalis BORGIA nuncupatus, nobis nuper expoſuit, Venerabiles Fratres noſtri S. R. E. Cardinales ſacris Ritibus præpoſiti cauſam ſervi Dei FRANCISCI BORGIÆ olim Ducis Gandiæ ac poſtea Religioſi profeſſi, & tertii Præpoſiti Generalis Societatis IESV, à tribus Rotæ auditoribus inſtante claræ memoriæ PHILIPPO tertio Hiſpaniarum Rege Catholico, nec non Regnorum ejusdem PHILIPPI Regis Proceribus, Civitatibus, Univerſitatibus ac demum Præpoſito Generali ejusdem Societatis, & deinde de mandato noſtro ab eisdem Cardinalibus, referente dilecto filio noſtro FRANCISCO S. Angeli in foro Piſcium Diacono Cardinale Boncompagno nuncupato diſcuſſam, cum de validitate proceſſuum, de ſanctitate vitæ, ac denique de miraculis ſufficienter conſtare pronunciaſſent, in tali ſtatu cenſuerint habendam, ut ad ſolemnem ipſius ſervi Dei Canonizationem quandocumque deveniri poſſit: Caſpar vero Cardinalis ac Præpoſitus & Presbyteri dictæ Societatis pro eo, quem erga eumdem Dei ſervum FRANCISCVM BORGIAM gerunt, devotionis affectu, illum Beatum nuncupari, ac officium & Miſſam de eo, donec ad illius Canonizationem deveniatur, recitari ſummopere deſiderent: Nos piis Caſparis Cardinalis ac Præpoſiti Generalis Presbyterorum prædictorum votis, quantum cum Domino poſſumus, annuere, illosque ſpecialibus favoribus & gratiis proſequi volentes, ac ſingulares Præpoſiti & Presbyterum prædictorum perſonas, à quibusvis excommunicationis, ſuſpenſionis & interdicti, aliisque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris & pœnis à jure vel ab homine quavis occaſione vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatæ exiſtunt, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum harum ſerie abſolventes, & abſolutas fore cenſentes hujusmodi ſupplicationibus inclinati: de eorumdem Cardinalium ſacris ritibus præpoſitorum conſilio, ut idem Dei ſervus FRANCISCVS BORGIA Beatus nuncupari, deque eo ab omnibus Societatis IESV Religioſis ubique exiſtentibus, nec non in ditionibus familiæ illorum de Borgia ab omnibus Sacerdotibus tam ſecularibus, quam Regularibus Kalendis Octobris, ipſo nempe die ſui obitus Miſſa celebrari, ac Officium de communi Confeſſorum non Pontificum recitari juxta rubricas Miſſalis & Breviarii Romani reſpective libere & licite valeant, apoſtolica auctoritate tenore præſentium perpetuo concedimus & indulgemus. Non obſtantibus conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtoli-

VRB. VIII.

B. BORGIAS *nuncupari poteſt Beatus, officium & Miſſam de eo dicere poſſunt ubique Religioſi Societatis: & alii tam ſecu-*

VRB. VIII. ſtolicis, cæterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, ut præſentium tranſumptis etiam impreſſis Secretarii ipſius Societatis, vel Notarii publici manu ſubſcriptis, & perſonæ alicujus in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ ſigillo munitis eadem prorſus fides in judicio & extra illud ubique locorum adhibeatur, quæ præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ. Datum Romæ apud Sanctam MARIAM majorem ſub annulo Piſcatoris die 23 Novembris 1624. Pontificatus noſtri anno ſecundo.

lares quam Regulares Sacerdotes, in ditione familiæ illorum de Borgia.

V. THEATINVS.

VRBANI VIII.
BVLLA III.

Beatificationis B. P. FRANCISCI BORGIÆ III. Generalis Societatis IESV & Miſſam de eodem celebrandi, cum extenſione Indulti recitandi officium ad Presbyteros ſeculares & alios regulares dictæ Societatis Domos & Eccleſias adeuntes.

ANNO M. DC. XXV. *die 2 Septembris.*

VRBANVS PAPA VIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Tenor Bullæ præcedentis.

Alias à Nobis emanarunt litteræ tenoris ſubſequentis videlicet. VRBANVS Papa VIII. Ad perpetuam rei memoriam. In Sede Principis Apoſtolorum, nullo meritorum noſtrorum ſuffragio à Domino conſtituti piis fidelium votis, quibus virtutum largitor in ſervis ſuis honorificatur, libenter annuimus, eaque favoribus proſequimur opportunis. Cum itaque ſicut dilectus filius noſter Gaſpar tituli Sanctæ Crucis in Hieruſalem Presbyter Cardinalis Borgia nuncupatus Nobis nuper expoſuit, Venerabiles fratres Noſtri S. R. E. Cardinales Sacris Ritibus præpoſiti, cauſam Servi Dei FRANCISCI BORGIÆ olim Ducis Gandiæ, ac poſtea Religioſi Profeſſi, & tertii Præpoſiti Generalis Societatis IESV à tribus Rotæ Auditoribus, inſtante cla. me. Philippo III Hiſpaniarum Rege Catholico, nec non regnorum ejusdem Philippi Regis proceribus, Civitatibus, Univerſitatibus ac demum

mum Præpoſito Generali ejusdem Societatis, & deinde de mandato Noſtro ab eisdem Cardinalibus, referente dilecto filio noſtro Franciſco S. Angeli in Foro Piſcium Diacono Card. Boncompagno nuncupato diſcuſſam, cum de validitate proceſſuum, de ſanctitate vitæ ac denique miraculis ſufficienter conſtare pronunciaſſent, in tali ſtatu cenſuerint habendam, ut ad ſolemnem ipſius ſervi Dei Canonizationem quandocumque deveniri poſſit; Gaſpar vero Cardinalis ac Præpoſitus & Presbyteri dictæ Societatis pro eo, quem erga eumdem Dei Servum FRANCISCVM BORGIAM gerunt devotionis affectum, illum Beatam nuncupari ac Officium & Miſſam de eo, donec ad illius Canonizationem deveniatur, recitari ſummopere deſiderent. Nos piis Gaſparis Cardinalis ac Præpoſiti Generalis, & Presbyterorum prædictorum votis, quantum cum Domino poſſumus, annuere, illosque ſpecialibus favoribus & gratiis proſequi volentes, ac ſingulares Præpoſiti & Presbyterorum prædictorum perſonas, à quibusvis excommunicationis, ſuſpenſionis & interdicti aliisque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris & pœnis a jure, vel ab homine quavis occaſione vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatæ exiſtunt ad effectum præſentium dumtaxat conſequentes harum ſerie abſolventes & abſolutas fore cenſentes, hujusmodi ſupplicationibus inclinati. De eorumdem Cardinalium Sacris Ritibus præpoſitorum conſilio, ut idem Dei Servus FRANCISCVS BORGIA Beatus nuncupari deque eo ab omnibus dictæ Societatis IESV religioſis ubique exiſtentibus, nec non in ditionibus Familiæ illorum de Borgia ab omnibus Sacerdotibus, tam ſecularibus, quam regularibus Kal. Octobr. ipſo nempe die ſui obitus, Miſſa celebrari ac Officium de communi Confeſſorum non Pontificum recitari juxta rubricas Miſſalis & Breviarii Romani reſpective, libere & licite valeant, Apoſtolica autoritate tenore præſentium perpetuo concedimus & indulgemus. Non obſtantibus conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, cæterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, ut præſentium tranſumptis etiam impreſſis Secretarii ipſius Societatis, vel Notarii publici manu ſubſcriptis, & perſonæ alicujus in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ ſigillo munitis, eadem prorſus fides in judicio & extra illud ubique locorum adhibeatur, quæ præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ vel oſtenſæ. Dat. Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die XXIII Novembris M. DC. XXIV. Pontificatus Noſtri Anno Secundo. Nunc autem eosdem Gaſparem Cardinalem, ac Præpoſitum, & Presbyteros amplio-

VRB. VIII.

VRB. VIII. plioribus favoribus & gratiis proſequi volentes & ſingulares Præpoſiti & Clericorum prædictorum perſonas à quibusvis excommunicationis,ſuſpenſionis & interdicti,aliisque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris & pœnis à jure, vel ab homine quavis occaſione vel cauſa latis , ſi quibus quomodolibet innodatæ exiſtunt ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum harum ſerie abſolventes & abſolutas fore cenſentes, ſupplicationibus illorum nomine Nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati. De eorumdem Fratrum conſilio,Conceſſionem & Indultum,deſuperque confectas litteras hujusmodi ad quoscumque Sacerdotes ſeculares,ſeu cujusvis Ordinis, Congregationis ſeu Inſtituti regulares, ad Eccleſias ſeu domos regulares dictæ Societatis IESV accedentes,ita ut Sacerdotes hujusmodi in dictis Eccleſiis ſeu domibus dumtaxat Miſſam & Officium hujusmodi ſervata prædictarum literarum forma reſpective celebrare,& recitare poſſint,& valeant, eadem auctoritate tenore præſentium extendimus, ac concedimus pariter & indulgemus. Non obſtantibus omnibus illis, quæ in dictis noſtris literis voluimus non obſtare,cæterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem,ut præſentium tranſumptis etiam impreſſis Secretarii ipſius Societatis, vel Notarii publici manu ſubſcriptis, & perſonæ alicujus in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ ſigillo munitis,eadem prorſus fides in judicio,& extra illud ubique locorum adhibeatur, quæ præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ vel oſtenſæ. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die 2. Septembris. M. DC. XXV. Pontificatus Noſtri Anno Tertio.

Extendimus ad omnes Sacerdotes tam ſeculares quam Regulares,ut in Eccleſiis ſeu domibus Societatis poſſint Miſſam & officium dicere de B. BORGIA.

V. THEATIN.

VR-

VRBANI VIII.

INDVLTVM

Celebrandi Miſſam & recitandi Officium de tribus Martyribus, Paulo Michi, Ioanne de Goto, & Didaco Quiſai è Societate IESV.

ANNO M. DC. XXVII. *die 15 Septembris.*

VRBANVS PAPA VIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

SAlvatoris & Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui milites ſuos inclytos, quorum mors pretioſa eſt in conſpectu ejus, immortalitatis corona donat in Cælis, vices quamquam immeriti gerentes in terris, pia Chriſti fidelium præſertim Catholicorum Regum vota, per quæ eorumdem Sanctorum militum veneratio promovetur, & laudatur Dominus in Sanctis ſuis, ad exauditionis gratiam libenter admittimus favoribusque & gratiis proſequimur opportunis. Cum itaque ſicut dilecti filii Præpoſitus Generalis & Presbyteri Societatis IESV nobis nuper exponi fecerunt venerabiles fratres noſtri S. R. E. Cardinales, ſacris Ritibus præpoſiti in Cauſa Canonizationis trium Martyrum, videlicet, Pauli Michi, ac Iohannis de Goto, & Didaci Quiſai ex dicta Societate, qui pro Chriſti nomine in oppido civitate nuncupato Nangaſaqui extra muros in regno Japoniæ cruci affixi & transverberati fuerunt, in ſacro Rotæ Auditorio & deinde de mandato noſtro ab eisdem Cardinalibus, referente dilecto filio noſtro Tiberio Tituli S. Priſcæ Presbytero Cardinale Muto nuncupato diſcuſſa, cenſuerint conſtare de martyrio & miraculis, ideoque ad actualem illorum Canonizationem quandocunque deveniri poſſe. Præpoſitus vero & Presbyteri prædicti pro eo, quem erga ipſos Sanctos Martyres gerunt, devotionis affectu, Officium & Miſſam de illis, donec ad ſolemnem eorum Canonizationem (pro qua non ſolum iidem Præpoſitus & Presbyteri, verum etiam cariſſimus in Chriſto filius noſter Philippus Rex Catholicus, ac cariſſima in Chriſto filia noſtra Iſabella Regina Catholica Hiſpaniarum, nec non univerſa Civitas

Conſtat de Martyrio & miraculis 3 præfatorum Martyrum.

VRB. VIII. tas Manitenſis & Chinenſis ſeu Machanenſis,aliique Nobis per eorum literas ad Nos transmiſſas humiliter ſupplicarunt) deveniatur, ut infra recitari poſſe plurimum deſiderent. Nos piis ipſorum Præpoſiti & Presbyterorum votis, quantum cum Domino poſſumus annuere, illosque ſpecialibus favoribus & gratiis proſequi volentes, eorumque ſingulares perſonas à quibusvis excommunicationis,ſuſpenſionis & interdicti,aliisque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris & pœnis à jure,vel ab homine quavis occaſione vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatæ exiſtunt,ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes,& abſolutas fore cenſentes Supplicationibus Præpoſiti ac Presbyterorum prædictorum nomine Nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati: de eorumdem Cardinalium conſilio: ut de eisdem Martyribus ab omnibus dictæ Societatis Religioſis ubique exiſtentibus, Officium & Miſſa de communi plurimorum Martyrum, die eorum natali, videlicet die quinta Februarii recitari,& celebrari reſpective, libere & licite poſſit & valeat, Apoſtolica auctoritate tenore præſentium licentiam & facultatem concedimus & impertimur. Non obſtantibus Conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis cæterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, ut præſentium tranſumptis etiam impreſſis,manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo alicujus perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis,eadem prorſus fides ubique adhibeatur, quæ ipſis præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ vel oſtenſæ. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem ſub annulo Piſcatoris die 15. Septembris M. DC. XXVII. Pontificatus Noſtri Anno Quinto.

Officium & Miſſam de iis legere poſſunt Religioſi Societatis 5. Febr.

M. A. MARALDVS.

S. CON-

S. CONGREGATIONIS RITVVM DECRETVM

De facultate dicendi Officium & Miſſam de tribus Sanctis Martyribus PAVLO MICHI, IOANNE DE GOTO, & DIDACO QVISAI è Societate IESV in Iaponia pro Chriſti fide crucifixis.

Extenſa ad omnes Sacerdotes, tam Seculares quam Regulares, confluentes ad Eccleſias Societatis IESV ubique exiſtentes, ipſa die eorum Martyrii, quæ eſt 5 Februarii.

ANNO M. DC. XXIX. *die 2 Septembris.*

CUm alias ſub die 3. Iulii 1627 Sacra Rituum Congregatio, annuente Sanctiſſimo, conceſſerit, ut de tribus Sanctis Martyribus è Societate IESV, PAVLO MICHI, IOANNE DE GOTO & DIDACO QVISAI in Iaponia pro Chriſti fide cruci affixis, Officium ac Miſſa de Communi plurium Martyrum ipſa die eorum martyrii, nempe 5 Februarii, ab omnibus Presbyteris ejusdem Societatis ubique exiſtentibus recitari & celebrari poſſet; inſtante Generali Patrum Societatis IESV indultum prædictum ad omnes Sacerdotes tam Seculares, quam Regulares ad eorum Eccleſias confluentes, extendi poſſe, eadem Sacra Congregatio cenſuit, facto verbo cum Sanctiſſimo Sanctiſſimus annuit die 26. Septembris 1626.

Indultum extenditur ad omnes ſeculares & Regulares Sacerdotes, confluentes ad Eccleſias Societatis.

IOH. BAPTISTA Cardinalis Detus.

F. Fulvius Benignus Sacr.

ALEX. VII.

ALEXANDRI VII.
B V L L A.

Conceditur Indulgentia plenaria noſtris & aliis obeuntibus apud nos exercitia ſpiritualia.

ANNO M. DC. LVII. *die 12. Octobris.*

ALEXANDER PAPA VII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Fructus exercitiorum ſpiritualium.

Indulgentia plenaria non tantum noſtris conceſſa, ſed & aliis Regularibus Eccleſiaſticis & Laicis, qui exercitia apud nos peragunt.

CUm, ſicut Nobis nuper exponi fecit dilectus filius GOSWINVS NICKEL Præpoſitus Societatis IESV, perſonæ ejusdem Societatis quotannis, & plerumque plurimæ aliæ, ſive Eccleſiaſticæ & aliorum Ordinum & Congregationum Regularium, ſive Laicæ exercitiis ſpiritualibus à Sancto Ignatio dictæ Societatis Fundatore inſtitutis in domibus ejusdem Societatis per octiduum vacare conſueverint. Nos qui probe ſcimus, quantopere conducant exercitia hujusmodi dirigendis in viam Domini, & confirmandis in illa Chriſti Fidelium mentibus, devotionem eorum, qui operi adeo pio & ſalutari vacaverint, cæleſtium Eccleſiæ theſaurorum elargitione magis incitare volentes, de omnipotentis Dei miſericordia, ac Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus autoritate confiſi, omnibus & ſingulis Chriſti fidelibus, tam prædictæ Societatis, aut cujuscumque alterius ordinis & Congregationis Regularibus, quam aliis quibuslibet Eccleſiaſticis & Laicis, qui in domibus memoratæ Societatis Exercitia prædicta juxta laudabilem ejusdem Societatis conſuetudinem per octidui ſpatium quandocumque peregerint, & interea temporis vere pœnitentes, & confeſſi Sacroſanctum Euchariſtiæ Sacramentum ſumpſerint, quoties id egerint, plenariam omnium peccatorum ſuorum Indulgentiam & remiſſionem miſericorditer in Domino concedimus. Præſentibus in perpetuum valituris. Volumus autem, quod ſi pro impetratione, præſentatione, admiſſione ſeu publicatione præſentium aliquid vel minimum detur, aut ſponte oblatum recipiatur, cædem præſentes nullæ ſint eo ipſo: quodque earumdem præſentium tranſumptis etiam impreſſis, manu Notarii publici, vel Secretarii dictæ Societatis ſubſcriptis & ſigillo perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ,

vel

vel Præpoſiti Generalis Societatis prædictæ munitis eadem prorſus fides adhibeatur, quæ præſentibus ipſis adhiberetur, ſi forent exhibitæ vel oſtenſæ. Dat. in Arce Gandulphi Albanenſ. Diœceſ. ſub Annulo Piſcatoris die XII. Octobris. M. DC. LVII. Pontificatus Noſtri Anno Tertio. ALEX. VII. *Tranſumptis habeatur fides.*

G. GVALTERIVS.

ALEXANDRI VII
B V L L A.

Facultas eligendi Vicarium Generalem cum jure ſucceſſionis & univerſali ac libero exercitio poteſtatis.

ANNO M. DC. LXI. *die 1 Junii.*

ALEXANDER PAPA VII.

Ad futuram rei memoriam.

Cum, ſicut accepimus, dilectus filius GOSWINVS NICKEL Præpoſitus Generalis Societatis IESV ſentiens ſe ob ſenii gravitatem, & corporis impedimenta non poſſe amplius tot ac tantis officii ſui laboribus parem eſſe, & eo animi vigore, quo oporteret Societatis gubernationem adminiſtrare, Congregationi Generali ejuſdem Societatis propoſuerit, ut Vicarium ſibi adjungeret Societati aptum & convenientem, cum jure futuræ ſucceſſionis; Ipſa vero Congregatio, etſi unice optaret eidem Goſvvino Præpoſito Generali bene de univerſa Societate merito integritatem virium, & plenum regimen ac diuturnum, tamen, cum tam provectæ ætatis infirmitas ſuperari non poſſit, grato animo propoſitionem factam acceptaverit, & re per biduum Domino diligenter commendata ac diſcuſſa tandem ſecretis iisque concordibus ſuffragiis decreverit eligendum eſſe Vicarium perpetuum cum jure Succeſſionis, & cum univerſali ac libero exercitio poteſtatis: idque ut neceſſitati rurſum ac forte brevi convocandæ tot expenſis ac periculis congregationis Generalis, quantum humana conſilia ferunt, occurratur. Hinc eſt, quod nos pro commiſſa Nobis divinitus paſtorali ſollicitudine Societatis prædictæ, quæ copioſa virorum pietate doctrinaque inſignium ſobole inſtructa & ornata uberes in Eccleſia Dei fructus ad ani- *Commendatio Societatis.*

ALEX. VII. marum ſalutem ubique terrarum divina gratia largiente in dies profert, utilitati, quantum nobis ex alto conceditur, providere, ac memoratorum Gosvvini Præpoſiti & Congregationis Generalis votis paterna benignitate annuere cupientes, eorumque ſingulares perſonas à quibusvis excommunicationis, ſuſpenſionis & interdicti, aliisque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris & pœnis à Iure vel ab homine quavis occaſione vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatæ exiſtunt, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum harum ſerie abſolventes & abſolutas fore cenſentes. Motu proprio & ex certa ſcientia ac matura deliberatione noſtris, deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine eidem Congregationi Generali Vicarium perpetuum cum futura ad ejus favorem in officio Præpoſiti Generalis dictæ Societatis, quandocumque illud per obitum, ceſſionem, renunciationem vel dimiſſionem memorati Gosvvini Præpoſiti Generalis, ſeu alias quomodolibet ex illius perſona vacare contigerit, ſucceſſione, ac cum univerſali & libero exercitio poteſtatis, ſervatis alias ſervandis, eligendi plenam & amplam facultatem tenore præſentium tribuimus & impertimur. Decernentes easdem præſentes literas nullo unquam tempore de ſubreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, ſeu intentionis noſtræ, vel intereſſe habentium conſenſus, aliove quolibet, quantumvis magno & ſubſtantiali, ſpecialemque mentionem requirente defectu notari, impugnari, infringi, retractari, in controverſiam vocari aut ad terminos juris reduci, ſeu adverſus illas aperitionis Oris, reſtitutionis in integrum, aliudve quodcumque Iuris, facti vel gratiæ remedium impetrari, aut impetrato vel etiam motu, ſcientia, & poteſtatis plenitudine paribus emanato quempiam in judicio, vel extra illud uti, ſeu ſe juvare ullatenus poſſe; ſed ipſas præſentes literas firmas, validas & efficaces exiſtere & fore, ac ſuos plenarios & integros effectus ſortiri & obtinere; ſicque & non aliter in præmiſſis per quoscumque Iudices ordinarios & delegatos etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, à S. R. E. Cardinales, etiam de latere Legatos, & alios quoslibet quavis auctoritate & poteſtate fungentes & functuros, ſublata eis & eorum cuilibet, quavis aliter judicandi & interpretandi facultate & auctoritate, judicari & definiri debere, ac irritum & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtante, quatenus opus ſit, noſtra & Cancellariæ Apoſtolicæ Regula de non tollendo jure quæſito, aliisque Apoſtolicis, ac in Conciliis etiam univerſalibus

Non obſtantibus, &c.

bus editis generalibus, vel ſpecialibus conſtitutionibus & ordinationibus, nec non dictæ Societatis, & aliis quibusvis, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica vel alia quavis firmitate roboratis ſtatutis & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis & literis Apoſtolicis eidem Societati ejusque Præpoſito Generali & aliis Superioribus, & perſonis quibuslibet, ſub quibuscumque verborum tenore & formis, ac cum quibusvis, etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficaciſſimis & inſolitis clauſulis, ac irritantibus & aliis decretis in genere, vel in ſpecie, ac alias in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis & innovatis. Quibus omnibus & ſingulis, etiamſi pro illorum ſufficienti derogatione, de illis eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, expreſſa & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas Generales, mentio ſeu quævis alia expreſſio facienda, aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſervanda foret, tenores hujusmodi ac ſi de verbo ad verbum, nihil penitus omiſſo, & forma in illis tradita ſervatâ exprimerentur, & inſererentur præſentibus, pro plene & ſufficienter expreſſis & inſertis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, ad præmiſſorum effectum ſpecialiter & expreſſe derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub annulo Piſcatoris die prima Junii 1661. Pontificatus Noſtri Anno Septimo. ALEX. VII.

S. VGOLINVS.

ALEXANDRI VII.

B V L L A.

Confirmatio Decretorum Congregationis Generalis XI circa officium Vicarii Generalis

ANNO M. DC. LXI. *die 30. Auguſti.*

ALEXANDER PAPA VII.

Ad futuram rei memoriam.

ALiàs Nos dilectis filiis Congregationi Generali Societatis IESV Vicarium perpetuum cum futura ad ejus favorem in officio Præpoſiti Genera-

ALEX. VII. neralis dictæ Societatis quandocumque illud per obitum, ceſſionem, renunciationem vel dimiſſionem dilecti filii GOSWINI NICKEL, Præpoſiti Generalis ejusdem Societatis, ſeu alias quomodolibet ex illius perſona vacare contingeret, ſucceſſione ac cum univerſali & libero exercitio poteſtatis, ſervatis aliàs ſervandis, eligendi plenam & amplam facultatem tribuimus, & impertiti ſumus, & aliàs, prout in noſtris, in ſimili forma Brevis, literis die prima Iunii proxime præteriti deſuper expeditis, quarum tenorem præſentibus pro plene & ſufficienter expreſſo habere volumus, uberius continetur. Cum autem, ſicut pro parte dictæ Congregationis Generalis, Nobis nuper expoſitum fuit, eadem Congregatio prædictarum noſtrarum literarum vigore, in Vicarium Generalem perpetuum dictæ Societatis elegerit dilectum etiam filium Ioannem Paulum Olivam Presbyterum Regularem ipſius Societatis cum jure ſuccedendi, in eumque contulerit exercitium univerſale, ac liberum poteſtatis non revocandum, neque impediendum, idque (prout ipſamet Congregatio declaravit ſe intellexiſſe) non cumulative, ſed privative etiam quoad memoratum Præpoſitum Generalem, ita, ut ſi ſecus aliquid fiat, illicite & invalide fiat. Cumque injecta nihilominus hac de re dubitatione, rurſum eadem Congregatio, quod jam fecerat, confirmaverit, &, ſi opus eſſet, de novo factum voluerit totumque exercitium jurisdictionis, quod ſupra dictum eſt, eſſe penes ſolum Vicarium, ne Societas à duobus Capitibus gubernetur. Præpoſito vero Generali præfato reliquerit ſeptemdecim ejusdem facultates, quæ gubernationem non reſpiciunt, neque impediunt. Quæ omnia idem Præpoſitus Generalis, qui jam ſe totum Congregationis judicio & diſpoſitioni permiſerat, videns expedire Societati, declaraverit ſe omni meliori modo rata habere ea omnia, quæ Congregatio Generalis circa gubernationem Vicarii decreverat. Ac præterea eadem Congregatio ſtatuerit, ut in caſu ægritudinis, Vicarius ſibi ſubroget alium, qui Societatem gubernet interim, dum ipſe convaleſcat. Quod ſi contingat Vicarium Generalem præmori Præpoſito Generali, voluerit eadem Congregatio jus nominandi Vicarium eſſe penes Præpoſitum Generalem, ſi ad id aptus inveniatur; qui Vicarius ſtatim nominatus, convocet Congregationem Generalem, habeatque interea exercitium poteſtatis independens ac liberum, perinde atque haberet mortuo Præpoſito Generali. Nobis propterea ejusdem Congregationis Generalis nomine humiliter ſupplicatum fuit, ut præmiſſa omnia rite & concordibus animis ab

Totum exercitium Iurisdictionis penes ſolum Vicarium.

ab ipſa Congregatione conſtituta,ne in poſterum ulla ex parte infirmari, aut in dubium verti a quoquam poſſint,Apoſtolicæ confirmationis noſtræ robore communire de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur ſpecialem dictæ Congregationi Generali gratiam facere volentes,illiusque ſingulares perſonas à quibusvis excommunicationis, ſuſpenſionis & interdicti, aliisque Eccleſiaſticis ſententiis, Cenſuris & pœnis à jure, vel ab homine quavis occaſione vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatæ exiſtunt,ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum,harum ſerie abſolventes & abſolutas fore cenſentes,hujusmodi ſupplicationibus inclinati, & ſingula ſupra expreſſa à memoratis Congregatione Generali & Præpoſito Generali reſpective,ſicut præmittitur, acta, geſta, declarata,confirmata, ratificata, ſtatuta & ordinata, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium confirmamus & approbamus,illisque inviolabilis Apoſtolicæ firmitatis robur adjicimus, ac omnes & ſingulos Juris & facti defectus, ſi qui quomodolibet intervenerint,in eisdem ſupplemus. Decernentes easdem præſentes literas firmas,validas & efficaces exiſtere & fore, ſuosque plenarios & integros effectus ſortiri & obtinere,ac illis,ad quos ſpectat,& pro tempore ſpectabit, pleniſſime ſuffragari; ſicque in præmiſſis per quoscumque Judices ordinarios & delegatos,etiam Cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales, etiam de Latere Legatos & Apoſtolicæ Sedis nuncios, aliosve quoslibet quacumque auctoritate & poteſtate fungentes & functuros judicari,& definiri debere; ac irritum & inane,ſi ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate ſcienter,vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus omnibus & ſingulis,quæ in præfatis literis voluimus non obſtare,cæterisque contrariis quibuscumque. Dat. Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub annulo Piſcatoris die 30 Auguſti. M. DC. LXI. Pontificatus Noſtri anno ſeptimo. ALEX. VII.

S. UGOLINVS.

ALEXANDRI VII.
B V L L A.

Super regimine & triennio Superiorum Societatis IESV.

ANNO M. DC. LXIII. *die 1 Jun.*

ALEXANDER PAPA VII

Ad perpetuam rei memoriam.

Commendatio Societatis.

DEbitum Paſtoralis officii, quo Eccleſiæ Catholicæ Regimini divina diſpoſitione præſidemus, exigit,ut paternam dilectorum filiorum Presbyterorum, & Clericorum Regularium Societatis IESV, quæ ab ipſis fundationis ſuæ primordiis in re Chriſtianæ Religionis juvanda,promovendaque Infidelium & Hæreticorum converſione, & horum pertinacia retundenda,ac Juventute literis & probis moribus informanda, Chriſtique fidelibus in viam mandatorum Dei dirigendis (adjuvante Domino) ſedulo ſemper & fructuoſe laboravit,ac etiam nunc ſtrenue laborat,curam peculiari ſtudio gerentes, illa, quæ proſpero feliciqne ipſius Societatis regimini & progreſſui impedimentum adferre noſcuntur, è medio tollamus & abrogemus,ſicut magiſtra rerum experientia ſvadet, & nos matura conſultatione adhibita ad omnipotentis Dei gloriam, ſalubriter expedire arbitramur.

Congregatio V Generalis decrevit, nullum præfigendum tempus, quo ſuperiores locales officio defungantur.

Idem probat Paulus V.

§. 1. Dudum ſiquidem poſtquam à Congregatione quinta Generali dictæ Societatis petitum fuerat,ut ipſius Congregationis auctoritate ſtatueretur, ne Superiorum localium ejusdem Societatis officia ultra triennium continuarentur, dicta vero Congregatio decreverat nullum tempus eſſe præfigendum, ſed ſervandum eſſe decretum LXXXVII Congregationis ſecundæ Generalis ipſius Societatis,fel. record. Paulus Papa Quintus Prædeceſſor noſter certo ſciens, totum ſanctæ hujus & nunquam ſatis laudatæ Religionis ſtabilimentum in viridi Inſtituti ipſius & decretorum ſuper hoc in Generalibus Congregationibus ejusdem Societatis editorum obſervantia conſiſtere, illamque ab impugnationibus, moleſtiis & calumniis vindicare, & in ſui inſtituti integritate, puritate, quiete, & pace conſervare cupiens, per ſuas ſub plumbo,anno Incarnationis Dominicæ 1606 pridie nonas Septem-

ptembris,ſuper inſtituti dictæ Societatis confirmatione emanatas literas ſu- ALEX. VII.
pra dicta & alia quæcumque decreta, ſtatuta & ordinationes, quæ inſtitutum & Societatem hujusmodi, illiusque gubernandi rationem quomodolibet concernunt, in Generalibus Congregationibus edita confirmavit, ac Præpoſitum Generalem, cæterosque Superiores Societatis præfatæ, tunc & pro tempore exiſtentes, paterne hortatus eſt, & monuit, ut obſervationi dictorum decretorum ſerio invigilarent, ac eos, qui novitati ſtudentes aliquid contra liberam, & ſine ulla triennii aut certi temporis præfixione Superiorum localium gubernationem per ſe, vel alios quoscumque quavis auctoritate & dignitate fulgentes quomodolibet machinari auſi fuiſſent, tanquam perturbatores ſui Ordinis & rerum novarum molitores præter pœnas in ſupradictis decretis contentas, ipſius Præpoſiti pro tempore exiſtentis arbitrio coërcerent, corrigerent & punirent, & alias prout in eisdem Pauli Prædeceſſoris literis uberius continetur.

Et contrarium molientes ut perturbatores puniri vult.

§. 2. Poſtmodum vero, recol. memor. Innocentius Papa X, etiam Prædeceſſor noſter, per ſuas in forma brevis literas, die prima Januarii 1646 expeditas, inter alia ſtatuit, mandavit, præcepit & ordinavit, ut omnes & ſinguli dictæ Societatis Provinciales Viſitatores, Præpoſiti, Rectores, Superiores locales, & alii Officiales, jurisdictionem ſeu ſuperioritatem habentes, quomodolibet nuncupati, exceptis Magiſtris Novitiorum, in eorum reſpective muneribus, ſuperioritatibus, miniſteriis, adminiſtrationibus, & officiis prædictis, quomodocumque nuncupatis, per triennium dumtaxat durare deberent, eique elapſo triennio hujusmodi, eo ipſo vacarent, & vacare cenſerentur, ipſique ad alia quævis ejusdem Societatis munera, ſuperioritates, miniſteria, adminiſtrationes & officia prædicta, quomodolibet nuncupata, etiam Vice-Provincialis, ſeu Vice-Præpoſiti, vel Vice-Rectoris nullatenus eligi, ſeu aſſumi, vel deputari valerent, niſi per annum cum dimidio ſaltem à fine dicti triennii computandum à prædictis muneribus, ſuperioritatibus, miniſteriis, adminiſtrationibus & officiis ceſſaſſent: Decernens, præmiſſa omnia & ſingula, in perpetuum inviolabiliter ſub excommunicationis latæ ſententiæ, ac ſuſpenſionis à divinis, privationis vocis activæ & paſſivæ, ac officiorum quorumlibet, inhabilitatisque ad illa, & quævis alia in poſterum obtinenda, pœnis ipſo facto absque alia declaratione, tam per mandantes, procurantes, eligentes & deputantes, quam recipientes & exequentes, irremiſſibiliter incur-

Innocentius X vetat continuari Superiores ultra triennium.

Excipit Magiſtros Novitiorum.

Superiores officio defuncti per annum cum dimidio quieſcant.

ALEX. VII. rendis,obſervari debere,neque adverſus illa,ſeu illorum aliquod, ipſiusque Innocentii Prædeceſſoris Conſtitutionem hujusmodi per Præpoſitum Generalem pro tempore exiſtentem aut quamcumque Congregationem etiam Generalem vel quemlibet alium Superiorem,& officialem dictæ Societatis, aut ejusdem Innocentii, & pro tempore exiſtentis Romani Pontificis, Sedisque Apoſtolicæ Nuncios,vel Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales,etiam de latere Legatos,& quosvis alios quacumque poteſtate fungentes,unquam diſpenſari,diſponi vel derogari poſſe,& quamcunque diſpenſationem, diſpoſitionem & derogationem adverſus præmiſſa, ſeu eorum aliquod, eandemque Innocentii Prædeceſſoris Conſtitutionem, per præfatos, ſeu ipſorum aliquem,pro tempore quomodolibet factam, ſive conceſſam, nullam prorſus, ac nulliter & ſubreptitie obreptitieque extortam fore, & eſſe, ac cenſeri, & haberi, neminique ullatenus ſuffragari debere,& aliàs cum diverſis ordinationibus,decretis,clauſulis & derogationibus, in eisdem Innocentii Prædeceſſoris literis plenius contentis.

Incommoda ex præfixo ſuperioribus triennio & ceſſatione per annum cum medio.

§. 3. Verum ſubinde pro parte dilecti filii GOSVVINI NICKEL, Præpoſiti Generalis dictæ Societatis Nobis expoſito, quod vacatio munerum, ſuperioritatum,miniſteriorum & officiorum prædictorum poſt lapſum triennii, nec non eorum, qui illis functi fuiſſent ab illis per annum cum dimidio ceſſatio,ſicut præmittitur,præſcriptæ maxima bono Societatis prædictæ regimini adferrent incommoda,& tunc,quia ob calamitates & contagii ſuſpiciones,quibus nonnullæ provinciæ laborabant, commercium reperiebatur interdictum, difficilior redderetur vacationis & ceſſationis hujusmodi obſervatio : Nos ſupplicationibus ejusdem Gosvvini Præpoſiti Generalis nomine Nobis ſuper hoc humiliter porrectis, inclinati, ſupra expreſſum Innocentii Prædeceſſoris ſtatutum,mandatum, præceptum & ordinationem hujusmodi ad ſeſquiannum tunc proximum ſuſpendimus, & ſucceſſive dictum ſeſquiannum,ad alium ſeſquiannum ac iterum ad triennium reſpective extendimus & prorogavimus. Præterea cum dictus GOSVVINUS Præpoſitus Generalis nobis iterum exponi feciſſet,quod Provinciæ Indiæ Societatis prædictæ litterarum noſtrarum in forma brevis ſuper ſuſpenſione hujusmodi primo loco ad ſeſquiannum,ut præfertur facta, emanatarum beneficio maxime indigebant, illosque frui vix poterant, quia priusquam de eisdem literis nuncius ad illas partes perferretur, aut jam elapſus aut prope finem futurus erat dictus ſeſquiannus : Nos ipſius

Innocentii X decretum ſuſpenſum. Ad ſeſquiannum. Ad triennium.

Gosvvi-

Goſvvini Præpoſiti Generalis precibus benigne annuentes ſimilem ſuſpenſionem ſtatuti, mandati, præcepti, & ordinationis memorati Innocentii Prædeceſſoris, quantum quidem ad Provinicias, Domos, Collegia & loca quæcumque dictæ Societatis in Indiis tam Orientalibus, quam occidentalibus & alibi extra Europam dumtaxat conſiſtentes & conſiſtentia attinebat, ad ſeptem annos à die 14 Novembris 1656 computandos fecimus.

ALEX. VII.

Ad ſeptennium pro Indiis & aliis extra Europam locis.

§. 4. Ac demum cum nomine dilectorum filiorum Congregationis Generalis, quæ fuit undecima ejusdem Societatis, nobis expoſitum fuiſſet, quod ex jam dictis ſuſpenſionibus, maximum toti Societati beneficium atque emolumentum provenerat, quia vero præfixum in literis noſtris deſuper emanatis tempus tunc incipiebat fluere verſus finem, eadem Congregatio communibus votis, ac nemine penitus diſcrepante, denuo opportune in præmiſſis à Nobis provideri plurimum deſiderabat. Nos humilibus ipſius Congregationis Generalis precibus inclinati, prædictum Innocentii Prædeceſſoris ſtatutum, mandatum, præceptum & ordinationem, ut munera, ſuperioritates, adminiſtrationes, miniſteria & officia hujusmodi elapſo triennio vacent, & illis functi, niſi poſtquam ab eis per ſeſquiannum ceſſaverint, ad alia quævis munera, ſuperioritates, miniſteria, adminiſtrationes & officia nullatenus eligi ſeu aſſumi, vel deputari valeant, quantum quidem ad Provincias, Domos, Collegia & loca in Europa ad aliud quadriennium, quantum vero ad Provincias, Domos, Collegia & loca quæcumque ejusdem Societatis in Indiis tam Orientalibus, quam Occidentalibus, & alibi extra Europam conſiſtentes, & conſiſtentia ſpectat, reſpective ad alios octo annos denuo ſupendimus, & alias, prout in quinis noſtris in ſimili forma Brevis literis, primis quidem die XXIV Julii 1656, & alias die XIV Novemb. ejusdem anni, & die VII Julii 1657, & die XXVIII Auguſti 1658, & noviſſimis die VII Decembris 1661 deſuper expeditis plenius continetur.

Iterum ad quadriennium in Europa. Et octennium extra Europam.

§. 5. Cum autem, ſicut accepimus, S. Ignatius dictæ Societatis Fundator, in Conſtitutionibus ipſius Societatis ſtatuerit, ut penes Præpoſitum Generalem eſſet, tam electio omnium Rectorum, quam amotio ab eo munere, nullo præfixo temporis ſpatio, ſed ſolum prout ei convenientius in Domino videretur: & licet idem S. Pater alibi in eisdem Conſtitutionibus dixiſſe reperiatur, Provinciales ad triennium ut plurimum conſtituendos eſſe, ſtatim tamen ſubjunxerit etiam id temporis ſpatium contrahi & prorogari poſſe, quando ad majorem Dei & Domini noſtri gloriam id

Mens S. P. Ignatii de tempore, quo Superiores defungi officio deberent.

VRB. VIII. fore judicaretur: At vero pro Rectoribus vel Superioribus localibus, neque triennium ut plurimum præſcribendum cenſuerit, ſed totam durationem regiminis illorum pendere voluerit ab arbitrio Præpoſiti Generalis, prout ad majorem Dei gloriam expedire duceret. De ceſſatione autem Superiorum ad ſeſquiannum, vel aliud tempus nullibi meminerit, nec aliquid ſuper ea re ſtatuendum cenſuerit, ſed Præpoſiti Generalis judicio, ſicut alia multa, id in genere reliquerit, & ipſemet quamdiu vixit in praxi absque tali ceſſatione Societatem gubernaverit: Hæcque gubernandi ratio à piæ me. Paulo III, Julio III, & Gregorio XIII, ac Gregorio XIV Romanis Pontificibus Prædeceſſoribus pariter noſtris (qui Gregorius XIV per ſuas ſub plumbo Anno Incarnationis Dominicæ 1591. 4 Kal. Julii expeditas literas, quarum initium eſt *Eccleſiæ Catholicæ, &c.* expreſſe ſtatuit, ut electio Superiorum quorumcumque eſſet tota penes Præpoſitum Generalem juxta Conſtitutiones, cum poteſtate illorum facultatem revocandi, reſtringendi, vel augendi, & denique eosdem ab officio removendi prout in Domino judicaret expedire) approbata & confirmata, & poſt obitum memorati Sancti Ignatii, in eadem Societate cum ingenti illius bono ſervata fuerit.

Durationem regiminis vult pendere ab arbitrio Generalis.

Idem ſtatuit Gregorius XIV.

§. 6. Et licet anno 1594 ſimilis recor. Clemens Papa VIII etiam Prædeceſſor noſter, vivæ vocis oraculo, per bo. me. Franciſcum, dum vixit S.R.E. Cardinalem Toletum nuncupatum Congregationi quintæ Generali memoratæ Societatis ſignificato mandaverit, ut tam Provinciales, quam Rectores dictæ Societatis non durarent ultra triennium; nihilominus tamen ipſe Clemens Prædeceſſor, motus precibus ejusdem Societatis, mitigaverit variis modis illud ſuum mandatum, quod poſtea præfatus Paulus V Prædeceſſor per ſuas literas ſupradictas decretum Congregationis quintæ Generalis ſupra expreſſum, ſpecifice confirmans, & præfixionem termini in gubernatione Superiorum localium graviter improbans ac machinatores contra id decretum, tanquam perturbatores Societatis, graviſſimis pœnis plecti jubens, omnino abrogavit.

§. 7. Cumque dicta Societas ſubſequenti tempore, usque ad dictam præfatam Innocentii Prædeceſſoris Conſtitutionem, præfatum gubernandi modum, magno cum fructu, ipſiusque Societatis tranquillitate ſervaverit, edita vero eadem Conſtitutione, plurimis graviſſimisque affecta fuerit incommodis, multoque plura & graviora pericula, & inconvenientia ſubitura

ra extiterit, niſi Nos per ſuſpenſiones præfatas illis occurriſſemus: Et ex his noſtris ſuſpenſionibus ſeu diſpoſitionibus per ſeptem fere annos, magnæ & multiplices dictæ Societati utilitates obvenerint, nec quidp.ā alicujus momenti in contrarium Nobis exhibitum fuerit, ut proinde è re ejusdem Societatis maximopere futurum videatur, ſi ejusdem Innocentii Prædeceſſoris ordinatio ſupradicta penitus abrogetur. ALEX. VII.

§. 8. Hinc eſt, quod nos, dictæ Societatis felici directioni, religioſisque progreſſibus & incrementis, quantum nobis ex alto conceditur, conſulere cupientes, nec non præfatarum noſtrarum ac Gregorii XIV, Pauli V & Innocentii X, aliarumve quarumlibet eorumdem, & aliorum Prædeceſſorum noſtrorum præfatorum literarum, Societatem præfatam concernentium, ac ipſius Societatis Conſtitutionum & decretorum Generalium illius Congregationum tenores & datas, aliaque etiam ſpeciali & individua mentione digna, præſentibus pro plene & ſufficienter expreſſis, ac de verbo ad verbum inſertis habentes, eorumdemque Pauli III, Julii III, Gregorii XIII, Gregorii XIV, & Pauli V Prædeceſſorum, qui omnes dictas Conſtitutiones S. Ignatii, & rationem gubernandi in eis expreſſam laudarunt, approbarunt & confirmarunt, veſtigiis inhærentes; motu proprio ac certa ſcientia & matura deliberatione noſtris, Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine memorati Innocentii Prædeceſſoris ſtatutum, mandatum, præceptum & ordinationem, ut omnes & ſinguli ejusdem Societatis Provinciales, Viſitatores, Præpoſiti, Rectores, Superiores locales & alii officiales, jurisdictionem ſeu ſuperioritatem habentes, quomodolibet nuncupati (exceptis Magiſtris Novitiorum) in eorum reſpective muneribus, ſuperioritatibus, miniſteriis, adminiſtrationibus & officiis prædictis quomodocumque nuncupatis, per triennium dumtaxat durare debeant, eaque elapſo triennio hujusmodi eo ipſo vacent & vacare cenſeantur, ipſique ad alia quævis ejusdem Societatis munera, ſuperioritates, miniſteria, adminiſtrationes & officia præfata quomodolibet nuncupata, etiam Vice-Provincialis, ſeu Vice-Præpoſiti, vel Vice-Rectoris nullatenus eligi ſeu aſſumi, vel deputari valeant, niſi per annum cum dimidio ſaltem à fine dicti triennii computandum, à prædictis muneribus, ſuperioritatibus, miniſteriis, adminiſtrationibus & officiis ceſſaverint, pluries à nobis ſuſpenſa ut præfertur, & quatenus illa concernunt prædictas ejusdem Innocentii Prædeceſſoris literas (firma tamen & illæſa, ac in ſuo robore in reliquis omnibus & ſingulis remanente earumdem Innocentii *Abrogatur penitus Conſtitutio Innocentii X.*

Præ-

ALEX. VII. Prædeceſſoris literarum diſpoſitione) tenore præſentium perpetuo revocamus, abrogamus, caſſamus, irritamus & annullamus, viribusque & effectu penitus, & omnino vacuamus.

§. 9. Decernentes, easdem præſentes literas etiam ex eo, quod quicumque in præmiſſis intereſſe habentes ſeu habere quomodolibet prætendentes, ad illa vocati, citati, & auditi non fuerint, nec illis conſenſerint, aut ex alia quacumque cauſa, occaſione, prætextu & capite, etiam in corpore juris clauſo, nullo unquam tempore, de ſubreptionis vel obreptionis, aut nullitatis vitio, ſeu intentionis noſtræ, aut intereſſe habentium conſenſus, aliove quolibet etiam ſubſtantiali & individuam expreſſionem requirente defectu notari, impugnari, redargui, reſcindi, infringi, retractari aut ad terminos juris reduci, ſeu adverſus illas aperitionis oris, reſtitutionis in integrum, aliudve quodcumque juris facti vel gratiæ remedium intentari vel impetrari, aut impetrato, vel etiam motu, ſcientia & poteſtatis plenitudine paribus conceſſo quempiam in judicio, vel extra illud uti, ſeu ſe juvare poſſe, ſed ipſas præſentes literas ſemper & perpetuo firmas, validas & efficaces exiſtere & fore, ſuosque plenarios & integros effectus ſortiri & obtinere, ac illis ad quos ſpectat, & pro tempore quandocumque ſpectabit, pleniſſime ſuffragari, ſicque & non aliter in præmiſſis per quoscumque Judices ordinarios & delegatos, etiam Cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales, etiam de latere Legatos, & alios quoslibet quavis auctoritate & poteſtate fungentes, & functuros, ſublata eis & eorum cuilibet, quavis aliter judicandi & interpretandi facultate & auctoritate judicari, & definiri debere, ac irritum & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam, quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit, attentari.

Sic judicari debere.

Non obſtantibus, &c.

§. 10. Non obſtantibus dicti Innocentii Prædeceſſoris literis, nec non omnibus & ſingulis illis, quæ memorati Gregorius XIV ac Paulus V, & Innocentius, Prædeceſſores voluerunt in ſuis, & Nos voluimus in noſtris reſpective literis præfatis non obſtare, cæterisque contrariis quibuscumque.

Tranſumptis habeatur fides.

§. 11. Volumus autem, ut earumdem præſentium literarum tranſumptis, ſeu exemplis etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici vel Secretarii dictæ Societatis ſubſcriptis, & ſigillo Præpoſiti vel Vicarii Generalis ejusdem Societatis, aut alicujus perſonæ in Eccleſiaſtica dignitate conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides in judicio, & extra adhibeatur, quæ præſen-

ſentibus ipſis adhiberetur, ſi forent exhibitæ vel oſtenſæ. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem ſub annulo Piſcatoris die prima Januarii 1663, Pontificatus Noſtri anno octavo. ALEX. VII.

S. UGOLINVS.

Loco † annuli Piſcatoris.

ALEXANDRI VII
B V L L A.

Translatio Indulgentiarum cum Feſto S. FRANCISCI XAVERII in diem 3 Decembris.

ANNO M. DC. LXIII. *die 18 Julii.*

ALEXANDER PAPA VII

Ad perpetuam rei memoriam.

CUm, ſicut accepimus, alias felicis recordationis Gregorius Papa XV Prædeceſſor noſter volens omnes & ſingulas Eccleſias Presbyterorum Societatis IESV ubique exiſtentes aliquo Spirituali munere illuſtrare de omnipotentis Dei miſericordia, ac Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus auctoritate confiſus, omnibus & ſingulis utriusque ſexus Chriſti fidelibus vere pœnitentibus & confeſſis, ac ſacra Communione refectis, qui aliquam ex dictis Eccleſiis Presbyterorum Societatis IESV ubique exiſtentes in Sancti Ignatii ultima Julii, ac Sancti Franciſci Xaverii ſecunda Decembris menſium celebrari ſolitis feſtis diebus, à primis Veſperis usque ad occaſum Solis dierum hujusmodi, ſingulis annis devote viſitaſſent, & ibi pro Chriſtianorum Principū concordia, hæreſum extirpatione, ac ſanctæ Matris Eccleſiæ Exaltatione pias ad Deum preces effuderint, plenariam omnium peccatorum ſuorum Indulgentiam & remiſſionem in Domino perpetuo conceſſit, prout in ejusdem Gregorii Prædeceſſoris literis, in ſimili forma Brevis, die VIII Menſis Junii M. DC. XXII deſuper expeditis, quarum tenor præſentibus pro plene & ſufficienter expreſſis haberi volumus, uberius continetur. Cum autem, ſicut prædicti Presbyteri Societatis IESV Nobis *Conceſſio Gregorii XV.*

ALEX. VII. nuper exponi fecerunt, quod Officium & feſtum prædicti S. FRANCISCI XAVERII à die ſecunda ad tertiam diem menſis Decembris Apoſtolica auctoritate per nos translata ſint; Nobis propterea humiliter ſupplicari fecerunt prædicti Presbyteri Societatis IESV, ut Indulgentias & peccatorum remiſſiones à prædicto Gregorio Prædeceſſore Eccleſiis Presbyterorum Societatis IESV hujusmodi die feſto ejusdem Sancti FRANCISCI XAVERII, die ſecunda menſis Decembris, ut præfertur, celebrari ſolito conceſſas, ad tertiam diem ejusdem menſis Decembris etiam transferre de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur eosdem Presbyteros Societatis IESV ſpiritualibus favoribus & gratiis proſequi volentes ſupplicationibus, illorum nomine Nobis ſuper hoc humiliter porrectis, inclinati, Indulgentias & peccatorum remiſſiones à prædicto Gregorio Prædeceſſore Eccleſiis Presbyterorum Societatis IESV, die feſto prædicti Sancti FRANCISCI XAVERII, die ſecunda menſis Decembris, ſingulis annis celebrari ſolito conceſſas, ad tertiam diem ejusdem menſis Decembris, ſervata tamen in reliquis omnibus & ſingulis, dicti Gregorii Prædeceſſoris literarum hujusmodi forma, Apoſtolica auctoritate, tenore præſentium perpetuo transferimus, & perpetuis futuris temporibus translatas eſſe decernimus, ita ut in poſterum Chriſti fideles aliquam ex Eccleſiis Presbyterorum Societatis IESV ubique exiſtentium viſitantes, Indulgentias & peccatorum remiſſiones à prædicto Gregorio Prædeceſſore aliàs conceſſas, non amplius ſecunda, ſed tertia die Menſis Decembris hujusmodi lucrabuntur. Non obſtantibus ejusdem Gregorii Prædeceſſoris literis prædictis, ac Conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, nec non Cancellariæ Apoſtolicæ Regulis, cæterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, quod præſentium tranſumptis etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides adhibeatur, quæ præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ vel oſtenſæ. Dat Romæ apud S. Mariam Majorem ſub annulo Piſcatoris, die 18 Julii M. DC. LXIII, Pontificatus Noſtri Anno Nono.

Petitio.

Transferuntur Indulgentiæ in 3 diem Decembris.

Non obſtantibus, &c.

Tranſumptis habeatur fides.

S. UGOLINVS.

IN-

INDEX
LITTERARUM
APOSTOLICARUM
Hoc libello contentarum.

PAULI III.

PRIMA Inſtituti Societatis approbatio. pag. 3.

Facultas quosvis idoneos admittendi, & Conſtitutiones condendi. 8

Facultas concionandi, &c. 12

Facultas Coadjutores admittendi. 14

Approbatio Exercitiorum. 16

Privilegia plurima. 18

IULII III.

Confirmatio alia Inſtituti. 28

Confirmatio privilegiorum, & aliorum conceſſio. 36

PII IV.

Confirmatio, & nova conceſſio ædificandi ubique, etiam intra cannas, &c. 40. 79

Extenſio facultatis conferendi gradus, & exemptionis à decimis. 44. 89

PII V.

Contra Apoſtatas. 48

Circa contractus non capitulariter celebrandos. 53

Circa prælectiones in Collegiis, & in favorem Scholarium Societatis. 55

Declaratur Societas Mendicans, eique Mendicantium privilegia communicantur. 58

GREGORII XIII.

Conſervatores aſſumendi facultas. 63

Approbatio immunitatis à choro, & profeſſionis propter ordines. 68

Circa uſum librorum prohibitorum. 69

Facultas utendi privilegiis more Societatis. 71

Medendi facultas. 76

Exemptio à publicis ſupplicationibus. 77

Confirmatio derogationis privilegii cannarum, &c. 79

Facultas alienandi. 85

Derogatio cap. *Nuper.* de Decimis. 89

Indulgentia plenaria, & facultates aliæ. 93

Altaris viatici uſus. 97

Indulgentiæ aliarum Eccleſiarum pro Societatis Eccleſiis. 98

Aperiendi litteras ſacræ Pœnitentiariæ facultas. 99

Alienandi facultatis extenſio. 100

Tranſeundi ad alios Ordines de licentiâ Præpoſiti Generalis. 105

A quocumque Antiſtite ordines etiam extra tempora ſuſcipiendi. 106

Inſtituti, Conſtitutionum, ac privilegiorum

giorum Societatis Confirmatio, & Declaratio, &c. 108
Nova Inſtituti Societatis Confirmatio. 112
Exemptionis antiquæ confirmatio, ac novæ conceſſio. 123
Tranſire ſecundò ad Carthuſiam, ſine Præpoſiti Generalis licentiâ non licet. 124
Prædicandi facultatis declaratio, & nova conceſſio. 126
Aggregandi alias Congregationes Primariæ. 127

SIXTI V.

Extenſio facultatis aggregandi Congregationes. 134
Facultas de erigendis novis Congregationibus, Primariæ Romanæ aggregandis, indulgentiis communicandis, & transferendis. 137

GREGORII XIV.

Societatis Inſtituti, & rationis gubernandi novæ confirmatio. 147
Facultas Novitios admittendi, & cum illegitimis diſpenſandi reſtitutio, & nova conceſſio. 156

CLEMENTIS VIII.

Societatis IESV religioſis uſus Bullæ Cruciatæ quoad eligendum Confeſſarium, & obtinendam abſolutionem interdicitur. 159
Extenditur facultas erigendi, & aggregandi Congregationes. 160

PAVLI V.

Inſtituti, & Privilegiorum Societatis, præſertim verò Conſtitutionum Gregor. XIII & XIV approbatio, & nova concesſio. 162
Indulgentia plenaria pro feſto Invocationis Eccleſiarum Societatis IESV. 170

GREGORII XV.

Bulla Beatificationis *B. Aloyſii Gonzagæ.* 171
Indulgentia plenaria in feſtis SS. *Ignatii*, & *Xaverii*. 172
Indulgentiæ Catechiſmorum. 173

VRBANI VIII.

Litteræ decretales Canonizationis S. IGNATII Loyolæ, Societatis IESV Fundatoris. 176
Bulla Canonizationis S. FRANCISCI XAVERII. 191
Bulla I Beatificationis B. Franciſci Borgiæ III Generalis Societatis IESV. 211
Bulla II de eadem cum extenſione indulti legendi de eo Sacrum & Officium, ad Regulares & Sæculares ſacerdotes in ditione familiæ de Borgia. 212
Bulla III de eadem cum extenſione indulti recitandi Officium & Miſſam de eodem celebrandi ad Presbyteros ſæculares, & alios Regulares dictæ Societatis domos adeuntes. 214
Ejusdem Indultum celebrandi Miſſam & Officium recitandi de tribus Martyribus, *Paulo Michi*, *Joanne*

anne de Goto, & *Didaco Quiſai*, è Societate IESV. 217
S. Congregationis Rituum facultas dicendi officium & Miſſam 5 Februarii de tribus Martyribus extenſa ad omnes ſacerdotes, &c. 219

ALEXANDRI VII

Indulgentia plenaria pro obeuntibus Exercitia Spiritualia, tam noſtris, quam externis. 220
Facultas eligendi Vicarium Generalem cum jure ſucceſſionis. 221
Confirmatio decretorum Congregationis Generalis XI. 223
Abrogatio Brevis Innocentii X de triennio Superiorum. 226
Translatio Indulgentiarum cum feſto S. FRANCISCI XAVERII in diem 3. Decembris. 233

INDEX ALPHABETICVS

Eorum, quæ in his

LITTERIS APOSTOLICIS

CONTINENTVR.

Abſolutio.

Abſolvendi ab omnibus peccatis etiam reſervatis, & cenſuris, exceptis contentis in Bulla Cœnæ, facultas. pag. 13
Abſolvendi à contentis in Bullâ Cœnæ, in terris infidelium, & aliis remotiſſimis Provinciis, facultas de licentiâ Præpoſiti. 25
Abſolvere omnes de Societate ab omnibus peccatis, & cenſuris, juxta Sixti IV Mare magnum, Generalis poteſt per ſe, vel alios. 20. 73
De abſolutione ab hæreſi, & aliis contra fidem, in foro conſcientiæ. 37
Abſoluti à cenſuris Societatem ingreſſuri reincidunt in eaſdem, niſi mox intrare, & vota emittere parati ſint. 20
Abſolutio apoſtatarum reſervatur. 50. & 120. Similiter & receptatorum. 50

Adminiſtratio.

Adminiſtrantur Sacramenta in Societate. 13. 22
Adminiſtratio, ſeu gubernatio Collegiorum ad Generalem ſpectat. 7. 33

Admittere.

Admittendi ad Societatem quoslibet juxta Conſtitutiones, facultas. 10
Admittendi non ſunt, niſi qui diu, diligentiſſimeque probati fuerint. 7
Admittendi non ſunt Scholares, & Coadjutores, niſi qui diligenter examinati, & idonei reperti ſint. 34
Admitti poſſunt Coadiutores, ſine certo numero. 26

Admittendi Novitios, & cum illegitimis diſpenſandi facultas. 157

Ædificia.

Ædificia Societatis ne impediantur. 24. nec intra cannas privilegii Mendicantium. 42. 43. Et non obſtantibus confirmationibus, ac cenſuris etiam in poſterum emanandis. 82

Aggregare.

Aggregare poteſt Generalis Primariæ Congregationi Romanæ quasvis alias, vel ſcholarium tantum, vel etiam non ſcholarium ſimul. 131

Item non Scholarium ſimpliciter. 136

Etiam Reſidentiarum. 160

Alienatio.

Alienandi facultas in evidentem utilitatem, ac more Societatis, conceditur. 86. Extenditurque etiam ad cenſuum venditiones. 102

Alienare, vel diſſolvere Domos aut Collegia, Congregatio generalis poteſt juxta Conſtitutiones. 31

B. Aloyſius.

Conceſſa facultas à Gregorio XV Presbyteris Societatis IESV dicendi Miſſam & officium de *B. Aloyſio*, die 21 Junii p. 172 Item Externis in Eccleſiis Societatis IESV. ibid.

Altare.

Altaris portatilis generalis conceſſio 21. Abrogata per Concil. Trid. Reſtituta ad miſſiones. 97. ſq.

Altare conceditur in Societatis Oratoriis, & Capellis per Provincialem approbatis. 74

Ambitio.

Ambitioſus, ſi convincatur, capax prælationis & dignitatis in Societate eſſe non poteſt. 19

Apoſtata.

Apoſtatæ eorumque receptores, fautores, conſultores excommunicantur. 50. 109. 115. 120

Apoſtatæ ſunt inhabiles ad matrimonium cum ſolis votis ſimplicibus. 110

Apoſtatæ, & inſolentes alii, incarcerari & excommunicari poſſunt, tum à Generalium, tum ab aliis Societatis Superioribus. 21. 51

Appellatio.

Appellari non poteſt à correctione regulæ. 19

Aperiendi.

Aperiendi litteras ſacræ Pœnitentiariæ facultas. 99

Benedicere.

Benedicere poſſunt noſtri veſtes Sacerdotales, Pallas, Corporalia, Calices, Altaria, & Cœmeteria, in remotisſimis regionibus, ſi non adſit Catholicus Epiſcopus. 25

Benedici quomodo poſſint Eccleſiæ Societatis. 23

Bona.

Bona Societati donata, pro Collegiorum ſuſtentatione, eo ipſo Apoſtolica auctoritate cenſentur perpetuo applicata. 23

Bona temporalia Collegiorum non poteſt Societas profeſſa in proprios uſus convertere. 7. 33

Bona pauperibus diſtribuendi promiſſio quæ. 116

B. Borgias.

Conceſſa facultas ab Urbano VIII Religioſis Societatis IESV legendi Officium, & Miſſam de B. Borgia, Kalendis Octobris p. 211. Nuncupari poteſt Beatus p. 213 Officium & Miſſam de eo dicere poſſunt Religioſi Societatis ubique. ibid. Et alii, tam Sæculares, quam Regulares Sacerdotes in ditione familiæ de Borgia. ibid. Extenditur ad omnes Sacerdotes, tam Sæculares, quam Re-

Regulares, ut in Eccleſiis, ſeu domibus Societatis poſſint Miſſam & Officium dicere de B. Borgia p. 216.

Cannæ.

Cannarum privilegium Mendicantibus conceſſum, non impedit Societatis ædificia. 43. 82

Cenſuræ.

Cenſuras & irregularitates priſtinas quomodo iterum incurrant, qui ab eis per ingreſſum in Societatem fuerint abſoluti. 20

Cenſuras contra privilegia Societatis ferre, Prælati prohibentur. 21

Chorus.

Chori immunitas. 68. Vide *Officium.*

Coadjutores.

Coadjutores poſſunt promoveri ad ſacros Ordines. 15

Coadjutores ſpirituales, & temporales admittendi facultas. 15. Sine reſtrictione numeri. 26

Coadjutores utrique participes ſunt omnium meritorum Societatis, ſicut profeſſi. 15

Coadjutoribus ſpiritualibus viginti tantum poteſt Præpoſitus eaſdem gratias, & facultates concedere, quas Profeſſis. 15. Imo & omnibus. 26. 73

Collegia.

Collegia reditibus dotata habere poteſt Societas. 6. 33. 116. Vide *Confirmatio.* etiam intra cannas Mendicantium. 41. 82

Collegia ſimul atque conſtructa, vel dotata fuerint, auctoritate Apoſtolica ſunt confirmata. 23. 33

Commorari.

Commorari, & converſari licet Sociis in terris excommunicatorum, infidelium, & hæreticorum de Præpoſiti licentia. 22

Communicare.

Communicare poteſt Generalis Sociis gratias à Paulo III conceſſas 26. Imò & omnes tum Societatis, tum aliarum Religionum. 72

Commmunicare poſſunt Profeſſis inferiores Præpoſiti facultates Societatis ſibi conceſſas à Generali, de hujus licentia. 38. Imò & non Profeſſis. 72

Communicatio.

Communicatio gratiarum Societati conceditur, tum Mendicantium, æquè principaliter. 60. tum aliorum omnium Ordinum, ac piorum locorum, & perſonarum. 72

Communicatio Conſtitutionis Greg. XV prohibetur etiam iis, qui ſua privilegia cum Societate communicant. 155

Commutatio.

Commutandi vota omnia, quinque exceptis, facultas. 13. vota etiam jurata. 74

Commutare infirmis Societatis officium Divinum in aliud opus, aut orationem leviorem poteſt Generalis per ſe, vel per alios. 37

Concionari.

Concionandi ubique facultas etiam in plateis, & non ſuſceptis Ordinibus ſacris. 12. 126

Concionari ubi, & quomodo poſſint ſemel approbati. 74

Confeſſiones.

Confeſſiones quorumcumque audiendi facultas. 13. Etiam non habentium à ſuis curatis licentiam. ib. 24

Confeſſiones audire quomodò poſſint ſemel approbati. 74

Confirmatio.

Confirmantur Conſtitutiones factæ, ac faciendæ. 11

Confirmatio, & prima inſtitutio Societatis pro numero ſexaginta perſonarum tantùm.

ctum. 8. Item abſque numeri reſtrictione. 10. 34
Confirmatio tam inſtituti, quàm privilegiorum, & gratiarum omnium Societatis. 34.36
Plenior 111. Pleniſſima, in quâ confirmantur Inſtitutum, Privilegia & Conſtitutiones Societatis. 119. nempe Finis, Media. 113. Longa approbatio. Biennium Novitiatus. Tria ſubſtantialia vota ſimplicia. Gradus Scholarium approbatorum, & Coadjutorum temporalium non formatorum. 113. Formatorum itidem. Tertius probationis annus. 114. Gradus Profeſſorum quatuor votorum. Profeſſio trium votorum. Gradus Coadjutorum ſpiritualium formatorum. ibid. horumque paupertas. Quartum votum ſolemne. Vota quinque ſimplicia quæ Profeſſi emittunt. 115. Pœnæ apoſtaſiæ, & excommunicationis. Earumque abſolutionis reſervatio. ibid. Vna omnium vivendi, & obediendi ratio. Domorum probationis, & Collegiorum facultas poſſidendi bona. Domorũ profeſſorum, & perſonarum omnium cujuſcumque gradus in Societate viventium paupertas. Novitiorum item promiſſio de diſtribuendis in opera pia bonis. Declaratur etiam eos qui expleto Novitiatus biennio tria ſubſtantialia Societatis vota ſimplicia emiſerunt, verè & proprie Religioſos eſſe. 116. qui ſi à Societate deficiant, excommunicationis aliiſque apoſtatarum pœnis ſubjacent. ibid. Quòd tria hujuſmodi vota etſi ſimplicia, verè ſint Religionis ſubſtantialia vota. Illaque emittentes, verè & proprie ſint Religioſi. 119. Conceditur prætereà nova exemtio. Pœnarum apoſtatarum innovatio. Abſolutionis earumdem reſervatio. Novum impedimentum, matrimonium dirimens. Præcipitur ſub excommunicationis, & aliis graviſſimis pœnis, eo ipſo incurrendis, ne quis audeat Societatis Inſtitutum, Conſtitutiones, vel ipſam Gregorianam, aut aliquid ex his, quovis quæſito colore, impugnare, aut ſuper his declarationes, vel gloſſas facere, legere, docere, aliis tradere, vel apud ſe retinere, vel ea in dubium revocare. ibid. 110. Sicque judicari, ac ordinarios omnes litteras hujuſmodi Gregorii obſervari facere debere. 110
Confirmatio Conſtitutionis Gregorii XIII. 138
Confirmatio Conſtitutionum, privilegiorum, atque immunitatum omnium Societatis 150
Nova Inſtituti, Conſtitutionum, privilegiorum, ordinationum, & decretorum confirmatio Pauli V. 163

Confiteri.

Confiteri non niſi deputatis per Superiorem poſſunt Socii, non obſtante quocumque privilegio. 20. etiam Cruciatæ. 73

Congregatio.

Congregatio, ſeu concilium quale in gravioribus, quale item in levioribus eſſe debeat. 5. 31
Congregationes Annuntiatæ erigendi facultas Generali conceditur. 131
Congregationes coactæ de his tantummodo agunt, quæ in Congregationum generalium decretis tractanda permittuntur. 142

Conſtitutiones.

Conſtitutiones condendi facultatem habet Generalis in congregatione generali, ad majorem ſuffragiorum partem. 5. 31
Mutandi etiam, alterandi & caſſandi, quæ eo

eo ipſo cenſentur Apoſtolica auctoritate confirmatæ. 11
Conſtitutionum præcipuarum ad Inſtituti ſubſtantialia pertinentium confirmatio. Vide *Confirmatio.* — 115
Conſtitutionum gloſſatio fieri non poteſt, niſi de licentia Generalis, aliorumve Superiorum. 120
Inſtituto aliquid addendum, minuendum, immutandum, non poteſt proponi, niſi Rom. Pont. immediate, vel mediante Apoſtolicæ Sedis Legato, & Nuntio, vel ipſius Societatis Præpoſito Generali, aut Congregationi generali. 155

Conſervatores.

Conſervatores Iudices ſibi aſſumere poſſunt Societatis cum religioſi, tum familiares Clerici. 64

Contractus.

Contractus non capitulariter, ſed juxta Conſtitutiones celebrandi facultas. 54
Contractus in votis ſimplicibus in Societate emiſſis validus & juſtus eſt. 149

Correctio.

Correctionis, & punitionis facultas aliis Ordinibus conceſſa, Societati & ejus Præpoſito Generali conceditur 152

Decimæ.

DEcimas etiam Papales, prædiales, *&c.* aliave onera ſolvere non tenentur noſtri. 22. 45. Cum derogatione etiam c. *Nuper.* de decimis. 91

Declaratio.

Declarantur ſimul, & confirmantur ſubſtantialia fere omnia, quæ ad Societatis Inſtitutum pertinent. Vide *Confirmatio.*

Decretum.

Decretum 70 Congregationis V generalis contra perturbatores inſeritur. 163
Decretum 63 Cong. V contra negotia ſecularia tractantes inſeritur. 164
Decretum 87 Congr. V de triennali gubernatione Superiorum. 165
Decretorum ſupradictorum, & aliorum confirmatio. 165

Derogatio.

Derogatur quibuſcumque privilegiis ordinum, univerſitatum, locorum, ac perſonarum. 155
Derogatur Conſtitutionibus aliorum Pontificum circa Novitios, & illegitimos editis. 157

Dignitas.

Dignitatem ullam Generalis absque Societatis, aut Socius ullus absque Generalis conſenſu, acceptare non poteſt. 19

Dimiſſus.

Dimiſſus à Societate, votorum ſimplicium illius obligatione liber omnino manet. 149
Dimitti poſſunt, qui vota ſimplicia in Societate emiſerunt. 152
Dimiſſio è Societate ſine forma judiciaria, ſed ſolum juxta modum in Conſtitutionibus præſcriptum. 151
Dimittendi poteſtas Societati confirmatur. ibid.

Diſpenſare.

Diſpenſare in noſtrorum irregularitatibus, juxta Sixti IV Mare Magnum, poteſt Generalis per ſe, vel alios. 20
Diſpenſare cum noſtris poteſt Generalis, & de ejus licentia Superiores ſubordinatij, circa defectum natalium, irregularitatemque omnem, præterquam homicidii, mutilationis, & bigamiæ. 24. Item per ſe, vel Profeſſos circa jejunia, & cibos prohibitos. 36. Et per quoſcumque 72
Diſpenſare poſſunt noſtri, in remotiſſimis locis cum Neophytis, qui ante converſionem matrimonia in gradibus jure di-

vino non prohibitis contraxerant, ut in eisdem permaneant. 25

Diſpenſare poteſt Societas cum illegitimis cujusque generis tum admittendis, tum ad quælibet officia, & gradus in Societate obtinendos. 147

Doctrina Chriſtiana.

Doctrinam Chriſtianam docere pueros, & rudes nominatim commendatur noſtris. 6. Peculiare ſtudium Societatis in tradenda Doctrina Chriſtiana. 174. Vid. *Indulgentia.*

Domus.

Domos ubique habendi facultas 24

Domus Profeſſorum reditus ullos habere non poſſunt. 6. 33. 113. Vide *Confirma-*

Donationes.

Donationes quæcumque Societati factæ, eo ipſo ſunt Apoſtolicâ auctoritate confirmatæ. 23

Dubia.

Dubia in noſtro inſtituto declarandi facultatem habet Generalis. 31

Eccleſia.

Eccleſias ubique habendi facultas 24

Eccleſiæ Societatis à quocumque Epiſcopo quomodo benedici, aut conſecrari poſſint. 23

Electio.

Electio Præpoſiti Generalis, ad quos pertinet 5. & 31. & quo pacto. 31

Electio Præpoſiti Generalis, illius Aſſiſtentium, & Admonitoris tantùm in Congregationibus generalibus habetur 139

Electio eorum, qui Præpoſitum Generalem eligunt, quique Congregationi generali intereſſe poſſunt, itemque Procuratoris Provincialis creatio in Congregatione provinciali. 139

Electio Superiorum, illosque ab officio revocandi poteſtas tota penes Præpoſitum Generalem eſt. 150

Eligere loco defuncti Provincialis alium poſſunt noſtri, in remotiſſimis regionibus, dum alius per Generalem mittitur. 26

Erectio.

Erigendi, & reformandi Eccleſias, hoſpitalia, & alia pia loca, in remotiſſimis regionibus facultas. 25

Euchariſtia.

Euchariſtiæ ſacramentum in Eccleſiis ſuis tenere licet Societati, & omnibus fidelibus illud à Societate ſumere, non tamen in paſchate, nec in articulo mortis. 24

Excommunicatio.

Excommunicantur Apoſtatæ, qui emiſſis Societatis votis, ab ea vel recedunt, vel etiam ad alium Ordinem (Carthuſienſi excepto) abſque licentia Generalis tranſeunt, reſervata abſolutione Pontifici, vel Præpoſito. 50. Vide *Confirmatio.*

Excommunicantur item qui eos recipiunt, auxiliumve, conſilium, vel favorem præſtant. 51

Excommunicari, & incarcerari poſſunt Societatis Apoſtatæ, & inſolentes alii, &c. 21

Excommunicari, ſuſpendi, vel interdici Socii contra eorum privilegia ab ullis Prælatis non poſſunt. 21

In Excommunicatorum, &c. terris converſari. 22

Excommunicationi non ſubjacent tam familiares noſtri, quam domeſtici Procuratores, & operarii, niſi vel cauſam dederint, vel nominati. 21. Abrogatum.

Excommunicantur impugnantes, vel alterantes Conſtitutiones, decretaque Societatis: abſolutio Sedi Apoſtolicæ reſervatur. 154

Exemptio.

Eximitur Societas univerſa, & ejus bona à quacumque, tum decimarum ſolutione 22.

22, 45. 90. tum ordinariorum jurisdictione 21, 113. & etiam delegatorum. 119. ſeu aliorum Iudicum. ibid. à curiis item aliis inſtituto non conſentaneis. 22. Vide *Societas*. A publicis item ſupplicationibus. 78

Exercitia.

Exercitia ſpiritualia inter alia miniſteria ad profectum animarum adhibet Societas. 4.30

Exercitia ſpiritualia Societatis diligentiſſimè examinata approbantur. 16. & ſeqq. eorum fructus. 220

Facultates.

FAcultatibus tum ſuis tum aliorum Ordinum utitur Societas more ſuo, hoc eſt, arbitrio Generalis per quoscumque de Societate. 72

S. Franciſcus Xaverius.

Natus eſt S. Franciſcus Xaverius nobilibus ac piis progenitoribus. 193

A juventute ſua perfectè coram Deo ambulavit. 192

Pariſiis alacriter operam navat ſtudiis, ibique in ſocium S. Ignatii adſcribitur. 193

Mira fuit ejus abſtinentia, diſciplina; reliquæque virtutes præclare in ejus animo effulſerunt. 193. 194

Ad orientales Indias verbum Dei diſſeminaturus cum ampliſſima poteſtate mittitur; ibique incredibilia pro nomine Domini noſtri IeſuChriſti perpeſſus eſt. 195. 196

Ejus prædicationes & geſta miris prodigiis illuſtravit Dominus 196. & ſeqq. usque 201

Fama ſanctitatis clarus, & bonis operibus plenus, Orientalium Indiarum Apoſtolus ab univerſis Indiæ regnis totoque Chriſtiano populo appellatus, ad cæleſtem gloriam evolavit. 201

Poſt obitum claret miraculis 201. & ſeqq. Catalogo Sanctorum adſcribitur. 206 207

Generalis.

GEneralis in prælatione ſuâ ſit ſemper memor formulæ benignitatis, manſuetudinis, & caritatis Chriſti, Petri, Paulique 6. 32. Totum jubendi, & ordinandi jus habet. 5. 32. etiam in contractibus ineundis. 54. omnimodam gubernationem Collegiorum, & ſtudentium. 7. Plenam adminiſtrationem, & in omnes jurisdictionem. 18. Omnem poteſtatem ſupra Societatem. 32. Poteſt in certis caſibus amoveri, & alios ſubſtitui. 19. Poteſt ire, & ſubditos mittere quocumque, etiam ad infideles, & revocare. 19. Sociis licentiam tranſeundi ad alium Ordinem concedere. 20. 50. 105. Gratias à Paulo III conceſſas per alios exercere. 26. Alias item omnes 72. Indulgentias Primariæ Congregationis aliis eidem per ipſum aggregatis Scholarium Congregationibus concedere. 26. etiam non Scholarium. 136

Generalis Præpoſitus in cujusque gradus diſcretione arbitrium habet. 149. 151

Generalis creat pro ſuo arbitrio Profeſſos & Coadjutores ſpirituales, & temporales. 151

Generalis retinet omnes, quas habebat facultates, & auctoritatem in cunctis. ibid.

Gradus.

Gradus in Collegiis dat Rector, aut Præpoſitus. 38. 46. Aut ſtudiorum Præfectus. 96

Gradus ſuſcipere poſſunt noſtri in Collegiis extra Vniverſitates, & in his etiam, ſi earum Rectores gratis dare recuſent. 38. Similiter & externi, qui apud

apud nos ſtuduerint. 46. Gradus, qui à nobis ſuſceperint, privilegiis Vniverſitatum gaudent. 38. 44. & 96

Gradus in Vniverſitatibus à noſtris ſuſcipi, cur non expediat, 44

Gradus omnes perſonarum Societatis confirmantur. Vide *Confirmatio*, & 115

Graduum diſcretio eſt in manu Præpoſiti, tempus item promotionis ad illos. 151

Gratiæ.

Gratiæ, & privilegia Mendicantibus conceſſa, & concedenda, Societati conceduntur. 60 Aliorum item ordinum, locorum, & perſonarum, iisque utitur more ſuo. 72

Gubernatio.

Gubernatio Collegiorum omnimoda eſt penes Generalem vel Societatem. 7. 33

Gubernandi, & negotiorum ratio, apud Superiores Societatis reſidet. 151

JEſu nomen.

JEſu nomine Societas inſignitur. 4. 40. 53 & aliis locis.

JEſu nomen in Societate retinendum. 152

S Ignatius.

Formati Proceſſus ſuper vita & miraculis S. Ignatii committuntur Auditoribus cauſſarum Palatii Apoſtolici. 177. & ſeq.

Natus eſt nobilibus, Catholicis & piis parentibus. Adoleſcens factus rei militari operam dedit: deinde Chriſto militaturus omnes res fluxas & caducas reliquit. 179. 180

Studiis operam navat, & ſociis collectis ſaluti proximorum proponit incumbere. 180

Poſt multos labores, IESVM appellans, pie obdormivit in Domino. 181

Poſt felicem dormitionem plura patravit miracula. 183. usque 186.

Sanctorum catalogo adſcribitur. 187

Indulgentia.

Indulgentia ſeptem annorum & totidem quadragenarum pro viſitantibus Eccleſias Societatis certis diebus. 25

Indulgentiæ omnes aliorum locorum conceduntur Sociis in ſuis Eccleſiis. 98

Indulgentia plenaria alicui Societatis Eccleſiæ poteſt à Generali concedi ſemel in anno 25. Imo & ſingulis Eccleſiis conceditur. 95. Conceſſæ a Gregorio XIII primariæ Congregationi ſtudioſorum 140. Si feſtum transferri contigerit, etiam transferri poſſunt Indulgentiæ 146. Plenariæ, conceſſæ a Paulo V pro feſto Invocationis Eccleſiarum Societatis IESV 170. Plenariæ, conceſſæ a Gregorio XV in feſto SS. Ignatii, & Xaverii 172. & 233. Plenariæ, conceſſæ ab eodem, docentibus, diſcentibus, promoventibus, &c. Doctrinam Chriſtianam 174. Plenariæ iisdem in hora mortis. ibid. Septem annorum & totidem quadragenarum iisdem, ſi confeſſi ſemel quolibet menſe SS Euchariſtiæ Sacramentorum ſumpſerint. ibid. Ducentorum dierum iis, qui in cauſa fuerint, ut pueri, famuli, &c. ad doctrinam Chriſtianam audiendam accedant. ibid. Stationum de Urbe iis, qui diebus ſtationum Doctrinam Chriſtianam, in Eccleſiis aut Oratoriis, de Ordinariorum licentia, docuerint, aut ad eam diſcendam acceſſerint ibid. Eædem conceſſæ Viſitatoribus Scholarũ Doctrinæ Chriſtianæ, qui ex commiſſo ſibi officio viſitabunt illas Scholas, quas illo die viſitare poterunt, ſi confeſſi communicaverint. ib. Centum dierum iis, qui Doctrinã Chriſtianã diebus

bus feriatis, aut publicè, aut privatim explanaverint 175. Septem annorum Præceptoribus, qui diebus feſtis diſcipulos ſuos ad Doctrinam Chriſtianam deduxerint, eosque illam docuerint. Ibid. Centum dierum iisdem, ſi diebus feriatis illam in propriis Scholis explicaverint. ibid. Septem annorum Clericis Societatis IESV, qui in Eccleſiis, ſeu Oratoriis, ubi Doctrina Chriſtiana docetur, verbum Dei prædicaverint, aut Collationes fecerint; licet illo die non intervenerint in aliqua Schola, docendi cauſa. ibid. Centum dierum Patribus, & Matribus-familias, quoties doctrinam Chriſtianam in domibus ſuis liberis, famulis, & familiaribus utriusque ſexus explanaverint. ibid. Septem annorum, qui per civitates, terras, & alia loca, viros, mulieres, aut pueros, eandem doctrinam Chriſtianam docendi cauſâ circumierint. ibid. Decem annorum iis, qui ad eandem (ut ſupra) docendam, extra civitates per caſtra & villas exiverint. ibid. Centum dierum omnibus, & ſingulis Chriſti fidelibus, qui per mediam horam doctrinæ prædictæ aut diſcendi, aut docendi cauſa ſtuduerint, aut eidem Doctrinæ interfuerint. ibid. Plenariæ, conceſſæ ab Alexandro VII tam Noſtris, quam aliis quibuscumque, qui exercitia apud nos peragunt. 220. Plenariæ, conceſſæ pro feſto S. Xaverii die 2 Decembris una cum ipſo feſto, translatæ in diem 3 Decembris ab Alexandro VII. 234

Inſtitutio puerorum.

Inſtitutio puerorum, & rudium nominatim pertinet ad inſtitutum Societatis. 4. 30. Et commendatur nominatim. 6

Interdictum.

Interdicti tempore, celebrandi, & Sacramenta iis, qui vel cauſſam non dederint, vel nominati non fuerint, miniſtrandi facultas, pro Præpoſitis, & de horum licentia pro Sociis aliis. 21. Abrogata per Conc. Trid.

Interdicti tempore, pro Societatis domeſticis, familiaribus, procuratoribus, & operariis Divina audiendi facultas. 21. Abrogata. Vide *Irregularitas, Diſpenſatio.*

Lectores.

Lectores Theologiæ, & aliarum facultatum deputare poteſt, videlicet Generalis. 25. Etiam in Vniverſitatibus, non concurrendo tamen tribus horis quotidie. 56. Imo duabus 96

Libri prohibiti.

Libris non quidem hæreticis, ſed aliàs prohibitis quibus, & quomodo uti liceat noſtris. 69

Libros & proprios & aliorum, quos & quomodo emendare liceat. 69

Libros proprios emendare debent noſtri juxta catalogum, & decretum Rom. Inquiſitionis, ut retinere poſſint. 70

Libros hæreticos, & alios prohibitos legendi, ad eos impugnandum, facultatem noſtris facere quomodo poſſit Generalis. 69

Litteras ſacræ Pœnitentiariæ aperiendi facultas. 99

B. B. Martyres Japonenſes.

Conſtat de Martyrio, & Miraculis trium prædictorum Martyrum. p. 217. Officium, & Miſſam de iis legere poſſunt Religioſi Societatis, 5 Februarii 218. Extenditur ad omnes ſacerdotes, tam Sæculares, quam Regulares, in Eccleſiis Societatis à S. Congregatione Rituum 219

Matrimonium.

Novum impedimentum dirimens matrimonium ſtatuitur. 120

Mederi.

MEdendi facultas quænam fiat Sociis Medicinæ peritis. 76

Mendicantes.

Mendicans Ordo vere eſſe declaratur Societas. 59

Mendicantium privilegia omnia Societati conceduntur. 51. Adhuc plenius conceſſa, & concedenda. 60

Miniſteria.

Miniſteria, & opera pietatis, quæ ad profectum animarum gratis exercet Societas. 4. 30

Miniſteriorum Societatis utilitas, ac neceſſitas. 80

Miſſa.

Miſſam officio divino præponendi facultas. 37

Miſſam bis in die celebrandi poteſtas in remotiſſimis regionibus. 26

Miſſam circa diurnam lucem, & infra horam poſt meridiem celebrandi facultas. 13. Etiam per horam ante auroram. 95

Miſſam tempore etiam interdicti celebrandi facultas. 21. Abrogata.

Miſſam, & divina officia apud noſtros audire poſſunt qui concionibus eorum interſunt, &c. 22

Miſſam celebrandi facultas in Oratoriis, & Capellis Societatis per provincialem approbatis. 74

Miſſiones.

Miſſiones apud Summum Pontificem non procurandæ. 32

Mittendi ſubditos etiam ad Infideles, & revocandi poteſtatem habet Generalis. 19

Moniales.

Monialium, &c. curam, Socii ſuſcipere non tenentur. 22

Novitiatus.

NOvitiatus biennium confirmatur, ſimiliter promiſſio de diſtribuendis ad pios uſus bonis. 113. 116. Vide *Confirmatio.*

Novitiatus Societatis. 109. & 113.

Novitii.

Novitios tum in Societatem cooptandi, tum ad Scholaſticorum vota admittendi poteſtas in manu Superiorum eſt. 114. In Novitiorum in Societatem cooptatione derogatur Conſtitutionibus Sixti V & aliorum Pontificum. 157

Novitii non admittuntur per conſultorum ſuffragia deciſiva, ſed tantum conſultativa. 157

Novitii admitti poſſunt in Societatem juxta ipſius Conſtitutiones ex nova conceſſione privilegii. 157

Obedire.

OBediant ſubditi Præpoſito in omnibus. Et in eo Chriſtum veluti præſentem agnoſcant, venerenturque. 6. 32.

Obedientia Societatis. 110. & 116.

Officia.

Officio privari, ſeu abſolvi, peti non poteſt. 19

Officiorum, & graduum diſcretio, ac diſtributio tota eſt in manu Generalis. 5. 9. 31

Officium divinum.

Officium divinum non tenentur noſtri dicere communiter, ſive in choro. 7. 68

Officium divinum Miſſæ celebrationi poſtponendi, ac infirmis Societatis commutandi. 37

Officium divinum præponendi, & poſtponendi facultas. 37

Officium Romanum recitandi facultas. 13. Abrogata.

Omteria.

Oratoria ubique habendi facultas. 21. 23

Oratoria, & Capellas Societatis, ad Miſſas celebrandas approbare poſſunt Provinciales. 74

Ordines.

Ordines etiam Sacros à quocumque Antiſtite ſuſcipiendi facultas. 22. etiam ante profeſſionem. 15. 68. Etiam extra tempora. 107

Paupertas.

PAupertas, tum Domorum, tum Collegiorum. 6. 30. 33. Bona.

Paupertas Coadjutorum formatorum confirmatur. 115. Domorum item Profeſſorum, Scholarium, & Coadjutorum non formatorum : Novitiatus etiam ratio paupertatis, & promiſſio diſtribuendi. 116

Pœna.

Pœnæ Conſtitutionis Greg. XIII innovantur, omniaque in ea contenta confirmantur. 153

Pœnæ contra perturbatores inſtituti ſtatuuntur. 152

Prælati.

Prælati, etiam Cardinales in virtute ſanctæ obedientiæ prohibentur alterare decreta, & inſtitutum Societatis. 152

Prælatis, & principibus commendantur noſtri, ut ab eis benigne ſuſcipiantur. 27

Prælatorum miniſteriis deputare Socium aliquem non tenentur Societatis Superiores: ſi qui tamen deputentur, & ſub ordinis correctione ſint, & revocari poſſint. 19

Prælati curent ab omnibus obſervari litteras Gregorii XIII. 154

Præpoſiti.

Præpoſiti inferiores communicare quomodo poſſint aliis facultates. 38. 72

Præpoſiti Generalis perpetuitatis, & aliarum rerum inſtituti impugnatio. 162

Præpoſiti Generalis perpetuitas, electio ad vitam, ejusdem in Vrbe ordinaria reſidentia approbantur & confirmantur. 165

Præpoſito Generali Decretorum præſertim V. Congr. ſerio obſervatio commendatur. 166

Privilegia.

Privilegiis & gratiis omnium Ordinum quo pacto Societas utatur. 72

Privilegiis quibuslibet noſtri non niſi de expreſſa Superiorum licentia uti poſſunt. 72

Privilegiorum Societatis interpretatio Sedi Apoſtolicæ reſervatur. 21. 119. 120. ubi etiam eorum ac inſtituti impugnatio, ſeu in dubium revocatio, ſub excommunicationis, & aliis pœnis eo ipſo incurrendis interdicitur. 120

Privilegium implorandi brachium ſæculare ab hominibus Societatis pro ipſorum juribus tuendis conceditur. 154

Probatio.

Probatio longa, ſimul & ea quæ biennii Novitiatus, & Tertii anni ſunt, probationes confirmantur. 109. 113. 115. Vide *Confirmatio.*

Profeſſi.

Profeſſi, nec privatim, nec communiter reditus ullos habere poſſunt, nec eorum Domus, aut Eccleſiæ. 6. 33

Profeſſi ſenes, vel infirmi poſſunt ex Generalis facultate in Collegiis habitare. 39

Profeſſorum promotio certum tempus non habet, ſed Generalis arbitrio relinquitur. 151

Profeſſio.

Profeſſionem Romæ dumtaxat faciendam. 15. Imo & ubilibet emitti poſſe. 26

Ad

Ad profeſſionem non admittantur niſi diu diligentiſſimeque probati. 34

Ad profeſſionem admittendi quibus debeant eſſe virtutibus prædìti. 151

Provincialis.

Provincialis defuncti loco alium eligere poſſunt noſtri in remotiſſimis regionibus, dum alius per Generalem mittitur. 26

Reconciliare.

Reconciliandi profanatas Eccleſias facultas in remotiſſimis regionibus, ubi Catholicus Epiſcopus non adeſt. 25

Religioſus.

Eos omnes qui biennio Novitiatus in Societate peracto tria vota tametſi ſimplicia emiſerunt, fuiſſe, eſſe, & fore vere & proprie Religioſos. 111. & 116

Reſervatur abſolutio apoſtatarum. 50. & 116. Similiter & receptatorum. 50

Religioſis Societatis non licet ad ſacerdotium, vel ad ejuſdem Societatis gradus aſpirare, vel ſtatum mutare. 152

Religioſi cujuſcumque Ordinis etiam Societatis in virtute ſanctæ obedientiæ, atque excommunicationis latæ ſententiæ pœna prohibentur alterare, aut impugnare Societatis inſtitutum. 152

Sacramenta.

Sacramenta adminiſtrandi facultas. 13. 21. 30

Sacramenta adminiſtrandi facultas interdicti tempore iis qui cauſam non dederint. 21. Abrogata.

De ſepeliendis familiaribus domeſticis tempore interdicti. 21

Scholares.

Scholares approbati. 114

Societas.

Societas congregata ad normam benignitatis, ac manſuetudinis, caritatisque Chriſti, Petri, Paulique aſſidue ſpectet. 6. 32

Similiter, & Conſiliarii. ibid.

Societas ſuſcipitur ſub protectione Sedis Apoſtolicæ. 7. non debet carere viris ſua impenſa, & labore edoctis. 49. Ordo Mendicans eſſe declaratur. 59. Liberatur à quacumq; viſitatione, cauſſarum cognitione, ſententiarum denuntiatione, & Religioſarum perſonarum cura. 22

Societatis primorum Patrum exercitia. 4. 29

Societatis vivendi formula Evangelicis conſiliis, & canonicis Patrum ſanctionibus conformis eſt. 4

Societatis Inſtituti formula. 4. Adhuc explicatior 30. Confirmationes aliæ. 34. 36. 108. 117.

Societatis finis, profectus animarum, & fidei propagatio ac media. 4. fidei etiam defenſio, & alia media. 30

Societatis finem, Deumque ipſum præ oculis ſemper habere curent Socii, totisque viribus aſſequi: unusquisque tamen ſecundum gratiam ſibi à Deo datam, & vocationis proprium gradum. 4. 5. 30

Societatis miniſteriorum utilitas, & neceſſitas.

Societatis Inſtitutum quoad vota ſimplicia attinet, quodque illa emittentes ſint vere Religioſi, declaratur. 111. 116. & 119. idque in dubium vocari interdicitur. 111

Societatis Inſtituti, Conſtitutionum, aut Privilegiorum, aut horum articuli cujusvis impugnatio ſub excommunicationis, & aliis pœnis eo ipſo incurrendis interdicitur. 120

Sum-

Summorum Pontificum Societatis IESV Inſtituti approbationes. 162

Societatis unitatis, & omnium nationum ſub uno capite collectionis approbatio, & confirmatio. 166. Societatis commendatio. p. 221. & 226. Vide *Confirmatio*.

Socii poſtquam, Domino inſpirante, huic Ieſu Chriſti militiæ nomen dederint, prompti, ac die noctuque lumbos ſuccincti eſſe debent, ad tam grandis debiti ſolutionem. 5. 32

Sociorum numerus ad LX reſtringitur 8. Reſtrictio tollitur. 10

Societatis corpus, membra, pœnæ, ordo, gradus. 109

Sodalitates.

Primordia Congregationum Studioſorum. p. 138. Aliorum ad illas concurſus. ibid. Primariæ congregationis per Gregorium XIII erectio. ibid. Facultas congregationum Studioſorum in Collegiis Societatis, extra urbem erigendi, ac primariæ aggregandi 140. Communicandi Indulgentias primariæ conceſſas. ibid. Statuta condendi 141. Ejuſdem Facultatis extenſio ad plures, etiam non Scholarium, Congregationes, in quibusvis Societatis locis, erigendas ibid. erectas Primariæ aggregandas. 142. aggregatis indulgentias communicandi. ibid. confirmatur iterumque conceditur Generali facultas, etiam in ſeminariis, & locis ſub Societatis gubernio exiſtentibus, Congregationes alias, ſub quovis titulo, erigendi 145. Primariæ Romanæ aggregandi ibid. Indulgentias Primariæ Romanæ & aliis ante conceſſas communicandi 146

Stipendium.

Stipendium nullum pro ſuo in miniſteriis labore accipere poteſt Societas. 30

Superiores.

Superioribus decretorum V Congreg. ſerio obſervatio commendatur. 166. Congregatio V Generalis decrevit, nullum præfigendum tempus, quo Superiores locales officio defungantur. 226. Idem probat Paulus V. ibid. & contrarium molientes, ut Perturbatores, puniri vult. 227. Innocentius X vetat continuari Superiores ultra triennium. ibid. Excipit Magiſtros Novitiorum. ibid. Superiores officio defuncti per annum cum dimidio quieſcant. ibid. Incommoda, ex præfixo Superioribus triennio, & ceſſatione per annum cum medio. 228. Innocentii X decretum, de Superioribus, ſuſpenſum ab Alexandro VII ad ſesquiannum ib. Dein, ad triennium. ibid. Ad ſeptennium pro Indiis, & aliis locis extra Europam. 229. Herum ad quadriennium in Europâ. ibid. Et octennium extra Europam. ibid. Mens S. P. Ignatii de tempore, quo Superiores defungi officio deberent. ibid. Durationem regiminis vult pendere ab arbitrio Generalis 230. Idem ſtatuit Gregorius XIV. ibid. Abrogatur penitus Conſtitutio Innocentii X de triennio Superiorum, & ceſſatione ab officio per ſesqui-annum 231

Tranſire.

Tranſire ad alium Ordinem, præterquam ad Carthuſienſium, noſtri emiſſis juxta Conſtitutiones votis non poſſunt, niſi de Sedis Apoſtolicæ, vel Generalis Præpoſiti licentia. 20. 50

Nec alias ingreſſus tenet 50. Nec licet ſecundo ad Carthuſienſes. 125. Licet vero etiam profeſſis ad quemcumque, ſi a Generali Præpoſito emittantur. 105

Vicarius Generalis.

Facultas eligendi Vicarium Generalem,

cum jure ſucceſſionis, & univerſali, ac libero exercitio poteſtatis, conceſſa ab Alexandro VII. p 221. Totum exercitium juriſdictionis penes ſolum Vicarium. 224

Victus & Veſtitus.

VIctum, & veſtitum, &c. honeſtorum Sacerdotum communem ſequitur Societas. 33

Viſitatio.

Viſitationis, &c. officium ſuſcipere non tenentur noſtri. 22

Votum.

Vota omnia, exceptis quinque, commutandi facultas. 13. Etiam ſi jurata ſiat, non tamen in præjudicium tertii. 74

Votis Societatis ſimplicibus ſoluti manent dimiſſi à Societate. 15. 34

Vota omnia quæ in Societate juxta Conſtitutiones emittuntur, approbantur. Vide *Confirmatio*, & 115

Vota tria ſimplicia Societatis eſſe ſubſtantialia Religionis vota declaratur. 119

Votum obediendi Præpoſito in omnibus 6. 32

Votum paupertatis. 6. 32. 110

Votum ſpeciale ad miſſiones Summi Pontificis. 5. 32. 115

Vota ſua emittere debent Coadjutores, & Scholaſtici juxta Conſtitutiones. 34

Vota tria ſolemnia aliqui de Societate emittere poſſunt, de licentia Generalis. 34

Vota ſimplicia profeſſorum, quæ. 115

Vota in ſeculo emiſſa poſſunt commutari in ſimplicia Societatis. 118

S. Xaverius.

Ejus officium, Feſtum, & Indulgentiæ translata in 3 Decembris ab Alexandro VII. p. 234.

FINIS.

CONSTI-

CONSTITVTIONES SOCIETATIS IESV ET EXAMEN CVM DECLARATIONIBVS.

Juxta editionem excuſam



ANTVERPIÆ

Apud JOANNEM MEVRSIVM.

SVPERIORVM PERMISSV.

GREGORIVS XIII *Inſtitutum Societatis à Paulo* III *& Iulio etiam* III *confirmatum, & à Paulo* IV *diligentiſſimè examinatum, nec non & à Concilio Tridentino commendatum, non modò refert, ſed ipſe etiam illud atque Conſtitutiones & Statuta approbat & confirmat, in hac verba:*

MOTU PROPRIO, certâque ſcientiâ noſtrâ, & de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, laudabile hujusmodi Inſtitutum, ac prædicta, ceteraque omnia dictæ Societatis Privilegia, Facultates, exemptiones, immunitates, gratias & indulta, tam à prædictis, quàm aliis prædeceſſoribus noſtris, & etiam à nobis conceſſa; Conſtitutiones quoque & Statuta qualiacumque ſint, ea omnia, ac ſi ad verbum præſentibus inſererentur, pro expreſſis habentes, auctoritate Apoſtolicâ, tenore præſentium approbamus & confirmamus, ſupplentes omnes juris & facti defectus, ſi qui intervenerint in prædictis Conſtitutionibus & Statutis, *&c. In litteris Apoſtolicis, datis Kalendis Februarii Anno ſalutis humanæ* M.D. LXXXII.

Idem Inſtitutum, atque Conſtitutiones & Statuta approbavit & confirmavit fel. rec. Gregorius XIV *in ſua Conſtitutione* IV *Kalendas Iulii, anno Domini* M.D.XCI. *Et nunc poſtremò S. D. N. Paulus Papa* V *eamdem gratiam benigniſſimè conceſſit, ut in ampliſſimis litteris apparet pridie Nonas Septembris datis anno ab orbe redempto* M. DC. VI.

PRIMVM AC GENERALE EXAMEN

Iis omnibus, qui in Societatem IESV admitti petent, A proponendum.

De Inſtituto Societatis IESV, *& varietate perſonarum, quæ in ipſâ ſunt.*

CAPVT I.

1 HÆc minima Congregatio, quæ à Sede Apoſtolicâ primâ ſui inſtitutione Societas IESV nominata eſt, primùm fuit approbata per felicis memoriæ Paulum Papam III anno 1540, & per eumdem poſtmodùm 1543 confirmata, ac rurſus per Iulium III illius ſucceſſorem anno 1550. Ut interim omittantur diverſæ litteræ Apoſtolicæ, in quibus de eâ ſermo habetur, & ei variæ facultates (ſuppoſitâ magnâ approbatione, & confirmatione) conceduntur.

DECLARATIONES IN EXAMEN.

IN CAP. I.

a P.1.c.1. D.& c. 4 §.5.& E.

A §. HOc a *Examen, ut plurimùm, omnibus proponi ſolet, poſtquàm in Domum primæ Probationis ingrediuntur. Si tamen in aliquo particulari dictaret ratio aliud examen brevius eſſe proponendum, aut hoc ipſum relinquendum, ut legatur, nullo poſtulato reſponſo ad ea, quæ continet, vel ſi ſatis alioqui notus eſt, qui ingreditur; non neceſſe erit juxta hoc Examen procedere. Id tamen ille,* b *cui examinandi munus committitur, cum Superiore conferat, & ejus*

b P.1.c.1. §.3.

ejus judicium ſequatur. a *Antè autem quàm Domi recipiantur, ferè ſemper de quibusdam rebus majoris momenti, præſertim de iis, quæ ſolent excludere, examinari eos oportebit.*

a P.1.c.1.D. &.5. 4. D.

2 *b* Finis hujus Societatis eſt non ſolùm ſaluti, & perfectioni propriarum animarum cum divinà gratià vacare, ſed cum eadem impensè in ſalutem, & perfectionem proximorum incumbere.

Ad hunc finem meliùs conſequendum, *c* tria Vota in eâ, Obedientiæ, Paupertatis, & Caſtitatis emittuntur; *d* ſic Paupertatem accipiendo, ut nec velit, nec poſſit reditus ullos ad ſuam ſuſtentationem, nec ad quidvis aliud, habere.

b P.1.c.2.§.8 & c.3.§.1.& p.3.c 1. § 9.& p.4 proœ. & c.12 §.1.& p. 6 c.3 §.4. & p.7. c.1.§.1.& p.10. §.2.

3 Quod non tantùm in particulari de unoquoque, ſed etiam de Eccleſiis & Domibus Societatis profeſſæ eſt intelligendum: *e* Nec etiam (quamvis aliis ſit licitum) pro Miſſarum ſacrificiis, vel Prædicationibus, vel Lectionibus, vel ullius Sacramenti adminiſtratione, vel quovis alio pio officio ex iis, quæ juxta ſuum Inſtitutum Societas poteſt exercere, ſtipendium ullum vel eleemoſynam, quæ ad compenſationem hujusmodi miniſteriorum dari ſolent, ab alio quàm à Deo (ob cujus obſequium omnia purè facere debent) poſſunt admittere.

c P.5.c.3.§.3.& 6 & c.4.§.2 & 3. & p 6.c.1.& 2.
d P.6 c.2.§.2.5 6. 11 & 12.
e Inf.c.4.§.27.& p.4.c.7.§.3 & c. 15.§.4.& c.17. F.& p.6.c.2.§ 7. & G.& p.7.c.4. §.4.& B.& p.10. §.5.

4 Et *f* quamvis habeat Societas Collegia, & B Domos Probationis, reditibus dotatas ad Scholaſticorum ſuſtentationem; antequàm in Societatem Profeſſam, vel ejus Domos recipiantur; *g* non poſſunt tamen hujusmodi reditus in uſum alium, juxta Litteras Apoſtolicas in Conſtitutionibus declaratas, expendi: nec Domus Profeſſorum, nec aliquis eorum, aut etiam Coadjutorum, eisdem uti poterit.

f P.6 c.2.A.
g P.4 c 2 § 5.& c.10 §.1.p.6. c.2. §.3 & p.9.c 3 §. 18 & c.4.§.7.& p.10.§.4.

B §. *Hujusmodi Domus Probationis velut membra ſunt Collegiorum,* h *ubi admitti & probari ad tempus ſolent, qui poſtmodum in Collegiis ſunt conſtituendi.*

h P.1.c.4.§.6.& p.4.c.2.D.

5 *i* Profeſſa itidem Societas, præter tria Vota dicta, Votum facit expreſſum Summo Pontifici, ut Vicario, qui nunc eſt, vel pro tempore fuerit, Chriſti Domini Noſtri; nimirum ad proficiſcendum ſine excuſatione, *k* non petito viatico, quocumque gentium ejus Sanctitas juſſerit, inter fideles, vel infideles, ad res, quæ ad divinum cultum, & religionis Chriſtianæ bonum ſpectant.

i P.5.c.3.§.3.& C.& p.7.c.1. §.1. & B.
k P.6.c.2.§.13.& 1.& p.7.c.1. §.3.

6 Ceterùm ratio vivendi in exterioribus juſtas ob cauſas, majus Dei obſequium ſemper intuendo, *l* communis eſt: nec ullas ordinarias pœnitentias vel corporis afflictiones ex obligatione ſubeundas habet: ſed illas aſſume-

l P.6.c.2.§.15. & 16.

a P.3.c.1.§.12.& p.6.c.3.§.1. b Inf.c.4.§.35.& p.3.c.1.§.15.

aſſumere quivis poterit, quæ ſibi videbuntur (*a* cum (C) approbatione Superioris) ad majorem ſui ſpiritus profectum convenire; & *b* quas propter eumdem finem Superiores eis poterunt imponere.

C §. *Hoc Superiori judicandum relinquetur. Ille autem vices ſuas Confeſſario, vel aliis, quando expedire cenſuerit, poterit delegare.*

c P.5.c.1.A. d P.5.c.2.§.3.& c.3.§.5.& 6.

7 *c* Perſonarum autem, quæ admittuntur in hanc Societatem generaliter ſumptam, (D) quatuor ſunt claſſes, ſi finem, quem ipſa ſpectat, intueamur: *d* tametſi omnes, qui ingrediuntur, quod ad ipſos attinet, quartæ claſſis eſſe debent, de quâ dicetur.

e Inf.§.11.& c.4.§.17.& c.5.§.8.

D §. *Præter hæc quatuor genera perſonarum, nonnulli ad* e *ſolemnem Profeſſionem trium Votorum tantùm, juxta litteras Apoſtolicas Iulii Tertii admittuntur.*

f P.5.c.3.§.1.2.& 3. g P.5.c.2.§.2. h P.5.c.2.§.1.& p.10.§.7.

8 *f* In primis aliqui admittuntur, ut Profeſſionem in Societate quatuor ſolemnibus Votis (ut dictum eſt) emiſſis, faciant; peractis priùs experimentis & Probationibus debitis: & hos ſufficienter in *g* litteris eruditos (ut in Conſtitutionibus poſtmodùm dicetur) & in vitâ *h* ac moribus diu (quemadmodùm hæc vocatio exigit) probatos, & omnes ante Profeſſionem Sacerdotes eſſe oportet.

i Inf.c.6.§.1.2.3.& 8.& p.5.c.4.§.1.2.& 3.

k Inf.c.6.§.5.& 6.& p.1.c.2.§.2.& p.5.c.4.§.5.

9 *i* Secundæ claſſis ſunt, qui in Coadjutores ad divinum ſervitium, & Societatis auxilium in rebus ſpiritualibus vel temporalibus, admittuntur. & ii quidem poſt experimenta & Probationes, Vota ſimplicia Obedientiæ, Paupertatis, & Caſtitatis (omiſſo quarto ad Summum Pontificem pertinente, & alio quovis ſolemni) debent emittere. *k* qui ſuâ ſorte contenti eſſe debent, intelligentes, eos in conſpectu Creatoris & Domini Noſtri magis mereri, qui majori charitate ſe impendunt auxilio & obſequio omnium, ex amore divinæ majeſtatis, ſive in rebus altioribus, ſive in aliis inferioribus & humilioribus.

l P.4.c.3.§.1.& 2.& p.5.c.2.§.5. m P.5.c.2.§.2. n Inf.c.7.§.1.& p.5.c.4.E. o Inf.c.7.§.1.& p.4.c.3.§.3. p Inf.c.7.§.1.& p.4.c.3.§.3.& p.5.c.1.A.& c.4.§.4

10 *l* Tertiæ claſſis ſunt, qui in Scholaſticos admittuntur, ſi ingenio & reliquis dotibus ad ſtudia convenientibus præditi inveniantur, ut *m* poſtquàm docti evaſerint, *n* in Societatem ingredi, & Profeſſi, vel Coadjutores (prout judicabitur expedire) eſſe valeant. Hi *o* autem, ut Scholaſtici Societatis approbati cenſeantur, poſt experimenta, & Probationes, eadem *p* tria vota ſimplicia Paupertatis, Caſtitatis, & Obedientiæ, cum promiſſione ingrediendi Societatem in altero priùs dictorum modorum (ut in Conſtitutionibus videbitur) ad majorem Dei gloriam emittent.

a Quar-

a Quartæ claſſis ſunt, qui indeterminatè ad id admittuntur, ad quod 11
idonei eſſe, temporis ſucceſſu invenientur; nondum ſtatuente Societate ad quem ex dictis gradibus eorum talentum magis ſit accommodatum. Illi *b* autem indifferentes ingredientur ad quemvis ex dictis gradibus, qui Superiori videatur: & *c* ex parte ſuâ omnes (ut dictum eſt) eadem animi diſpoſitione ingredi oportet.

a Inf. c. 8.
b Inf. c. 8. §. 1.
c Sup. §. 7. & inf. c. 4. §. 17.

Ad hæc, antequàm quiſquam admittatur ad Profeſſionem, vel ſim- 12
plicia Vota Coadjutorum, vel Scholaſticorum ſuperiùs dicta ſecundum Inſtitutum noſtrum emittere teneatur; E *d* biennium integrum ad Probationem habebit: & ut admittantur Scholaſtici ad quemvis ex prioribus gradibus Profeſſorum, vel Coadjutorum formatorum, *e* unum adhuc annum poſt abſoluta ſua ſtudia exſpectabunt: *f* quod tempus, cum Superiori viſum fuerit, poterit prorogari.

E §. *g* *Quamvis biennii tempus præfigatur, tamen nec libertas, nec devotio, nec utilitas illa ſpiritualis, vel meritum, quod conſequi ſolent, qui Chriſto Domino Noſtro ſe obſtringunt, illis adimitur, qui ante id tempus vota ſua offerre volent: licet conveniat ſine Superioris facultate ea non emitti. Nec tamen, quòd ea emiſerint, propterea ante ordinarium tempus admittentur ad Profeſſionem, vel in Coadjutores formatos, vel in Scholaſticos approbatos.*

d Inf. c 4. §. 16. & 41. & c. 6 §. 8. & p 4. c. 3. § 3. & c. 4. §. 5. & p. 5. c. 1. § 3. & c. 4. § 3. & 6.
e Inf. c 4. § 16. & c. 6. § 8. & p. 5. c. 1 §. 3.
f Inf c 4. §. 43. & p. 5. c. 1. §. 3 & C.
g P. 3. c. 1. T. & p. 5. c. 4. §. 6.

Hoc medio tempore duorum annorum (*h* in quo F habitus ullus 13
certus Societatis non ſumitur) ante præfinitum tempus, in quo Votis eos ligari in Societate oportet, *i* videre unuſquiſque, & conſiderare debet diplomata Apoſtolica Inſtituti Societatis, & G Conſtitutiones, ac Regulas, quas in eâ eſt obſervaturus, idque non ſemel. Primùm enim id fiet, *k* dum in Domo Primæ Probationis erunt; in quam, qui Societatem ingredi volunt, hoſpitum more ad duodecim vel quindecim dies, ut res ſuas meliùs conſiderent, ſolent admitti, antequàm in Domum vel Collegium Societatis ad H cohabitandum aliis, & inter eos verſandum ingrediantur. Secundò id fiet, *l* ſex menſibus Experimentorum & Probationis elapſis. Tertiò poſt alios ſex menſes; & ſic deinceps, donec Profeſſionem, qui ſtudiis abſolutis Profeſſus, & tria Vota, qui Coadjutor, & tria itidem Vota cum ſuâ promiſſione qui Scholaſticus approbatus eſt futurus, emittat. *m* Quod ideò fit, ut utrimque majori cum claritate & cognitione in Domino Noſtro procedatur, & ut quantò fuerit magis probata ſingulorum conſtantia, tantò

h P. 1. c. 4. §. 4. & p. 3. c. 2. C. & p. 6. c. 2. M.
i Inf. c. 4. §. 41. & p. 1. c. 4. §. 5. & E.
k P. 1. c. 4. §. 1. & A.
l Inf. c. 4. §. 41.
m P. 1. c. 4. §. 1. & A.

tantò ſtabiliores ac firmiores ſint in divino ſervitio & vocatione primâ, ad gloriam & honorem divinæ Majeſtatis.

F §. Quamvis habitus nullus certus ſit, diſcretioni tamen ejus, qui curam habet Domus, relinquitur, an cum eisdem veſtibus, quas ex ſæculo tulerunt, incedere ſint permittendi; an cum aliis eas permutari oporteat: aut cùm deterentur, an aliæ tribuantur, quæ magis conveniant vel ipſis, ut quâ parte opus habent juventur, vel Domui ut eorum operâ uti poſſit.

a P. 1. c. 4. E.

G §. a *Non oportebit Conſtitutiones univerſas ab iis, qui novi accedunt, legi; ſed compendium quoddam earum, ubi quisque quid ſibi obſervandum ſit intelligat: niſi fortè Superiori videretur, alicui peculiares ob cauſas, omnes oſtendi oportere.*

b P. 1. c. 4. §. 1. & A.

H §. Dicitur, ad cohabitandum aliis, & inter eos verſandum; quia in ingreſſu, duodecim vel quindecim dies, vel usque ad viginti, ſeorſum in Domo Primæ Probationis teneri ſolent; b *ut in primâ parte Conſtitutionum videbitur.*

De quibusdam A caſibus, quos interrogari oportet, an acciderint iis qui in Societatem ingredi petunt.

CAPVT II.

c P. 1. c. 3. §. 3. & A. & B.

1 EX iis caſibus, de quibus honeſtas ob cauſas omnes interrogari oportet, *c* Primus eſt, receſſiſſe à gremio ſanctæ Eccleſiæ, fidem abnegando; vel in errores contra ipſam ſic incurrendo, ut damnatus ob aliquam propoſitionem hæreticam quis fuerit; vel ut B ſuſpectus hæreſis per ſententiam publicam declaratus; vel ſi infamis ob excommunicationem tamquàm ſchiſmaticus, ſpretâ auctoritate & providentiâ ſanctæ matris Eccleſiæ, extiterit.

IN CAP. II.

d Inf. §. 6.

e Inf. c. 3. A.

A §. QVamvis ea quæ ſequuntur, impedimenta ſint, quæ d *à Societate excludunt; tamen non ut impedimenta proponi debent, donec veritas eliciatur. Qui enim duceretur deſiderio ingrediendi Societatem, accipere occaſionem poſſet veritatem celandi, ſi hæc impedimenta eſſe intelligeret, &c. Et nihilominùs admoneri Confeſſarium oportet, ut ſi quis verè non reſpondiſſet, ejus conſcientiam de eâ re* e *exſtimulet.*

B §.

B §. Qui ſuſpectus eſſet de opinione aliqua erronea in re ad Catholicam fidem pertinente; conſtat, quamdiu ſuſpicio manet, eum non eſſe admittendum.

a Secundus eſt, homicidium aliquo tempore perpetraſſe, vel publicè 2
(C) *b* infamem propter enormia peccata fuiſſe. *a* P.1 c.3.§.4. & C.

C §. Hæc infamia eo in loco excludit, ubi ea extat. Qui tamen in remotiſſimis locis in eam incidiſſet; cùm omnino ad divinum ſervitium ſe recepiſſet, hujuſmodi infamia eum à Societate non excluderet: quamvis eamdem in hujuſmodi hominis probatione magis circumſpectam reddere debeat. *b* P.1.c.3.§.4. & D.

c Tertius eſt, habitum ſumpſiſſe alicujus Religionis Fratrum, vel 3
Clericorum; vitam aliquamdiu in Obedientiâ cum eis agendo, ſive emiſſâ, ſive non emiſſâ Profeſſione; vel eremitam cum veſtibus monachalibus fuiſſe. *c* P.1. c.3.§.5. & E.

d Quartus eſt, vinculo matrimonii conſummati, vel ſervitutis legi- 4
timè ligatum eſſe. *d* Inf.c.3.§.5.& C.& p.1.c.3.§.6. & F.& p.2.c.2. §.5.

e Quintus eſt, infirmitatem pati, unde obſcurari, vel parum ſanum judicium ei reddi ſoleat, vel diſpoſitionem notabilem ad hujuſmodi infir-
mitatem habere. 5
e P.1.c.3.§.7.

f Prædicti caſus impedimenta ſunt, cum quorum aliquo nemo in So- 6
cietatem admitti poteſt: cùm nobis in Domino videatur (præter alias cauſas) quòd qui in eam ſunt ingreſſuri ad benè & fideliter evangelizandum, & in agro Domini verbum divinum ſeminandum, eò aptiora ad id inſtrumenta erunt, quò minùs primi & ſecundi defectus notam habuerint, propter conſuetam multis & communem infirmitatem. *f* Sup.A.& p.1. c.3.§.2.&G.& p. 2.c.2.B.& p.4. c.3.§.2.

Cum tertio etiam non admittuntur, quòd nobis in Domino videatur, eum, qui bonus Chriſtianus ſit, debere firmum eſſe in ſuâ primâ vocatione, præſertim cùm illa tam ſit ſancta, in quâ ſcilicet quis, univerſo ſæculo relicto, ſe totum dedicat majori ſervitio, & gloriæ ſui Creatoris & Domini. Poſtremò ſic nobis perſuademus (præterquàm quòd major ſit futura ædificatio proximorum) eò meliùs in Domino, ipſius gratiâ aſpirante, conſervari poſſe omnes Profeſſos, Coadjutores, atque Scholaſticos, quò magis liberi fuerint ab hujuſmodi impedimentis, ac veluti unius coloris & ſimilitudinis omnes.

Nullus etiam admittitur cum duobus ultimis impedimentis. Nam quartum eſſet cum detrimento proximorum; ſi uxoris, vel domini conſen-

ſus non obtineretur, aliæque circumſtantiæ, prout ratio juris exigit, obſervarentur. Quintum etiam in damnum eſſet non mediocre ipſius Societatis.

7 Si aliquod ex his impedimentis in quoquam detegeretur, non eſt quòd ulteriùs in interrogationibus procedatur; ſed qui Examinatoris officio fungitur, *a* quoad ejus fieri poterit, eumdem conſolando, D dimittat: ſi nullum eſſet tale, ulteriùs examinetur E ſequenti modo.

a P.1.c.4.§.2.

b P.1.c.3.G.

D §. b Ceterùm ſi in eo dona aliqua Dei illuſtriora cernerentur, ille, qui examinandi munere fungitur, antequàm eum dimittat, rem cum Superiore conferat.

E §. Ordo examinis eſt, in primis proſequi id, de quo omnes interrogantur: ſecundò, de quo ſpeciatim litterati: tertiò, de quo etiam ſpecialiter illi, qui in Coadjutores; quartò, de quo illi, qui in Scholares; quintò, de quo illi, qui ut indifferentes admittuntur. Et primò quidem attingitur, quod ad perſonas pertinet, deinde quod illis eſt obſervandum.

De quibusdam interrogationibus ad eos, qui ingredi volunt, magis cognoſcendos.

CAPVT III.

1 AD majorem perſonarum notitiam aliqua ſunt interroganda, quibus A verè omnino, & ſincerè reſpondere oportet: & ſi quid erit, quod ſecretum requirat, id obſervabitur, ut par erit, & interrogato placuerit. Incipiendo itaque à nomine, interrogetur primùm: Quo nomine vocetur; Quot annos natus ſit; Quæ ſit ejus patria.

IN CAP. III.

c Sup.c.2.A.

A §. c OBligatio vera dicendi in examine, ad peccatum eſſe debet; & quidem eidem, cui quod celatum eſt aperiendum erat, vel qui ejus locum teneat, reſervatum; ut fraus evitetur, quæ locum habere poſſet, ſi quis ſincerè ſuo Superiori animum ſuum non declararet: unde incommoda, & quidem in totius Societatis non mediocre detrimentum poſſent oriri.

An ſit ex legitimo matrimonio , nécne : quòd ſi ex illegitimo, 2
quo pacto id ſit,interrogetur. Num à progenitoribus jam olim Chriſtianis,an à modernis deſcendat.

An aliquis ex ejus progenitoribus notatus fuerit vel declaratus ob aliquem errorem contra noſtram Chriſtianam Religionem, & quomodò id ſit.

An patrem habeat & matrem ; & quæ ſint eorum nomina : quæ conditio,& officium,& modus vivendi ſit illis : & an rerum temporalium B penuriâ premantur : an illarum commoditate potiantur : & quo pacto id habeat.

B. §. Si præſens & extrema neceſſitas auxilii eorum urgeret ; conſtat, hujusmodi admitti non debere. Raro tamen hujusmodi neceſſitas ſolet accidere.

Si quo tempore in difficultatem,vel dubium aliquod incideret circa 3
æs alienum, vel quòd teneatur ſubvenire parentibus, vel conſanguineis in ſpirituali,vel corporali,vel quavis aliâ temporali neceſſitate conſtitutis,eos inviſendo,vel aliâ ratione ; num proprio ſenſu ac judicio depoſito, conſcientiæ vel judicio Societatis,vel ſui Superioris id velit relinquere,ut cùm ſtatuerit ille quod in Domino juſtum eſſe ſenſerit, ei acquieſcat.

Quod fratres & ſorores habeat,& quis eorum ſit ſtatus,num matrimo- 4
nii,an alius : Quod officium, aut vivendi modum habeant.

Num aliquando C verba ediderit,quæ ad matrimonium illum obliga- 5
re videantur,& quo pacto id ſit. An habuerit,vel habeat filium aliquem.

C. §. Si ſpopondiſſet per verba de præſenti , a matrimonium conſummando,vel modo aliquo pari; duceretur is quartum habere impedimentum,cum quo nemo in Societatem admitti poteſt ; niſi adſint conditiones illæ, quæ exigi ſolent,ut conjugatus religionem ingredi poſſit.

a Sup.c.2. §.4. & p. 1. c. 3. § 6.

Num habeat *b* æs alienum,aut civiles obligationes : quòd ſi habeat, 6
quantæ & quales eæ ſint.

b P. 1. c. 3. §. 15. & I. & p. 2. c. 2. §. 5.

Num didicerit artem aliquam mechanicam. Num legere & ſcribere ſciat : & ſi ſcit,probetur quo modo utrumque faciat, ſi aliunde non 7
ſciretur.

Num *c* habuerit,vel habeat morbum aliquem occultum, vel manife- 8
ſtum,& qualem ; eum ſpeciatim interrogando, num vexationem aliquam ſtomachi, vel capitis, vel quodvis aliud impedimentum naturale, ſeu defe-

c. P.1. c. 3. §. 15.

ctum in aliquâ ſui parte patiatur. Et hoc non ſolùm interrogetur, ſed, quoad fieri poteſt, inſpiciatur.

9 Num aliquos Ordines Eccleſiaſticos ſuſceperit. Num aliquam obligationem Voti habeat, quale eſt peregrinationis, vel aliud quodcumque.

10 Quem modum, vel animi propenſionem habuerit in tenerâ ætate, & poſteà hucusque ad res ſuæ conſcientiæ ſalutiferas: primùm circa orationem, quoties orare ſolebat interdiu & noctu quibus horis, quâ corporis compoſitione, quibus orationibus, & cum quâ devotione vel ſenſu ſpirituali.

Quo modo ſe habuerit circa audiendas Miſſas, & alia divina officia, & Conciones. Quo modo circa lectionem rerum piarum, & bonorum virorum familiaritatem. Quo modo circa meditationem vel conſiderationem rerum ſpiritualium.

11 Interrogetur, an habuerit, vel habeat conceptus aliquos vel opiniones ab iis differentes, quæ communiùs ab Eccleſiâ & Doctoribus ab eadem approbatis tenentur: *a* & ſi quando hujusmodi opiniones animum ſubierint, num paratus ſit ad judicium ſuum ſubmittendum, ſentiendumque, ut fuerit conſtitutum in Societate de hujusmodi rebus ſentire oportere.

a P. 3. c. 1. O.

12 Interrogetur, an quibusvis in ſcrupulis, vel difficultatibus ſpiritualibus, vel aliis quibuscumque, quas patiatur, vel aliquando pati contigerit, ſe dijudicandum relinquet, & acquieſcet D aliorum de Societate, qui doctrinâ & probitate ſint præditi, ſententiis.

D. §. Perſonarum hujusmodi electio, quibus ſe judicandum relinquere debet is, qui in hujusmodi difficultatibus verſatur, penes Superiorem erit, ſi ſubdito ea placuerit; vel penes ſubditum, ſi Superior eam approbaverit: cui ſi in caſu aliquo & propter cauſam aliquam juſtam videretur ad Dei obſequium fore, majuſque auxilium illius, qui hujusmodi difficultatibus laborat, ut aliquis, vel etiam plures eorum, qui judicaturi ſunt de eis, extra Societatem aſſumantur, permitti poterit: electione tamen, vel ſaltem approbatione eorum penes Superiorem (ut dictum eſt) manente. Si difficultates hujusmodi ad perſonam ipſius Superioris pertinerent; electio vel approbatio, de quâ diximus, penes Conſultores erit. Qui tamen Præpoſito Generali vel Provinciali inferior eſſet, ſine alicujus eorum facultate, licet Rector ſit Collegii, vel alicujus Domus Præpoſitus, nec conſtituere poterit, nec permittere, ut hujusmodi difficultates

cultates ad ſuam perſonam pertinentes , arbitrio aliorum extra Societatem ſubiiciantur.

An omnino decreverit ſæculum relinquere , & conſilia Domini Noſtri IESV Chriſti ſequi. 13

Quàm dudum decreverit, in genere ſcilicet, mundo renuntiare. Poſtquàm id apud ſe ſtatuit, an in eâ animi ſententiâ remiſſior factus fuerit, & quatenus. A quo tempore deſideria hæc renuntiandi ſæculo, & conſilia Chriſti Domini Noſtri ſequendi ſuboriri ei cœperint; vel quibus ſignis, aut cauſis ad id moventibus, ei in mentem venerint.

a Num deliberatum habeat animi propoſitum vivendi, & moriendi 14 in Domino cum hac, & in hac Societate IESV, Creatoris & Domini Noſtri: & à quo tempore, ubi, & per quem primùm ad id motus fuerit. [a P. 1. c. 4. §. 3. & p. 5. c. 1. A.]

Si negaret ſe à quoquam de Societate motum fuiſſe, progrediendum erit ulteriùs: ſi affirmaret ſe fuiſſe motum (quamvis licitè, & cum merito moveri potuiſſet) ad majorem tamen ipſius utilitatem ſpiritualem fore videtur, ſi tempus ei aliquod præſcribatur, ut eâ de re cogitando, Creatori & Domino ſuo ſe totum commendet, perinde ac ſi nullus de Societate ipſum moviſſet; ut majori cum robore ſpiritus procedere ad majus obſequium & gloriam divinæ Majeſtatis poſſit.

Si poſt hujusmodi conſiderationem ſenſerit ac judicaverit ſibi valdè 15 convenire Societatis ingreſſum ad majorem laudem & gloriam Dei, & ut meliùs ſaluti, & perfectioni tum animæ ſuæ, tum proximorum ſuorum incumbat; & poſtulaverit in eamdem nobiſcum in Domino admitti, tunc ulteriùs in examine procedi poterit.

De rebus quibusdam, quas præcipuè ſcire eos convenit, qui in Societatem admittuntur, ex iis, quas in ipsâ obſervare debent.

CAPVT IV.

PROPONATVR illis, quòd hæc mens fuerit eorum, qui primi in hanc 1 Societatem convenerunt, ut in eâ ii admitterentur, qui ſæculo renuntiaſſent, & Dei ſervitio ſe omnino mancipare ſive in hac, ſive in aliâ Religione ſtatuiſſent. *b* Quocircà quicumque Societatem ingredi volent, antequàm in Domo aliquâ vel Collegio ejus vivere ſub Obedientiâ incipiant, [b Inf. §. 3.]

debent

debent omnia bona temporalia, quæ habuerint, diſtribuere, & renuntiare, ab diſponere de iis, quæ ipſis obvenire poſſent. Eaque diſtributio primùm in res debitas & obligatorias, ſi quæ fuerint (& tunc, quàm citiſſimè fieri poteſt, providere oportebit:) ſi veró tales nullæ fuerint, in pia & ſancta opera fiet, juxta illud; *Diſperſit, dedit pauperibus:* Et illud Chriſti; *Si vis perfectus eſſe, vade, & vende omnia, quæ habes, & da pauperibus, & ſequere me:* Diſpenſando tamen hæc bona juxta propriam devotionem, & à ſe omnem fiduciam ſubmovendo, eadem ullo tempore recuperandi.

2 *a* Quòd ſi ſtatim propter aliquas honeſtas cauſas bona non relinquet, promittat ſe promptè relicturum omnia (ut dictum eſt) poſt unum ab ingreſſu abſolutum annum, quandocumque per Superiorem injunctum ei fuerit in reliquo temporis probationis: quo completo, ante profeſſionem Profeſſi, & ante tria vota publica Coadjutores re ipsâ relinquere, ac pauperibus (ut dictum eſt) diſpenſare debent, ut conſilium Evangelicum, quod non dicit, da conſanguineis, ſed pauperibus, perfectiùs ſequantur; & ut melius exemplum omnibus exhibeant, inordinatum erga parentes affectum exuendi, & incommoda inordinatæ diſtributionis, quæ à dicto amore procedit, declinandi; atque ut ad parentes & conſanguineos recurrendi, & ad inutilem ipſorum memoriam aditu præcluſo, firmiùs & ſtabiliùs in ſuâ vocatione perſeverent.

a Inf. §. 3. & 5. & p. 3. c. 1. §. 7. & 25. & p. 4. c. 4. E. & p. 6. c. 2. H.

3 Si tamen *b* dubitaretur, num majoris foret perfectionis dare vel renuntiare conſanguineis hujusmodi bona, quàm aliis, propter parem vel majorem ipſorum penuriam, & juſtas alias ob cauſas; nihilominùs ad declinandum errandi in hujusmodi judicio periculum, quod ab affectu ſanguinis ſolet proficiſci, contenti eſſe debebant negotium hoc arbitrio A unius, duorum, aut trium, qui vitâ & doctrinâ commendentur, quos unusquisque, cum Superioris approbatione elegerit, relinquere, & in eo conquieſcere, quod illi perfectius, & ad majorem Chriſti Domini Noſtri gloriam eſſe cenſebunt.

b Inf. §. 6. & p. 3. c. 1. G.

IN. CAP. IV.

A. §. I*Ntelligendum eſt, intra Societatem; niſi Superiori juſtas ob cauſas viderentur horum aliqui extra Societatem aſſumi debere.*

Interrogetur itaque, num *c* placeat ei ſtatim (ſicuti dictum eſt) bona ſua diſtribuere; vel certè, num *d* paratus ſit ad hujusmodi diſtributionem, quandocumque exacto primo anno per Superiorem ei fuerit injunctum.

c Sup. §. 1.
d Sup. §. 2.

Ad-

Admoneantur, quòd poſt ingreſſum in Domum nemo *a* pecuniam apud ſe, nec apud amicum aliquem externum in eodem loco habitantem, habere poteſt; quin potiùs eam in pia opera diſpenſet, vel aſſervandam ei tradat, cui cura hujuſmodi domi commiſſa eſt: Qui *b* quidem, quidquid unusquisque feret, ſcribendum curabit; ut id ſciri poſſit, B ſi quando ſcitu opus fuerit. 4

a P. 3. c. 1. §. 7. & p. 6 c. 2. H.

b P. 1. c. 4 §. 6.

B §. Si accideret hunc à Societate dimitti, & Societati quid dediſſet, ei reſtitui debet, juxta c declarationem tertii capitis ſecundæ Partis.

c P. 2. c. 3. B.

Interrogentur itaque, num aliquam habeant pecuniam, & an eam diſpenſare (ut dictum eſt) ſint contenti.

Admoneantur itidem, ſi Eccleſiaſtici ſint, quòd poſtquàm in Societatis corpus ut Profeſſi, vel Coadjutores cooptati fuerint, nulla Eccleſiaſtici beneficia poſſunt retinere: & *d* quòd tempore probationis, poſt primum annum abſolutum (ut ſuperiùs diximus) quandocumque Superiori viſum fuerit, ea relinquere debent, juxta *e* ſuam devotionem, vel ei qui contulit reſignando, vel ad pia opera applicando, vel alioqui dignis viris, quibus hæc inſtrumenta ſint ad Dei obſequium, conferri curando. *f* Quod ſi conſanguineis conferenda eſſe viderentur, id non facient, niſi ab uno, duobus, aut tribus (ut ſuperiùs dictum eſt) judicetur, quòd id magis conveniat, & ad majus Dei obſequium ſit futurum. 5

d Sup. §. 2. & p. 6. c. 2. H.

e P. 3. c. 1. §. 7.

f Sup. §. 3. & p. 3. c. 1. G.

g Cùm autem communicatio, quæ cum amicis, & ſanguine junctis verbo aut ſcripto fit, potiùs ad quietis perturbationem, quàm ad eorum qui ſpiritui vacant profectum, præſertim in initiis, facere ſoleat: Interrogentur, num contenti ſint cum hujuſmodi non communicare, nec litteras accipere, nec ſcribere; niſi aliquâ *h* occaſione Superiori aliter videretur: Et quamdiu Domi fuerint, num contenti ſint, ut videantur litteræ omnes, & quæ ipſis ſcribentur, & quas ipſi aliis ſcribent; ei, cui hujuſmodi munus commiſſum eſt, curâ relictâ, ut eas det, vel non det, quemadmodùm in Domino Noſtro magis expedire judicabit. 6

g P. 3. c. 1. §. 4.

h Ibidem B. & p. 1. c. 4. §. 4.

Unusquisque eorum, qui Societatem ingrediuntur, conſilium illud Chriſti ſequendo; *Qui dimiſerit patrem,* &c. exiſtimet ſibi patrem, matrem, fratres, & ſorores, & quidquid in mundo habebat, relinquendum: imò ſibi dictum exiſtimet verbum illud, *Qui non odit patrem & matrem, inſuper & animam ſuam, non poteſt meus eſſe diſcipulus.* 7

Et ita curandum ei eſt, ut C omnem carnis affectum erga ſanguine jun-

ctos exuat, ac illum in ſpiritualem convertat: eosque diligat eo ſolùm amore, quem ordinata charitas exigit, ut qui mundo ac proprio amori mortuus, Chriſto Domino Noſtro ſoli vivit, cumque loco parentum, fratrum, & rerum omnium habet.

C §. Vt loquendi modus, ſentiendi modum juvet, ſanctum eſt conſilium ut aſſueſcant non dicere, quòd parentes vel fratres habeant, ſed quòd habebant, &c. præ ſe ferendo ſe id non habere, quod, ut Chriſtum omnium rerum loco habeant, reliquerunt. Hoc tamen illis magis eſt obſervandum, qui majori in periculo verſari videntur, ut ab aliquo naturali amore perturbentur; cujusmodi, ut plurimùm, Novitii eſſe ſolent.

8 Ad majorem in ſpiritu profectum, & præcipuè ad majorem ſubmiſſionem & humilitatem propriam interrogetur, an contentus ſit futurus, ut omnes errores, & defectus ipſius, & res quæcumque, quæ notatæ in eo & obſervatæ fuerint, Superioribus per quemvis, qui extra confeſſionem eas acceperit, manifeſtentur.

Num etiam boni ſit conſulturus (quòd & ipſe & quivis alius facere debet) ab aliis corrigi, & ad aliorum correctionem juvare: Ac num manifeſtare ſeſe invicem ſint parati, debito cum amore & charitate ad majorem ſpiritus profectum; præſertim ubi à Superiore, qui illorum curam gerit, fuerit ita præſcriptum aut interrogatum, ad majorem Dei gloriam.

9 Præterea antequàm quisquam in Domum vel Collegium ingrediatur, vel poſtquàm ingreſſus fuerit, ſex *a* experimenta præcipua, præter alia multa, de quibus ex parte inferiùs dicetur, requiruntur. *b* Poterunt ea tamen anteponi, & poſtponi, & moderari, & aliquo in caſu auctoritate Superioris, habitâ ratione perſonarum, temporum, & locorum, tum ceterorum, quæ occurrerint, in alia permutari.

a Inf. §.16. & c.7. §. 6.
b Ibidem. & p. 9. c. 3. E.

10 *c* Primum eſt, in ſpiritualibus exercitiis menſem unum plus minùs verſari: id eſt, tum in examinandâ conſcientiâ, & anteactâ vitâ recogitandâ, & *d* confeſſione generali faciendâ, ac peccatorum ſuorum meditatione; tum in contemplatione rerum ac myſteriorum Vitæ, Mortis, Reſurrectionis, & Aſcenſionis Chriſti Domini Noſtri; tum etiam in oratione vocali & mentali juxta cujusque captum, prout in Domino edocti fuerint, ſe exercere.

c P.3. c.1. §.20. & R.
d Inf. §.41. & p. 1. c.4. §.6.

11 Secundum eſt, ſervire in uno, vel pluribus Xenodochiis per menſem alium, ibidem cibum capiendo & dormiendo: vel per aliquam, vel plures

ho-

horas quotidie pro temporum, locorum, & perſonarum ratione auxilium,& miniſterium omnibus ægris & ſanis, prout injunctum eis fuerit, impendendo: ut magis ſe demittant & humilient, ac eo veluti argumento demonſtrent ſe prorſus ab hoc ſæculo, ejusque pompis ac vanitate recedere: ut omnino ſuo Creatori & Domino pro ipſorum ſalute crucifixo ſerviant.

Tertium eſt, peregrinari menſem alium ſine pecuniâ: *a* imò ſuis tem- 12
poribus oſtiatim pro Christi amore mendicare; ut poſſint ad incommoditatem comedendi & dormiendi aſſuefieri: atque adeò ut omni ſpe illâ abjectâ, quam in pecuniis & rebus aliis creatis poſſent conſtituere, integrè, verâ cum fide, & ardenti amore eam in ſuo Creatore & Domino conſtituant: vel utrumque menſem miniſterio Hoſpitalium, vel alicujus eorum, aut etiam utrumque peregrinationi, prout Superiori viſum fuerit, impendent.

a Inf. §. 27.

b Quartum eſt, poſt ingreſſum in Domum, omni cum diligentiâ & ſol- 13
licitudine in variis officiis abjectis & humilibus ſe exercere, bonum ſui exemplum in omnibus exhibendo.

b Inf. §. 28. & p. 4. c. 6. C.

Quintum eſt, doctrinam Chriſtianam, vel aliquam ejus partem pue- 14
ros & alios rudiores homines publicè, vel privatim, & prout occaſio ſe obtulerit, & in Domino commodius viſum fuerit, & juxta perſonarum proportionem, docere.

Sextum eſt, poſtquàm in probationibus bonæ ædificationis ſpecimen 15
præbuerint, ulteriùs ad prædicandum, vel confeſſiones audiendas, vel in utroque ſe exercendum pro tempore, & loco, & hominum diſpoſitione progredi.

Antequàm ingrediantur in ſecundum annum probationis, quæ fit in 16
Domibus, vel Collegiis per ſex menſes omnes vacare hujusmodi ſex *c* experimentis debent, & totidem alios diverſis aliis probationibus impendent. *d* Poterunt tamen illa ſex experimenta fieri vel in totum, vel ex parte, toto probationis tempore, ut aliquando hæc, aliquando illa præcedant; & à Scholaſticis quidem vel ſtudiorum tempore, vel poſt ſtudia abſoluta, habitâ perſonarum, locorum, & temporum ratione, prout in Domino convenire videbitur. Illud *e* tamen omnino obſervabitur, ut antequàm Profeſſi futuri profeſſionem, & Coadjutores formati tria vota ſua publica, licet non ſolemnia, emittant, duo anni experimentorum, & probationum expleantur: & in Scholaſticis, *f* ſtudiis abſolutis, præter tempus quo probantur, ut Scholaſti-

c Sup. §. 9.
d Inf. c. 7. §. 6. & p. 9. c. 3. §. 8. & E.
e Supra c. 1. §. 12 & inf. §. 41. & c 6. §. 8. & p. 4. c. 3. §. 3. & c. 4. §. 5. & p. 5. c. 1. §. 3. & c. 4. §. 3. & 6.
f Supra c. 1. §. 12.

& infra c. 6. §. 8. & p. 5. c. 1. §. 3. a Sup §. 9. & p. 5. c. 2. §. 1.

ci approbati cenſeantur, tertius alius annus, antequàm ad profeſſionem, vel in Coadjutores formatos admittantur, in *a* variis probationibus, & ſpeciatim in dictis (ſi prius illis perfuncti non ſunt, imò quamvis perfuncti fuerint) vel in nonnullis earum, ad majorem Dei gloriam, exigetur.

b Sup. c. 1. §. 7. & 11.

17 Quamdiu hujuſmodi experimenta & probationes fiunt, nullus dicat ex Societate ſe eſſe; ſed potiùs qui examinatus fuerit ad Profeſſionem, ex parte ipſius Societatis (quamvis *b* ex parte ſuâ cum indifferentiâ ad omnes gradus ſit ingreſſus) cùm loquendi occaſio ſe obtulerit, dicere debet ſe in experimentis verſari, atque optare ſe admitti in Societatem, quocumque in gradu ipſa Societas ad gloriam Dei eo uti volet. Si ut Coadjutor examinatus fuerit, dicet ſe in probationibus adhuc eſſe, atque optare in gradum Coadjutorum recipi. Simili modo de Scholaſticis, & de aliis qui *c* ut indifferentes examinati ſunt, intelligatur: ut quisque juxta ſui examinis rationem reſpondeat.

c Inſ. c. 8.

d P. 2. c. 2. C.

18 Circa hujuſmodi experimenta diligenter, quod ſequitur, eſt obſervandum; ſcilicet, ut, ubi *d* aliquis in primo experimento, nempe exercitiorum ſpiritualium verſabitur, is qui illum exercet, ad Superiorem referat, quid de eodem ſentiat ad finem Societati præfixum.

e Ibidem.

19 *e* Cùm in ſecundo, ſerviendi in Hoſpitalibus, afferat qui probatur, Gubernatoris teſtimonium, vel Præfecti eorum qui inſerviunt Hoſpitali, de boni nominis odore, quem in eo reliquerit.

Ibidem.

20 *f* Cùm in tertio, peregrinationis, ab ultimo loco ad quem pervenit, vel non procul ab eo, teſtimonium ab aliquibus, vel uno certè fide digno ſecum ferat, quòd ſuam devotionem ſecutus, ſine ullâ cujusquam querelâ eò pervenit.

g Ibidem.

21 *g* Cùm in quarto, exercendi ſe in officiis domeſticis humilitatis, pro teſtimonio erit data omnibus, qui domi ſunt, ædificatio.

h Ibidem.

22 *h* Ubi verò in quinto, de doctrinâ Chriſtianâ, & ſexto, de prædicatione, & confeſſionibus audiendis, vel de utroque munere obeundo verſabitur; ejus teſtimonium erit (ſi quidem Domi noſtræ habitaverit) à Domeſticis accipiendum; & ex ædificatione, quam populus, ubi Domus eſt, acceperit. Si prædicare, & confeſſiones audire acciderit aliis in locis extra hujuſmodi populum, ac Domum, teſtimonium afferre debet ab hujuſmodi locis, ubi diutius verſatus fuerit; vel à perſonis publicis (præcipuam habendo rationem Prælatorum ordinariorum) quæ fidem planè faciant, quòd cum doctri-

doctrina ſanâ, ac bonæ vitæ exemplo, ſine cujusquam offenſione, verbum divinum ſeminavit, & officio Confeſſarii functus eſt.

23 Præter hæc teſtimonia, poterit Societas, quando id expedire videretur, curare, ut aliunde certior fiat; ut ipſa ſibi magis, ad Dei & Domini Noſtri gloriam ſatisfaciat.

24 Si hujusmodi *a* teſtimonia in prædictis experimentis non afferrentur, diligenter cauſa inquirenda erit, curandumque ut rei totius veritas intelligatur: quò meliùs omnia, quæ convenient, provideri poſſint; ut meliùs bonitati divinæ, ipſius gratiâ aſpirante, inſerviatur.

a. P. 2. c. 2. C.

25 Prætereà *b* poſtquàm domi fuerit, egredi eam ſine facultate non debet: & *c* ſi laicus fuerit, confiteatur oportet, & ſanctiſſimum Sacramentum Euchariſtiæ ſumat octavo quoque die; niſi Confeſſario aliquod eſſe impedimentum ad communionem videretur. Si Sacerdos eſt, confitebitur ut minimùm octavo quoque die, & crebriùs Miſſæ ſacrificium offeret; ſimul Ordinationes, vel Conſtitutiones alias Domus (ut in ejus Regulis edoctus erit) obſervabit. *d* Omnes, qui domi ſunt, in addiſcendâ doctrinâ Chriſtianâ ſe exercebunt, & *e* etiam in prædicatione illi, quibus Superior Domus id faciendum judicabit: inter quos nullus erit eorum, qui in Coadjutores temporales admiſſi ſint.

b P. 3. c. 1. §. 3. & C.
c P. 3. c. 1. §. 11. & p. 4. c. 4. §. 3. & B. & p. 6. 6. 3. §. 2.
d P. 3. c. 1. §. 20.
e P. 3. c. 1. §. 21. & p. 4. c. 8. §. 3. & p. 10. §. 3.

26 *f* Sui victus, potus, veſtitus, & lecti rationem, ſi Societatem ſequi velit, ſibi perſuadeat fore, ut pauperibus accommodatam; quodque quæ viliſſima erunt ex iis quæ domi ſunt, ei tribuentur, propter ipſius majorem abnegationem, & ſpiritualem profectum; & ut ad quamdam æqualitatem & veluti menſuram ab omnibus perveniatur. Cùm enim qui primi in Societatem convenerunt, per hujusmodi indigentiam ac penuriam majorem rerum corpori neceſſariarum probati fuerint; qui poſt eos accedent, curare debent, ut quoad poterunt, eò pertingant, quò illi pervenerunt, vel ulteriùs etiam in Domino progrediantur.

f P. 3. c. 2. §. 3. & C. & p. 6. c. 2. §. 15. & 16. & M.

27 Ad hæc, præter reliquas peregrinationes, & probationes ſic declaratas, antequàm Profeſſi ſuam profeſſionem, & Coadjutores ſua vota emittant, & (ſi Superiori videbitur) Scholaſtici, antequàm approbati cenſeantur, & vota ſua ac promiſſionem ſuperiùs dictam faciant; per triduum ſuis conſtitutis temporibus, veſtigia ſequendo primorum, de quibus mentionem fecimus, *g* oſtiatim pro Chriſti Domini Noſtri

g Supra §. 12.

 amore

amore mendicare debent, ut contrà quàm eſt communis hominum ſenſus, ad divinum obſequium & laudem magis ſe poſſint ſubmittere, magisque in ſpiritu proficere, ad gloriam divinæ majeſtatis: *a* ut etiam magis ſint diſpoſiti ad id ipſum faciendum, quando illis injunctum fuerit, vel conveniens aut neceſſarium erit, dum per varias mundi partes, juxta quod eis præſcriptum vel conſtitutum per Summum Chriſti Vicarium, vel ejus loco per Superiorem Societatis fuerit, diſcurrent. Quandoquidem exigit noſtræ profeſſionis ratio, ut parati & in procinctu ſimus ad ea omnia, quæ quovis tempore in Domino nobis injuncta fuerint, nec *b* petendo, nec expectando præmium ullum in præſenti hac & labili vitâ; ſed eam, quæ undecumque æterna eſt, ex ſummâ Dei miſericordiâ ſemper ſperando.

a P. 4. c. 2. §. 6. & p. 6 c. 2. §. 10. & 13. & l. & p. 7. c. 1. E. & c. 2. G.

b P. 4 c. 15. §. 4. & p. 6. c. 2. §. 7.

28 Et *c* ad particularia quædam deſcendendo, in probationibus humilitatis & abnegationis ſui, & in exercendis officiis abjectis & humilibus (cujusmodi ſunt in culinâ ſervire, domum everrere, & reliqua omnia ſervitia obire) promptiùs ea ſuſcipi convenit, à quibus ſenſus magis abhorrebit: ſi quidem injunctum fuerit, ut in eis ſe exerceant.

c Supra §. 13. & inf. §. 46. & p. 3. c. 1. §. 22. & 27.

29 Cùm *d* aliquis ad miniſteria culinæ obeunda ingredietur, vel ad eum juvandum, qui Coquus eſt, eidem obedire cum magnâ humilitate, in rebus omnibus ad ipſius officium pertinentibus, debet. Si enim ei integram obedientiam non præſtet, nec ulli ex Superioribus, ut videtur, præſtaret: quandoquidem vera obedientia non conſiderat perſonam, cui fiat, ſed propter quem fiat: & ſi propter ſolum Creatorem & Dominum Noſtrum fiat, eidem omnium Domino obeditur. Unde nullâ ratione conſiderandum eſt, an ſit Coquus, vel Superior Domus: an hic, vel ille ſit, qui jubet: quandoquidem nec illis, nec propter illos (ſanè intelligendo) ulla obedientia præſtatur, ſed ſoli Deo, & propter ſolum Deum Creatorem ac Dominum Noſtrum.

d P. 3. c. 1. §. 24.

Ideò melius eſt, ut Coquus D non roget ſibi inſervientem, ut hoc aut illud faciat, ſed cum modeſtiâ jubeat vel dicat, hoc fac, vel illud. Si enim rogat, potiùs ut homo hominem alloqui videbitur: & Coquum laicum rogare Sacerdotem, ut ollas abſtergat, vel res hujusmodi faciat, nec decens, nec juſtum videretur; ſed ſi jubeat, vel dicat, fac hoc, vel illud, ſignificabit magis quòd ut Chriſtus homini loquitur, quandoquidem ipſius loco jubet: atque ita qui obedit, conſiderare ac perpendere vocem à Coquo, vel alio, qui ſit ei Superior, egreſſam debet,

debet,ut ſi à Chriſto Domino Noſtro egrederetur,ut omnino placere divinæ Majeſtati poſſit.

D §. Vtrumque bonum eſt, rogare, & jubere : nihilominùs in initiis magis proficiet aliquis ſi jubetur, quàm ſi rogaretur.

31 Hoc ipſum in aliis humilibus officiis intelligatur,quando aliquis in eis miniſterium ſuum impendit : atque *a* eodem modo accipiatur in E officialibus ſubordinatis, qui acceptâ à Superiori auctoritate Domum gubernant.

a P.3.c.1.§.24. & p.4.c.10.§.8.

E §. Cujuſmodi eſſe ſolent Miniſter & Subminiſter, vel alii, qui in Collegiis ſimilia munera gerunt.

32 *b* Ægritudinis tempore non ſolùm obſervare unusquisque Obedientiam magnâ cum puritate debet erga Superiores ſpirituales, ut ipſius animam regant : ſed cum eadem humilitate erga Medicos corporales, & infirmarios, ut corpus ejus regant : quandoquidem illi plenam ipſius ſanitatem ſpiritualem, hi verò corporalem omnino curant. *c* prætereà qui ægrotat,humilitatem & patientiam ſuam præ ſe ferendo,non minorem ædificationem,dum morbo laborat,iis qui ipſum inviſent,& cum eo verſabuntur & agent,quàm dum valebat corpore, ad majorem Dei gloriam,præſtare curet.

b P.3.c.1.§17. & c.2.G.

c P.6.c.4.§.1.

33 Ad majorem firmitatem omnium, quæ ſic narrata ſunt, & ad majorem ſpiritualem profectum ejus,qui examinatur ; interrogetur, an omnino obedientem ſe exhibere in omnibus,quæ hîc dicta & declarata ſunt,velit, ſubeundo *d* & adimplendo quasvis pœnitentias, quæ propter defectus, & negligentiam ſuam,vel quidvis aliud fuerint injunctæ.

d Supra c.1.§.6. & inf.§.41. & p.3.c.1.§.15.

34 Re in Domino conſideratâ,viſum nobis eſt in divinæ Majeſtatis conſpectu, mirum in modum conferre, ut *e* Superioribus ſubditi omnino perſpecti ſint : quò meliùs regi & gubernari, & per eos in viam Domini dirigi poſſint.

e Inf.§.35.&p.3.c.1.§.12.&p.4.c.10.§.5.&p.6.c.1.§.2.

35 Prætereà quantò exactiùs Superiores res omnes internas, & externas ſuorum noverint,tantò majori cum diligentiâ,amore,& ſollicitudine juvare eos ; ipſorumque animas à variis malis,&.periculis, quæ in progreſſu poſſent accidere, conſervare poterunt. Cùm *f* etiam ſemper parati eſſe, juxta noſtræ profeſſionis rationem, & procedendi modum,ad diſcurrendum per has & illas mundi partes debeamus; quandocumque per Summum Pontificem,vel Superiorem noſtrum immediatum fuerit nobis injunctum; Ut meliùs ſecundum Dei voluntatem hujusmodi miſſiones fiant, his, &

f P.3.c.2.G & p.4.proœm.A. & p.7.c.1.§.1. & c.2.H.

non

non illis mittendis; vel his ad hoc munus, illis verò ad alia; non ſolùm refert valdè, ſed ſummoperè, ut Superior *a* plenam habeat notitiam propenſionum ac motionum animi; & ad quos defectus vel peccata fuerint vel ſint magis propenſi & incitati, qui ſub ejus curâ ſunt: ut ejus rei habitâ ratione, meliùs ipſos dirigere poſſit; nec ſupra menſuram virium ſuarum in periculis vel laboribus gravioribus, quàm in Domino ferre ſuaviter poſſint, conſtituat: & etiam ut (quæ audit ſub ſecreti ſigillo cuſtodiendo) meliùs Superior poſſit ordinare ac providere, quæ corpori univerſo Societatis conveniunt.

a Supra. §. 34.

36 Ideò quicumque hanc Societatem in Domino ſequi volet, & in eadem ad majorem Dei gloriam manere, priusquàm ad primam probationem accedat, vel poſtquàm ingreſſus fuerit, antequàm generaliter examinetur, vel poſt examen, intra aliquot menſes (ſi Superiori differendum videretur) ſub ſigillo confeſſionis, vel ſecreti, vel quacumque ratione ei placuerit, & ad majorem ipſius conſolationem fuerit, debeat conſcientiam ſuam magnâ cum humilitate, puritate, & charitate manifeſtare, re nullâ, quâ Dominum univerſorum offenderit, celatâ: & totius anteactæ vitæ rationem integram, vel certè rerum majoris momenti Superiori, qui tum fuerit Societatis, vel cui ex Præpoſitis, vel aliis ex inferioribus ille injungeret, prout magis convenire videretur, reddat; ut meliùs omnibus in Domino proſpiciatur, ipſeque magis in ſpiritu cum gratiâ uberiori ad majorem divinæ bonitatis gloriam proficiat.

37 Si igitur progredientes in gratiæ atque ſpiritus incremento, plenoque cum deſiderio ingrediendi & perſeverandi, quamdiu vixerint, in hac Societate, tantumdem *b* facient aliquoties antequàm ad profeſſionem qui Profeſſi, & ad ſua vota qui Coadjutores formati ſunt futuri, admittantur: & id, quo ſequitur modo.

b Sup. §. 36.

38 Poſtquàm primò aliquis eorum integram vitæ rationem Superiori Domus reddidit, *c* ab eodem die inchoando, prioribus, quæ eidem dixit, non repetitis, iterum poſt ſemeſtre proximum plus minùs, ei, vel cui à Superiore fuerit conſtitutum, vitæ rationem reddet. Deinde à ſecundâ hac ratione incipiendo, eodem ordine procedetur; & ſexto quoque menſe rationem hanc ſui quisque reddet. Vltima verò circiter triginta dies, antequàm Profeſſi futuri ſuam profeſſionem, & Coadjutores ſua vota emittant, reddetur.

c Sup. §. 36.

Scho-

Scholaſtici *a* eodem modo procedent, præterquàm quòd abſolutis ſuis 39
ſtudiis cùm primùm rationem vitæ ſuæ reddent, ab ultimâ quam reddiderunt in Domo, unde ad ſtudia miſſi ſunt, vel ab initio vitæ, ſi aliquâ de causâ numquàm reddiderunt, incipient.

a Sup. §. 36. & p. 4. c. 10. §. 5.

Sic *b* etiam videtur quòd Coadjutores formati, & Profeſſi, ſi alicubi 40
agent ubi Præpoſiti alicujus Societatis obedientiæ ſubjaceant, ſingulis annis, vel crebriùs, ſi Præpoſito videbitur, ſuæ conſcientiæ rationem dicto modo ab ultimâ quam reddiderunt incipiendo, ei reddant.

b Supra. §. 36. & p. 6 c. 1. § 2. & p. 9. c. 3. §. 19.

Qui ſenſerit ad omnia quæ dicta ſunt, animum ac vires ſibi à Domi- 41
no dari, ac ad majorem Dei gloriam fore, ſuæque animæ magis ſalutiferum judicat, in corpus hujus Societatis admitti; *c* præter litterarum Apoſtolicarum, & Conſtitutionum, & reliquorum, quæ ad ejus Inſtitutum pertinent, ipſo initio, ac poſteà ſexto quoque menſe, ut dictum eſt, conſiderationem, *d* debet generalem vitæ totius confeſſionem apud aliquem Sacerdotem à Superiore aſſignatum, propter multiplicem ſpiritus utilitatem, quæ eâ in re deprehenditur, facere. Quòd ſi aliquando generaliter confeſſus fuerit alicui de Societate, vel in exercitiis ſpiritualibus, vel extra *illa*, ſatis erit, generalem confeſſionem ab aliâ etiam generali ad id usque tempus inchoare, & poſt eam ſacratiſſimum Chriſti Domini Noſtri corpus ſumere: & ſic ſexto quoque menſe eodem modo generaliter, ab ultimâ inchoando, confitebitur. Demum continuum puritatis ac virtutum augmentum, & inflammata in Domino deſideria multùm in hac Societate divinæ majeſtati ſerviendi procurando, *e* exactis duobus annis probationis, & ſe perpetuò obedientem exhibendo, & in ſuâ converſatione, & variis experimentis ædificationem præbendo, *f* ac pœnitentias pro erratis, & negligentiis, & defectibus injunctas magnâ cum humilitate ſubeundo, ſi & ipſe, & Societas, vel Superior Domus contenti fuerint, in Societatis corpus admitti poterit, *g* conſideratis priùs litteris Apoſtolicis, & Conſtitutionibus, & confeſſione generali peractâ, ut ſuperiùs eſt dictum, quam ut meliùs inſtituat, ſeſeque in ſua prima deliberatione confirmet, per unius hebdomadæ ſpatium ſe colligendo, & aliqua ſpiritualia exercitia ex jam factis, vel aliis, faciendo; poſtremò ſuam oblationem, ac Vota ſive ſolemnia ſint in Profeſſis, ſive ſimplicia in Coadjutoribus, & Scholaſticis, quemadmodùm in Conſtitutionibus declarabitur, ad majorem Dei gloriam, uberioremque fructum animæ ſuæ, emittat.

c. Supra c. 1. § 13. & G. & p. 1. c. 4. §. 5.
d Sup. §. 10. & p. 1. c. 4. §. 6.
e Sup. c. 1. §. 12. p. 4. c. 3. §. 3 & c. 4. §. 5. & p. 5. c. 1. §. 3. & c. 4. §. 3. & 6.
f Sup. §. 33. & c. 1. §. 6. & p. 3. c. 1. §. 15.
g Supra c. 1. §. 13. & G.

42 Admoneantur,quòd Votis hujuſmodi emiſſis, juxta tenorem litterarum Apoſtolicarum,non poſſint ipſi ad alias Religiones ſine facultate à Superiore Societatis conceſsâ tranſire.

43 Quòd ſi exacto probationis tempore,contentus quidem ipſe eſt, & exoptat ſic ad Profeſſionem, vel in Coadjutorem,vel in Scholaſticum admitti ; verùm dubitaret Societas de ipſius talento,vel moribus ; ſecurius [a] erit in alium annum,vel tempus quod videbitur,id prorogari ; donec utrique parti plenè in Domino ſit ſatisfactum.

[a] Sup. c. 1. §. 12. & p. 5. c. 1. § 3. & C.

44 Prætereà diligenter animadvertant oportet qui examinantur (magnifaciendo ſummique momenti id eſſe ducendo in conſpectu Creatoris ac Domini Noſtri) quantoperè juvet ac conferat ad vitæ ſpiritualis profectũ,omnino,& non ex parte abhorrere ab omnibus,quæ mundus amat & amplectitur; & admittere & concupiſcere totis viribus quidquid Chriſtus Dominus Noſter amavit & amplexus eſt.Quemadmodùm enim mundani homines,qui ea quæ mundi ſunt ſequuntur,diligunt & quærunt magnâ cum diligentiâ honores, famam,magni nominis exiſtimationem in terrâ,ſicut mundus eos edocet; ſic qui procedunt in ſpiritu,& ſeriò Chriſtum Dominum Noſtrum ſequuntur, amant,& ardenter exoptant, quæ iis omnino contraria ſunt,indui nimirum eadem veſte ac inſignibus Domini ſui,pro ipſius amore ac reverentia: adeò ut ſi ſine offenſione ulla divinæ majeſtatis,& absque proximi peccato foret,vellent contumelias,falſa teſtimonia, & injurias pati,ac ſtulti haberi & exiſtimari (nulla tamen ad id per eos data occaſione) eò quod exoptant aſſimilari,ac imitari aliquo modo Creatorem ac Dominum Noſtrum IESVM Chriſtum ; ejusque veſtibus & inſignibus indui : quandoquidem illa ipſe propter majorem profectum noſtrum ſpiritualem induit, nobisque exemplum dedit,ut in omnibus, quoad ejus fieri poterit, divina gratia aſpirante, eum imitari & ſequi, cùm vera ſit via, quæ ducit hominem ad vitam, velimus. Igitur interrogentur,an hujuſmodi deſideria tam ſalutaria,& ad perfectionem animarum ſuarum tam fructuoſa,in ſe ſentiant.

45 Quòd ſi quis propter humanam noſtram debilitatem ac miſeriam, in ſe hujuſmodi tam inflammata in Domino deſideria non ſentiret,interrogetur an certè deſiderium in ſe ſentiat,hujuſmodi deſideria ſentiendi. Si affirmando reſponderit,optare ſe nimirum hujuſmodi tam ſancta deſideria animo concipere ; quò meliùs ad eorum effectum perveniatur,interrogetur,an decreverit,paratusque ſit hujuſmodi injurias,illuſiones,& opprobria in Chri-

ſti

ſti inſignibus incluſa,& alia quævis, quæ ei inferrentur ſive per quemvis ex domo,vel Societate (in qua obedire,& humiliari, ac æternam beatitudinem conſequi exoptat) ſive extra eam per quemvis viventium,nulli malum pro malo,ſed bonum pro malo reddendo, admittere & patienter cum Dei gratia ferre.

Vt meliùs ad hunc perfectionis gradum in ſpirituali vita tam pretioſum perveniatur,ejus majus ac impenſius ſtudium ſit, *a* quærere in Domino majorem ſui abnegationem, & continuam in rebus omnibus, quoad poterit,mortificationem. Noſtrum autem erit in eiſdem juxta gratiam,quam Dominus nobis conferre ad ſuam majorem laudem ac gloriam dignabitur, eum juvare. 46

a Supra §. 28. & inf. c 6. §. 6. & p. 3. c. 1. §. 23. & 27.

De alio examine ad particularia aliquantò magis deſcendente, quod eruditis, & Coadjutoribus ſpiritualibus, & Scholaſticis convenit.

CAPVT V.

Quò meliùs intelligi atque cognoſci queant,quæ ad hujusmodi homines ſpectant,unusquisque eorum interrogetur,Ubi ſtuduerit,Quâ in facultate,Quibus auctoribus ac doctrinæ deditus,quantum temporis ſtudiis impenderit,Quantumque ſuo judicio profecerit,ac nominatim, Quàm ſit ei familiaris Latina lingua. 1

An an gradus Artium liberalium,vel Theologiæ, vel Juris Canonici, vel alterius cujusvis facultatis ſit promotus. 2

An *b* exiſtimet ſe memoria ad benè capiendum , & retinendum quod didicerit,eſſe præditum. 3

b P. 1 c. 2. §. 7.

An *c* ſibi videatur pollere intellectu,qui citò ac benè penetret ea, quibus ſtuduerit.

c P. 1. c. 2. §. 6.

An in ſe propenſionem naturalem,aut voluntariam ad ſtudia ſentiat.

An exiſtimet ſtudia ſanitati ſui corporis aliquid detrimenti attuliſſe. 4

An *d* vires ſibi corporales, & ſpirituales ſuppetere ſentiat ad labores, qui in Societate requiruntur,ferendos,ſive in ſtudiis,quamdiu illis vacat, ſive in vinea Domini,cum in ea laborandum eſt.

d P. 1. c. 2. §. 11.

5 Si Sacerdos fuerit, An ſe in audiendis confeſſionibus, vel in prædicatione, vel aliis miniſteriis ad proximum juvandum exercuerit.

6 Cùm ad hujusmodi officium ac miniſterium divini verbi ſeminandi, & ſpirituali proximorum auxilio attendendi, litterarum bonarum ſufficiens eruditio requiratur; & Scholaſticos etiam aliquod ſui profectus in litteris, quibus ſtuduerunt, ſpecimen præbere oporteat, omnes examinentur. *a* Quod fiet, ſi quisque lectionem unam in quavis facultate, cui operam dederit, prælegat; & poſteà exhortationem unam quisque (idque ante egreſſum à primâ probatione) faciat: & poſteà in ſecundam ingrediendo, ſi ei fuerit injunctum, ut inferiùs dicetur, hoc ipſum faciet.

a P. 1. c. 4. §. 5.

7 Præterea intelligat (ſi Sacerdos eſt, vel quandocumque promotus ad Sacerdotium fuerit) quòd confeſſiones nec Domi, nec foris audire, nec ulla Sacramenta miniſtrare ſine peculiari probatione, ædificatione, & facultate ſui Superioris per totum probationis tempus debet: ſed nec publicè Miſſam dicere debet, donec coram aliquo, vel pluribus domeſticis privatim eam dicat, & admoneatur, *b* ut in modo dicendi conveniat cum aliis de Societate inter quos agit, & ſe ad ædificationem eorum, qui illam ſunt audituri, componat.

b P. 4. c. 8. §. 2. & p. 8. c. 1. §. 8.

8 Ad majorem humilitatem & perfectionem eruditorum, Coadjutorum ſpiritualium & Scholaſticorum, ſi de eo qui in Societatem eſt ingreſſurus dubitatur, an idoneus ſit futurus, ut ad Profeſſionem, vel in Coadjutorem ſpiritualem, vel Scholaſticum ejus admittatur; cùm id tamquàm certiſſimum ſtatuatur, quòd multò melius & perfectius ſit, ut ipſe judicari & regi ſe à Societate ſinat; quandoquidem non minùs, quàm ipſe, quod exigitur, ut in eâ maneat, Societas intelliget; ipſi verò majori humilitati, & perfectioni tribuetur, majoremque dilectionem, ac fiduciam in his, à quibus eſt gubernandus, oſtendet; *c* interrogetur, an velit proprium ſenſum ac judicium Societati ſubmittere, vel ejus Superiori: ita ut acquieſcat ejus ſententiæ, ſive inter eos illum conſtituat, qui in Societate profeſſionem emittunt, & Chriſti Domini Noſtri Vicario obligantur; ſive inter Coadjutores, ſive inter Scholaſticos Societatis, in ſtudiis ulteriùs progrediendo. Interrogetur ulteriùs, ſi Superior vellet ſemper eumdem ſolùm ut Coadjutorem in rebus exterioribus Societatis curandis occupari, ac ſic in ſuæ animæ ſalutem incumbere; an paratus ſit in humilibus & infimis officiis ſe exercere, vitamque omnem in utilitatem & auxilium ejus exigere; ſibi perſuadendo, quòd dum ei inſervit,

c Supra c. 1. §. 7. & 11. & c. 4. §. 17. & inf. c. 8.

Crea-

Creatori ac Domino ſuo (pro cujus amore & debitâ reverentiâ omnia facit) inſervit.

De alio examine ad ſolos Coadjutores accommodato.

CAPUT VI.

Ad majorem rei notitiam declaretur unicuique ex hujuſmodi Coadjuto- 1
ribus latiùs, quod in initio attingebatur: *a* Quod ſcilicet in hanc Socie- *a* Sup. c. 1. §. 9.
tatem Coadjutores ſpirituales, & temporales admittuntur; *b* Spirituales qui- & p. 5. c. 2. §. 4. & c. 4. §. 1. 2. & 3.
dem, qui Sacerdotes ſunt, & litteris ſufficienter ornati, ut in rebus ſpiritualibus *b* P. 1. c. 2. §. 5.
Societatem juvent: *c* Temporales verò ad ſacros Ordines non promoti, *c* P. 1. c. 2. §. 2.
cum litteris, vel ſine illis, in rebus externis, quæ neceſſariæ ſunt, poſſunt juvare.

Priorum magis proprium eſt, Societatem in audiendis confeſſionibus, 2
in exhortationibus, in Doctrinâ Chriſtianâ, & aliis litteris edocendis juvare. His verò eædem gratiæ ad animarum auxilium communicari poſſunt, quæ Profeſſis ipſis ſolent.

Poſteriorum *d* magis eſt proprium (licet poſſint in rebus majoribus 3
pro talenti eis à Domino conceſſi ratione occupari) ut in miniſteriis omni- *d* Inf. c. 8. §. 2. & p. 1. c. 2. §. 2. &
bus inferioribus & humilioribus, quæ ipſis injungentur, ſe exerceant; per- p. 4. c. 6. B.
ſuaſi quòd Societatem juvando, *e* quò meliùs illa ſaluti animarum vacare *e* P. 1. c. 2. A.
poſſit, eidem omnium Domino ſervient: quandoquidem propter divinum ipſius amorem ac reverentiam id faciunt. Ideò prompti eſſe cum omni humilitate & charitate, quoad fieri poterit, debent ad officia, quæ eis credita fuerint, exactè obeunda. Quo fiet, ut non ſolùm mercedem ſuam integram habeant, ſed participes ſint omnium bonorum operum, quæ Deus per univerſam Societatem ad obſequium & laudem ſuam operari dignabitur; & omnium indulgentiarum & gratiarum, quæ Profeſſis ad ſuarum animarum bonum à Sede Apoſtolicâ conceſſæ fuerint.

Et *f* nihilominùs eniti debent in colloquiis ſpiritualibus, ad majorem 4
utilitatem ſpiritualem proximorum aliquid conferre, & quod noverint, do- *f* P. 7. c. 4. §. 8.
cere; & ad benè agendum, quoſcumque poterunt (quandoquidem unicuique Deus proximi ſui curam dedit) excitare.

5 Si quis inſtructus & examinatus fuerit, ut ſit futurus ſpiritualis Coadjutor, ſic vacare debet rebus ſpiritualibus, quæ cum ſuâ primâ vocatione propriè ſunt conjunctæ, *a* ut in poſterum, directè vel indirectè, per ſe vel alium, innovare aut mutationem aliquam à ſuâ vocatione in aliam, ſcilicet à gradu Coadjutoris ſpiritualis ad Profeſſi, vel Scholaſtici, vel Coadjutoris temporalis gradum, tentare non debeat: ſed cum omni humilitate, atque obedientiâ incedere ac progredi eadem viâ, quæ ipſi ab eo qui neſcit mutationem, & in quem illa non cadit, oſtenſa eſt.

a P. 5. c. 4. §. 5.

6 Eadem ratione ſi quis examinatus & inſtructus fuerit, ut ſit futurus Coadjutor temporalis; ſic ſe totum rebus, quæ cum ſuâ primâ vocatione propriè ſunt conjunctæ, addicat, ut *b* non curet ulla ratione à ſtatu Coadjutoris temporalis, in ſtatum Spiritualis, vel Scholaſtici, aut Profeſſi progredi: nec etiam (ſi in ſuo eodem maneat) plus litterarum addiſcere quàm ſciebat cùm eſt ingreſſus, curet: ſed perſeverare magnâ cum humilitate debet in omnibus Creatori ac Domino ſuo juxta primam ſuam vocationem inſerviendo, *c* ac ſollicitè in abnegationis ſui ipſius profectum, & verarum virtutum ſtudium incumbendo.

b P. 5. c. 4. §. 5.
c Supra c. 4. §. 46. & p. 3. c. 1. §. 27.

7 Interrogentur hujuſmodi, ut de re propriâ ſuæ vocationis, an *d* contenti, & quieti ſint futuri in obſequio Creatoris & Domini ſui in officiis ac miniſteriis abjectis & humilibus, ad auxilium Domus & Societatis pertinentibus, cujuſcumque rationis illa ſint, parati ad vitam omnem in eis exigendam, ſibi perſuadendo quòd eâ in re obſequium & laudem præſtant ſuo Creatori & Domino, dum omnia propter divinum ipſius amorem & reverentiam agunt.

d P. 1. c. 2. §. 2.

8 Omnes Coadjutores tam Spirituales, quàm temporales, *e* exacto biennio, quod experimentis & probationibus datur, & *f* uno adhuc anno, ſi Scholaſtici fuerint (ut priùs eſt declaratum) ſi velint in Societate manere, & ipſa, vel Superior ejus contentus fuerit, *g* oblationem ſuam trium Votorum facient (quæ publica, licet non ſolemnia ſint juxta litteras Apoſtolicas Iulii III.) Obedientiæ, Paupertatis, & Caſtitatis, ut initio diximus; & exinde Coadjutores Formati vel Spirituales, vel Temporales cenſendi ſunt; ita ut (A) ex *h* parte ipſorum ligati ad ſemper vivendum, & moriendum in Domino in hac Societate, ad divinæ Majeſtatis gloriam, majuſque meritum, & ſtabilitatem propriam maneant. Nihilominùs Societas, vel ejus Superior, qui commune bonum debet intueri, cùm eorum operâ ad majus Dei obſequi-

e Sup. c. 1. §. 12. & c. 4. §. 16. & p. 5. c. 1. §. 3.
f Sup. c. 1. §. 12. & c. 4. §. 16. & p. 5. c. 1. §. 3.
g Sup. c. 1. §. 9. & p. 5. c. 4. §. 1. 2. & 3. & A. & B.
h P. 5. c. 4. B.

ſequium ſe non juvari, ſed contrà potiùs accidere cerneret, eos dimittere, & à ſuâ Congregatione ſeparare poteſt: & *a* tunc illi omnino liberi, nulloque voto obſtricti remanent. *a* P. 2. c. 4. §. 3. & p. 5. c. 4. B.

IN CAP. VI.

(A) §. E*X parte ipſorum convenit eos ligari; quandoquidem eorum ſtabilitas quæritur. Nec eſt injuſtum (ut patet in litteris Apoſtolicis) ſi Societas libertatem ad eos dimittendos, quando non faciunt quod debent, retineat: quandoquidem illi, ſi id accideret, ſoluti manent; & alioqui facilius eſt aliquem ab eo, quod debet, deficere, quàm Societatem, vel ejus Præpoſitum Generalem: quorum tantùm erit poſſe dimittere; nec id ſine cauſis juſtiſſimis (ut in ſecundâ Parte Conſtitutionum videbitur) fieri debebit.*

De (A) alio examine, Scholaſticis accommodo, ac inprimis antequàm in Scholaſticos admittantur.

CAPUT VII.

EXPERIMENTIS & probationibus prædictis abſolutis, ſi Scholaſtici voluerint ſtudere in Collegiis, *b* vel Domibus Societatis, ut in eis in Domino ſuſtententur, ſi Societas, vel ejus Superior contentus etiam fuerit, antequàm ad ſtudia ſe conferant, vel dum in eisdem manebunt, ob ſuum majus meritum ac ſtabilitatem, *c* Vota ſimplicia Paupertatis, Caſtitatis, & Obedientiæ, ac promiſſionem, quòd ſtudiis abſolutis in Societatem ingredientur, Deo ac Domino noſtro facient. *d* Sic autem intelligendus eſt hujusmodi ingreſſus, ut profeſſionem vel Vota Coadjutorum formatorum (ſi Societas eos admittere volet) emittant, *e* & exinde Scholaſtici approbati Societatis cenſeantur. *f* Libera tamen manebit Societas, nec tenebitur ad eos admittendos ad profeſſionem, nec in Coadjutores formatos, ſi ſtudiorum tempore malè ſe gererent, adeò ut Superior Societatis exiſtimaret Deo gratum non fore, ſi in eam admitterentur: & *g* tunc ipſi etiam ſuis Votis ſoluti erunt. 1

b P. 3. c. 1. §. 27. & X.
c Supra c. 1. §. 10. & p. 5. c. 4 §. 4. & p. 4. c. 3. §. 3.
d Supra c. 1. §. 10. & p. 5. c. 1. A. & c. 4. E.
e Supra c. 1. §. 10. & p. 4. c. 3. §. 3.
f P. 5. c. 4. D.
g Inf. §. 2. & p. 2. c. 4. §. 3. & p. 5. c. 4. B.

IN CAP. VII.

(A) §. H*Oc & ſuperius Examen non ſolùm iis, qui tunc primùm ad ſtudia mittuntur, verùm etiam illis, qui in eis progrediuntur, cum ad Domos veniunt ut aliò mittantur, proponitur.*

2 Si quando ſtudiorum tempore, qui majorem ad ea propenſionem animi præ ſe tulerunt, quàm ad aliud in Societate miniſterium, oſtenderent ac certum indicium præberent, *a* unde Societas, vel ejus Superior in Domino ſentiat eos idoneos non eſſe, ut in litteris proficiant eò quòd ingenio vel ſanitate corporis deſtituantur, vel aliis defectibus laborent; interrogentur an patienter ſe dimitti à Societate, dum *b* ab omni Voto ac promiſſione liberi maneant, ſint laturi.

a P. 4. c. 6. §. 15. & N.

b Sup. §. 1.

3 Qui ad ſtudia litterarum idoneus invenietur, interrogetur, *c* an velit ſe duci ſinere circa ea, quibus ſtudere debeat, ac ſtudiorum modum & tempus, juxta quod Societati, vel ejus Præpoſito, aut Collegii, ubi daturus eſt litteris operam, Superiori videbitur.

c P. 4. c. 5. §. 2. & 3. & D. & c. 13. §. 4. & E.

4 An contentus futurus ſit eodem atque alii modo ibi agere, nulliſque privilegiis aut prærogativis minimum omnium, qui in Collegio fuerit, anteire, omnem ſui curam Superiori Collegii relinquendo.

5 *d* An ſtatuerit omnino apud ſe, ſtudiis abſolutis, ac probationibus peractis, Societatem ad vivendum in eâ & moriendum ingredi, ad majorem Dei gloriam.

d Sup. c. 3. §. 14.

6 Sic examinatus, & inſtructus ſe accingere incipiet, ut ad ſtudia ſe conferat, vel ea proſequatur; paratus interim in eiſdem ſtudiis aliis experimentis, & probationibus variis exerceri; *e* quibus ſi non fuerit propter cauſas aliquas legitimas, ac ſine aliquo bono præ oculis habito, antequàm ad ſtudia mittatur, perfunctus, eis confectis, omnia experimenta & probationes ſuperiùs declaratas ſubibit.

e Sup. c. 4. §. 9. & 16.

Pro Scholaſticis qui ſtudia jam abſolverunt.

7 SCHOLASTICI ſtudiis jam confectis, antequàm in Societatem, vel ejus Domos ingrediantur, ut in eadem ad omnimodam Obedientiam, ac communem vivendi in Domino modum admittantur; generatim interrogandi ſunt, an firmi in ſuâ deliberatione, & votis ac promiſſione Deo oblatis, antequàm ad ſtudia ſe conferrent, vel in eiſdem, ſi quidem admisſi primò fuerint in Collegiis, permaneant.

8 *f* Interrogentur etiam, & examinentur particulatim eiſdem interrogationibus, & examine, quo priusquàm ad ſtudia mitterentur, interrogati fuerunt; ut Superioribus memoria ac notitia eorum renovetur, ac meliùs pleniusque ſtabilitas, & conſtantia, vel etiam muta-

f P. 1. c. 4. § 7.

mutatio, ſi aliqua accidiſſet in rebus primò interrogatis & affirmatis, cognoſcatur.

De alio examine indifferentibus accommodo.

CAPVT VIII.

AD *a* majorem illius notitiam, qui ut indifferens examinandus eſt, ut omni ex parte cum majori cognitione & luce in Domino procedatur, 1
inſtruendus idem erit, & admonendus, quòd nullo tempore, nec ratione poteſt, nec debet A prætendere, nec tentare, directè nec indirectè, potiùs hunc, quàm illum gradum in Societate; nimirum non potiùs Profeſſi, vel Coadjutoris ſpiritualis, quàm Coadjutoris temporalis, vel Scholaſtici: quin potiùs perfectæ humilitati ac obedientiæ locum dando, omnem ſui ipſius curam, & ad quod officium, vel gradum ſit eligendus, ſuo Creatori & Domino, ac ejus nomine, & pro ipſius amore ac reverentiâ ipſimet Societati, vel ejus Superiori debet relinquere.

a Supra c.1.§.11.

IN CAP. VIII.

A §. CVm b *tamen aliquid conſtanter eis ſeſe offerret, quod ad majorem Dei gloriam fore judicarent; poſt* c *orationem ſimpliciter Superiori proponere poterunt, ipſius judicio omnino rem committentes, nihil amplius procurando.*

b P.5.c.4. F.& p.7.c.2.l.

c P.3.c.2. §.1.

2 Poſtquàm *d* ſic fuerit admonitus, interrogetur, an ſe omnino ſentiat indifferentem, quietum, & paratum ad inſerviendum Creatori ac Domino ſuo in quovis officio, vel miniſterio, quod ei Societas, vel ejus Superior commiſerit. Interrogetur etiam, ſi Societas, vel ejus Superior illum vellet vacantem quidem animæ ſuæ ſaluti ad officia tantùm inferiora & humilia ſemper applicare, *e* an ſe paratum ſentiat ad vitam omnem in hujuſmodi officiis inferioribus & humilioribus, in auxilium ac miniſterium Societatis, exigendam; exiſtimando, quòd ea in re obſequium & laudem præſtat Creatori ſuo ac Domino, dum omnia ob ipſius amorem & reverentiam agit.

d Sup.c.1.§.7. & 11.& c.4.§.17. & c.5.§.8.

e Sup.c.6. §.3.

Cùm omnino ei placuerint omnia in Domino, quæ dicta ſunt; inſtrui poterit & examinari de reliquis, juxta aliquod examen ex prædictis, vel omnia illa, prout magis convenire videbitur; ut utrique parti in omnibus ſatisfiat, ac majori cum claritate procedatur: quandoquidem omnia inſtituta & ordinata ſunt ad majus obſequium & laudem Dei & Domini Noſtri.

FINIS.

LAVS DEO.

CONSTITVTIONES CVM DECLARATIONIBVS.

PROOEMIVM CONSTITVTIONVM.

1 *a* P. 10 §. 1. & 12. QVAMVIS ſumma Sapientia & Bonitas Dei Creatoris Noſtri ac Domini ſit, quæ *a* conſervatura eſt, gubernatura, atque promotura in ſuo ſancto ſervitio hanc minimam Societatem IESV, ut eam dignata eſt inchoare; ex parte verò noſtrâ, interna charitatis & amoris illius lex, quam ſanctus Spiritus ſcribere, & in cordibus imprimere ſolet, potiùs quàm ullæ externæ Conſtitutiones, ad id adjutura ſit; quia tamen ſuavis diſpoſitio divinæ providentiæ ſuarum creaturarum cooperationem exigit, & quia Chriſti Domini Noſtri Vicarius ita ſtatuit, & Sanctorum exempla, & ratio ipſa nos ita docet in Domino; neceſſarium eſſe arbitramur Conſtitutiones conſcribi, quæ juvent ad meliùs in viâ inceptâ divini obſequii procedendum, juxta Inſtituti noſtri rationem.

PROOEMIVM
IN DECLARATIONES, ET ANNOTATIONES CONSTITVTIONVM.

CVm a Conſtitutionum hic finis ſit, ut univerſum corpus Societatis, & particularia ejus membra ad ſui conſervationem & incrementum, ad gloriam Dei, & univerſalis Eccleſiæ bonum juventur; præterquam quòd omnes & ſingulæ earum per ſe ipſas ad finem dictum accommodatæ ſunt, tria alia in eis expeti poſſunt. a P.9 c.3. §.8.

Primùm, ut plenæ ſint; quò omnibus quæ incidere poſſint, quantum fieri poteſt, provideatur.

Alterum, ut perſpicuæ ſint; quò minor ſcrupulis detur occaſio.

Tertium, ut breves ſint, quantum plenitudinis ac perſpicuitatis ratio patitur; ut memoriâ retineri poſſint.

Quò tria hæc meliùs obſerventur, præter Conſtitutiones univerſaliores & breviores, quæ, ut obſerventur à noſtris, & oſtendantur cùm oportebit externis, erunt magis ad uſum accommodatæ; viſum nobis eſt in Domino has Declarationes, & Annotationes eſſe adjiciendas: quæ b cùm non minoris ſint auctoritatis, b P.6.c.1. A; *quàm reliquæ Conſtitutiones, magis deſcendendo ad particularia, eos qui reliquis præſunt, de rebus quibusdam poſſint edocere, quas brevitas & univerſalitas aliarum minùs dilucidas reddebat. Sed præter utraſque, quæ ad res immutabiles pertinent, & univerſaliter obſervari debent, aliæ c quædam Ordinationes erunt* c P.4.c.7 §.2.& C.& c.10.§ 6.& p.7.c.4 §.12.& p.9.c 6.I. *neceſſariæ, quæ diverſis temporibus, locis, & perſonis in diverſis Domibus, Collegiis, & officiis Societatis (d uniformitate tamen quoad ejus fieri poterit in omnibus retentâ) poſſint accommodari. De hujuſmodi Ordinationibus, vel Regulis hîc* d P.8.c.1.§.8. & p.10.§ 9. *non agetur; ſed id ſolùm admonebimus, quòd ab unoquoque qui ibi fuerit, ubi hæ obſerventur, juxta voluntatem Superioris qui ei præfuerit, ſunt obſervandæ.*

Vt redeamus ergo ad id, quod agitur hoc loco, harum Declarationum ordo hic erit, ut Conſtitutionibus reſpondeant. Itaque Pars Parti, Caput Capiti, cùm declarandum aliquid fuerit, reddetur: quod in textu Conſtitutionum littera quædam indicabit, cui alia ſimilis in Declarationibus reſpondebit, & ſic ordinatè procedetur, ejus favore aſpirante, qui ordinis totius principium eſt, utpote perfectiſſima & infinita Sapientia.

Quamvis primum illud ſit, & maximi momenti in noſtrâ intentione, quod ad corpus univerſæ Societatis ſpectat, cujus unio, & bonum regimen,

 & con-

& conſervatio in ſuo bono ſtatu ad majorem Dei gloriam in primis quæritur; quia tamen corpus hoc ex ſuis membris conſtat,& in ipsâ executione primo loco occurrit,quod ad ſingulos ſpectat, tam in ipſis admittendis, quam in promovendis, ac deinde per vineam Chriſti Domini Noſtri dividendis; A hinc exordium ſumetur, eo favore, quem lux æterna nobis ad honorem & laudem ſuam conferre dignabitur.

DECLARATIONES IN CONSTITVTIONES. IN PROOEMIVM.

A §. Congruus eſſe ſolet procedendi modus ab imperfectioribus ad perfectiora, præcipuè in iis, quæ pertinent ad praxim; cum id primum in executione occurrat, quòd eſt in conſideratione poſtremum (nam hæc à fine ad media deſcendit) & ſic in decem præcipuis partibus,ad quas reducuntur omnes Conſtitutiones, procedetur.

Prima de iis admittendis ad Probationem agit, qui noſtrum ſequi Inſtitutum expctunt.

Secunda de iis dimittendis, qui ad illud non eſſe idonei videbuntur.

Tertia de iis, qui retinebuntur, conſervandis, & in ſpiritu ac virtute promovendis.

Quarta de iis inſtituendis in litteris, & aliis mediis proximos juvandi,qui in ſpiritu & virtute in ſeipſis profecerint.

Quinta de cooptandis in corpus Societatis iis, qui ſic fuerint inſtituti.

Sexta de iis, quæ in ſeipſis obſervare debent, qui in hoc corpus jam cooptati ſunt.

Septima de iis, quæ obſervanda ſunt erga proximos, diſtribuendo ſcilicet Operarios, & eos in Chriſti Domini Noſtri vineâ occupando.

Octava de iis, quæ faciunt ad mutuam, & cum ſuo capite unionem eorum qui diſtributi ſunt.

Nona de iis, quæ ad caput pertinent, & ad gubernationem, quæ ab eo ad corpus deſcendit.

Decima de iis, quæ univerſaliter ad conſervationem, & augmentum totius corporis hujus Societatis in bono ſuo ſtatu pertinent.

Hic eſt ordo in Conſtitutionibus, & Declarationibus tenendus, finem illum intuendo gloriæ & laudis Dei Creatoris ac Domini Noſtri, quem nobis præfiximus.

PRIMA PARS CONSTITVTIONVM.

De Admiſſione ad Probationem.

De eo, qui admittendi facultatem habet.

CAPVT I.

FACVLTAS *a* admittendi ad Probationem, quorum & quanta ſit, judicio Præpoſiti Generalis relinquatur, qui in eâ communicandâ conſiderabit, quid ad majus ſervitium Dei ac Domini Noſtri conveniat. 1

a Inf. B. & c. 2. C. & c. 3. H. & p. 9. c. 3 §. 1.

Quando aliquis, qui idoneus videatur ad noſtrum Inſtitutum ſequendum, ad eum accederet, qui hujuſmodi admittendi poteſtatem non habet; A mittere eum poterit ad illum, penes quem ea ſit, vel ſcribere ei, ſignificando qualis ille ſit, & quibus præditus Dei donis qui admitti petit; & exequatur quod ei in Domino præſcriptum fuerit: ſi quidem ille B in abſentiâ id præſcribendi facultatem habebit. 2

IN CAP. I.

De eo qui admittit.

A §. *SI commodè non poſſit aliquis hujuſmodi ad Societatis Inſtitutum idoneus, ad eum mitti, qui poteſtatem habet admittendi; interim dum ille admonetur, licebit cuique (ſi id neceſſarium eſſe, aut valdè convenire judicabitur) eum tamquàm hoſpitem penes ſe retinere; donec reſponſum ab eo, ad quem relatum eſt de eo negotio, accipiat: & tunc juxta ordinem ſibi præſcriptum procedet.*

B §. *Qui ordinariè admittere poterunt in abſentiâ, ſunt Præpoſiti Provinciales: extraordinariè verò quivis Commiſſarius Præpoſiti Generalis,*

vel ejuſdem Provincialis. At Rectoribus Collegiorum, & Præpoſitis Domorum magis conſuetum erit committere, ut quos idoneos judicabunt, Domi ſuæ, aut in Collegio poſſint admittere cùm præſentes fuerint.

3 *a* Quia refert plurimùm ad divinum ſervitium, convenientem haberi delectum eorum qui admittuntur, & *b* diligentiam adhiberi, ut intelligatur quæ eorum ſint dotes & vocatio; qui talem admittendi facultatem habet, ſi per ſeipſum id ipſe non præſtet, habeat in iis qui aſſiduè apud ſe agunt, *c* aliquem, cujus operâ utatur ad cognoſcendum eos, qui ingrediuntur, ad agendum cum illis, eosque examinandum: qui quidem prudentiâ præditus ſit, & non ignoret agendi modum, qui cum tam variis generibus & conditionibus perſonarum eſt tenendus: ut majori cum intelligentiâ, & *d* utriusque partis ſatisfactione negotium ad Dei gloriam tranſigatur.

a Parte 4. Procem. A. & p. 10. §. 7.
b Inf. c. 4. §. 1. & D & Exa. c. 1. §. 13.
c Exa. c. 1. A.
d Infra c. 4. §. 1. & Exam. c. 1 §. 13.

4 Tam ille penes quem eſt facultas admittendi, quàm is cujus operâ ille utitur, habeat oportet cognitionem rerum Societatis, ac zelum boni progreſſùs ipſius; ut nullâ ratione dimoveri ab eo poſſit, quod in Domino convenientius ad divinum ſervitium in hac Societate judicaverit: quod ut conſequatur, C moderatus admodùm ſit oportet in admittendi deſiderio. & *e* ut liberior ſit ab omni minùs ordinato affectu, ubi vitii hujusmodi occaſio eſſe poſſet (ut cùm conſanguineis & amicis) ille, in quo aliquid periculi hujusmodi timeretur, examinandi officio non fungatur.

e Inf. c. 3. §. 16.

C §. *Vt par eſt ſollicitè cooperari motioni & vocationi divinæ, curando ut augeatur in Societate numerus Operariorum vineæ Chriſti Domini Noſtri; ita diligenter conſiderari oportet, ne quis admittatur, niſi qui donis illis Dei præditus ſit, quæ hoc Inſtitutum ad ipſius gloriam exigit.*

5 Quicumque autem eo fungetur, D in ſcriptis habeat quæ ad tale officium pertinent; quò meliùs & certiùs id poſſit præſtare, quod in hac parte ad divinum ſervitium quæritur.

D §. *Vbicumque admittendi facultas fuerit, liber completus Examinis ſit oportet, & quidem in iis linguis, quæ ferè ſolent eſſe neceſſaria. Hujusmodi ſunt vernacula loci illius, ubi agitur, & Latina.* f *Illud autem Examen ei proponi debet, qui admitti cupit, antequàm Domum ad communem cum aliis convictum ingrediatur.*

f Inf. c. 4. §. 5. & E. & Exa. c. 1. A. & c. 4. §. 41.

a *Et*

a *Et quidem impedimenta, quæ neceſſariò excludunt, etiam antequàm ad primam Probationem admittantur, proponi debent.* a Inf.c 4.D. & Exam.c.1. A.

Erit etiam ſcriptum alterum Examen, quod contineat ea, quæ ſexto quoque menſe per biennium Probationis proponi debent: aliud item perbreve, quo illi utentur, qui cum iis, qui ingredi volunt, colloquuntur; ut utrimque id quod expedit intelligatur, antequàm ad primam Probationem quis admittatur. Iidem officium etiam Examinatoris ſcriptum habere debent, & quod in eo continetur, exequi curent.

De admittendis in Societatem.

CAPVT II.

IN univerſum loquendo de iis, qui admittendi ſunt, quò pluribus Dei donis naturalibus & infuſis præditi ad promovendum juxta Societatis Inſtitutum, divinum ſervitium; & quò certioribus experimentis perſpecti fuerint, eò magis idonei erunt, ut in eam admittantur. 1

Vt *b* particulatim de his loquamur, qui in Coadjutores admittuntur ad res temporales vel exteriores curandas (*c* qui plures eſſe non debent, quàm qui neceſſarii ſint ad ſublevandum Societatem in iis rebus, in quibus A occupari alii non poſſunt ſine detrimento majoris boni) eſſe eos oportet, quod ad animam ſpectat, bonæ conſcientiæ, quietos, tractabiles, amatores virtutis ac perfectionis, propenſos ad devotionem, qui domeſticis & externis ædificationi ſint, B *d* qui ſorte Marthæ in Societate contenti, & ad ejus Inſtitutum benè affecti, eam juvare ad Dei gloriam exoptent. 2

b Exa.c.6. §.1. & 7.
c P.3.c.2.§.7. & P.4.c.3.§.2.
d Exa.c.1. §.9.& c.6.§.7.

DECLARATIO.

IN CAP. II.

a P.4.c.10.H. *A* §. a HVjuſmodi ferè ſunt magnis in Domibus Coqui & Diſpenſatoris occupationes, Emptoris, Ianitoris, Præfecti Infirmorum, Lotoris, Præfecti horti, eleemoſynarum Curatoris (ubi ex eleemoſynis vivitur) atque id genus aliæ eſſe poſſent. Quia tamen pro majori aut minori numero hominum, qui in Domibus vel Collegiis verſantur, pro majori etiam vel minore diſtractione in hujuſmodi exercitiis, magis vel minùs neceſſe eſſet hujuſmodi Officiales ad hæc officia omnino deputari; eorum prudentiæ, qui reliquis præſunt, id committitur: modò hanc curam ſibi impoſitam ſciant, ut finis meminerint, qui ad hujuſmodi homines in Societatem admittendos movet: is eſt neceſſitas, b ut alii, qui in vineâ Chriſti Domini Noſtri laborant, vel litteris dant operam, ut poſtmodùm in eâ laborent, ſubleventur, quò ſe in rebus ad majus Dei ac Domini Noſtri obſequium pertinentibus exerceant.*

b Exa.c.6 §.4. & p.4 c.6.B.

B. §. Qui ſic diſpoſitus cerneretur, ut videretur diu in externis miniſteriis non eſſe conquieturus, eò quòd ad ſtudia, vel ad Sacerdotium affectus cognoſceretur, non eſſet in Coadjutorem temporalem admittendus; niſi aptus ad progreſſum in litteris faciendum, quantum opus eſſet, videretur.

3 Quod ad externa attinet, honeſtâ ſpecie, ſanitate, ætate, & viribus ad labores corporis qui in Societate ſe offerunt, ſufferendos præditi eſſe deberent; & qui habere, vel certè habituri eſſe aliquando talentum aliquod ad eam juvandam viderentur.

4 c Admittere homines difficili admodùm ingenio, vel inutiles Congregationi, licet ipſiſmet non inutile foret admitti; conſiderantes tamen Inſtituti noſtri finem, ac procedendi modum, perſuademus nobis in Domino ad ipſius majus ſervitium & laudem non expedire.

c Inf.c.3.§ 14. & p.1.c.2.§.4.

5 Qui ad hoc admitterentur, ut in rebus ſpiritualibus Societatem juvarent, conſiderando quid hujuſmodi miniſterium requirat, ut animæ proximorum juventur, ſequentibus donis Dei ornari deberent.

6 Quòd *d* ad intellectum attinet, doctrinâ ſanâ, vel aptitudine ad eam addiſcendam, & in rebus agendis diſcretione, vel certè indole boni judicii ad eam acquirendam.

d Inf.c.3.§.13.& Exa.c.5.§.3.

Quod

Quod *a* ad memoriam, aptitudine ad percipiendum, & fideliter percepta retinendum. 7 *a Exa.c.5.§.3.*

Quod ad voluntatem, ut univerſæ virtutis & perfectionis ſpiritualis 8
ſtudioſi ſint; quieti, conſtantes, ſtrenui in iis, quæ ad divinum ſervitium aggrediuntur; quique zelum habeant ſalutis animarum, & eâ de causâ ad noſtrum Inſtitutum (*b* quod ad illas juvandas & diſponendas ad ultimi ſui finis de manu Dei Creatoris Noſtri ac Domini conſecutionem rectà tendit) ſint affecti. *b Exam.c.1.§.2.*

c In exterioribus exoptanda eſt ſermonis gratia, ad agendum cum proximis pernecesſaria. 9 *c P.7.c.2.F.*

Species honeſta, quæ ædificationi eſſe ſolet iis, quibuscum agitur. 10

Bona *d* valetudo, ac vires, quibus ferre poſſint Inſtituti noſtri labores. 11 *d Exa c.5.§.4. & p.2.c.2.§.4.*

Ætas, quæ ad ea, quæ dicta ſunt, conveniat: quæ *e* quidem, ut admittantur ad Probationem, excedere debet decimum quartum annum; ut ad Profeſſionem verò, vigeſimum quintum. 12 *e Inf.c.3.K.*

Dona externa nobilitatis, divitiarum, bonæ famæ, & ſimilia, ut non 13
ſatis ſunt, ſi deſint alia, ita cùm alia ſuppetent, hæc non erunt neceſſaria: quatenus tamen ad ædificationem faciunt, reddunt magis idoneos ut admittantur, qui ſine ipſis alioqui eſſent idonei propter dotes alias prædictas, in quibus quò magis præcelluerit qui admitti cupit, eò magis erit ad hanc Societatem aptus ad Domini Dei Noſtri gloriam; (C) quò verò minùs excelluerit, eò minùs erit idoneus. Quæ tamen menſura omnibus in rebus teneri debeat, unctio ſancta divinæ Sapientiæ eos docebit, qui id curæ ad ejus obſequium ac laudem uberiorem ſuſceperunt.

(C) §. f *Quamvis aliquis undecumque idoneus ad Societatem omnibus his præditus eſſe debeat; ſi tamen in aliquo quid eorum deſideraretur, verbi gratia, vires corporis, vel ætas ad Profeſſionem, vel quid ſimile, & in Domino judicaretur aliis Dei donis, quod eâ ex parte deeſt, compenſari; omnibusque perpenſis ad Dei obſequium fore, & ad Societatis propoſitum finem convenire, ut admitteretur;* g *diſpenſare cum eo Præpoſitus Generalis poterit, vel etiam alii, quatenus eis communicata ab ipſo facultas ſe extendet.* *f Inf.c.3.H.&I.* *g Inf.c.3.H.&K.*

De iis, quæ impediunt ne quis in Societatem admittatur.

CAPVT III.

1 QVAMVIS charitas & zelus animarum, in quo ſe Societas hæc exercet juxta Inſtituti ſui finem, omnia hominum genera complectatur, ut eorum ſerviat ſpirituali utilitati, ac ad beatitudinem conſequendam in Domino juvet; ut tamen in Societatis ipſius corpus admittat, amplecti non debet, ut dictum eſt, niſi quos judicabit ad Propoſitum Societati finem utiles fore.

2 *a* Ex impedimentis ad admiſſionem, nonnulla eos qui vellent ingredi, omnino excludunt: quia rationes efficaces nos ad id in Domino movent. Ea verò hujusmodi ſunt.

a Inf. G. & Exa. c. 2. §. 6. & p. 2. c. 2. B.

3 Aliquando *b* à gremio ſanctæ Eccleſiæ abſceſſiſſe, Fidem abnegando inter infideles, vel incidendo in errores contra eam, in quibus (A) reprobatus fuerit per publicam ſententiam; vel ſe (B) more Schiſmaticorum ab Eccleſiæ unitate ſejunxiſſe.

b Exa. c. 2. §. 1. & B.

DECLARATIO.

IN CAP. III.

(A) §. QVamvis per publicam ſententiam quis condemnatus non fuerit; ſi tamen error ejus publicus extitiſſet, ac vehementer ſuſpectus eſſet, & quòd in judicio conveniri poſſet, timeretur, admitti non debet. Verùm hoc judicium Præpoſito Generali relinquetur.

(B) §. Quod ad Schiſma attinet, qui in terris Schiſmaticorum naſceretur, ita ut Schiſma generale peccatum eſſet patriæ, & non ſolùm particulare ipſius, non eſſet hic talem ob cauſam inter eos numerandus, qui à Societate excluduntur; (& tantumdem dictum ſit de iis, qui in terris hæreticorum naſcerentur) ſed ille potiùs excludi intelligatur, qui eſſet infamis excommunicatus, contemptâ auctoritate & providentiâ noſtræ ſanctæ Matris Eccleſiæ, ita ut hæreſis, vel ſchiſma peccatum ſit particulare perſonæ, & non generale nationis aut patriæ.

4 (C) Perpetraſſe *c* homicidium, vel (D) eſſe *d* propter enormia peccata infamem.

c Exa. c. 2. §. 2.
d Ibid. & C.
e Exam. c. 2. §. 2.

(C) §. Quod e ad homicidii impedimentum attinet, nulla (ut nec in aliis) decla-

declaratio adhibetur. Num autem ſit homicidium, necne, ſi dubitaretur, diſcernant Præpoſiti Generales; nec ſe faciles in hujuſmodi dubiis exhibeant. Qui cum deliberatione homicidium perpetrari juſſiſſet, ſi effectus eſt conſecutus, quamvis manu ſuâ non occiderit, inter homicidas erit exiſtimandus.

(D) §. a *Infamia propter enormia peccata ibi impedimentum eſſe intelligitur, ubi qui ſic peccavit, infamiam contraxiſſet. Si procul eſſet ab eo loco, tamque seriò reſipuiſſet, ut de eo nihil timendum videretur, poſſet in Domino admitti. Qualia verò ſint, vel non ſint hujuſmodi enormia peccata, judicet Præpoſitus Generalis.* a Exa.c.2.C.

(E) Aſſumpſiſſe *b* Religionis habitum, vel eremitam cum veſtitu monachali fuiſſe. 5 *b* Exa.c.2.§.3.

(E) §. *Non ſolùm ſi Profeſſionem emiſiſſet, ſed ſi vel unum diem habitum Religionis geſtaſſet, admitti propter rationes in Examine dictas non poteſt. Intelligendum eſt autem, quòd habitum eo animo ut ſit religioſus, non propter aliam cauſam, quæ poſſet accidere, induiſſet.*

(F) Matrimonii *c* vinculo, vel ſervitutis legitimæ ligatum eſſe. 6

(F) §. *Quando hoc vinculum ſolutum eſſet, quòd à Domino, vel à conjuge facultas concederetur, obſervatis aliis circumſtantiis, quæ juxta ſanam doctrinam, & uſum ſanctæ Eccleſiæ ſolent obſervari, impedimentum eſſe deſinet.* c Exa.c.2.§.4.& c.3.C.& p.2.c.2.§.5.

(G) Capitis *d* infirmitatem pati, unde accidat obſcurari, & parum ſanum eſſe judicium; vel ſi notabilem habeat ad illud diſpoſitionem, ut in Examine fuſiùs tractatur. 7 *d* Exam.c.2.§.5.

(G) §. e *In omnibus his impedimentis expedit, ut nec Generalis Præpoſitus, nec Societas univerſa diſpenſare poſſit: quando quidem in univerſum ita Societati convenit, ut in hujuſmodi non diſpenſetur.* f *Sed ſi cerneretur aliquod ex his impedimentis in homine, qui talibus Dei donis ornatus eſſet, ut pro certo haberetur, Societatem ad Dei & Domini Noſtri obſequium ejus operâ admodum juvari poſſe, ſi ille ſummo Pontifici, vel ejus Nuntio, vel ſummo Pœnitentiario ſupplicaret ſibi concedi, ut in Societatem non obſtantibus Conſtitutionibus admitti poſſet, Præpoſito ejus Generali non repugnante; poſſet idem Præpoſitus conſenſum ad eum admittendum præſtare: dum tamen oſtium non multis, imò nulli, qui raris (ut dictum eſt) dotibus non ſit præditus, aperiatur.* e Sup.§.2.& Exa.c.2.§.6.& p.2.c.2.B.& p.4.c.3.§.2. f Exa.c.2.D.

Cetera *g* impedimenta quamvis ſingula (H) à Societate non excludant, reddunt tamen minùs idoneum eum qui admitti exoptat; & poſſet tanti momenti eſſe defectus, ut è ſervitio Dei non eſſet futurum, cum eo quemquam admitti. 8 *g* Inf.§.16.

(H) §. Quodvis ex his ſecundariis impedimentis ex ſe ſatis eſſe poſſet, ne quis admitteretur.

a Inf. l. & ſup. c. 2. C.
b Sup. c. 2. C.

a *Sed quia accidere poſſet, aliquem hujuſmodi defectum aliis præclaris Dei donis compenſari, ac in Domino tolerandum eſſe judicaretur;* b *id diſcernendum prudentiæ ejus, qui admittendi facultatem habet, relinquitur. Et ejuſdem erit in hujuſmodi caſibus diſpenſare, habitâ nihilominùs ratione judicii Superioris, ad quem referendum erit quidquid difficultatem ingereret, & quod ſtatuerit, faciendum eſt.*

9 Impedimenta autem hæc ſecundaria, de quibus modò eſt ſermo, hujuſmodi ſunt. Quod ad interiora attinet, paſſiones vel affectus, qui domari non poſſe videantur; vel peccatorum habitus, de quibus non magna emendatio ſperetur.

10 Intentio minus recta, quàm par eſſet ad Religionis ingreſſum, ut quæ cum humano aliquo fine ſit admixta.

11 Inconſtantia, vel remiſſio animi notabilis, ex quâ qui de ingreſſu agit, parum utilis futurus credatur ad Societatis munera obeunda.

12 Indiſcretæ devotiones, quæ in cauſa eſſe ſolent, ut aliquis in illuſiones, & non exigui momenti errores incidat.

c Sup c. 2. §. 6. & 7. & par. 4 procе. A.

13 *c* Litterarum ignorantia, vel ingenii, aut memoriæ ad eas addiſcendas, vel linguæ ad explicandum defectus, in illis qui præſeferunt intentionem, vel deſiderium ulteriùs progrediendi, quàm ſolent Coadjutores temporales.

d Sup. c. 2. §. 4. & p. 2. c. 2. §. 4.

14 *d* Iudicii defectus, vel notabilis in proprio ſenſu obduratio: quæ omnibus Congregationibus multum ſolet faceſſere negotii.

e Exa. c. 3. §. 8.

15 *e* In exteriori homine, defectus in integritate corporis, morbus, debilitas, vel (I) notabilis deformitas.

Supra H. & c. 2. C.

(I) §. Animadvertendum eſt eos, qui deformitates, vel defectus inſignes habent, ut gibbos, vel alia quæpiam monſtruoſa, ſive ſic nati fuerint, ſive ex aliquâ externâ causâ, ut percuſſione & ſimilibus id acciderit, ad Societatem noſtram non eſſe idoneos; partim quòd res hujuſmodi ad Sacerdotium obſtare ſolent, partim quòd ad proximorum ædificationem, quibuſcum ex Inſtituti noſtri ratione verſamur, minimè juvant; niſi ut ſuperiùs f *dictum eſt, aliis eximiis virtutibus ac donis Dei compenſarentur, cum quibus hujuſmodi defectus corporis potiùs ad augmentum, quàm ad diminutionem ædificationis facturi viderentur.*

(K) Ætas

(K) Ætas valdè tenera, vel plus ſatis provecta.

(K) a §. *Quod ad ætatem attinet* 14 *annis minorem, ut quis ad Probationem, aut* 25, *ut ad Profeſſionem admittatur, ſi in quibusdam peculiaribus de cauſis antevertendum eſſe id tempus ad finem majoris divini ſervitii nobis præfixum videretur,* b *penes Præpoſitum Generalem facultas erit prudenter ac circumſpectè diſpenſandi: & idem, cùm provectior ætas fuerit, conſiderabit, an expediat, necne, ad univerſale bonum hujusmodi defectum tolerari.* a Sup.c.2. §.12. b Sup.c.2.C.& p. 9.c.3.§.8.

(L) Æs c alienum, vel civiles obligationes. c Exam.c.3. §.6. & p.2.c.2.§.5.

(L) §. *De ære alieno diligenter conſideretur, ne inde offendiculi vel perturbationis occaſio oriatur; præſertim in obligationibus civilibus, de quibus jura diſponunt; præter rationem quæ habenda eſt ædificationis.*

Quò d hujusmodi defectibus quis magis eſt obnoxius, eò minùs eſt idoneus, ut Deo Domino noſtro in hac Societate ad animarum auxilium ſerviat: e & qui facultatem habet admittendi, videat, ne charitatis particularis affectus univerſali noceat, quæ ut magis ad gloriam & honorem Chriſti Domini Noſtri facit, ita ſemper præferri debet. 16 d Sup.c.1. e Sup.c.1.§.4.

De modo admittendi.

CAPVT IV.

QVIA nobis in Domino valdè perſuademus, ad hoc ut divina & ſumma Majeſtas miniſterio hujus minimæ Societatis uti dignetur, multum referre, ut qui ad eam admittuntur, non ſolùm diu probentur antequàm in ejus corpus cooptentur, verùm etiam f ut valdè noti ſint, antequàm ad Probationem eam admittantur, quæ fit in communi convictu cum domeſticis; expedit (A) g habitationem aliquam noſtræ communi conjunctam deſignari, ubi qui ad Probationem admittuntur, hoſpitum more duodecim dies, vel usque ad viginti, & amplius, prout Superiori videbitur, diverſentur; ut id temporis de iis, quæ pertinent ad Societatem, h illi certiores reddantur, & Societas eosdem pleniùs in Domino Noſtro cognoſcat. 1 f Inf.§.3.& ſup. c.1.§.3. g Exa.c.1.§.13. & H. h Exa.c.1. §.13.

DECLARATIO

IN CAP. IV.

(A)§ *CVm Domus primæ Probationis diſtincta & conjuncta noſtræ habitationi eſſe non poſſet; curandum eſt, ut in noſtris Domibus aliqua habitatio ſeparata ad id deſignetur; ut qui admittuntur, minorem habeant occaſionem converſandi cum aliis, qui non fuerint à Superiore deputati.*

In hanc Domum, quæ primæ Probationis dicitur, faciliùs admitti poſſunt, qui id optant; ſi clarè ad Dei & Domini noſtri IESV Chriſti obſequi-
2 um idonei in hac Societate eſſe viderentur: & contra, qui clarè non eſſe tales cernerentur, *a* conſilio (& ſi quid aliud charitas ſuggerit) adjuti, ut alibi Deo ac Domino Noſtro ſervire curent, ſtatim dimitti poterunt.

a Exa.c.2.§.7.

3 Quòd ſi res non eſſet Societati tam clara quàm oporteret, poſtquàm qui admitti cupit, voluntatem ſuam propoſuerit, *b* & de primis impedimentis decenter interrogatus fuerit, & ſummam noſtri Inſtituti, probationesque ac difficultates, quæ in eo ſunt, intellexerit, quamvis efficaciter deſiderare videatur in Societatem admitti, *c* ut in eâ vivat & moriatur (B) (quod quidem ſi deeſſet, ut plurimùm nemo ad primam Probationem admitti deberet) (C) reſponſum tamen ac ſententia ultima aliquamdiu differatur, ut eo tempore res meliùs conſiderari, & Deo commendari poſſit, ac (D) diligentia conveniens adhiberi, ut *d* magis cognoſcatur, & ut de ejus conſtantiâ periculum fiat. Quantum autem differri oporteat, & quæ diligentia ſit adhibenda, prudenti conſiderationi illius, qui admittendi facultatem habet, relinquendum eſt, qui ſemper majus Dei obſequium ſpectabit.

b Sup.c.3.§.3 uſque ad 7.& Exam c.2.§.1.uſque ad 5.
c Exa.c.3.c.14. & p.5.c.1.A.
d Sup.§.1. & c.1. §.3.

(B) §. *Si aliquis ob cauſas rationi conſonas in Domum reciperetur, qui nondum obſequio divino in hac Societate ſe dedicare omnino ſtatuiſſet, perinde ut hoſpes, & non ad primam vel ſecundam Probationem admittetur. Sed eâ in re ultrà triduum, qui aliis præeſt, non facilem ſe exhibeat, nec ſine facultate Præpoſiti Generalis, vel certè Provincialis id faciet: & difficiliùs, ubi Novitii fuerint, quàm ubi non fuerint, ea facultas concedi poterit.*

(C) §. *Vt reſponſum & deliberatio ultima aliquamdiu differatur, & diligentia ad id, ut perſpectior ille ſit, adhibeatur, in univerſum quidem obſervari debet. Aliquando tamen peculiares ob cauſas (ut ſi quis videretur raris dotibus ornatus, & in periculo verſari, ne per dilationem à propoſito ſuo dimove-*

moveri vel certè valdè ſolicitari poſſet) compendio majori quâ convenit diligentiâ adhibitâ, in Domum primæ Probationis eſſet admittendus; vel poſt examinationem ad alia Societatis loca transmittendus.

(D) §. Diligentia ad eos, qui ingredi volunt, magis cognoſcendos adhibenda hæc eſt, ut compendio quodam Examinis, an aliquo a *ex primis impedimentis, vel etiam ex ſecundariis, quæ tertio capite attinguntur (cujusmodi eſt bonæ valetudinis, vel integritatis corporis defectus, obligationes civiles, vel æs alienum) teneantur, intelligatur.* a Sup.c.1.D. & Exa.c.1.A.

b *Conferet etiam, ut præter Examinatorem aliqui ex iis, quos Superior deſignaverit, agant ac verſentur cum eo, qui recipiendus ſit: & intellecto etiam ejus nomine, & eorum quibus cognitus eſt, extra domum inquiri poterit, cujusmodi homo ille ſit, ſi Domi nulli fuerit ſatis notus.* b Sup.c.1.D.

Iuvabit etiam ad hoc ipſum, ſi frequenter ad confesſionis Sacramentum in Eccleſiâ noſtrâ aliquamdiu acceſſerit, antequàm Domum ingrediatur. Et ſi adhuc de eo dubitaretur; non parum conferet, ſi in ſpiritualibus exercitiis conſtituatur: ut ea claritas de eo habeatur, quæ ad gloriam Dei Domini Noſtri requiritur.

Poſtquàm in Domino ſtatuetur, quòd ad Probationem aliquem admitti conveniat; c ſolitis veſtimentis indutus, aut pro cujusque devotione (niſi aliud Superiori videbitur) ingredi poterit: & in prædictâ Probationis Domo, ſeu in loco ad id deſtinato ut hoſpes conſtituetur: ac poſtridie, quomodò eo in loco ſe gerere debeat, ei declarabitur; ac nominatim, d ne verbo, aut ſcripto (niſi Superiori aliquâ de causâ non levis momenti aliud videretur) cum externis, vel domeſticis agat, præterquàm cum iis, qui ad id deſignati à Superiore fuerint. Quòd fit, ut liberiùs ſecum, & cum Deo perpendat vocationem ſuam, ac propoſitum divinæ ac ſummæ Majeſtati in hac Societate ſerviendi. 4 c Exa.c.1.§.13. & F. & p.3.c.2. G. d Exa.c.4 §.6. & p.3.c.1.§.2.

Elapſis duobus aut tribus diebus poſt ingreſſum in Domum Probationis, examinari accuratiùs incipiat, prout in officio Examinatoris declaratur: e & relinquatur ei ſcriptum Examen, ut ſolus id maturiùs conſideret: f poſteà eidem (E) oſtendantur Diplomata Apoſtolica, ac Conſtitutiones, & Regulæ, in Societate ac Domo, quam ingreditur, obſervandæ. g & qui litteris operam dederunt, de ſingulis facultatibus, in quibus verſati ſunt, ſingulas prælegant lectiones, & id coram eis, qui à Su- 5 e Sup.c.1.D.& Exa.c.1. A. f Exa.c.1.§13.& G.& c.4.§.41. g Exa.c.5.§ 6.

Superiore ad ejus talentum in doctrinâ, & proponendi modo cognoſcendum ſunt conſtituti.

(E) §. Iis qui litteras Apoſtolicas Latinas non intelligerent, ſatis eſſet earum ſummam (ut etiam Conſtitutionum, & Regularum) declarare. a *Ex quibus ea pars oſtendenda unicuique intelligitur, quæ ei eſt obſervanda; ex quâ Summarium haberi poteſt, quod ſimul cum Examine unicuique relinquatur; ut per otium illud magis conſideret.*

a Exa.c.1.G.

6 *b* Eodem hoc tempore primæ Probationis conſcientiam ſuam Superiori, vel ei quem ipſe delegaverit, aperiet (niſi id negotii cum Superioris conſenſu in aliud tempus differretur) *c* & generaliter confitebitur (ſi nondum id feciſſet) & illi quidem Confeſſario, qui à Superiore fuerit ad id deſtinatus. *d* Et cùm in libro ad id deſignato ſcriptum fuerit, & (F) manu ejus ſubſcriptum, quidquid domum tulit, & quòd contentus ſit obſervare omnia ei propoſita, poſtremò poſt reconciliationem accepto Sanctiſſimo Euchariſtiæ Sacramento, ingredietur in Domum communis habitationis; *e* ubi cum aliis verſari, & in ſecundâ Probatione diutius exerceri ſolent Novitii.

b Exa.c.4.§.36. c Exa.c.4.§.10. & 41. d Exa.c.4.§.4. e Exa.c.1.B.

(F) §. Si ſcribere neſciunt, alius comm eis eorum nomine ſcribet.

7 (G) Quod dictum eſt de iis, qui tunc primùm ad Societatem admittuntur, bonâ ex parte cum illis obſervabitur, *f* qui à ſtudiis, aut aliis locis Societatis, ubi diligenter examinati non fuerint, veniunt; qui quidem non ut Profeſſi, vel Coadjutores formati in corpus Societatis admiſſi ſunt: ut quò majori cum luce procedetur, eò quisque conſtantior in ſuâ vocatione maneat; & ipſa etiam Societas meliùs diſcernat, an conveniat ad majorem laudem & gloriam Dei & Domini Noſtri illum apud ſe retinere.

f Exa.c.7.§.8.

(G) §. Præter dilationem admittendi ad primam probationem (quâ uti cum iis, qui aliis in locis Societatis fuerint, non eſſet æquum) reliqua ferè omnia in eisdem locum habent: licet quò magis noti ſunt & firmi, minùs neceſſe ſit eam diligentiam adhibere, quæ adhiberi ſolet ad cognoſcendos, & ſtabiliendos eos, qui admittuntur ad Probationem.

SE-

SECVNDA PARS

Quæ ad eos admittendos pertinet, qui admiſſi parum apti in Probatione ad Societatem invenirentur.

Qui dimitti posſint, & per quos.

CAPVT I.

VT autem ad propoſitum huic Societati finem divini obſequii, & 1
auxilii animarum convenit conſervari, & numero augeri operarios idoneos ac utiles ad hoc opus promovendum; *a* ita dimitti eos oportet, qui tales non fuerint inventi; & ſucceſſu temporis deprehendatur, vel quòd hæc non ſit eorum vocatio, vel quòd ad commune bonum Societatis non conveniat, ut in eâ maneant. Sed tamen ut non faciles eſſe ad admittendum, ita neque ad dimittendum, imò minùs oportet: ſed maturè omnino, & conſideratè in Domino procedendum eſt. Et quamvis cauſas ad dimiſſionem dignas eò graviores eſſe oportet, quò quis arctiùs Societatis corpori conjunctus eſt; (A) quantumlibet *b* tamen quisque ſit conjunctus, in quibusdam caſibus ſeparari ab eâ poſſet, ac deberet: ut ſequenti capite videbitur.

a Par.10.§.7.
b P.9.c.4.§.7.

DECLARATIONES

in ſecundam partem.

IN CAP. I.

Qui dimitti poſſint, &c.

(A) §. c LIcet omnes (ut in Conſtitutionibus dicitur) dimitti posſint; alii tamen faciliùs, quàm alii, dimittentur. d *Qui in Domum primæ Probationis admisſi ſunt, antequàm cum aliis verſentur, ſi eo tem-*

c Par.10.§ 7.
d Inf.C.& c.3.A.

pore appareret non eſſe ad Societatem idoneos, faciliùs, quàm alii, poſſent dimitti.

a Inſ. C. & c. 3. A. a *In proximo gradu illi ſunt, qui in ſecundâ Probatione in Domibus vel Collegiis, nullis adhuc votis ligati verſantur, ſi experimento comperiretur, quòd ad majus Dei obſequium non foret, ſi in Societate manerent.*

b Inſ. C. & c. 3. A. b *In tertio gradu illi ſunt, qui votis quidem ſponte ſuâ ſe Deo obligaverunt; verùm in Scholaſticos approbatos, vel Coadjutores Societatis formatos, exacto jam tempore Probationis ſolitæ, non ſunt admiſſi.*

c Inſ. C. & c. 3. A. c *In quarto, & qui graviori conſideratione & causâ indigeant, ſunt Scholaſtici approbati.*

d Inſ. C. & c. 3. A. & p. 5. c. 4. B. d *In quinto gradu, ubi quidem major erit difficultas, ſunt Coadjutores formati tam Spirituales, quàm temporales; ſi poſt vota ſua publica, licet non ſolemnia, neceſſariò dimittendi viderentur.*

e Inſ. C. & c. 3. A. & p. 9. c. 4. §. 7. e *In quibusdam caſibus etiam Profeſſi cujuscumque gradus & dignitatis in Societate ſint, dimitti poſſent, ſi retineri ſine detrimento illius ac divini obſequii non poſſe judicaretur.*

f Inſ. C. f *Præter ea quæ dicta ſunt, quò magis alicui Societas deberet, quòd de ipsâ benemeritus eſſet; vel quò pluribus Dei donis ad eamdem in divino obſequio juvandam præditus eſſet; eò majori cum difficultate eſſet dimittendus: ut contrà cui minus deberet Societas, quique minùs ad eamdem juvandam in divino obſequio eſſet idoneus, faciliùs poſſet dimitti.*

2 Dimittendi facultas in primis ad univerſam Societatem pertinet, quando in Congregationem generalem conveniret. g Eadem erit penes Præpoſitum Generalem in omnibus, præterquàm ſi quid ad ipſius perſonam pertineret. Penes reliquos ex Societate tantum erit hujus facultatis, quantum eis à capite collatum fuerit. (B) Præpoſitis tamen h Provincialibus amplam ſatis conferri expediet, ac (C) debitâ i proportione etiam Præpoſitis localibus, & Rectoribus, quibus videbitur eſſe conferenda; ut k eò meliùs in toto Societatis corpore ſubordinatio ſanctæ Obedientiæ ſervetur, l quò clariùs intelligent inferiores ſe à ſuis immediatè Superioribus pendere; & quòd ſibi conveniat plurimùm, imò neceſſe ſit in omnibus eis ſubeſſe propter Chriſtum Dominum Noſtrum.

g P. 9. c. 3. §. 1. & B.
h P. 9. c. 6. §. 2. & p. 10. §. 8.
i P. 4. c. 10 §. 4. & p. 10. §. 8.
k P. 8. c. 1. §. 4. & p. 9 c 6. §. 2.
l P. 8. c. 1 §. 6.

(B) §. Quamvis Præpoſitus Generalis in patentibus litteris ad Præpoſitos particulares miſſis ampliſſimam eis facultatem impertiat, quò magis ſubditi eosdem venerentur, & humiliores ac ſubmiſſiores ſe exhibeant; nihilominùs tamen per ſecretas litteras hæc poteſtas contrahi (prout convenire videbitur) & limitari poterit.

(C) §. a *Quòd ad eos attinet, qui in primâ Probatione & ſecundâ ſunt, necdum votis emisſis, facultatem ad eos dimittendos habebit, quicumque ad eosdem admittendos eam habuerit: ſi tamen circumſtantiæ aliquæ non id impedirent (cujusmodi eſſet, ſi in Domum aut Collegium, ubi manent, à Generali, vel Provinciali Præpoſito, vel ab aliquo, cujus habenda ſit ratio, deſtinati fuiſſent: vel ſi de Societate ipſi tam benemeriti fuiſſent, ut eorum eſſet particularis ratio habenda.) In his enim, & ſimilibus caſibus dimitti aliquis per quemvis Præpoſitum non deberet; niſi cauſæ admodum urgentes & graves eſſent; ita ut minimè dubitaretur, Superiorum mentem hujusmodi futuram eſſe.*

a Sup. A. & c. 3. A.

b *Qui jam votis ſe obſtrinxerunt in Domibus aut Collegiis, & Scholaſtici præterea biennio Probationis exacto approbati; ſi dimittendi eſſent, Præpoſitus localis, niſi re communicatâ cum Provinciali, id facere non deberet. Provincialis autem pro modo facultatis à Generali acceptæ, vel dimittere poterit, vel non poterit, quamvis Generalem non conſuluerit.*

b Sup. A. & Inf. c. 3. A.

c *Coadjutores formati ſive Spirituales, ſive Temporales, niſi conſulto & approbante Generali, dimitti non debent: niſi in quibusdam remotiſſimis locis (ut in Indiis) hujusmodi facultatem Provinciali communicari oporteret: vel Generalis extra ordinem alicui, cui tamquàm ſibi ipſi fideret, & propter cauſas magni momenti eam communicaſſet.*

c Sup. A. & inf. c. 3. A. & p. 5. c. 4. B.

d *Erga Profeſſos minùs etiam hujusmodi facultas inferioribus Præpoſitis eſt communicanda; niſi res ad Præpoſitum Generalem delata, & gravi conſideratione expenſa foret, ita ut convenire ad divinum obſequium, & commune Societatis bonum hujusmodi hominem dimitti, videatur; ut ſi contumax* e *vel incorrigibilis eſſet.*

d Sup. A. & inf. c. 3. A. & p. 9. c. 4. §. 7.

e Inf. c. 2. §. 1.

De cauſis, propter quas dimitti aliquem conveniat.

CAPVT II.

1 CAVSAS eas, quæ ad aliquem dimittendum ſufficiant, ponderare coram Domino debebit prudens charitas Superioris, qui hujusmodi facultatem habuerit: ſed generatim loquendo, quatuor earum genera fore videntur.

2 Primum, ſi in Domino judicaretur, contra ipſius honorem & gloriam fore, quòd is in hac Societate maneret, *a* qui videatur in quibusdam pravis affectibus aut vitiis, quæ divinam offendunt Majeſtatem, *b* corrigi non poſſe: (A) quæ eò minùs tolerari deberent, quò graviora eſſent, & plus culpæ haberent; licet aliis nullum offendiculum (quòd manifeſta non eſſent) præberent.

a Par.10.§.7.
b Sup.c.1.C.

IN CAP. II.

De cauſis dimiſſionis.

(A) §. QVatenus defectus aliqui, qui contra divinum honorem, & Societatis bonum eſſe dicuntur, debeant tolerari; cum id ex multis circumſtantiis particularibus perſonarum, temporum, & locorum pendeat; diſcreto zelo eorum, quibus ea cura commiſſa eſt, relinqui eſt neceſſarium: c *qui eò impenſiùs rem Domino commendabunt, & diligentiùs cum aliis, qui ad cognoſcendam Dei voluntatem juvare poſſint, communicabunt; quò eis difficilius negotium, magisque dubium videbitur.*

c Inf.c.3.§.2.& 3. & A.

3 Alterum eſt, ſi exiſtimaretur in Domino, aliquem retinere, contra Societatis bonum fore, quod *d* cùm univerſale ſit, haud dubiè bono particulari alicujus præferri ab eo debet, qui ſincerè divinum obſequium quærit. Tale quid eſſet, (B) ſi in Probationem decurſu aliqua impedimenta, vel inſignes defectus, quos anteà in Examine tacuiſſet, detegerentur; vel ſi (C) experimento comperiretur, *e* valdè inutilem fore eum, & per quem præpedienda magis, quàm adjuvanda eſſet Societas, pro-

d P.1.c.3.§.16.
e P.4.c.6.N.

propter ejus inſignem ad quævis ejus munera ineptitudinem. Et multò magis dimitti oporteret, ſi damnum allaturus malo vitæ exemplo judicaretur, ac præcipuè ſi inquietum ſe oſtenderet, & (D) verbis, aut actibus offendiculum aliis præberet: hoc enim tolerare, *a* charitatis non eſſet, ſed vitii contrarii in eo quidem, qui tenetur conſervare quietem, & bonum ſtatum Societatis ſibi commiſſæ. [a Inf. §.5.]

(B) §. Si ille, qui ingreditur, ipſo in initio morbum aliquem, vel diſpoſitionem ad illum detexit, & eâ conditione, ut periculum fieret ſanitatis ejus, admiſſus eſt; cùm cerneretur non convaleſcere, nec labores Societatis ferre poſſe in poſterum; dimitti, ac extra Domum, prout vera charitas dictaverit, juvari poterit.

Si ingreſſus eſt ſine ullâ conditione, manifeſtatâ quidem infirmâ corporis habitudine, ſed ſpe conceptâ, quòd ad majora aptus eſſet futurus, quàm eſſe experimento comperiatur; quamvis etiam dimitti poſſit, animadvertendo, quòd ſanitate ad noſtrum Inſtitutum neceſſariâ careat, magis erit conſiderandum num dimitti debeat, nécne; & multò magis, ſi cum ſanus ingreſſus fuerit, in obſequio Societatis in ægritudinem incidit. Tunc enim, ſi ipſemet contentus non eſſet, juſtum non foret, hac ſolâ causâ à Societate dimitti.

Si in ingreſſu quis ægritudinem aliquam celaſſet, cùm ea detegeretur, conſtat, liberiùs & juſtiùs eum dimitti poſſe. An autem reverà ſit dimittendus, nécne, propterea quòd aliis dotibus magni momenti ad divinum obſequium polleat; prudentiæ Superioris relinquatur. b *Tantundem ſit dictum, ſi deprehenderetur quòd in aliquâ re aliâ, in Examine veritatem ſuppreſſiſſet.* c *Quòd ſi aliquod ex quinque impedimentis diſſimulaſſet, tunc non eſt æquum, ut in Societate maneat, juxta id, quod in primâ Parte dictum eſt.* [b Inf. §.5.] [c Exa. c. 2. §. 6. & p. 1. c. 3. §. 2. & G.]

(C) §. d *Si bonum teſtimonium non referret ex Probationibus, quæ extra Domum fiunt, vel etiam Domi, nec ea remedia, quæ charitas ante dimiſſionem ſolet adhibere, ſufficerent; conducibilius eſt, eum dimittere, quàm in corpus Societatis homines, qui ad ejus Inſtitutum non videntur convenire, admittere.* [d Exa. c. 4. §. 18. uſque ad 24.]

(D) §. Aliis offendiculum præbere ille intelligitur, qui ſuo exemplo peccandi occaſionem eis præbet; & quidem amplius, ſi verba adjiceret ſuaſoria, ut ad aliquid mali alliceret, præcipuè ad inſtabilitatem in ſuâ voca-

a P. 8. c. 1. §. 5. & F. *tione, a vel ad diſcordiam, vel ſi quid contra Superiores, vel commune Societatis bonum moliretur. In quibus enim talia locum haberent, rationi conſentaneum non eſſet, ut ii in Societate manerent.*

Quando non tam propter rationem vel magnitudinem peccati, quàm ob removendum offendiculum, quod aliis præbuit, dimitti aliquem neceſſe eſſet; ſi alioqui aptus eſſet, expendet prudentia Superioris, an expediat facultatem ei dare, ut ad locum alium Societatis valdè remotum, eamdem non egrediendo, proficiſcatur.

4 Tertium, ſi judicaretur id fore contra Societatis, ac ſimul ipſius dimittendæ perſonæ bonum: quod ex parte corporis poſſet accidere, ſi *b* tempore Probationis in aliquo morbus, aut debilitas hujusmodi cerneretur, cum quâ eum non poſſe progredi in laboribus, quos noſter procedendi modus requirit ad Deo in eo ſerviendum, videretur: ex parte rerum animi, *c* quando, qui ad Probationem admiſſus fuit, ſe componere ad vitam ſub obedientiâ, & juxta modum procedendi Societatis ducendam non poſſet; quòd nequeat, vel nolit, proprium ſuum ſenſum, aut judicium infringere; vel propter alia impedimenta, quæ à naturâ, vel à conſuetudine promanarent.

b Sup. B.
c P. 1. c. 2. §. 4. & c. 3. §. 14.

5 Quartum, ſi cerneretur id fore contra bonum aliorum, qui de Societate non ſunt: *d* Vt ſi detegeretur vinculum matrimonii, vel ſervitutis legitimæ, vel *e* æs alienum magni momenti: quibus in rebus, dum *f* initio examinaretur, veritatem ſubticuiſſet.

d Exa. c. 2. §. 4. & p. 1. c. 3. §. 6.
e Exa. c. 3. § 6. & P. 1. c. 3. §. 15. & L.
f Sup. B.

Quævis harum quatuor cauſarum ſatis eſſe videtur, ut Deo gratius fore judicemus, honeſtè dimitti eum, in quo locum habuerint, *g* quàm imprudentem in eo retinendo charitatem exercere.

g Sup. §. 3.

De

De modo dimittendi.

CAPUT III.

CUM iis qui dimittendi erunt, (A) obſervari eum modum conveniet, 1 qui in conſpectu Dei dimittenti, dimiſſo, & aliis domeſticis & externis magis ſatisfaciat. Quod attinet ad dimittentem ob cauſas ſuperiùs dictas tria obſerventur.

IN CAP. III.

De modo dimittendi.

(A) §. ANimadvertendum eſt, quòd Conſtitutiones de eo modo dimittendi loquuntur, cùm palàm id ac propter cauſas manifeſtas efficitur. Sed præter hos nonnulli occultè dimitti poſſunt; quando cauſæ (quæ plurimæ, & quidem ex illis aliquæ ſine peccato eſſe poſſent) eſſent occultæ; & ſi non dicerentur, in aliis aliquid perturbationis timeretur. Tunc enim conducibilius eſt aliquo prætextu (ut Probationum) extra Domum mitti, quàm ſi eorum dimiſſio publicaretur.

a *Ad hos hoc modo dimittendos, ſatis erit, ſi Præpoſitus, qui ad id facultatem habuerit, re Domino commendatâ, & unius aut plurium auditâ ſententiâ (ſi judicaverit in Domino cum eis rem eſſe conferendam) ſtatuat quod facto opus ſit, & exequatur.* a Sup.c.2. A.

b *Notandum eſt etiam, ea quæ de modo dimittendi dicuntur, iis magis convenire, qui in Probationibus verſantur; minùs autem illis, qui in corpus Societatis cooptati ſunt; ut Scholaſtici approbati, & Coadjutores formati; ac multò minùs Profesſis, in quibus charitas, & diſcretionis donum à Spiritu ſancto datum docebit modum, qui in eis dimittendis tenendus ſit: ſi Deus permitteret, ut hoc facere eſſet neceſſarium.* b Sup.c 1.A. & C.

c Primum eſt, ut oret ipſe Dominum, & Domi orari, eâ intentione curet (quamvis quis ſit pro quo oratur, non intelligatur) ut docere Dominus Noſter dignetur eâ in re, de qua agitur, ſuam ſanctiſſimam voluntatem. 2 c Sup.c.2.A.

a Al-

3 *a* Alterum, ut id conferat cum aliquibus, ſeu aliquo ex domeſticis, qui ad hoc negotium aptiores ei videantur; & audiat quid illi ſentiant.

a Sup.c.2.A.

4 Tertium, ut omnem exuendo affectum, & majori Dei gloriâ præ oculis conſtitutâ, ac communis boni, tum etiam (quoad ejus fieri poterit) particularis ratione habitâ, expendat hinc inde cauſas, & ſtatuat, an dimittere debeat, necne.

Quod ad dimiſſum attinet, tria itidem obſerventur: primum exterius, ut recedat ex Domo, quantum fieri poſſit, ſine dedecore vel ignominiâ, ac (B) ſecum omnia ſua ferat.

5 (*B*) §. b *Ea quæ ipſius eſſe conſtet, difficile non eſt ſtatuere, ut ſecum ferat. Verum in iis, quæ vel expendiſſet, vel dediſſet Societati, vel alioqui, ſi accidiſſet, ut ficto animo in Domo vel Collegio ipſius habitaſſet, prudentiæ Superioris dimittentis relinquetur, ut habitâ ratione tum æquitatis, tum ædificationis, ſtatuat, num illi aliquid amplius quam quod invenitur de rebus ipſius, dari debeat, necne: & ſi amplius, quantum.*

b Exa.c.4.B.

6 Alterum interius, ut eum dimittere Superior curet, conſervatâ, quantum fieri poteſt, charitate ac benevolentiâ erga Domum, & quantâ cum conſolatione in Domino fieri poterit.

7 Tertium, ut circa ſtatum vitæ ſtudeat eum dirigere, ut aliquam convenientem viam ſerviendi Deo ineat, vel in Religione, vel extra eam; prout divinæ voluntati convenientius fore videbitur. Demum conſilio & oratione, & ſi quid aliud charitas dederit, juvare curet.

8 Vt ſatisfiat aliis domeſticis, & externis, tria etiam obſerventur. Primum eſt, ut quantum fieri poterit curetur, ne quid perturbationis in alicujus animo propter dimiſſionem maneat, (C) ratione redditâ, quantum ſatis erit, quibus reddi opus ſit: abſtinendo, quantum fieri poterit, à defectibus, qui publici non fuerint, declarandis; quamvis in eo, qui dimittitur, nonnulli deprehenſi fuiſſent.

9 Alterum, ne malè affecti maneant erga dimiſſum, & quantum fieri poſſit, ne de eo malè ſentiant; ſed potiùs ejus vicem doleant, & in Christo eum diligant, ac divinæ Majeſtati in ſuis orationibus, ut eum dirigere, & ei miſericordiam impendere dignetur, commendent.

(C) §. Reddere rationem cauſarum, propter quas aliquis dimittitur, vel non reddere in communi, vel in particulari, magis vel minùs conveniet: prout is, qui dimittitur, in majori vel minori exiſtimatione & magis aut minùs Domi & foris charus fuerit.

Ter-

Tertium, ut detur opera, ut ejus exemplo juventur, ſi qui minori cum ædificatione, quàm par eſſet, Domi verſantur; & timeant, ne ſibi tantumdem accidat, ſi nollent proficere: & externi itidem, quibus id innotuerit, ædificationem accipiant, quòd Domi non toleretur id, quod tolerari ad Dei gloriam non debet.

Quo modo ſe gerat Societas cum iis, qui ſua ſponte recederent, vel quos ipſa dimitteret.

CAPVT IV.

QVI dimittuntur, vel injuſſi diſcedunt, ſi ad alium locum Societatis ſe conferant, (A) videntur nobis in Domino admittendi non eſſe; niſi prius qui dimiſit, vel qui loco præeſt unde diſceſſit, vel Præpoſitus Generalis, aut qui ejus vices gerit, admonitus ſuum præſtiterit aſſenſum; ne defectus cognitionis rerum, aut perſonarum alicujus erroris in Dei offenſam cauſa ſit. 1

IN CAP. IV.

Quo modo ſe habeat Societas cum iis, qui ſponte recedunt, vel ab eâ dimittuntur.

(*A*) §. *QVamvis in genere dicatur, eum qui ſponte ſuâ vel dimiſſus receſſit, in aliam Domum admitti, niſi conſultos prius Præpoſito, in cujus Domo vel Collegio fuit, & ejus expectato reſponſo, non debere; nihilominùs tamen prudentiæ Præpoſiti Domus, ad quam rediit, relinquetur, ut conſideret,* b *an tamquam hoſpes ſit admittendus, vel non; donec reſponſum accipiat à Superiore, cujus voluntatem exequi debet.*

Communicationem autem facultatum, aut gratiarum, quæ iis ut Societatis membris conceſſæ fuerant, ſimul atque membra eſſe deſierint, conſtat ceſſare. 2

a Declaretur iis, qui dimittuntur, quòd abſoluti maneant à votis ſimplicibus, ſi ea juxta formulam Societati conſuetam (quæ in quintâ Parte videbitur) emiſerint; quodque nullâ aliâ diſpenſatione indigeant.

a Exa. c. 6. §. 8. & A & c. 7. §. 1. & 2. & p. 5. c. 4. B.

4 Ad eos reducendos, qui ſine licentiâ recederent, ſi priùs parum idonei ad Societatem habebantur, nullâ diligentiâ opus erit; ſed potiùs dirigantur ad aliud Inſtitutum, ubi Deo ſervire poſſint, relaxato illis voto, ut omnes ſcrupuli eis eximantur.

5 Si hujusmodi eſſent, ut Deo gratum fore videretur eos non ſic relinquere, præcipuè ſi ex aliquâ vehementi tentatione, aut ab aliis decepti egreſſi videantur, (B) diligentia adhiberi ad eos reducendos poterit; & privilegiis ad negotium hujusmodi conceſſis à Sede Apoſtolicâ, quantum Superiori in Domino videbitur, uti licebit. Et cùm aliquis horum ſic reductus eſſet, (C) relinquetur prudentiæ ejusdem Superioris, ut videat, num ſatisfactione aliquâ opus ſit, & quantâ; an melius cenſeat, omnino in ſpiritu manſuetudinis procedere. Quâ in re & ejus qui reductus eſt, bonum, & ædificatio domeſticorum ſpectanda eſt.

(B) §. *Qui à Societate diſcedunt, quamvis ad eam idonei videantur, ſi aliam Religionem ingreſſi, & ejusdem habitu induti fuiſſent, nec litigandum eſſe Societati, nec procurandum videtur, ut eos reducat. Si habitum Religionis non induiſſent, poterit ea diligentia adhiberi, quam ordinata & prudens charitas dictaverit, ad eos reducendos ad illum locum, ubi in Domino judicatur, quod Deo ſervient.*

(C §. *Quod ad ſatisfactionem attinet eorum qui ſponte ſuâ redeunt & admittuntur, vel qui reducti redeunt; cùm ejus ſatisfactionis ſcopus ſit aliorum ædificatio, & ejusdem qui rediit, profectus; ex circumſtantiis perſonarum, temporis, & locorum, num fieri debeat, necne; & ſi fieri debet, quanta ea futura ſit, judicabitur: & hæc omnia prudentiæ Superioris, in cujus Domum vel Collegium ingreditur, committi oportet.*

6 Si quis ſponte ſuâ ad Collegium vel Domum, unde ſine facultate receſſerat, rediret, & alioqui idoneus ad Deo ſerviendum in eâ judicaretur; conſiderandum erit, (D) an veram perſeverandi voluntatem afferat, & an ſit paratus ad quamvis ſatisfactionem & probationem. Quòd ſi ſecus eſſet, ut qui veræ pœnitentiæ ſigna non oſtendit, admitti non merebitur.

(D) §. *Cùm de illorum, qui ſponte ſuâ redeunt, conſtantiâ dubitaretur; in aliquo Xenodochio, vel aliis Probationibus poſſent conſtitui, ubi pauperibus Chriſti ex ipſius amore aliquamdiu inſerviendo, ſuæ ſtabilitatis & conſtantiæ ſpecimen præbeant; quod & ad expurgandam præteritæ levitatis culpam pars quædam ſatisfactionis eſſet.*

Si

Si qui fuit meritò dimiſſus, ad eamdem Domum, unde dimiſſus eſt, re- 7
diret, ad quamvis ſatisfactionem paratus; ſi adhuc eædem rationes, propter quas fuit dimiſſus, manerent, perſpicuum eſt, non eſſe admittendum: ſi non manerent, & qui dimiſit, judicaret Deo gratum fore, ut denuò reciperetur in eamdem, vel aliam Domum, admoneat Generalem, vel Provincialem Præpoſitum, & quod ab eo præſcriptum fuerit, exequatur.

Sive receſſerit ſponte ſuâ, ſive dimiſſus qui redit, ſi admittitur, denuo 8
examinari debet, *a* & generalem confeſſionem facere ipſo in ingreſſu, ab ultimâ quam fecit inchoando: & aliis Probationibus & experimentis exercebitur: prout Superiori habitâ ſemper ratione ædificationis univerſalis & particularis, ad gloriam Dei videbitur.

a Exa. c. 4. §. 41.

TERTIA PARS

De iis conſervandis & promovendis, qui in Probatione manent.

De conſervatione in iis, quæ ad animam & profectum in virtutibus pertinent.

CAPUT I.

VT in iis admittendis, quos ad noſtrum Inſtitutum vocat Deus talen- 1
tum ad id conveniens concedendo; & in dimittendis illis, qui cùm eo careant, ſe à divinâ ſapientiâ non eſſe vocatos oſtendunt, conſideranda ſunt quæ ſuperius attigimus; ita in eis conſervandis in ſuâ vocatione, qui retinentur & probantur in Domibus & Collegiis, & in eisdem juvandis, ut ſic proficiant in viâ Dei, ſpiritu, & virtutibus; ut ſanitatis & virium corporis, quæ ad laborandum in vineâ Domini neceſſariæ ſunt, ratio habeatur, conſideratione ac providentiâ debitâ opus eſt. Et ita agetur, primo loco quidem de iis, quæ ad animam; ſecundo de iis, quæ ad corpus pertinent.

Quod ad animam attinet, cùm tanti referat, eos qui in Probationibus 2
verſantur, ab omnibus imperfectionibus & quibusvis impedimentis majoris

a Exa. c. 4 § 6. & p. 1. c. 4. §. 4. ſpiritualis profectus removere; multum ad id *a* confert, (A) omnem communicationem per verba & ſcripta ut abjiciant cum iis, qui in propoſito ſibi Inſtituto intepeſcendi cauſa eſſe poſſent; & ut in viâ ſpirituali incedendo, (B) cum iis dumtaxat perſonis, & iis de rebus agant, quæ juvent in divino obſequio ad id conſequendum, quod in ingreſſu Societatis ſibi ut ſcopum præfigebant.

DECLARATIONES

In Tertiam partem.

IN CAP. I.

De conſervatione in iis, quæ ad animam pertinent.

(A) § S*I in aliquo loco ſollicitatur, vel perturbatur aliquis ab hominibus, qui in viâ ſpiritus non benè procedunt; videat Superior, num eumdem in alium locum transmitti expediat, ubi divino obſequio commodiùs inſiſtat; & tunc Superior, ad quem mittitur, certior fieri debet de rebus ipſius, quantum ſit ſatis ad eum magis juvandum, & alios quibus præeſt.*

(B) §. *Si aliquando permittendum videretur, ut conſanguineos vel amicos, quos, cùm eſſet in ſæculo, habebat, alloqueretur; coram aliquo à Superiore deſignato id fiat, & breviter: niſi particulares ob cauſas is qui ſupremam curam habet, aliud ſtatueret. Sic etiam, ſi aliquis ex iis qui Domi ſunt, cuiquam ſcriberet, non niſi obtentâ facultate, litteris ei oſtenſis quem Superior deſtinaverit, id faciet. Si ad eumdem litteræ mitterentur, ei primò reddentur, qui à Superiore fuerit conſtitutus; qui eas lectas reddet, aut non reddet illi, ad quem ſunt deſtinatæ; prout in Domino expedire ad melius ipſius bonum & Dei gloriam exiſtimabit.*

3 *b* Eadem de causâ egredi Domo non debent, niſi (C) quando, & *c* cum
b Exa. c. 4 §. 25. c P. 4. c. 4. F. quo ſocio Superiori viſum fuerit. Nec Domi hi cum illis pro ſuo arbitratu colloquantur, (D) ſed cum iis tantum, qui à Superiore præſcripti fuerint: quorum exemplo & ſpiritualibus colloquiis ædificationem accipiant, non autem offenſionem, & proficiant in Domino.

(C) §. *Conſiderabit Superior, num aliqui, quibus confidendum videatur, ſoli*

ſoli mitti poſſint; & ſi qua etiam quibusdam facultas generalis dari debeat, vel non; ſed ſigillatim eam peti, quandocumque Domo egrediuntur, oporteat.

(D) §. *Vt plurimum Novitios inter ſe converſari non convenit; ſed ſilentium invicem obſervare, niſi in rebus, in quibus loqui neceſſe ſit. Agent verò potius cum maturis ac prudentibus, qui ſcilicet à Superiore cuique fuerint deſignati. Sic etiam, ſi duo in eodem cubiculo lectulos ſuos habeant, alter eorum hujusmodi ſit, ut minimè dubitetur, quod alter ejus ſocietate proficiat; & eamdem ob cauſam inter cubicula, quæ ſeorſum unicuique juniorum aſſignantur, par eſt aliquos ex antiquioribus intermiſceri.*

Sine facultate autem à Superiore acceptâ ordinariè unus cubiculum alterius non ingredietur: &, ſi cum eâ facultate ingreſſus fuerit, oſtium ſemper apertum maneat, quamdiù cum alio ibidem fuerit; ut & Superior, & Officiales ad id deſtinati, quandocumque eis viſum fuerit convenire, ingredi poſſint.

Omnes diligentiſſimè curent portas ſenſuum ſuorum (oculorum præcipuè, aurium, & linguæ) ab omni inordinatione cuſtodire; ac ſe in pace, & verâ humilitate internâ conſervare, & eam in ſilentio, cùm id obſervandum eſt, cum autem loquendum, in circumſpectione & ædificatione verborum, & modeſtiâ vultus, ac maturitate inceſſus, motuumque omnium ſine ullo impatientiæ, aut ſuperbiæ ſigno exhibere: in omnibus procurando atque optando potiores partes aliis deferre, omnes in animo ſuo tamquàm ſibi ſuperiores ducendo, & exteriùs honorem ac reverentiam, quam exigit cujusque ſtatus, cum ſimplicitate & moderatione religiosâ exhibendo: atque ita fiat, ut ſe mutuò conſiderantes, in devotione creſcant, Deumque Dominum Noſtrum laudent, quem quisque in alio, ut in illius imagine, agnoſcere ſtudeat. 4

In refectione corporis curandum eſt, ut temperantia, modeſtia, & decentia interiùs & exterius in omnibus obſervetur. Præmittatur benedictio, & ſequatur actio gratiarum, quas omnes agere debent cum eâ quâ par eſt devotione & reverentiâ. Et dum corpus edendo reficitur, ſua etiam animæ refectio præbeatur, libro aliquo pio potiùs quàm difficili, quem capere, & à quo omnes juvari poſſint, legendo: vel id temporis *a* aliquis, cui à Superiore id injungetur, concionabitur, vel (E) aliquid ſimile ad Dei gloriam fiet. 5

a Inf. §. 21. & 8

 (E) §. *Si*

(E) §. *Simile quid erit, litteras quæ ad ædificationem faciunt, legere; & ſi qua alia exercitatio aliquando convenire videretur.*

6 Omnes quamdiu corpore benè valent, in ſpiritualibus, vel exterioribus rebus habeant in quo occupentur. Et qui officium vel miniſterium aliquod certum habent, ut de auxilio providendum eſt eis, ſi ſit neceſſarium, ita *a* cùm vacant, aliis rebus occupari deberent; ne otium malorum omnium origo, quoad ejus fieri poſſit, Domi noſtræ locum habeat.

a P. 4. c. 10. §. 6.

7 Vt *b* experiri incipiant ſanctæ Paupertatis virtutem, doceantur omnes, quòd nullâ re tamquam propria uti debeant: *c* quamvis neceſſe non ſit Probationis tempore (F) poſſeſſione bonorum ſuorum ſe abdicare; niſi id Superior poſt elapſum primum annum juberet, judicans in hujusmodi bonis tentationum occaſionem, & minus proficiendi in ſpiritu habere aliquem, ut qui illis adhæreat aliquo immoderato amore vel confidentiâ; & (G) tunc qui ſe exuit bonis ſuis, ſequatur Chriſti conſilia: *d* pro ſuâ tamen devotione ad hoc potius, quàm illud opus diſpenſare bona ſua, vel eorum partem poterit: prout in Domino intellexerit ad divinum beneplacitum magis convenire, ut in Examine dictum eſt.

b Exa. c. 4. §. 4. & p. 6. c. 2. §. 11. & H.
c Inf. §. 25. & Exa. c. 4 §. 2. 3. & 5. & p. 4. c. 4. E. & p. 6. c. 2. H.
d Exa. c. 4. §. 5

(F) §. *Poſſeſſione bonorum ſuorum ſe abdicare, tam de propriis bonis intelligendũ eſt, quæ habet penes ſe vel alios, quàm de jure vel actione, quæ ei competit ad bona, quæ ſperat; ſive ſæcularia illa, ſive Eccleſiaſtica ſint. Quando hoc fieri debeat, Præpoſiti Generalis, vel ejus, cui ille facultatem communicaverit, arbitrio relinquetur.*

(G) §. *Ante ingreſſum quivis de bonis ſuis temporalibus pro ſuo arbitratu ſtatuere poteſt. Sed poſtquam ingreſſus eſt, tam de Eccleſiaſticis, quam de ſæcularibus diſponat oportet, ita ut decet virum ſpiritualis vitæ ſectatorem.*

e Exa. c. 4. §. 3. & 5. & A.

e *Ideoque cùm exiſtimaret in conſanguineos ea eſſe diſpenſanda, committere id debet judicio unius, vel duorum, vel trium virorum, quo & doctrina & pietate commendentur, & eisdem acquieſcere; & quod illi ſentient, perfectius, & DEO ac Domino Noſtro gratius eſſe, habitâ omnium circumſtantiarum ratione (ut in Examine paginâ 23, & 24 fuſiùs dicitur) exequi debet.*

8 Intelligant etiam quod mutuò dare, vel accipere, vel diſpenſare quidquam de iis, quæ Domi ſunt, minimè poſſunt, niſi Superior conſcius conſenſum præſtiterit.

Qui

Qui in ingreſſu ipſo, vel poſt ingreſſum ad Obedientiam, motus ſuâ de- 9
votione, vellet bona ſua, vel eorum partem in Societatis ſubſidium diſpenſare; (H) haud dubiè opus faceret majoris perfectionis, alienationis, & abnegationis univerſi amoris proprii, non deſcendendo tenero quodam affectu ad particularia loca, nec juxta illum ſua bona huic potiùs, quàm illi applicando. quin potiùs exoptando majus & univerſalius bonum Societatis (quæ tota ad majorem Dei gloriam, ac univerſale bonum, & utilitatem animarum inſtituta eſt) hoc judicium ei relinquat, qui ejus univerſæ curam habet, num applicari huic loco potiùs quam illi in eadem Provinciâ debeant: quandoquidem ille melius quàm quiſquam alius intelligere poteſt, quid conveniat, & quid maximè urgeat in omnibus ejus locis, *a* ratione habita Regúm, Princi- *a* P. 10. §. 11, & B
pum, ac aliorum Potentatuum; ne eis cauſa ulla offenſionis detur: ſed ad majorem ædificationem omnium, & ſpiritualem utilitatem animarum, & gloriam Dei omnia cedant.

(H) §. *Rectores vel Præpoſiti Locales, vel Provinciales, vel quicumque alii, cum quibus, aget qui ſic habet in animo ſua bona diſpenſare, ut in ceteris rebus, ita & in hac quod perfectius eſt, quodque majoris meriti in divino conſpectu, ei repræſentare debent. Nihilominus, ſi in eo propenſio animi ad locum unum potiùs, quam ad alium (quamvis imperfectum id ſit) cerneretur; etiam ſi judicio Superioris ſuum ſubmittere vellet, certiorem tamen reddere Præpoſitum Generalem poterunt, vel eum, qui ejus gerit vices, an ſit aliquid hujuſmodi imperfectionis tolerandum; ſperando quòd ea ceſſabit aliquando, ſupplebitque divina bonitas quod ad ſuam majorem gloriam, & majorem ipſius perfectionem deeſſe cernitur.*

Doceantur quomodò ab illuſionibus dæmonis in ſuis ſpiritualibus 10
exercitationibus caveant, & quomodò ſe contra omnes tentationes tueantur: ſimul rationes ſciant, quæ adhiberi poſſint ut eas ſuperent; *b* & ad *b* P. 10. §. 2.
veras ſolidasque virtutes conſequendas inſiſtant, ſive plures adſint viſitationes ſpirituales, ſive pauciores. Curent verò ſemper in viâ divini ſervitii progreſſum facere.

c Vtantur quotidie conſcientiæ ſuæ examinatione conſuetâ, *d* & octa- 11
vo quoque die ſaltem ad Confeſſionis & Communionis ſacramenta acce- *c* P. 4. c. 4. §. 3. & 4. *d* Inf. Q. & Exa. c.
dant, niſi aliquâ de causâ aliud Superiori videretur: & unus omnium ſit 4. §. 25. & p. 4. c.
Confeſſarius *e* ab eodem Superiore conſtitutus: (I) quod ſi fieri non pote- 4. §. 3. & B. & p. 6. c. 3. §. 2.
rit, *e* Inf. Q. & p. 6. c. 3. §. 2.

rit, quisque certè ſuum ſtabilem habeat Confeſſarium, *a* cui ipſius conſci-

a Inf §. 11. & Q.

entia prorſus aperta ſit: qui quidem Confeſſarius non ignoret, quos caſus ſibi Superior reſervat. Illi autem reſervabuntur, quos ab eo cognoſci

b P. 4. c. 10. §. 5.

neceſſarium videbitur, aut valde conveniens, *b* quò melius & remedium adhibere poſſit, & ſuæ curæ commiſſos præſervare ab omnibus, quæ nocitura ſunt.

(I) §. *Convenienter non poſſet fieri propter multitudinem, vel quod aliquis ab alio Confeſſario magis, quam ab ordinario juvari poſſe videretur, propter cauſas quæ poſſent accidere; quas conſiderabit Superior, & quod in Domino judicaverit convenire, providebit.*

c P. 4. c. 10. §. 7.

c Perutile erit, eſſe Domi aliquem (K) virum fidelem, & in rebus ſpiri-
12 tualibus ſufficienter verſatum, qui inſtruat eos ac doceat, quomodò & interius & & exterius ſeſe habere debeant, & ad id eos hortetur, & in memoriam redigat, & amanter admoneat: quem omnes, qui in Probatione ſunt, diligant, ad quem in ſuis tentationibus confugiant, cui confidenter ſua omnia detegant, & a quo conſolationem & auxilium in omnibus ſperent in Domino. Et admoneantur, quòd nullam debeant celare tentationem, quam huic,

d Supra §. 11. & inf. Q.
e Exa. c. 4. §. 34. &c. & p. 4. c. 10 §. 5. & p. 6. c. 1. §. 2.
f Inf. c. 2. §. 5. & Exa. c. 1. §. 6. & p. 6. c. 3 §. 1.

vel *d* Confeſſario, vel *e* Superiori non aperiant; imò verò totam animam ſuam illis integrè manifeſtam eſſe pergratum habeant: nec ſolùm defectus aperiant, ſed etiam *f* pœnitentias, vel mortificationes, & devotiones, ac virtutes omnes, voluntate purâ optantes ab illis dirigi, ſicubi à rectitudine deflecterent, nolentes ſuo proprio ſenſu duci, niſi conveniat cum judicio illorum, quos Chriſti Domini Noſtri loco habent.

(K) §. *Hic erit Magiſter Novitiorum, vel quem Superior ad hoc munus ut aptiorem conſtituet.*

13 Antevertere oportet tentationes, adhibitis earum contrariis: ut cum quis animadvertitur ad ſuperbiam eſſe propenſus, exerceri is debet in rebus abjectioribus, quæ ad humiliandum ipſum utiles futuræ videantur; & ſic de aliis pravis animæ propenſionibus.

14 Præterea honeſtatis & decentiæ ratione convenit (L) feminas non ingredi Domos noſtras, nec Collegia, ſed tantùm Eccleſias: & arma nulla, nec (M) inſtrumenta rerum vanarum Domi haberi; ſed tantùm ea, quæ faciunt ad finem illum divini ſervitii & laudis, quem ſibi præfixit Societas.

(L) §. *Vt feminæ non ingrediantur Domos, nec Collegia Societatis, ferè ſem-*

ſemper debet obſervari. Sed ſi illæ eximiâ charitate, vel auctoritate ſimul cum charitate eſſent conſpicuæ; prudentia Superioris juſtas ob cauſas, ut illæ (ſi id optarent) videndi gratiâ ingrederentur, poſſet diſpenſare.

(M) §. *Cujusmodi eſſent inſtrumenta ad ludendum, vel ad rem muſicam, libri etiam profani, & alia id genus.*

(N) In *a* correctionibus & pœnitentiis injungendis qui modus te- 15
neri debeat, prudenti charitati Superioris, & eorum quos ſibi ſubſtituerit, relin- *a* P 9.c.2. §.4. &
quetur: qui in eis rationem habebunt diſpoſitionis perſonarum, & ædifica- c.3.§.11.
tionis univerſalis & particularis earum, ad gloriam Dei. *b* Pœnitentias verò *b* Exa. c. 1. §.6.&
hujusmodi promptâ voluntate quisque admittere deberet, cum vero emen- c. 4. §. 33. & 41.
dationis, & ſpiritualis profectus deſiderio, etiam ſi propter defectum non culpabilem injungerentur.

(N) §. *In correctionibus (licet prudentia rebus particularibus adhibita hunc ordinem mutare poſſit) eſt advertendum c quòd primò in charitate ac dulcedine, qui peccant, ſunt admonendi: ſecundò in charitate quidem, ſed eo tamen modo, ut ejis confuſio & rubor iniiciatur: tertiò amori, ea quæ timorem incutiant, adjicientur. De publicis autem defectibus publica debet eſſe pœnitentia; iis tantum, quæ ad omnium ædificationem faciunt, declaratis.* *c* P. 1. c. 1. G.

d Syndicus Domi conſtituatur: cujus erit officium, obſerva- 16 *d* P.4. c. 10. §. 7.
re in omnibus quod ad honeſtatem & decentiam externam perti- & c. 17. §. 7.
net; Eccleſiam & Domum perluſtrando; & ſi quid non conveniat, adnotando, & Superiori referendo, vel eumdem qui errat commonefaciendo; ſi id facultatis ei, ut utiliùs in Domino ſuo fungatur officio, tribuetur.

Curent *e* omnes ex morbis corporis fructum capere, non ſolùm 17
ſibi, ſed etiam ad aliorum ædificationem; non impatientes aut moroſos *e* Inf. c. 2. G. &
ſe exhibendo, ſed potius patientiam magnam habendo & præ ſe feren- Exa. c.4.§.32.
do, ac obedientiam Medico & Infirmario præſtando, verbis piis ad ædificationem facientibus utendo, quæ oſtendant ægritudinem acceptari ut donum de manu Creatoris ac Domini Noſtri; quandoquidem non minus donum eſt, quam ſanitas.

Idem *f* ſapiamus, idem, quoad ejus fieri poſſit, dicamus omnes, 18
juxta Apoſtolum. (O) Doctrinæ igitur differentes non admittantur, *f* P.4. c.5. §.4.& c.14.§.1.& p.8 c. 1.§.8 &K.,& p.10. §. 9.

a P.3.c.6.O.& p. 7.c.4.§.11. nec verbo in concionibus vel lectionibus publicis, nec ſcriptis libris (*a* qui quidem edi non poterunt in lucem, ſine approbatione, atque conſenſu Præpoſiti Generalis; qui eorum examinationem ſaltem tribus committat, ſanâ doctrinâ, & claro judicio in eâ facultate præditis) imo & judiciorum de rebus agendis diverſitas, quæ mater eſſe ſolet diſcordiæ, & inimica unionis voluntatum, quantum fieri poteſt, evitari debet. b P. 8.c.6.§.8. *b* unio verò & conformitas mutua diligentiſſimè curanda eſt; (*P*) nec, quæ ei adverſantur, permittenda: quò juncti invicem fraternæ charitatis vinculo, meliùs & efficacius poſſint ſe divino obſequio, & auxilio proximorum impendere.

(O) §. *Novæ opiniones admittendæ non ſunt: & ſi quis aliquid ſentiret, quod diſcreparet ab eo, quod Eccleſia & ejus Doctores communiter ſentiunt; ſuum ſenſum definitioni ipſius Societatis debet ſubjicere:* c Exa. c.3.§.11. c *ut in Examine declaratum eſt. In opinionibus etiam, in quibus Catholici Doctores variant inter ſe, vel contrarii ſunt, ut conformitas etiam in Societate ſit, curandum eſt.*

(P) §. *Ferenda non eſt inter ullos domeſticorum perturbatio, vel ira mutua: & ſi aliquid hujusmodi accideret, curetur, ut ſtatim cum ſatisfactione debita in gratiam invicem redeant.*

19 Quia ad progreſſum in virtutibus faciendum multum confert antiquiorum exemplum, quo reliqui ad eorum imitationem animentur; qui præeſt aliis (ſi aliter peculiares ob cauſas non judicaretur convenire) & omnes alii Sacerdotes, qui ei videbuntur, aliquando intra annum, officium, vel officia eorum, qui inſerviunt Domi, ad tempus aliquod obibunt: quò aliis gratius reddatur hujusmodi miniſterium, in quo ad majus Dei ſervitium & gloriam ſunt conſtituti.

20 *d* Explicetur aliquot diebus in ſingulis hebdomadibus doctrina Chriſtiana, ac (Q) *e* modus benè & cum fructu confitendi, communicandi, Miſſam audiendi, & in eadem miniſtrandi, orandi itidem meditandi, & legendi pro captu uniuscujusque tradatur: cureturque non ſolùm ut addiſcant quæ conveniunt, ſed etiam ut memoria teneant, & exerceant quæ didicerint: omnesque ſuum tempus rebus ſpiritualibus impendant, & devotioni quærendæ pro menſurâ gratiæ DEI ipſis communicatæ inſiſtant: ad quod (R) conferet *f* aliqua exercitia ſpi-

d Exa. c.4.§.25.
e P.4.c.4.B & C.
f Exa.c.4.§.10.

ſpiritualia illis, qui nondum ſe exercuerunt in eis, vel omnia tradere, prout unicuique convenire in Domino judicabitur.

(Q) §. *Præter modum benè confitendi*, a *tempus etiam eis deſignetur, intra quod ſi ad confeſſionem non accederent, ſubtrahatur eis cibus corporis, donec cibum ſpiritus ſumant. Qui* b *autem alii, quam ſuo Confeſſario deſignato confiteretur, debet poſtmodum (quantum recordari poterit) eidem ſuo Confeſſario totam ſuam conſcientiam aperire; ut nihil ignorando, quod ad eam pertineat, melius in Domino poſſit eumdem juvare.* a Sup. §. 11. b Sup. §. 11 & p. 6. c. 3. §. 2.

(R) §. *Cum iis, qui ex ſe exercitiorum ſpiritualium intelligentiam habent, & in ipſis facilè progrediuntur, ac methodum in eisdem benè procedendi habent, vel qui aliis occupationibus diſtinentur, poterunt omnino, vel certè ex parte, Superiores in communibus hujusmodi Regulis diſpenſare.*

Quoſdam, qui quamvis ad ſpiritualia exercitia apti ſint, c *nondum tamen ea ſunt experti, operæ pretium erit aliquando juvare, ad particulares conſiderationes deſcendendo, quæ ad timorem & amorem DEI ac virtutum, & ad executionem earum, prout ratio convenire docuerit, incitent.* c P. 4. c. 4. E.

Eis, qui ad hujusmodi exercitationes apti non eſſe viderentur (qualis ex Coadjutoribus Temporalibus aliquis eſſe poſſet) proponi debent ea, quæ ipſorum captui conveniant, & quibus ad ſervitium Dei ac Domini noſtri illi juventur.

d Convenit omnes exerceri (ſi aliquem Superior non eximeret) 21 (S) in concionibus domeſticis: ut præterquam quod utiliter in hoc expendetur aliqua hora à prandio, animentur, & aliquem uſum comparent (quod ad vocem, & modum attinet, & ad reliqua) & ut ſpecimen etiam ejus talenti, quod in hoc genere Dominus eis communicat, præbeant; & ut ſuos bonos conceptus ad ſuam, & proximorum ædificationem exprimant, de iis crebrò tractantes, quæ ad ſui abnegationem, & in virtutibus profectum, & omnimodam perfectionem attinent; ad ea ſe invicem exhortando, & præcipuè ad unionem & charitatem fraternam. d Sup. §. 5. & Exa. c. 4. §. 25. & p. 4. c. 8. §. 3. & p. 10. §. 3.

(S.) §. *Qui Domi concionantur, reprehenſionem alicujus ex fratribus domeſticis, vel ipſius Societatis non attingant. Idem caveant qui in Eccleſiis concionantur, niſi prius Superiorem eâ de re conſuluerint; quamvis poſſit unusquisque & ſe & fratres ſuos ſimul ad progreſſum in ma-*

jori obſequio Dei (quod potiùs in domeſticis, quàm in publicis in Eccleſiâ concionibus convenit) excitare.

a Exa. c. 4. §. 28.

22 Magnopere *a* conferet, devotè, quoad fieri poterit, ea munera obire, in quibus magis exercetur humilitas & charitas. Et in univerſum loquendo, quanto aliquis ſe (T) arctiùs Deo adſtrinxerit, & liberaliorem erga ſummam Majeſtatem ſe præſtiterit, tantò eum in ſe liberaliorem etiam experietur; & ipſe in dies magis idoneus erit ad gratias, & dona ſpiritualia uberiora recipienda.

b Exa. c. 4. §. 1.

(T) §. *Conjungi magis cum DEo, ac liberalem ſe in eum exhibere,* b *eſt ſe totum immobiliter divino ſervitio mancipare: quod illorum eſt, qui votis emiſſis DEO ſe dedicant. Quamvis autem id multum juvet ad uberiorem gratiam accipiendam; nemini tamen præcipiendum eſt, ut id agat; nec primo biennio quiſquam ullo modo ad id compellatur.*

c Exa. c. 1. E. & p. 5. c. 4. §. 6.

c *Quod ſi ſponte ex ſuâ devotione ad vota ſua ante biennium exactum emittenda moverentur, nec in manibus cujuſquam ea admitti, nec ſolemnitas adhiberi debet: ſed quiſque in ſecreto animi ſui id offerat Deo ac Domino Noſtro. At cùm id ſint facturi, convenit ut formulam, quæ conſuevit in votis ſimplicibus obſervari, & ſcriptum habeant quod Deo promiſerunt, ad ſuam memoriam confirmandam.*

d P.4.c.10.§.5.& p.6.c.1.§.1.& 2. & p.7.c.2.§.1.& A.& I.& p.8.c.1.D.& p.9.c.3.§.20.
e P.6.c.1.§.1.& C.
f Inf.§.27.& Exa. c.4.§.46.& p.5.c.2.§.1.
g P.4.c.10.§.5.& p.6.c.1.§.1.
h P.6.c.1.§.1.& B.

23 Expedit in primis ad profectum, & valdè neceſſarium eſt, ut omnes perfectæ Obedientiæ ſe dedant, Superiorem (quicumque ille ſit) *d* loco Chriſti Domini Noſtri agnoſcentes & internâ reverentiâ & amore eum proſequentes: *e* nec ſolùm in executione externâ eorum, quæ injungit, integrè, promptè, fortiter, & cum humilitate debitâ, ſine excuſationibus, & obmurmurationibus obediant, licet (V) difficilia, & ſecundum ſenſualitatem repugnantia jubeat; verum etiam conentur interiùs reſignationem, & *f* veram abnegationem propriæ voluntatis & judicii habere; *g* voluntatem ac judicium ſuum cum eo, quod Superior vult & ſentit, in omnibus rebus (*h* ubi peccatum non cerneretur) omnino conformantes, propoſitâ ſibi voluntate, ac judicio Superioris, pro regulâ ſuæ voluntatis & judicii; quò exactiùs conformentur primæ ac ſummæ regulæ omnis bonæ voluntatis & judicii, quæ eſt æterna bonitas & ſapientia.

(V) §. *Con-*

(V) §. *Conferet, ut Superiores aliquando occaſionem præbeant iis qui probantur, exercendi Obedientiæ & Paupertatis virtutem, eosdem tentando ad majorem ipſorum utilitatem ſpiritualem, eo modo, quo Dominus Abraham tentavit; ut ſpecimen virtutis ſuæ præbeant, & in eadem creſcant. In eo tamen, quoad ejus fieri poſſit, menſura & proportio juxta uniuscujusque vires, ut diſcretio dictabit, obſervetur.*

a Et ut magis in Obedientiæ virtute ſe exerceant, convenit, atque 24
etiam valdè neceſſarium eſt, ut non ſolùm Superiori Societatis, vel Domus, ſed etiam ſubordinatis Officialibus, qui ex illo auctoritatem acceperunt, in iis omnibus, in quibus ſuper ipſos poteſtatem habent, obediant: & aſſueſcant non intueri, quis ille ſit, cui obediunt; ſed potiùs quis ille, propter quem, & cui in omnibus obediunt, qui eſt Chriſtus Dominus.

a Exa. c. 4. §. 29. 30. & 31. & E. & P. 4. c. 10. §. 8.

Diligant *b* omnes Paupertatem, ut matrem; & juxta menſuram 25
Sanctæ diſcretionis ſuis temporibus ejus effectus aliquos experiantur; &, ut in Examine dictum eſt, *c* parati ſint poſt primum annum exactum ad temporalia bona diſtribuenda, quandocumque à Superiore injunctum id fuerit; & eâ ratione ſervatâ, quæ ipſis in *d* Examine propoſita fuit.

b P. 6. c. 2. §. 1. & P. 10. §. 5.
c Sup. §. 7. & Exa. c. 4. §. 2. 3. & 5.
d Exa. c. 4. §. 2.

Omnes rectam habere intentionem ſtudeant non ſolum circa vi- 26
tæ ſuæ ſtatum, verum etiam circa res omnes particulares, id ſemper in eis ſincere ſpectantes, ut ſerviant & placeant divinæ bonitati propter ſeipſam, & propter charitatem, & eximia beneficia, quibus prævenit nos, potius quam ob timorem pœnarum, vel ſpem præmiorum (quamvis hinc etiam juvari debeant) & crebrò admoneantur ut in omnibus quærant Deum, exuentes ſe, quantum fieri poteſt, amore omnium creaturarum; ut affectum univerſum in ipſarum Creatorem conferant, eum in omnibus creaturis amando, & omnes in eo, juxta ſanctiſſimam ac divinam ipſius voluntatem.

e Studium in quod incumbent, qui in Domibus Societatis proban- 27
tur, id eſſe debet, quod eos magis ad ſuperius dictam abnegationem ſui, & in virtutibus ac devotione profectum juvabit. (X) Studia *f* verò litterarum, in univerſum loquendo, in Domibus non erunt; niſi cum quibusdam, peculiaribus de cauſis, diſpenſatione opus eſſe videretur.

e Sup. §. 23. & Exa. c. 4. §. 46.

tur. *a* Collegia enim ad litteras addiſcendas ſunt; Domus verò ad eas, quas didicerint, exercendas; vel ad præparandum earum fundamentum, humilitatis ſcilicet, ac omnis virtutis in iis, qui operam eis ſunt daturi.

a Par. 4. procem. & c. 8. §. 1. & c. 11. § 1, & p. 10, §. 4.

(X) §. *Quamvis, in genere loquendo, ſtudia litterarum in Domibus Societatis non teneantur; quicumque tamen prædicationi, & Confeſſionibus audiendis vacant, ſtudium adhibere poſſunt ad ea, quæ ipſis uſui futura ſunt. Et ſi alicui particulariter conveniret aliis etiam rebus ſtudere, prudentiæ Superioris relinquitur, ut id conſideret, & in eo diſpenſet.*

28 Sit qui ſingulis hebdomadibus, vel ſaltem decimo quinto quoque die, hæc & ſimilia omnibus in memoriam redigat; vel illi hæc legere teneantur: ne pro noſtræ fragilis naturæ conditione obliti, ab eorum executione ceſſent. Et aliquoties ſingulis annis omnes à Superiore ſibi pœnitentias injungi propter defectum obſervationis Regularum petant; ut hæc cura indicium ſit illius, quam de ſuo profectu ſpirituali in viâ DEI quisque habet.

De conſervatione Corporis.

CAPVT II.

1 VT nimia ſollicitudo in iis, quæ ad corpus pertinent, reprehenſibilis eſt; ita *b* cura moderata tuendæ ad divinum obſequium valetudinis ac virium corporis laude digna, & ab omnibus adhibenda eſt. Et eâ de causâ, cùm animadverterint aliquid ſibi nocere, vel quid aliud neceſſarium eſſe circa victum, veſtitum, habitationem, officium, aut exercitationem, & ſic de aliis rebus, admoneant omnes eâ de re Superiorem, vel quem ad id Superior conſtituerit; duo interim obſervantes: Primum, ut antequam ad eum quid referant, ſe ad orandum recipiant; & *c* poſt orationem, ſi ſenſerint rem deferendam ad Superiorem, id faciant: Alterum, ut cum verbo, aut ſcripto brevi (ne excidat memoria) Superiori rem expoſuerint, ei totam curam rei expoſitæ relinquant; & quidquid ille ſtatuerit, optimum ducant; (A) nec contendere, aut urgere per ſe,

b Sup. c. 1. § 1. & p. 4. c. 4. §. 1. & p. 6. c. 3. §. 1. & p. 10. §. 13. & C.

c Exa. c. 8. A.

ſe, vel alium (ſive concedatur quod petitur, ſive non) pergant: quandoquidem ſibi perſuadere debent, id magis expedire ad divinum obſequium, ac ſuum majus bonum, quod Superiori, re intellectâ, in Domino viſum fuerit.

IN CAP. II.

(A) §. *Licet qui exponit quod neceſſarium ſibi exiſtimat, non debeat ex ſe idem denuò petere, nec urgere; ſi Superior tamen nondum ſatis intellexiſſet, & declarationem vellet majorem; ea quidem danda erit. Et ſi fortè ex oblivione non provideret, cùm tamen ſignificaſſet ſe velle id facere; non erit abs re, debita cum modeſtia ei in memoriam reducere, vel repræſentare.*

Statuatur *a* tempus, quoad ejus fieri poterit, edendi, cubandi, ſurgendi, 2
(B) quod communiter omnes obſervent. *a* P.4.c.10.§.9.

(B) §. *Quamvis ordinem temporis in refectione & ſomno, ut plurimum, omnes obſervare debeant; ſi tamen peculiares ob cauſas alicui aliud conveniret, videat Superior, num diſpenſatione cum eo ſit utendum, necne.*

b In iis quæ ad victum, (C) veſtitum, & habitationem, & alia 3
corpori neceſſaria pertinent, curetur cum divino auxilio, ut quamvis ſit in quo probetur virtus & ſui ipſius abnegatio; non deſit tamen quo ſuſtentetur natura, & ad divinum obſequium laudemque conſervetur; habitâ convenienti ratione perſonarum in Domino. *b* Exa. c.4. §.26. & p.6. c. 2. §.15. & 16. & M.

(C) §. *In veſtitu habenda eſt ratio ejus finis, qui eſt, ab injuriâ frigoris & ab indecoro defendi. Ceterum convenit, ut* c *qui probantur, veſtitus ratione, ad mortificationem & abnegationem ſui, & ad mundum ejusque vanitatem ſub pedibus conculcandam juventur. Et id quidem, quantum, conſideratâ naturâ, conſuetudo, officium, & aliæ perſonarum circumſtantiæ patiuntur.* *c* Exa.c.1.§.13.& F.& p.1.c.4.§.4.

Cum Scholaſticis approbatis, & iis qui ſtudiis vacant, videtur in iis quæ ad veſtitum attinent, magis quàm cum iis qui probantur, ratio haberi poſſe decentiæ exterioris, & commoditatis propter ſtudiorum laborem, & quia Collegia reditus habent: quamvis ſuperflua ſemper evitari oporteat. In particularibus verò, prout unicuique convenit, procedetur.

d Vt (D) non expedit tanto labore corporali quemquam onerari, ut ſpi- 4
ritus obruatur, & corpus detrimentum patiatur; ita aliqua corporalis exer- *d* P.10.§.10.
cita-

citatio, quæ utrumque juvet, omnibus communiter convenit, etiam illis qui mentalibus exercitiis debent inſiſtere, quæ quidem externis interrumpi deberent, & non continuari, nec ſine menſurâ diſcretionis aſſumi.

a P. 4. c. 4. §. 1. (D) §. a *A prandio, præſertim in æſtate, per unius vel duarum horarum ſpacium permitti non debent, quoad ejus fieri poterit, corporis aut mentis graviora exercitia. Si quid verò neceſſitas poſtulabit, id quantâ poterit charitate erit & metiendum, & moderandum. Id autem temporis in aliis levioribus exercitiis occupari poterit. Sed nec extra hujuſmodi horas labores nimium continuari ſine aliqua relaxatione, vel convenienti recreatione debebunt.*

5 Corporis b caſtigatio immoderata eſſe non debet, nec indiſcreta (E) in vigiliis, & abſtinentiis, & aliis pœnitentiis externis, (F) ac laboribus; quæ & nocumentum afferre, & majora bona impedire ſolent. c Ideo ſuo Confeſſario detegi ab unoquoque convenit, quidquid in hac parte faciat; qui ſi judicat excedi menſuram, aut certè dubitat de exceſſu, illum ad Superiorem remittat. Hæc autem omnia eo fiunt, ut clariùs procedatur, & in animis corporibusque noſtris Deo Domino Noſtro major gloria deferatur.

b P. 10. §. 10.

c Sup. c. 1. §. 12. & Exa. 6. 1. §. 16. & C. & p. 6. c. 3. §. 1.

d P. 4. c. 4. §. 1. & p. 6. c. 2. §. 16. (E) §. d *Tempus ſomno tribuendum, in genere loquendo, intra ſextæ & ſeptimæ horæ ſpatium debere eſſe videtur; (nec ſine induſiis dormiendum eſt, niſi neceſſitatis alicujus excuſationem Superior admitteret) ſed quia in tantâ varietate perſonarum ac habitudinum certa regula præſcribi nequit, ut detrahatur, vel addatur huic tempori, Præpoſiti prudentiæ relinquetur: qui curabit, ut quisque, quod neceſſitas naturalis exigit, retineat.*

(F) §. *Quamvis uniusquisque paratus eſſe debeat ad quodvis officium aſſumendum quod ei fuerit impoſitum; animadvertendum tamen erit, in illis, quæ robuſtiores ac fortiores homines requirunt (qualia ſunt officia Sacriſtæ, Ianitoris, atque Infirmarii) ut ii homines qui corporis habitudine juxta officiorum rationem præditi ſunt, quantum fieri poteſt, conſtituantur.*

6 Sit aliquis Domi, qui præſit in iis, quæ ad corporis bonam valetudinem pertinent, tum conſervandam in ſanis (& quidem in iis præſertim, qui ex ætate, vel aliis de cauſis ſunt debiliores) tum reſtituendam in ægrotantibus,

liores) tum reſtituendam in ægrotantibus, (G) cui debeant omnes, ſi malè ſe habere extraordinariè ſenſerint, id referre, ut de remedio, prout charitas exigit, convenienti provideatur.

(G) §. *Cura habeatur ægrotorum magna, quorum ægritudo ſimulatque Infirmario indicata fuerit, ſi ſenſerit ille rem eſſe alicujus momenti, Superiorem admoneat: & vocetur Medicus, qui unus tantum ordinariè eſſe debet, ſi in caſibus quibusdam Superiori aliud non videretur.* a. *Obſervetur autem tam in victus ratione, quàm in medicinis quod Medicus præſcripſerit, quantum fieri poterit; nec infirmus in his quidquam curet:* b *ſed illud potiùs ſtudeat, ut patientiam & obedientiam exerceat, relictâ curâ reliquorum omnium Superiori, ac ejus miniſtris, per quos à divina providentiâ regitur.*

a P.6.c.2.§.16.

b Sup.c.1.§.17. & Exa.c.4.§.32.

c *Et quamvis noſtræ vocationis ſit diverſa loca peragrare, & vitam agere in quavis mundi plagâ, ubi majus Dei obſequium, & animarum auxilium ſperatur; nihilominus tamen ſi experimento comperiretur aliquis ferre non poſſe alicujus regionis cœlum, & male habere continenter cerneretur; Superiori conſiderandum relinquitur, num ille migrare aliò debeat, ubi melius habens corpore, impenſius divino ſervitio vacare poſſit. Non erit tamen ipſius infirmi, hujusmodi mutationem poſtulare, nec animi propenſionem ad eam oſtendere; ſed Superioris curæ id relinquetur.*

c Exa.c.4.§.35.& p.4.prooem.A & p.7.c.1.§.1 & c.2.H.

In iis quæ pertinent ad rerum temporalium conſervationem, præter curam illam, quam omnibus charitas & ratio imponit, æquum erit, alicui peculiariter demandari hoc munus; ut tamquàm bona Domini Noſtri IESV Chriſti propria ea curet. Ad alias etiam functiones neceſſarias, & eas præcipuè, (H) quæ honeſtiùs Domi, quàm foris fiunt, curandum eſt, ut *d* Officialium neceſſarius numerus conſtituatur. Et expedit ut hujusmodi officia Coadjutores Temporales, ſi ea ignorent, addiſcant: omnia ad majorem gloriam Dei, Creatoris & Domini Noſtri ſemper dirigendo. 7

d P.1.c.2 §.2.&A & p.4.c.3.§.2.& c.10.§.6.

(H) §. *Officiales in iis quæ Domi honeſtiùs quam foris fiunt intelliguntur, Lotor pannorum lineorum, Tonſor, & hujusmodi; quos eſſe Domi, ſi fieri poſſet, expediret.*

QVARTA PARS

De iis, qui in Societate retinentur, inſtruendis in litteris, & aliis, quæ ad proximos juvandos conferunt.

PROOEMIVM.

1 CVm *a* ſcopus, ad quem Societas rectà tendit, ſit ſuas ac proximorum animas ad finem ultimum conſequendum, ad quem creatæ fuerunt, juvare; cumque ad id præter vitæ exemplum, doctrina & modus eam proponendi ſint neceſſaria; poſtquàm in iis, qui admiſſi ſunt ad Probationem, jactum eſſe videbitur abnegationis propriæ, & profectus in virtutibus neceſſarii conveniens fundamentum, de litterarum ædificio, & modo eis utendi agendum erit: quò juvare poſſint ad magis cognoſcendum, magisque ſerviendum Deo Creatori ac Domino Noſtro. (A) Ad hoc *b* Collegia, & aliquando etiam Vniverſitates, vel Studia generalia Societas amplectitur: in quibus qui bonum ſui ſpecimen in Domibus dum probarentur, præbuerunt, nec tamen doctrinâ ad noſtrum Inſtitutum neceſſariâ ſatis inſtructi acceſſerunt; in eâ & in aliis rebus, quæ ad juvandas animas conferunt, inſtruantur. Prius ergo de iis quæ ad Collegia; deinde de iis quæ ad Studia generalia pertinent, dicetur, eum eo favore quem divina Sapientia ad majorem gloriam laudemque ſuam nobis dare dignabitur.

a Inſ. c. 5. §. 1. & c. 6. §. 1. & c. 12 §. 1. & Exa c. 1. §. 2. & p. 1. c. 2. §. 8. & p. 3. c. 1. §. 9. & p. 7. c. 1. §. 1. & p. 10. §. 2.

b Inſ. c. 3. §. 1. & c. 11 §. 1. & p. 3. c. 1. §. 27. & p. 10. §. 4.

DECLARATIO

IN PROOEMIVM quartæ partis.

(A) §. *CVm ſcopus ac finis, ad quem tendit hæc Societas, ſit* c *varias mundi partes ex obedientiâ ſummi Vicarii Chriſti Domini Noſtri, vel Superioris ejuſdem Societatis peragrando, verbum DEI prædicare,*

c Exa. c. 4. §. 35. & p. 3. c. 2. G. & p. 7. c. 1. §. 1. & A. & c. 2. H.

care, Confeſſiones audire, & reliquis quibuscumque poterit mediis uti, Divinâ gratiâ aſpirante, ad animas juvandas; neceſſarium eſſe, vel in primis rationi conſentaneum viſum eſt, a *ut qui in eam ſunt ingreſſuri, viri ſint vitæ probitate, & litterarum eruditione ad id officium idonei. Et quia boni ſimul & eruditi pauci inveniuntur, ſi cum aliis comparentur; & ex paucis major pars jam à ſuſceptis laboribus vellet conquieſcere; perdifficile fore deprehendimus, hujusmodi hominibus, qui boni ſimul ac litterati eſſent, hanc Societatem augeri poſſe, tum propter magnos labores, quos ejus Inſtitutum exigit, tum propter magnam ſui ipſorum abnegationem. Ideò nobis omnibus, qui conſervationem & incrementum ejus ad majorem laudem & obſequium DEI ac Domini Noſtri cupiebamus, alia via tenenda eſſe viſa eſt; admittendi nimirum juvenes, qui bonorum morum &* b *ingeniorum indole ſpem facerent, quod in probos ſimul ac doctos viros, ad colendam Chriſti Domini Noſtri vineam eſſent evaſuri:* c *admittendi etiam Collegia, cum iis conditionibus, quæ in litteris Apoſtolicis continentur, ſive in Vniverſitatibus, ſive extra illas fuerint; & quidem ſi in Vniverſitatibus, ſive illæ Societatis curæ commiſſæ ſint, ſive non. Hac enim ratione nobis in Domino perſuademus, ad majus divinæ Majeſtatis obſequium fore, ſi & numero augeantur, & in litteris ac virtutibus progreſſum faciant ii qui eidem obſequio ſe totos impendunt. Primò ergo de iis, quæ ad Collegia pertinent; deinde de iis, quæ ad Vniverſitates, agetur. Et quod ad Collegia, primo loco de iis, quæ ad Fundatores; Secundo de iis, quæ ad Collegia jam fundata, quoad materialia vel temporalia bona eorum pertinent; Tertio de Scholaſticis, qui in eisdem ſtudiis vacant, admittendis, conſervandis, litteris & aliis mediis ad proximum juvandum promovendis, & à ſtudiis educendis; Quarto de iis, quæ ad gubernationem eorum pertinent.*

a P.1.c.1. §.3.& p. 8.c.1.§.2.& B. & p.10.§.7.

b Inf.c.3.§.2.& p. 1.c.3.§.13.& p.5. c. 2.§.5.

c Inf.c.2.§.1.& c. 11.§.1.& 2.& p. 9.c.3.§.17.

De memoria habenda Fundatorum, & bene de Collegiis meritorum.

CAPVT I.

QVONIAM valdè æquum eſt, ut (quod in nobis erit) illo- 1
rum devotioni ac beneficentiæ correſpondeamus, quibus Divina

bonitas ad fundationem ac dotationem Collegiorum utitur adminiſtris ; Primùm in quovis noſtræ Societatis Collegio perpetuò ſingulis hebdomadibus Miſſa ſemel pro ejus Fundatore & benefactoribus vivis & mortuis celebretur.

2 Initio item cujusque menſis omnes Sacerdotes, qui in Collegio fuerint, pro eisdem ſemel offerre idem Sacrificium perpetuo debeant. Singulis inſuper annis, eo die quo Collegii cujusque poſſeſſio Societati tradita eſt, (A) cum *a* ſolemnitate Miſſa pro Fundatore & benefactoribus celebretur: & id temporis in eodem Collegio quicumque Sacerdotes adfuerint, eodem ſua referent Sacrificia.

a P. 6. c. 3. B.

IN CAPVT
Primum Quartæ Partis.

De memoriâ habendâ Fundatorum.

(A) §. *Solemnitas eo modo intelligatur, qui Societati ſit uſitatus, & in eo loco, ubi Miſſa celebratur.*

3 Eodem die candela cerea Fundatori offeratur, (B) aut uni ex ſuis, qui ipſi ſit cognatione proximè conjunctus, aut illi demum quem ipſe Fundator deſignaverit: in quâ candelâ armorum Fundatoris, aut devotionis inſignia extent. (C) Illa verò teſtabitur Societas, quam Fundatori in Domino debet, gratitudinem.

(B) §. *Si in loco, ubi hujusmodi Collegium inſtitutum eſt, temporis ſucceſſu non eſſet aliquis de poſteritate Fundatoris, mitti candela poterit aliò, ubi ex ejus progenie aliquis inveniretur; vel in altari conſtitui poterit, ubi divinum Sacrificium celebratur, nomine & loco Fundatoris hujusmodi.*

(C) §. *Per hujusmodi candelam, ſignificatio fit gratitudinis erga Fundatores tenendæ; non juris patronatus, vel actionis ullius, quæ illis, aut eorum ſucceſſoribus, ad Collegium vel ejus bona temporalia competat. nihil enim tale erit.*

4 Cum primum Societas in Collegii alicujus poſſeſſionem venerit, Præpoſitus Generalis curet indici per univerſam Societatem, ut quilibet Sacerdos ter Sacrum faciat pro ſuperſtite Fundatore ipſius Collegii,

gii, ac benefactoribus: ut illos ſuâ benignitate Dominus in rebus omnibus dirigat, & ſuis donis ſemper augeat. Rurſus, (D) cum ex hac vitâ illi exceſſerint, curabit idem Præpoſitus Generalis, ubi primùm reſciverit, ut per totam Societatem ſinguli Sacerdotes ter Sacrum pro animabus illorum faciant. Quoties autem dictum eſt, Miſſas eſſe à Sacerdotibus celebrandas; ceteri omnes, qui in Collegiis degunt, ac Sacerdotes non ſunt, ad eamdem illam intentionem orare debent: quandoquidem ejusdem gratitudinis nomine utrique obligantur in Domino.

(D) §. *In Communitatibus, vel Rebus publicis, quæ non moriuntur, dicentur hujusmodi Miſſæ pro earum defunctis; & pro illis præſertim, qui de nobis melius meriti ſunt in Domino.*

Fundatores prætereà ac benefactores Collegiorum, participes peculiariter efficiuntur omnium bonorum operum, quæ tum in ipſis Collegiis, tum in reliquâ Societate Dei gratiâ fiunt. 5

(E) In univerſum autem tum Fundatoribus, tum etiam ipſorum neceſſariis, & quoad vivunt, & poſtquàm obierint, peculiariter ſeſe devinctam eſſe Societas ex charitate cognoſcat: ut omni officio illos proſequatur, quod à nobis præſtari juxta minimam hanc noſtram profeſſionem, ad divinam gloriam poſſit.

(E) §. *Quod dictum eſt, obſervari omnino conveniet erga eos, qui completa Collegia facient. Cum iis autem, qui aliquod duntaxat principium dederint, ea pars eorum, quæ diximus, præſtabitur, quam Præpoſitus Generalis præſtandam in Domino judicaverit.*

De iis, quæ ad res temporales Collegiorum pertinent.

CAPVT II.

AD *a* Collegia quæ liberè Societati offeruntur, ut juxta ſuas Conſtitutiones omnino eis utatur, admittenda; Præpoſitus Generalis, nomine totius Societatis, plenam poteſtatem habebit. 1

a Supra proœ. A. p. 9. c. 3. §. 17.

Si Fundator *b* aliquas conditiones exigeret, ordini ac modo procedendi Societati conſueto non omnino conſentaneas; eidem Præpoſi- 2

b Inf. c. 11. §. 2. & A. & p. 9. c. 3. §. 17.

a Inf. c. 11. §. 2. poſito Generali (auditis ſententiis aliorum, *a* quos ipſe de hujuſmodi rebus melius judicare cenſebit) conſiderandum relinquatur, an omnibus perpenſis utile ſit futurum Societati ad finem divini ſervitii, quem

b P. 9. c. 3. §. 17. ſibi præfixit, hujuſmodi Collegium admittere, necne. *b* Sed ſi temporis decurſu ſe gravari eo onere animadvertet Societas, poterit ipſa in Congregatione generali id proponere, & ſtatuere ut relinquatur Collegium hujuſmodi; vel proſpicere, ut onus temperetur; vel certè, ut ad onus id ferendum vires majores præbeantur. Hoc tamen dictum ſit, ſi ante Congregationem hujuſmodi Præpoſitus Generalis huic incommodo, prout in Domino convenit, non occurrerit.

3 *c* Ad relinquenda, vel alienanda Collegia, aut Domos jam ad- c Inf. c. 10. §. 2. & c. 11. §. 2. & p. 8. c. 2. §. 2. & p. 9. c. 3. §. 5. 17. & 18. miſſas, (A) Præpoſitus Generalis ſimul cum ipſâ Societate poteſtatem habebit. Cum enim id ſit perinde, ac ſi membrum ab ejus corpore præſcinderetur, & res alioqui perpetua & majoris momenti ſit; cum ea univerſa communicari melius eſt.

IN CAP. II.

De iis, quæ ad Collegiorum res temporales pertinent.

(A) §. P*Ræpoſitus Generalis ſimul cum Societate, num admiſſa jam Collegia vel Domus relinqui debeant, an retineri, ſtatuat. Id tamen in Congregatione generali fieri poſſet; & etiam ſine illâ, miſſis nimirum ſuffragiis ab iis, qui jus habent ſuffragii. Et tunc non poteſt Societas, nec ejus Generalis, quod ſic relinquitur, vel ejus partem ullis extra Societatem hominibus donare. Sed ſi ipſa curam, quam habebat, reliquerit, poterunt qui alias hanc auctoritatem ſibi in fundatione reſervaverint, pro ſua devotione ad aliud opus applicare id quod ſic relictum fuerit. Si verò hujuſmodi non interceſſerit reſervatio, poterit procedere Societas juxta ſuum Inſtitutum, prout ad Dei gloriam magis convenire judicabit.*

4 In *d* Collegiis Societatis (B) nec curæ animarum, nec obligationes d P. 6. c. 3. §. 5. & 6. & C. ad Miſſas celebrandas, neque aliæ hujuſmodi admittantur; quæ à ſtudiis diſtrahere admodum, & ea quæ in illis ad divinum obſequium quæruntur, impe-

impedire ſolent: quemadmodum neque in Domibus aliis, vel Eccleſiis Societatis Profeſſæ, quæ quoad ejus fieri poteſt, expedita ad Sedis Apoſtolicæ miſſiones obeundas, aliaque opera ad Dei obſequium & animarum auxilium eſſe debet.

(B) §. *De non admittendis obligationibus, & cet. ſic intelligitur, quod Miſſarum obligationes, vel hujuſmodi, quæ aſſignato reditui commenſuratæ videantur, aſſumi nequeunt. Non tamen perinde inconveniens exiſtimatur, aliquam facilem & exiguam obligationem (quæ tamen non ſit animarum cura) admittere; ſi cauſa ſufficiens ad id moveret, præſertim ſi res hujuſmodi eſſet, quæ diſtractionis & occupationis perexiguæ, aut nullius futura eſſet. In Domibus autem Profeſſorum, quando nec illæ reditus ullos habent, nec ipſi ſtabilem habitationem, hujuſmodi obligationes non tolerantur. De aliis obligationibus Lectionum vel Lectorum non hic agitur: verumtamen a & hæ ipſæ in Collegiis, & Univerſitatibus non ſine magnâ conſideratione, nec ultra limitem, quem Præpoſitus Generalis convenire ad commune bonum, & ipſius Societatis ad Dei & Domini Noſtri gloriam judicaverit, aſſumentur.*

a Sup. §. 2. & inf. c. 11. §. 2. & A.

(C) *b* Poſſeſſionem Collegiorum cum rebus temporalibus quæ ad ipſa ſpectant, capiet Societas; *c* & Rectores qui ad id munus conveniens habeant talentum, conſtituet: qui curam ſuſcipiant conſervandi, atque adminiſtrandi res ipſorum temporales; ac provideant neceſſitatibus tam materialis ædificii, quam Scholarium qui in ipſis Collegiis degunt; (D) eorumque, qui diſponuntur ut ad illa admittantur; atque (E) eorum etiam, qui extra Collegia gerunt illorum negotia. *d* Totius verò adminiſtrationis ratio Rectoribus conſtet: ut eam reddere, quandò, & cui per Præpoſitum Generalem conſtituetur, poſſint. At (F) Generalis *e* cum nec in ſuum, nec in ullorum conſanguineorum ſuorum, nec in Profeſſæ Societatis uſum bona temporalia Collegiorum poſſit convertere; eò puriùs ſeſe in eorum ſuperintendentiâ ad majorem gloriam & ſervitium DEI gerere poterit. 5

b Inf. c. 10. §. 1. & 2. & p. 9. c. 3. §. 3. *c* Inf. c. 10. §. 3. & 5. & p. 9. c. 3. §. 3. & 14. *d* Inf. c. 10. §. 3. & p. 9. c. 3. & 4. & 15. & C. *e* Inf. c. 10. §. 1. & Ex. c. 1. §. 4. & p. 6. c. 2. §. 3. & p. 9. c. 3. §. 18. & c. 4. §. 7. & D. & p. 10. §. 4.

(C) §. *Societas in uſum Scholaſticorum ſuorum juxta litteras Apoſtolicas redituum adminiſtrationem exercebit per Præpoſitum Generalem, vel Provincialem, vel alium, cui Generalis id commiſerit, ad defendendas & conſervandas poſſeſſiones, & reditus Collegiorum, etiam in judicio, cùm*

id conveniens, vel neceſſarium fuerit. Ac ejusdem Præpoſiti erit, vel eorum quibus ille facultatem dederit, admittere quidquid præterea Collegiis ad ſuſtentationem & incrementum eorum in rebus temporalibus donaretur.

a Exa. c. 1. B.

(D) §. a *Qui diſponuntur ut ad Collegia mittantur, illi ſunt, qui in Domibus Probationum verſantur; & qui ex Domibus Societatis Profeſſæ, vel Domibus Probationum ad ſtudia mittuntur.*

b P. 9. c. 3. §. 16. & c. 6. §. 12. & H.

(E) §. b *Qui negotia Collegiorum extra ea gerunt, in primis intelliguntur Procuratores, qui in ſummi Pontificis, vel aliorum Principum curiâ negotia Societatis gerunt. Verùm quid ad hos, & alios ſumptus neceſſarios contribui debeat, Præpoſitus Generalis ſervata proportione debitâ per ſe vel alium id ſtatuet.*

c Inf. c. 10. A. & p. 6. c. 2. §. 3. & 4. & C.

d P. 6. c. 2. C. & D.

(F) § *Cum dicitur, non poſſe Societatem Profeſſam, vel ejus Præpoſitum Generalem juvari reditibus Collegiorum, intelligendum eſt juxta litteras Apoſtolicas, quòd non poſſint in proprios ipſorum uſus reditus converti. c Poſſunt nihilominus expendi in uſum illorum, qui Collegiis utiles fuerint: cujusmodi ſunt Adminiſtratores, Concionatores, Lectores, Confeſſarii, Viſitatores, & alii Profeſſi, vel ſimiles perſonæ, quæ ſpirituali vel temporali Collegiorum hujusmodi utilitati vacant. d Sine tali etiam causâ poſſet expendi aliquid, quod exiguum ſit, cum quovis homine de Societate, menſâ per diem aliquem eum excipiendo, vel modicum quid viatici, cum per Collegia in hanc vel illam partem tranſit, vel quid ſimile donando. Quod enim tam eſt exiguum ut nihilum ducitur, & ſcrupuli eximuntur, hinc quidem inhumaniter ſe habendi, inde verò contra Sedis Apoſtolicæ intentionem agendi.*

e Exa. c. 4. §. 12. & 27. & p. 6. c. 2. §. 10.

6 In iis Collegiis quæ duodecim Scholaſticos (præter Præceptores) ex propriis reditibus alere poſſunt, ob majorem populi ædificationem (G) nec petantur eleemoſynæ, nec illæ, aut dona ulla oblata admittantur. Si reditus minores fuerint, quàm huic numero alendo ſufficiant; admitti quidem, non autem peti aliquæ eleemoſynæ poſſent; niſi tantâ paupertate Collegium premeretur, ut etiam petere, ſaltem à quibusdam, eſſet neceſſarium. Tunc enim (majus divinum obſequium & univerſale bonum præ oculis ſemper habendo) peti eleemoſynæ, e imò & oſtiatim ad tempus, quandocumque neceſſitas id exigeret, emendicari poterunt.

(G) §.

(G) §. Quamvis hoc ita ſe habeat, ſi tamen benefactores eſſent, qui poſſeſſionem aliquam vel reditum dare vellent, admitti illa poſſent; ut tanto major numerus Scholaſticorum, ac Præceptorum ad majus divinum poſſent obſequium ſuſtentari.

De Scholaſticis qui in Collegiis conſtituentur.

CAPVT III.

QVod ad Scholaſticos attinet, ad quorum inſtitutionem *a* Collegia aſ- 1
ſumuntur, in primis *b* quales eſſe debeant, ut ad ea vel mittantur, vel admittantur, conſiderare in Domino oportebit.

a Supra proœm. & inf. c. 11. §. 1. & p. 3. c. 1 §. 27. & p. 10. § 4.
b Exa. c. 1. §. 10. & p. 5. c. 2. §. 5. & p. 10. §. 4.

c Primum omnium cum aliquo ex quinque illis impedimentis in primâ Parte dictis, (A) nullus in Collegio aliquo Societatis inter Scholaſticos collocari poterit. Et præter Coadjutores ad miniſteria vel auxilium Collegii *d* neceſſarios, reliqui hujuſmodi eſſe debent, *e* ut ſecundum rationem ſperari poſſit, idoneos ad vineam Chriſti Domini Noſtri exemplo ac 2
doctrinâ excolendam, eſſe evaſuros. Hi autem, quò magis ingenioſi, bonisque moribus ornati, & ſani corpore ad ferendos ſtudiorum labores fuerint, eò magis idonei, & citius ad Collegia mitti, vel in eisdem admitti poſſunt.

c Exa. c. 2. §. 6. & p. 1. c. 3. § 2. & G.
d Inf. c. 10. §. 6. & p. 1. c. 2. §. 2. & A. & p. 3. c. 2. §. 7.
e Supra proœ. A.

IN CAP. III.

De Scholaſticis, qui in Collegiis conſtituentur.

(*A*) §. *QVando aliquis factus eſſet idoneus à Chriſti Vicario, ut in aliquâ Domo Societatis manere poſſit; etiam idoneus eſſe intelligetur, ut in Collegiis habitet.*

Ad hæc, *f* illi ſolùm in Scholaſticos approbatos admittuntur, qui in Domibus vel Collegiis ipſis probati fuerint: & *g* biennio in variis experimentis & 3
Probationibus exacto, *h* ac votis cum promiſſione de Societatis ingreſſu jam emiſſis, ad vitam in ipsâ perpetuò ducendam ad gloriam Dei admittuntur.

f Exa. c. 1. §. 10. & c. 7. §. 1. & p. 5. c. 2. §. 5.
g Inf. c. 4. §. 5. & Exa. c. 1. §. 12. & c. 4 §. 41. & p. 5. c. 1. §. 3 & c. 4. §. 3.
h Inf. c. 4. E. & Ex. c. 1. §. 10. & c. 7. §. 1 & p. 5. c. 1. A. & c 4. § 4.

4 Præter hos, ſtudia quibusdam conceduntur, qui ante biennium & Probationes hujusmodi ad Collegia ex Domibus deſtinantur (quod ſic in Domino expedire videatur) aut in eisdem admittuntur, non tamen approbati Scholaſtici cenſentur, donec biennio exacto, (B) & votis ac promiſſione illâ emiſſis, in approbatorum numerum referantur.

(B) §. *Si in Collegiis Societatis, Scholaſticorum non ſuppeteret juſtus numerus, qui per promiſſionem, vel propoſitum Deo in eâ ſerviendi ſe dedicaverint,* a *non repugnabit Inſtituto noſtro, ex licentiâ Præpoſiti Generalis, & ad tempus quod ei videbitur, alios pauperes Scholaſticos, qui tale propoſitum non habeant, admittere: dum tamen in eis impedimenta illa, quæ in prima Parte dicuntur, non inveniantur; & hujusmodi indolem præ ſe ferant, ut ſperari poſſit, quod boni operarii vineæ Chriſti Domini Noſtri ſint futuri, propter ingenium, vel aliquam inſtitutionem in litteris, bonos mores, convenientem ætatem, & alia Dei dona, quæ in eis cernerentur ad divinum obſequium; quod ſolum in iis qui de Societate, & extra illam ſunt, expetitur. Hujusmodi autem Scholaſtici in Confeſſionibus frequentandis, in ſtudiis, ac in forma vivendi Scholaſticis Societatis conformes eſſe debent: quamvis & ratio veſtitus diverſa, & habitatio in eodem Collegio ſeparata ſit, ita ut qui Inſtitutum Societatis ſequuntur, ſeorſum, & non commixti aliis externis maneant: cum eis tamen verſentur, quatenus ad majorem ædificationem, ac majus Dei ac Domini Noſtri obſequium Superior expedire judicaverit.*

a Inſt. c. 9. A.

Quamvis autem noſtrorum copia ſuppeteret; tamen non repugnabit noſtro Inſtituto ſi aliquis, qui propoſitum Societatem ingrediendi non habeat, in Collegia admittatur, ſi pacta cum Fundatoribus inita id exigent: ſi quidem ad finem quem ſibi præfigit Societas, cum hujusmodi conditionibus Collegium admittere utile cenſebitur; vel ob cauſas alias raras, & non levis momenti. Verum ſeorſum habitare hi, nec converſari ſine facultate Superioris, niſi cum certis quibusdam perſonis Societatis ad id deſignatis, deberent.

Paupertas autem Scholaſticorum, qui de Societate non ſunt, per Præpoſitum Generalem, vel eum cui ſuam ille poteſtatem communicaverit, expendetur. Et aliquando honeſtas ob cauſas, quamvis illi divitum aut nobilium hominum filii ſint, modo ſuis vivant ſumptibus, nihil eſſe videtur, cur admitti non poſſint.

Aetas

Aetas conveniens fore à decimo quarto ad vigeſimum tertium annum videtur, ſi in litteris progreſſum aliquem non feciſſent. Et in univerſum loquendo, quo pluribus donis ex iis, quæ in Societate expetuntur, præditi eſſent, eò magis erunt idonei, ut admittantur. Nihilominùs animadvertatur, ut cum hujusmodi reſtrictiores, quam laxiores ſimus; habeaturque diligenter delectus eorum, qui ſunt admittendi, examine aliquo particulari cum eisdem, antequam recipiantur, utendo.

Aliqui, licet rariores, poſſent inter noſtros, particulares ob cauſas, & Superioris judicio efficaces, admitti.

De Scholaſticis admiſſis conſervandis.

CAPUT IV.

AD conſervationem eorum, qui in Collegiis ſunt, in iis quæ ad 1
corpus, & res externas attinent, quod in Tertiâ Parte di-
ctum eſt, ſufficiet. *a* Id tamen peculiari cura animadvertendum e- *a* P.3.c.2.§.1.&D.
rit, ut temporibus valetudini corporis incommodis Scholaſtici non & E. & p.6.c.2.§.
ſtudeant; ut ſomno quantum temporis ſatis ſit tribuant; & in labo- 16.
ribus mentis modum ſervent. Sic enim fiet, *b* ut diutius in illis perſe- *b* P.10. §.10.
verare tam in litteris addiſcendis, quam in eisdem exercendis ad Dei gloriam poſſint.

Quod attinet ad ſpiritualia, eadem erit ratio eorum qui in Colle- 2
giis, & qui in Domibus admittuntur, quamdiu in Probationibus ver-
ſantur. *c* Poſt Probationem, cum ſtudiis vacant, ut eſt cavendum, *c* Inf.c.6 §.3.&A.
ne fervore ſtudiorum intepeſcat ſolidarum virtutum, ac religioſæ vitæ
amor; ita (A) mortificationibus, orationibus, ac meditationibus prolixis eo
tempore non adeò multum loci tribuetur. *d* Quandoquidem litteris da- *d* Inf.c.6.§.2.
re operam, quæ ſincerâ cum intentione divini ſervitii addiſcuntur, & quodammodo totum hominem requirunt, non minùs, quam in illis verſari tempore ſtudiorum, imo magis Deo ac Domino Noſtro gratum erit.

IN CAP. IV.

De Scholaſticis admiſſis conſervandis.

(A) §. *SI in aliquo particulari Rector convenire judicaret, plus eſſe in his rebus concedendum, propter peculiares aliquas rationes; ſemper diſcretioni locus erit.*

3 Itaque præter Sacramenta Confeſſionis (B) ac Communionis (ad quæ *a* octavo quoque die accedendum erit) & præter Miſſam, quam quotidie audient, horam unam impendent recitando Beatiſſimæ Virginis officio, *b* ac examinandis bis quotidie ſuis conſcientiis, cum aliis orationibus pro cujusque devotione uſque ad prædictam horam explendam, ſi expleta non fuerit. Quæ omnia juxta ordinationem ac judicium Majorum ſuorum, *c* quibus obedientiam Chriſti loco præſtare debent, facient.

a Exā.c.4.§.25.& p.3.c.1 § 11. & Q. & p.6. c 3.§.2.
b Inf §.4. & p 3. c.1 §.11.
c P.3. c.1. §.23.

(B) §. *Frequentius, quam octavo quoque die, communicare, non niſi peculiares ob cauſas, & potius neceſſitatis, quam devotionis, habita ratione permittatur. Protrahere ultra octo dies non ſine ratione etiam ſpeciali licebit; propter quam poſſit etiam aliquando Miſſa intermitti; & in quibusdam augeri, & minui præſcriptum orationis tempus. Et hæc omnia Superioris prudentiæ relinquentur; quamvis unius horæ plus minus tempus ad Beatiſſimæ Virginis preces recitandas aſſumendum ſit. In Scholaſticis tamen, qui ad dicendum officium divinum non tenentur, facilius ſuis temporibus hæc ratio commutari poterit, ut loco precum Beatæ Virginis, meditationes, & alia ſpiritualia exercitia ſuccedant; (dum tamen hora in illis compleatur) idque præcipuè cum quibusdam, qui cum uno modo in ſpiritu non proficiant, alio cum gratia Dei magis juvabuntur, fiet; cum facultate tamen vel ordinatione Majorum, quorum ſemper erit videre, num in quibusdam propter particulares cauſas aliud magis conveniet, ut id fiat. Habenda autem erit ratio veræ devotionis ipſorum, vel Fundatoris, & circumſtantiarum, quæ ad perſonas, tempora, & loca pertinent.* d *Iis verò, qui inexperti ſunt adhuc rerum ſpiritualium, & in illis juvari deſiderant, aliqua ad meditationem & orationem capita proponi poſſent, prout eis magis conveniret. Dum Miſſa dicitur, quamdiu Sacer-*

d P.3.c.1 §.20.& R.

Sacerdos ſubmiſſe loquitur, ut populus non audiat quæ is dicit, num Scholaſtici poſſint, necne, recitare partem precum ſuarum, ad quas horam habent deſignatam; Majorum, vel Superiorum arbitrio id relinquetur: qui hominum, locorum, ingeniorum, & temporum habita ratione, quod ad majorem Dei gloriam videbitur, providebunt.

Aliqui (cujusmodi eſſe poſſent Coadjutores illi, qui legere non didicerunt) præter Miſſam, horam etiam unam (C) recitando Roſario vel Coronæ Beatæ Mariæ Virginis *a* cum duplici examine quotidiano, vel aliis orationibus pro cujusque devotione, ut de Scholaſticis dictum eſt, impendent. 4

a Sup. §.3. & p.3. c.1.§.11.

(C) §. b *Quod ad Coronam vel Roſarium attinet, doceantur quomodò cogitare vel meditari myſteria, quæ in eo continentur, poſſint; quò majori cum attentione & devotione ſe in eo exercere valeant. Et quando qui legere didicerunt, fructum uberiorem in eo, quam in precibus horariis recitandis invenirent; jam* c *diximus, quod in id, quod magis conferet, illæ poterunt commutari.*

b P.3.c.1.§ 10.

c Sup. B.

d Ad devotionis augmentum, & ad excitandam, quâ Deo obſtricti ſunt, obligationis memoriam, & ad majorem ſtudentium in ſua vocatione confirmationem bis annis ſingulis, (D) in feſtis videlicet Reſurrectionis, ac Nativitatis, (E) ſimplicia Vota, quæ juxta formulam in Quintâ Parte, capite quarto dicendam emiſerunt, congruum erit renovare. Et qui ea non emiſiſſet, *e* exacto biennio Probationis, ut in Examine proponitur, emittet. 5

d P.5. c. 4.H.

e Sup.c.3 §.3. & Ex.c.1.§.12. & c. 4.§.41 & p.5.c.1. §.3.& c.4. §.3.

(D) §. Si videretur Rectori cum Superioris facultate commodius fore aliis in feſtis ſolemnibus hanc renovationem aliquando particulari aliquâ ratione fieri, poſſet etiam fieri. Cum etiam de feſtis Reſurrectionis, & Nativitatis loquimur; ſimul intra ejus octavas, vel totidem dies ante feſta intelligatur.

(E) §. Quod autem promittit Scholaſticus in Societate, eſt, in ejus corpus ingredi, ut ſtatim obſervet Caſtitatem, Paupertatem, & Obedientiam actu, juxta Societatis conſuetudinem; ſive admiſſus ſit, ut poſt abſoluta ſtudia ſit Profeſſus, ſive Coadjutor formatus: & ſic conſequenter poteſt illum ſtatim Superior admittere in Scholaſticum, ac ſimul in Probationem ad hoc tantum, ut ad Profeſſorum gradum, vel Coadjutorum ſuo tempore admittatur. f *Hæc conſuetudo facit, ut quamvis Paupertatis votum ſit*

f Ex.c.4.§.2.& 5 & p.3 §.1. §.7. & F.& p.6.c.2.H.

ſit emiſſum, bona tamen temporalia haberi poſſint ad certum usque tempus, quod Superiori intra Probationis ſpatium videbitur.

6 Cum ad publicas Scholas eundum erit (nam alia loca ſine facultate Superiorum non petent) eant & redeant (F) invicem aſſociati cum eâ modeſtiâ interiori ac exteriori, quæ ad ſui & aliorum ædificationem conveniat: *a* & eorum colloquia cum Scholaſticis externis ſint ſolùm de rebus ad litteras, vel profectum ſpiritus pertinentibus; prout ad majorem Dei gloriam omnibus utilius fore judicabitur.

a P. 7. c. 4. § 8.

b P. 3. c. 1. § 3.

(F) §. Rectoris erit b *deſignare cuique ſocium, qui hujusmodi eſſe debebit, ut uterque alterius operâ magis proficere poſſit.*

De doctrinâ, cui Scholaſtici Societatis ſtudere debent.

CAPVT V.

1 CVm *c* doctrinæ, quæ in hac Societate addiſcitur, hic ſcopus ſit, ſuis & proximorum animis Dei favore aſpirante prodeſſe; hæc erit in univerſum, & in particularibus perſonis menſura, ex quâ quibus facultatibus addiſcendis noſtri incumbere, & quousque in eis progredi debeant, ſtatuatur. *d* Et quia generatim loquendo, (A) Litteræ humaniores diverſarum linguarum, Logica itidem, naturalis ac moralis Philoſophia, Metaphyſica, & Theologia tam quæ Scholaſtica, quam (B) quæ *e* Poſitiva dicitur, & ſacra ſcriptura ad id juvant; (C) harum facultatum ſtudiis operam dabunt qui ad Collegia mittuntur: & quidem majori cum diligentiâ illis vacabunt, quæ ad finem prædictum, habita ratione temporis, loci, & perſonarum, &c. *f* ſupremus Moderator ſtudiorum magis in Domino convenire judicabit.

c Supra proœm. & inf. c. 6. § 1. & c. 12. § 1.

d Inf. c. 6. § 5. & c. 12. § 2. & 3. & C.

e Inf. c. 12. § 1. & c. 14. § 1. & C.

f Inf. c. 17. § 2.

IN CAP. V.

De profectu in litteris.

g Inf. c. 12. A.

(A) §. S*Vb* g *Litteris Humanioribus Rhetorica etiam præter Grammaticam intelligenda eſt.*

(B) §.

(B) §. Si in Collegiis tempus non ſuppeteret ad Concilia, Decreta, Doctores ſanctos, & res alias morales legendas; poſtquam ex eis egreſſi fuerint, unusquiſque privato ſtudio cum approbatione ſuorum Superiorum id poſſet efficere; præſertim ſi in doctrinâ Scholaſticâ ſolida jecerit fundamenta.

(C) §. Juxta modum ætatis, ingenii, propenſionis animi & inſtitutionis in litteris uniuscujusque, vel communis boni quod ſperaretur, poſſet in his omnibus facultatibus; vel aliquâ, aut pluribus earum quis exerceri: qui enim in omnibus non poſſet, curare deberet, ut in aliqua earum excelleret.

2

Ad particulares perſonas deſcendendo, (D) quid hi, *a* vel illi addiſcere debeant, Superiorum prudentiæ relinquetur: *b* qui tamen indole ingenii præditus eſſet, quo in dictis facultatibus ſolidius fundamentum jaceret, eo rem utiliorem faceret.

a Inf.c.13. §.4.& Exa.c.7.§.3.
b Inf. c. 13. §. 4.

(D) §. Aliqui ad Collegia mitti poſſent, non quod ſperetur doctos eos eſſe evaſuros, juxta eum modum de quo dictum eſt; ſed potius, ut alios ſublevent; cujusmodi eſſet aliquis c *Sacerdos ad audiendas Confeſſiones, &c. Et hi, ac alii, in quibus* d *propter ætatem provectiorem, vel alias cauſas ſperari non poteſt, quod in omnibus his facultatibus magnum facturi ſint progreſſum; conveniet ut juxta Superioris præſcriptum in iis ſtudiis quibus vacare poterunt, occupentur; & in linguarum peritiâ, & in iis* e *quæ ad doctrinam Confeſſionibus utilem pertinent; & demum in iis, quæ ad commune animarum bonum commodiora ſunt futura, proficere curent.*

c Inf. c.6. C.
d Inf.c.13. E.
e Inf.c.8.§.4.&D.

3

De *f* tempore alicui ex his ſcientiis impendendo, & quando ad ulteriores ſit progrediendum, Rector adhibitâ examinatione convenienti conſiderabit, & ſtatuet.

f Inf.c.13.§.4. & c.15.§.1. & Exa. c.7.§.3.

4

g Sequantur in quavis facultate ſecuriorem & magis approbatam doctrinam, (E) & eos *h* auctores, qui eam docent: cujus rei penes Rectorem (qui, *i* quod ſtatueretur in univerſa Societate ad majorem Dei gloriam, ſecuturus eſt) cura ſit.

g Inf. c.14.§.1. & p.3.c.1.O.& p.8. c 1.K.
h Inf. c.14.
i Inf c.14.§.3.

(E) §. In libris ethnicis litterarum humaniorum nihil quod honeſtati repugnet prælegatur. Reliquis ut ſpoliis Ægypti Societas uti poterit. Chriſtianorum opera, quamvis bona eſſent, ſi tamen malus fuerit auctor, legenda non ſunt; ne ad auctorem aliqui afficiantur. Et convenit, ad particularia deſcendendo, qui libri ſint prælegendi tam in huma-

humanioribus, quàm in aliis diſciplinis, qui vero prælegi non poſſint, conſtituere.

Quo modo juventur Scholaſtici ad has facultates bene addiſcendas.

CAPVT VI.

1 VT autem Scholaſtici plurimum in his facultatibus proficiant; in primis animæ puritatem cuſtodire, ac rectam ſtudiorum intentionem habere conentur; nihil aliud in litteris, quam divinam gloriam & *a* animarum fructum quærentes: & in ſuis orationibus gratiam, ut in doctrina proficiant ad hunc finem, crebro petant.

a Supra procem. & c.5.§.1.&Inf.c. 12.§.1.& c.16.§.4.

2 Præterea *b* ſeriò & conſtanter animum ſtudiis applicare deliberent; ſibique perſuadeant, nihil gratius ſe Deo facturos in Collegiis, quam ſi cum eâ intentione, de quâ dictum eſt, ſtudiis ſe diligenter impendant. Et licet numquam ad exercenda ea quæ didicerint, perveniant; illum tamen ſtudendi laborem ex obedientiâ & charitate (ut par eſt) ſuſceptum, opus eſſe magni meriti in conſpectu divinæ ac ſummæ Majeſtatis, apud ſe ſtatuant.

b Sup.c.4.§.2.

3 Impedimenta etiam removeantur, quæ à ſtudiis animum avocant, (A) tam *c* devotionum ac mortificationum, quæ vel nimiæ, vel ſine ordine debito ſuſcipiuntur, quam curarum (B) & exteriorum occupationum, quæ Domi in officiis domeſticis, & foris in colloquiis, (C) Confeſſionibus, atque aliis erga proximos functionibus aſſumuntur: quatenus ab eis declinari in Domino poterit. Aſt enim conſultum, quò aliis poſtea utiliores cum doctrinâ quam didicerint, ſe præbeant, hujusmodi exercitia (licet pia) donec *d* ſtudia ſint abſoluta, differri: quandoquidem non deerunt alii, qui ea interim exerceant. Et hæc quidem omnia majori cum deſiderio obſequii & gloriæ divinæ fiant.

c Sup c.4. §.2. & A.

d Inf.c.8.§.1.& c. 10. §.10.

In

IN CAP. VI.

Quomodò juventur Scholaſtici ad has diſciplinas bene addiſcendas.

(A) §. H*Oc in genere dictum ſit. Ceterum ſi alicui neceſſarium eſſe, ut devotioni & mortificationi incumberet, videretur; relinquetur Superioris prudentiæ, ut ſtatuat quantum in iis progredi oporteat.*

(B) §. a *Adjuvare eos, quibus hujusmodi officia operoſa commiſſa ſunt, aliquâ horâ, nihil prohibet.* b *Verum onus ipſorum officiorum ſumere, potius Coadjutorum eſt qui ad Scholaſticos ſublevandos in Collegiis conſtituentur.*

a Inf.c.10 H.
b Inf. C.& Ex.c. 6.§3. & p. 1. c.2 §.2. & A.

(C) §. *Ea de cauſa, in iis qui ad ſacros Ordines promoti non ſunt, congruum erit ſi promotio differatur, ne impedimentum ipſis præſtet, donec ad finem ſtudiorum accedant: neceſſitatis tamen ſæpe occurrentis ratione diſpenſari aliquando opus eſt.*

Hujusmodi erga proximos functiones aliqui qui ſtudia ſua jam abſolverint, c *vel ad idipſum mittuntur ad Collegia, explere poterunt: ſicut etiam ad domeſtica officia Collegii obeunda, quæ majorem occupationem ſecum afferunt, eſſe aliquos oportet, qui primariâ intentione ſtudiis non vacent:* d *cujusmodi ſunt Coadjutores Temporales,* e *vel aliqui qui Probationis, & non ſtudii gratiâ in Collegiis agunt.*

c Sup.c.5.D.
d Sup. B.
e Exa. c.4. §.13.

In diſciplinis ordo ſervandus eſt, ut prius in Latinâ linguâ ſolidum jaciant fundamentum, quam Artium liberalium: & in iis, antequam Theologiæ Scholaſticæ, & quidem in hac antequam Poſitivæ ſtudiis ſe dedant. Sacræ Scripturæ vel eodem tempore, vel poſteà addiſci poterunt. 4

(D) f Linguæ vero illæ in quibus ſcriptæ vel verſæ fuerunt, priùs aut poſterius, ut Superiori pro varietate cauſarum occurrentium, ac diverſitate perſonarum videbitur, diſci poterunt. Itaque hoc ejus prudentiæ relinquetur. Sed ſi linguarum ſtudio noſtri vacant, inter cetera ad quæ diſcentium intentio feratur, illud ſit, ut verſionem ab Eccleſiâ approbatam defendant. 5

f Sup. c.5. §.1. & Inf.c.12.§.2.& B. & c. 13.§.4.

(D) §. *Convenit in Theologiæ facultate eſſe ad gradum aliquem pro-*

motos, vel in eâ mediocriter eruditos, & qui Doctorum Sanctorum, & Eccleſiæ Deciſiones intelligant; ut illis linguarum ſtudium utile ſit, & nihil noceat. Verum ſi aliqui tam humiles & in fide firmi cernerentur, ut à ſtudio linguarum nihil incommodi eis timeretur; diſpenſare Superior poterit, ut ei ſtudio, quando ad commune vel particulare bonum conveniet, ſe dedant.

6 (E) Scholaſtici omnes lectiones publicorum Profeſſorum juxta Rectoris Collegii arbitrium audiant: (F) qui quidem Profeſſores *a* ſive de Societate illi ſint, ſive externi, *b* optandum eſt, ut docti, diligentes, & aſſidui, & profectus ſtudentium tam in lectionibus, quam in aliis litterariis exercitationibus ſtudioſi ſint.

a Inf. c. 13. B.
b Inf. c. 12. §. 1. 2. & 3. & c. 13. §. 3.

(E) §. Si in aliquo aliud conveniret, Superior ſuâ prudentiâ id conſiderabit, & diſpenſare poterit. Et quod de publicis lectionibus dicitur, privatas, cum neceſſariæ vel utiles Domi vel extra Collegia fuerint, non excludit.

(F) §. Nullus de Societate ſine approbatione & facultate Præpoſiti Provincialis (præterquam in claſſibus inferioribus, vel ad tempus neceſſitatis gratiâ) publice legat. Qui c *tamen talentum ad id ſortiti, ac præſertim, qui jam ſtudiis perfuncti ſunt, in prælegendo (ſi res majoris momenti aliud non exigerent) poſſent exerceri.*

c Inf. §. 18. & c. 9. §. 2.

7 Bibliotheca communis, ſi fieri poteſt, in Collegiis habeatur: cujus clavis illis qui juxta Rectoris judicium habere debebunt, tradatur. Præterea (G) quiſque libros qui neceſſarii ei fuerint, habebit.

(G) §. Quamvis hoc ita ſe habeat, ſcribere tamen in eis non debent. Conſtet verò eorum ratio ei, qui Bibliothecæ Præfectus eſt.

Scholaſtici in audiendis lectionibus ſint aſſidui, & in eis prævidendis diligentes, & (H) poſtquam eas audierint repetendis; iis quæ non intellexerint interrogandis, (I) aliis *d* vero quæ oportuerit adnotandis; quo in poſterum memoriæ defectui conſulatur.

d Inf. §. 16. & M. & O.

(H) §. Quod e *ad repetitiones attinet, curet Rector, ut certis quibuſdam horis in Scholis vel Domi fiant, uno quidem repetente, & aliis audientibus; & quæ difficilia occurrerint mutuò proponentibus: & ſi quid erit, de quo conſtituere inter ſe non poſſint, Magiſtrum adeant.* f *Curabit etiam, ut diſputationes & reliquæ exercitationes ſcholaſticæ, quæ juxta*

e Inf. c. 13. §. 3. & D.
f Inf. c. 13. §. 3. & A.

modum

modum diſciplinarum, quæ tractantur, convenire judicabuntur, non omittantur.

(I) §. Videant Superiores, num conveniat Scholaſticos claſſium inferiorum libros papyraceos habere ut ſcribant in eis lectiones, & inter lineas & ad marginem, quod oportebit, adnotent. Provectiores in humanioribus litteris & aliis facultatibus chartam ſecum ferant ad ea, quæ audierint, vel eis occurrerint notatu digna, annotanda; ac poſteà majori cum ordine digeſta transferent in libros papyraceos, quæ in poſterum conſervata velint.

Rector autem Collegii id curæ habeat, ut videat, num Magiſtri, & 9
diſcipuli ſuum in Domino officium faciant, necne.

Cum perutilis ſit (præſertim Artium, ac Theologiæ Scholaſticæ ſtudioſis) 10
diſputandi uſus; interſint Scholaſtici ordinariis Scholarum, ad quas accedunt (licet non ſint ſub cura Societatis) diſputationibus: & ſingulare ſui ſpecimen in doctrinâ præbere, modeſtè tamen, curent. Convenit etiam ſingulis Dominicis, vel aliquo alio die hebdomadæ in Collegio noſtro aliquem ex quavis claſſe Artium & Theologiæ ſtudioſorum à Rectore deſignatum à prandio (ſi aliqua ex cauſa peculiari impedimentum non accideret) aliquas poſitiones tuendas ſuſcipere: quæ pridie ejus diei ſub veſperum valvis Scholarum (quo ad diſputandum vel audiendum, qui vellent, convenirent) eſſent affigendæ; quibus breviter ab eo qui reſponſurus eſt, confirmatis, argumentari ex externis vel domeſticis liceat cuicumque libuerit *a*: aliquis tamen præſit oportet, qui argumentantes dirigat; & ex eâ concertatione eliciat, declaretque ad audientium utilitatem doctrinam, quæ tenenda ſit: qui ſignum etiam det finiendi iis, qui diſputant, ac tempus ſic diſtribuat, ut omnibus quoad ejus fieri poterit, diſputandi locus detur.

a Inf. c. 13. §. 3.

Præter hæc duo diſputationum prædictarum genera, quotidie aliquod 11
tempus deſignandum, quo in Collegiis *b* præſidente aliquo, ut diximus, diſputetur; ut eâ ratione & ingenia magis exerceantur, & difficilia quæ in his facultatibus occurrent, magis ad DEI gloriam elucidentur.

b Inf. c. 13. §. 3.

Qui Litteris Humanioribus vacant, ſua etiam ſtata tempora ad 12
conferendum & diſputandum de iis quæ pertinent ad ſtudia illa, *c* coram aliquo, qui eoſdem dirigere poſſit, habebunt: & Dominicis, vel aliis conſtitutis diebus, alternatim vel ſuæ facultatis poſitiones à prandio

c Inf. c. 13. §. 3.

 tuebun-

tuebuntur, vel ſe in componendâ ſolutâ oratione, aut carmine exercebunt; ſive id ex tempore, propoſito ibidem themate, ad explorandam promptitudinem fiat; ſive Domi compoſita, de re prius propoſita illic publice legantur.

13 (K) Omnes *a* quidem, ſed præcipuè Humaniorum Litterarum ſtudioſi Latine loquantur communiter: & memoriæ quod à ſuis Magiſtris præſcriptum fuerit, commendent: *(L)* ac *b* ſtylum in compoſitionibus diligenter exerceant: nec deſit qui eisdem corrigendis operam ſuam impendat. Licebit etiam nonnullis juxta Rectoris arbitrium *c* præter eos auctores qui præleguntur, quosdam etiam alios privato ſtudio legere: *d* & ſingulis hebdomadis die aliquo deſignato unus ex provectioribus à prandio orationem Latinam aut Græcam de re aliquâ ad ædificationem domeſticorum & externorum pertinente, quâ ad perfectiora in Domino animentur, habeat.

a Inf.c.13.§.3.
b Inf.c.11.§ 3.& c. 16 § 3.
c Inf. §.16.
d Inf.c.16. §.3.

(K) §. De repetitionum, & diſputationum, & Latinè loquendi exercitationibus, ſi quid propter circumſtantias locorum, temporum, & perſonarum mutari debeat, hoc judicandum prudentiæ Rectoris (facultate à ſuo Superiore ſaltem in genere accepta) relinquetur.

(L) §. Vt Scholaſtici magis in ſtudiis promoveantur, bonum eſſet aliquos eruditione pares deſignare, qui ſanctâ æmulatione ſe invicem provocent. Juverit etiam interdum mittere ad Præpoſitum Provincialem, vel Generalem aliquod ſuorum ſtudiorum ſpecimen, nunc hujus, nunc illius, ut compoſitionum, ſi litterarum Humaniorum; vel concluſionum, ſi Philoſophiæ vel Theologiæ ſtudioſi fuerint. Conferet etiam in memoriam eis reducere, quod, cum ad Domos venerint, ſtudiis abſolutis, in omnibus facultatibus, quibus operam dederint, ſunt examinandi.

14 Præterea artium & Theologiæ ſtudioſi potiſſimum, ſed & reliqui (M) ſuum habeant privatum ſtudium & quietum: quo melius & exactius ea, quæ tractata ſunt, intelligant.

(M) §. e In hoc privato ſtudio poſſent (ſi Rectori videretur) commentarium aliquem videre. Quamdiu autem audiunt, fere unus, & is quidem ſelectus eſſe deberet. f Poſſent etiam ſcribere quod profuturum magis cenſeretur.

e Inf. §. 16.
f Sup. §. 8. & Inf. §.16, & O.

Vt

Vt reprimi oportet quorumdam curſum plus æquo concitatum in 15
ſtudiis ; ita movendi, incitandi, & animandi ad ſtudia ſunt alii, quibus id neceſſarium eſt : quod ut melius præſtare poſſit Rector, intelligat oportet per ſe, & per aliquem alium, cui *a* Syndici, vel Viſitatoris Scholaſticorum curam ipſe dederit, quomodo Scholaſtici ſuum officium faciant.

a Inf.c.17.§.7.

(N) Quod *b* ſi animadverteret aliquem in ſtudiis tempus inutiliter terere, quod nolit aut certe non poſſit progreſſum in litteris facere ; expedit illum ab eis removere : & ejus loco, alium, qui ad ſcopum divini ſervitii in Collegiis præfixum magis proficiat, conſtituere.

b Exa.c.7.§ 2.

(N) §. Si aliquis non aptus ad ſtudia, ſed ad alia miniſteria idoneus videretur, poſſet intra Collegia vel Domos Societatis in iis occupari, quæ convenire viderentur : ſi ad utrumque c *inutilis eſſet, & in Scholaſticum fuiſſet admiſſus, dimitti à Societate poſſet : nihilominus* d *æquum erit, ut Rector re bene conſideratâ, ad Provincialem vel Generalem id referat ; & quod ſibi præſcriptum fuerit, exequatur.*

c P.2 c.2 §.3. *d* P.2.c.1.C.

e Abſoluto ſtudio alicujus facultatis ; eamdem privatim repetere 16
conveniet, auctorem unum aliquem, vel plures, *f* quam prius, juxta Rectoris arbitrium legendo. Poterit autem ex iis quæ ad eam facultatem pertinent, ſi eidem Rectori viſum fuerit, (O) in ſcripta brevius, diſtinctius, & accuratius redigere ea, *g* quæ prius in lectionum decurſu ſcripſerat, cum minori doctrinâ præditus erat, quam peracto ſtudiorum curriculo.

e Inf.c.15.§.2.& 3. *f* Sup §.13.& M. *g* Sup.§.8.& I.

(O) Hujuſmodi ſcripta fieri non debent niſi ab iis, qui majori doctrinâ & clariori ingenio & judicio pollent : & reliqui horum labore frui poterunt. Conveniret etiam à Magiſtro ea approbari. Alii annotationibus Præceptoris juvari poſſent, h *& ſuis etiam notatu dignioribus. Conferet autem ad uſum, ut ſuas notas in margine, & indicem præterea habeant rerum de quibus in hujuſmodi ſcriptis agitur ; ut facilius inveniri poſſit quod quæritur. Et quamvis hujuſmodi libelli rerum excerptarum, vel propriorum conceptuum, vel alia ſcripta quælibet fiant ;* i *intelligi tamen oportet, à nemine librum ullum ſine examinatione & approbatione ſpeciali Præpoſiti Generalis, ut dictum eſt, publicari debere.*

h Sup.8.§.& M. *i* P.3.c.1.§.18. & p.7.c.4.§.11.

17 Suis *a* conſtitutis temporibus ſe ad publicos actus examinationum ac reſponſionum præparent; & ad gradus conſuetos, qui per diligentem examinationem digni invenientur, promoveri poterunt. *b* Loca tamen certa, ut ab omni ambitionis ſpecie, atque ab aliis affectibus parum temperatis recedant, quamvis ea in Vniverſitate ubi gradum accipiunt dari ſoleant, non accipiant: ſed ſimul omnes extra numerum ſe conſtituant: nec ſumptus, qui pauperes non deceant, in gradibus hujusmodi faciant; ad quos ſine humilitatis detrimento, non ob aliud, quam ut poſſint proximis ad Dei gloriam eſſe utiliores, promoveri debent.

a Inf. c. 15. §. 2. & 3.
b Inf. c. 15. §. 4. & p. 10. §. 6.

18 *c* Num autem his qui jam ſtudiorum ſuorum curſum peregerunt, prælegere privatim vel publicè ad ſuam vel aliorum utilitatem conveniat; penes Superiorem id erit judicium, qui quod magis in Domino expedire videbitur, ſtatuet.

c Sup. F. & Inf. c. 9 §. 2.

De Scholis Collegiorum Societatis.
CAPVT VII.

1 HAbita *d* ratione non ſolum profectus in litteris Scholaſticorum noſtrorum, ſed etiam profectus in litteris & moribus externorum, quos in noſtris Collegiis inſtituendos ſuſcepimus; (A) Scholæ publicæ, ubi commodè id fieri poterit, aperiantur, ſaltem in diſciplinis humanioribus. (B) In gravioribus autem diſciplinis pro locorum in quibus Collegia fuerint ratione, ſemper quid Deo gratius ſit ante oculos habendo, aperiri poterunt.

d Supra procem. & c. 3. §. 1. & c. 11. §. 1. & p. 3. c. 1. §. 27. & p. 10. §. 4.

IN CAP. VII.
De Scholis Collegiorum Societatis.

(A) §. PRæpoſiti Generalis erit, ubi hujusmodi Scholæ habendæ ſint, ſtatuere.

(B) §. Et etiam juxta quod commode id poterit Societas. Noſtra tamen mens hæc eſſet, ut in Collegiis communiter Litteræ Humaniores ac linguarum, & doctrina Chriſtiana, & ſi opus eſſet, lectio aliqua de caſibus conſcientiæ

tiæ prælegeretur: ſi vero ſit, qui commodè concionetur, aut Confeſſiones audiat, id etiam ut fiat: & de ſcientiis ſuperioribus non agatur; ſed ad eas addiſcendas ab iis Collegiis, ii qui in Humanioribus Litteris profecerint, ad Vniverſitates Societatis mittantur.

a Teneatur in hujusmodi Scholis is modus, quo externi Scholaſtici 2
in iis quæ ad doctrinam Chriſtianam pertinent, bene inſtituantur: *b* cureturque quoad ejus fieri poterit, ut ſingulis menſibus ad Sacramentum Confeſſionis accedant, & verbum Dei frequenter audiant; & demum *c* cum litteris mores etiam Chriſtianis dignos hauriant. Et quia in particularibus multum varietatis eſſe oportebit, pro varietate locorum, & perſonarum, ſingula perſequi non eſt hujus loci. Id tamen dictum ſit, (C) in quovis Collegio *d* Regulas, quæ ad omnia neceſſaria deſcendant, conſtitui debere. Hoc tamen commendatum hoc loco volumus, (D) ne *e* externis Scholaſticis correctio, quoad illis opus erit, deſit; quæ tamen per aliquem de ipſa Societate exercenda non erit.

a Inf. c. 16 §. 2.
b Inf. c. 16. §. 1. & A.
c Inf. c. 8. A.
d Inf. c. 13. A. & c. 17. §. 3. & D. & E. & procem. declar.
e Inf. c. 16. §. 5.

(C) §. Ex Regulis Collegii Romani, aliis quod cuique conveniet accommodari poterit.

(D) §. Ad hoc ubi Corrector haberi poterit, habeatur: ubi non poterit, excogitetur modus, quo caſtigentur, vel per aliquem ex ipſis Scholaſticis, vel aliâ convenienti ratione.

Cum *f* tam proprium ſit noſtræ profeſſionis, nullum temporale 3
præmium accipere pro ſpiritualibus miniſteriis, in quibus juxta noſtrum Inſtitutum in proximorum auxilium occupamur; non convenit ullam Collegii dotationem admittere, per quam ad dandum Concionatorem, aut Confeſſarium, (E) aut Lectorem aliquem Theologiæ, Societas obligetur. Quamvis enim æquitatis & gratitudinis ratio nos ad ſerviendum cum majori diligentiâ in dictis miniſteriis, quæ noſtri Inſtituti ſunt propria, moveat, in Collegiis quæ majori cum liberalitate & devotione fundata ſunt; non tamen ſunt recipiendæ obligationes vel conditiones, quæ ſinceritatem impediant noſtri in procedendo modi, qui eſt, dare gratis, quæ gratis accepimus: quamvis pro eorum ſuſtentatione, qui communi bono Collegiorum ſerviunt, vel propter illud ſtudent, dotatio quam Fundatorum charitas aſſignare ad gloriam divinam ſolet, admittatur.

f Inf. c. 15. §. 4. & c. 17. §. 3. & F. & Ex. c. 1. §. 3. & c. 4. §. 27. & p. 6. c. 2. §. 7. & G & p. 7. c. 4. §. 4. & B. & p. 10. §. 5.

(E) §. Vbi Præpoſitus Generalis vel Societas curam ſuſciperet alicujus Vniverſitatis, non repugnaret hujus Conſtitutionis intentioni, ut ſeſe ex conſe-

quenti

quenti obligaret ad lectiones illius ordinarias, quamvis inter illas aliquæ Theologicæ eſſent.

De Scholaſticis inſtituendis in iis, quæ ad proximos ſuos juvandos pertinent.

CAPVT VIII.

1 SCopum illum intuendo ad quem ſtudia Societatis diriguntur, *a* ſub ipſorum finem congruum erit, ut ad arma ſpiritualia in proximorum auxilium tractanda aſſueſcere incipiant. *b* Quamvis enim id propriè magis & diutius in Domibus fiat, poterit tamen in Collegiis inchoari.

a Sup. c. 6. §. 3. & C. & Inf c. 10. §. 10.
b P. 3. c. 1. §. 20. & p. 7. c. 4. §. 10.

2 Primum illi, qui juxta Superioris judicium ad ſacros ordines erunt promovendi, in ratione Miſſæ dicendæ, ut præter intelligentiam & devotionem internam, decentem etiam habeant exteriorem modum ad audientium ædificationem, inſtituantur; *c* & cerimoniis eiſdem omnis Societas, quantum fieri poteſt, utatur: in quibus uſum Romanum ut magis univerſalem, & quem peculiari quadam ratione Sedes Apoſtolica amplexa eſt, quantum patietur regionum varietas, ſequctur.

c Exa. c. 5. §. 7. & p. 8. c. 1. §. 8.

3 In *d* concionibus etiam, & (A) ſacris lectionibus eo modo proponendis, *e* qui ædificationi populi conveniat (qui à Scholaſtico diverſus eſt) ſe etiam exerceant; ſtudeantque ad id munus obeundum linguam populo vernaculam bene addiſcere. (B) Res etiam alias vidiſſe oportet, & præ manibus habere, quæ ad hoc officium utiliores futuræ ſunt; ac demum ut melius & cum majori fructu animarum id munus obeant, (C) omnibus mediis utantur quibus commodè juvari poſſint.

d Inf. c. 10. §. 10. & Exa. c. 4. § 25. & p. 3. c. 1. §. 21. & p. 10. §. 3.
e P. 7. c 4. §. 6.

IN CAP. VIII.

De Scholaſticis inſtituendis in iis, quæ ad proximos ſuos juvandos pertinent.

(A) §. I*Nter legendum, præter interpretationem, advertendum eſt ut aliqua, quæ* f *ad mores & vitam Chriſtianam juvent, attingantur.* g *Et hoc fiet etiam in claſſibus Collegii: multò verò impenſius, cum populo prælegitur.*

f Sup. c. 7. §. 2.
g Inf. c. 16. §. 4.

(B) § Conferet vidiſſe evangelia toto anno occurrentia, peculiari ſtudio adhibito, quod ad concionandi rationem deſtinetur; & aliquid ex ſacrâ Scripturâ, ut populo prælegatur: prævidiſſe etiam quod ad vitia pertinet, & in eorum deteſtationem inducit, & remedia eisdem applicanda; ſicut è contrario, quæ ad præcepta, ad virtutes, ad bona opera pertinent; tum ea, quæ movere poſſint ad illa amanda, & media etiam ad eadem conſequenda: & hæc in compendium, ſi fieri poteſt, redacta utiliora eſſe ſolent, ne tam multis libris opus ſit.

(C) §. Hujusmodi media ſunt, vidiſſe præceptiones, quas de modo concionandi illi tradunt, qui benè hoc munus obierunt; & bonos audire concionatores, & ſe in concionibus Domi aut in monaſteriis exercere, bonum habere correctorem, qui de erroribus admoneat tum in rebus quæ dicuntur, tum in voce, tonis, geſtibus, & motibus. Reflectat & ipſe conſiderationem ad ea quæ dixit; quò magis undecumque juvetur.

In *a* miniſterio etiam Sacramentorum (D) Confeſſionis, & Communionis ſe exerceant; & non ſolùm quod ad ipſorum, ſed etiam quod ad pœnitentium, & communicantium officium pertinet, ut benè ac utiliter ad Dei gloriam ea percipiant, & frequentent, perſpectum habere ac exequi curent. 4

[a] Sup. c. 5. D. & inf. c. 10. §. 10. & p. 7. c. 4. §. 5. & C.

(D) §. In Confeſſionibus præter ſtudium Scholaſticum, & Caſuum conſcientiæ, præſertim Reſtitutionis, conveniet compendium aliquod Caſuum, & Cenſurarum, quæ reſervantur, habere (ut videat quò pertingat ipſius jurisdictio) & ſimul formulas quæ minùs uſitatæ ſunt quarumdam abſolutionum quæ occurrunt; ac brevem interrogandi methodum de peccatis, & eorum remediis; & inſtructionem ad benè ac prudenter in Domino ſine damno ſuo, & cum proximorum utilitate hoc officium exercendum: & aliqua Confeſſione auditâ, præſertim in principiis, Confeſſarius apud ſe conſideret, num in re aliquâ defecerit, ut in poſterum caveat.

(E) Ad *b* exercitia ſpiritualia aliis tradenda, poſtquàm quisque in ſe ea fuerit expertus, aſſueſcant; & dent operam omnes, ut & eorum reddere rationem, & in hoc armorum ſpiritualium genere tractando (quod Dei gratiâ ad ipſius obſequium tantoperè conferre cernitur) dexteritatem habere poſſint. 5

[b] Inf. c. 10. §. 10. & p. 7. c. 4. §. 8. & F.

(E) §. Poſſent ad exercitia aliis tradenda aſſueſcere, nonnullis ea tradendo, in quibus minor jactura eſſe poſſit, ſi quid erretur; & conferre cum ali-

aliquo magis exercitato ſuum procedendi modum, benè annotando quod magis vel minùs convenire deprehenderint. Cùm verò exercitiorum ratio redditur, non ſolum id agatur, ut aliis ſatisfiat, ſed etiam ut in illis deſiderium excitetur, ut eiſdem juvari velint. In univerſum autem loquendo, quæ ad primam hebdomadam pertinent tantùm tradantur. Quando verò omnia tradentur, raris hominibus, vel qui de vitæ ſuæ ſtatu deliberare velint, tradi oportebit.

6 (F) Studium *a* etiam congruum in modo tradendæ doctrinæ Chriſtianæ, qui ſit captui puerorum ac rudium accommodus, adhibeatur.

a Sup. c. 7. §. 2. & inf. c. 10. §. 10.

(F) §. Iuverit etiam in compendium redactam habere explicationem rerum ad fidem & vitam Chriſtianam neceſſariarum.

7 Ut in ſuperiùs dictis proximi ad benè vivendum juvantur, ita curandum eſt, ut ea (G) quæ ad benè moriendum illis conferunt, percipiantur; quique modus in eo tempore, in quo tantum eſt momenti ad finem ultimum æternæ felicitatis conſequendum, vel ab eâ excidendum, teneri debeat, intelligatur.

(G) § Aliud etiam compendium de modo juvandi ad bene moriendum utile erit; ut memoria renovetur quando ſanctum hoc officium exercendum erit.

8 *b* In univerſum loquendo, edoceri eos convenit, quem modum tenere oporteat hujus Societatis operarios, qui in tam variis mundi regionibus, cumque tam diverſis hominum generibus verſari debent, antevertendo incommoda quæ poſſunt accidere: & emolumenta, quæ ad majus Dei ſervitium conferunt, captando; omnibus rationibus adhibitis, quæ poſſunt adhiberi. Et quamvis hoc ſola unctio ſancti Spiritus, & ea prudentia, quam communicare ſolet Dominus illis, qui in divina ſua Majeſtate confidunt, docere poſſit; via ſaltem aliquo modo quibusdam documentis quæ juvent, & ad effectum divinæ gratiæ diſponant, aperiri poteſt.

b. Par. 10. §. 3.

De Scholaſticis à ſtudio litterarum educendis.

CAPUT IX.

(A) Ex Collegiis nonnulli propter cauſas in ſecundâ Parte dictas, & modo inibi explicato educuntur, ut alii qui ad divinum ſervitium

tium magis proficiant, eisdem ſuccedant. Eadem ſiquidem in hac parte Domorum, & Collegiorum eſt ratio.

IN CAP. IX.

De Scholaſticis à ſtudio litterarum educendis.

(*A*) §. a *Alii educuntur poſt ſeptem annos, ii videlicet qui ad Collegia admiſſi ſunt ad id tempus, absque eo quòd conſtituerint ingredi Societatem, quemadmodùm dictum eſt. Sed tamen diſpenſari in tempore ſeptem annorum, idque prorogari poſſet; cùm hujusmodi Scholaſtici exemplo vitæ ſuæ, magnæ ædificationis eſſent; ita ut vel magnum Dei obſequium ab eis expectaretur, vel utiles eſſe Collegio viderentur.*

a Sup. c. 3. B.

Aliqui etiam aliquando educentur, quòd ipſis ad majorem in ſpiritu vel in litteris profectum aliò transferri, vel quòd ad univerſale bonum Societatis conveniat: *b* ut accideret, ſi, qui Artium curriculum in aliquo Collegio emenſus eſſet, ut easdem alibi prælegeret, ante Theologiæ ſtudium educeretur. Et idem dictum ſit, ſi quâ in re aliâ ad majus Dei obſequium & gloriam eſſent occupandi. 2

b Sup. c. 6. §. 18. & F.

Communis autem modus educendi Scholaſticos ex Collegio aliquo, ubi omnes prædictæ ſcientiæ traduntur, tunc erit, *c* cùm quisque ſtudia ſua jam abſolverit, peracto Artium curriculo, & quatuor annis Theologiæ ſtudio impenſis. Et ſub hujus temporis finem *d* ſuarum eſſe partium Rector intelligat, Præpoſitum Generalem, vel Provincialem admonere, & quantum hi profecerint, referre: ac poſtmodùm quod ei præſcriptum fuerit ad Dei gloriam exequetur. 3

c Inf. c. 15. §. 2. & 3. & B. & p. 5. c. 2. §. 2. & B.
d Inf. c. 10. §. 5.

De gubernatione Collegiorum.

CAPUT X.

Supremam *e* curam vel ſuperintendentiam Collegiorum juxta Sedis Apoſtolicæ Litteras Profeſſa Societas habebit. Cùm enim *f* quidquam privatæ utilitatis ex reditibus quærere, vel in ſuum uſum convertere non poſſit; eſt valdè probabile quòd majori cum puritate ac ſpiritu conſtantiùs ac diuturniùs procedet in iis, quæ ad bonum regimen Collegiorum ad majus Dei ac Domini Noſtri obſequium provideri convenit. 1

e Sup. c. 2. §. 5. & C. & p. 10. §. 4.
f Sup. c. 2. §. 5. & C. & Exam. c. 1. §. 4. & p. 6. c. 2. §. 3. & p. 9. c. 3. §. 18. & c. 4. §. 7. & p. 10. §. 4.

2 Præter *a* id autem quod ad Conſtitutiones, & diſſolutionem, vel alienationem hujuſmodi Collegiorum pertinet, univerſa poteſtas & adminiſtratio, &, ut in genere dicatur, hujus ſuperintendentiæ executio penes *b* Præpoſitum Generalem erit, qui finem illum, ad quem Collegia & Societas tota contendit, præ oculis habens, melius, quid eisdem conveniat, intelliget.

a Sup. c. 2. §. 3. & inf. c. 11. §. 2. & p. 8. c. 2. §. 2. & p. 9. c. 3. §. 5. & 18.
b Sup. c. 2. §. 5. & C & p. 9. c. 3. §. 1. & 3.

3 Per *c* ſe ergo, vel per alium, cui ſuam facultatem communicaverit in hac parte, Præpoſitus Generalis Rectorem (A), ut præſit cuicumque Collegio, aliquem ex Coadjutoribus Societatis conſtituet; qui *d* Præpoſito Provinciali, vel cui Generalis præſcripſerit, rationem ſibi aſſignati muneris reddet. Et penes eumdem erit Præpoſitum, Rectorem amovere, talique curâ, prout ei convenientius in Domino videbitur, liberare.

c. Sup. c. 2. §. 5. & inf. c. 17. §. 1. & p. 9. c. 3. §. 3. & 14. & 15.
d Sup. c. 2. §. 5. & p. 9. c. 3. §. 4. & 15. & C.

IN CAP. X.

De gubernatione Collegiorum.

(A) §. HOc *e non prohibet, quin Profeſſus aliquis ad viſitandas vel reformandas alicujus Collegii res miſſus, manere in eo poſſet, vel omnibus aliis ad tempus præeſſe, vel aliter; ut magis convenire ad Collegii, vel ad univerſale bonum videretur.*

e Sup. c. 2. F. & p. 6. c. 2. §. 3.

4 Curandum *f* eſt autem, ut ille, cui Rectoris officium imponitur, magni ſit exempli, magnæ ædificationis, magnæ etiam mortificationis in omnibus pravis inclinationibus, & in obedientiâ præcipue, ac humilitate probatus; qui donum etiam diſcretionis habeat, ad gubernandum idoneus, in rebus agendis verſatus, in ſpiritualibus exercitatus ſit; qui ſeveritatem ſuo tempore & loco cum benignitate miſcere noverit; qui ſollicitus, qui patiens laborum, qui etiam in litteris eruditus ſit; & demum ejusmodi, cui confidere, cuique ſuam poteſtatem tutò communicare Præpoſiti Superiores poſſint: *g* quandoquidem quò hæc poteſtas major erit, eò meliùs regi Collegia ad majorem Dei gloriam poterunt.

f Inf. §. 8. & p. 8. c. 1. §. 3.
g P. 2. c. 1. §. 2. & B. & p. 9. c. 6. §. 2. & p. 10. §. 8.

5 Rectoris officium erit, in primis oratione & ſanctis deſideriis totum Collegium velut humeris ſuis ſuſtinere. Deinde curare (B) ut *h* Conſtitutiones obſerventur; omnibus Collegialibus cum omni ſollicitudine invigilare: *i* eosdemque ab iis quæ nocere poſſint Domi & foris, defen-

h P. 6. c. 1. §. 1. & c. 5. & p. 9. c. 3. §. 8. & c. 6. A. & p. 10. §. 13.
i P. 3. c. 1. §. 11.

ſendere; tum præveniendo, tum etiam, ſi quid mali accideret, remedium adhibendo, ut ad ſingulorum & univerſale bonum convenit; utque in virtutibus & litteris proficiant, curando; *a* ſanitatem eorum, (C) & bona etiam Collegii tam ſtabilia, quàm mobilia conſervando; eos qui officia gerant domeſtica, prudenter conſtituendo; & quomodò ſuis fungantur officiis, conſiderando; & prout in Domino convenire judicabit, vel in eiſdem miniſteriis detinendo, vel ab iiſdem removendo. Et generatim loquendo, curet ut quæ in ſuperioribus capitibus dicta ſunt, quæ quidem ad Collegia ſpectant, obſerventur. *b* Memor ſit etiam ſubordinationis integrè obſervandæ in obedientiâ, non ſolùm ad Generalem, ſed ad Provincialem quoque, certiorem eum, de quibus oportet, reddendo, ad eumque referendo quæ majoris erunt momenti; & quæ ab ipſo injuncta fuerint (quandoquidem ipſum Superiorem habet) exequendo; ut æquum eſt ad ſe referri, ſibique obedientiam præſtari ab iis, qui in Collegio degunt: qui quidem Rectorem ſuum magnoperè revereri ac venerari, *c* ut qui Chriſti Domini Noſtri vices gerit, debebunt; *d* liberam ſui ipſorum, rerumque ſuarum diſpoſitionem cum verâ obedientiâ ipſi relinquendo: (D) nihil *e* ei clauſum, ne conſcientiam quidem propriam, tenendo, quam ei aperire (ut in Examine dictum eſt) ſuis conſtitutis temporibus, & ſæpius, ſi cauſa aliqua id poſceret, oportebit; *f* non repugnando, non contradicendo, nec ullâ ratione judicium proprium ipſius judicio contrarium demonſtrando: ut per unionem ejuſdem ſententiæ & voluntatis, atque per debitam ſubmiſſionem, meliùs in divino obſequio conſerventur & progrediantur.

a Sup. c. 2. §. 5.
b P. 8. c. 1. §. 4. & P. 10. §. 9.
c P. 3. c. 1. §. 23. & p 6. c. 1. §. 1. 2. & 3. & p. 7. c. 2. §. 1. & A & I. & p. 8. c. 1. D. & p. 9. c. 3. §. 20.
d P. 3. c. 2. §. 1. & p. 7. c. 2. §. 1. & I.
e Ex. c. 4. §. 34. & cet. & p. 3. c. 1. §. 12. & p. 6. c. 1. §. 2.
f P. 3. c. 1. §. 23. & p. 6. c. 1. §. 1.

(B) §. g Sicut curare, ut obſerventur omnino Conſtitutiones, ita & in eiſdem diſpenſare (quando eam fuiſſe mentem illius qui eas condidit, in re aliquâ particulari judicaret juxta eventus rerum, & neceſſitates, majus commune bonum intuendo) ad Rectorem, acceptâ à ſuis Majoribus poteſtate, pertinebit. *g* P. 9. c. 3. D.

(C) §. Ad ea quæ dicta ſunt, reducitur cura conveniens amicos conſervandi, h & ex adverſariis benevolos reddendi. *h* P. 10. B.

(D) §. Res clauſa intelligitur janua, vel arca, &c.

Ad bonam Domus gubernationem non ſolùm *i* numerum neceſſarium Officialium Rector provideat; ſed (E) ut idonei ſint, quoad ejus fieri poterit, ad ſuas functiones, curet: (F) *k* cuique ſuas Regulas, ubi, quæ 6

i Infrà §. 7. & H. & ſup. c. 3. §. 2. & p. 1. c. 2. §. 2. & A.

 ad

& p.3. c.2. §.7. & H. ad ſingulorum officia pertinent, contineantur, tradat: & ne ſe hic in illius officium ingerat, videat. Prætereà, ut eis proſpicere de ſubſidio, ſi neceſſarium id fuerit, debebit; ita *a* cùm tempus vacuum illis fuerit, ut utiliter illud impendant divino ſervitio, curet.

k Procem. declar. & p.7.c.4. §.12.
a P.3. c.1. §.6.

(E) §. Idonei ſunt intelligendi habitâ ratione tum ſufficientiæ perſonarum, tum occupationum. Quæ enim officia multum occupationis ſecum ferunt, valdè occupatis in aliis rebus minimè convenirent: & quia quibusdam experientia ut benè fiant neceſſaria eſt; non facilè mutari deberent.

(F) §. Ex Regulis cuique videndæ eſſent ſingulis hebdomadis illæ, quæ ad ipſum pertinent.

7 Inter Officiales Rectori neceſſarios, in primis Miniſter idoneus, qui Vicerector vel Magiſter Domus ſit, & omnibus quæ ad bonum univerſale pertinent, provideat, eſt deligendus. *b* Syndico etiam ad exteriora obſervanda, (G) & aliquo *c* qui rebus ſpiritualibus ſuperintendat, & *d* duobus aliis, vel pluribus, quorum prudentiæ & probitati multùm confidat, opus eſt: ut cum eis de iis quæ difficiliora, & ad Dei gloriam majorem communicanda videbuntur, conferre poſſit. (H) *e* Sunt & alii ad particularia officia neceſſarii.

b Inf. c.17. §.7. & p.3. c. 1. §.16.
c P.3. c.1. §. 12.
d Inf. c. 17. §. 1. & p. 9. c. 6. §.14.
e Sup. §.6.

(G) § Si tanta non eſſet copia hominum, unus plura officia ſuſtinere poſſet. Sic Miniſter, & Superintendens dictus curam habere poſſent eorum, quæ ad Rectorem vel Novitios pertinent, &c.

f P. 1. c. 2. A. & p. 3. c. 2. H.
g Sup. c. 6. B.

(H) §. f Sic eſſe poſſet qui ſcriberet, Ianitor, Sacriſta, Coquus, Lotor. g *Alia officia minùs operoſa poſſent inter Scholaſticos dividi, ſi alii non eſſent, qui ea poſſent exercere.*

8 Curet Rector, *h* ut in ſuo officio cuique integram obedientiam Collegiales præſtent, & alii Officiales Miniſtro, & ſibi etiam ipſi, prout idem præſcripſerit. Illud in univerſum admonuiſſe convenit, *i* eos qui curam aliorum ſuæ obedientiæ ſubditorum habent, præire eisdem exemplo obedientiæ, quam ſuis Superioribus Chriſti loco ipſimet præſtent, oportere.

h Exa. c. 4 §.31. & p.3. c.1. §.24. & p. 10. §9.
i Sup. §. 4.

9 Ad *k* omnia conferet temporis ordo in ſtudiis, orationibus, Miſſis, lectionibus, cibo, ſomno, & in reliquis ſervatus: (I) & ſignum conſtitutis horis detur, quo audito omnes ſtatim vel *l* imperfectâ litterâ relictâ ad id, ad quod vocantur, ſe conferant. Erit autem penes Rectorem, vel eum qui primas tenebit, id curæ, ut videat, quando hæ horæ pro temporum, vel

k P. 3. c. 2. §. 2. & B.
l P. 6. c. 1. §. 1.

vel aliarum cauſarum occurrentium ratione mutandæ ſint. Et quod ipſe ſtatuerit, obſervetur.

(I) §. Signum dabitur per campanam, quæ pulſabitur, ut ſe recipiant ad ſomnum, & ad menſam, &c.

(K) Rector ipſe legere, aut docere Chriſtianam doctrinam quadraginta dies debet. *a* Videat etiam, qui ex Collegialibus, & ad quem uſque limitem Domi & foris in colloquiis, ſpiritualibus exercitiis tradendis, Confeſſionibus audiendis, tum etiam in concionibus, vel lectionibus, vel doctrinâ Chriſtianâ, tradendâ, partim ad ipſorum exercitationem (*b* præcipuè ſub finem ſtudiorum) partim ob aliorum domeſticorum, vel externorum fructum aliis ſe communicare debeant: (L) & in omnibus quod ſenſerit divinæ ac ſummæ bonitati gratius, & ad ipſius obſequium ac gloriam majorem, omnibus perpenſis, provideat. 10

a Sup. c.8. §.3.4. 5. & 6.

b Sup. c 6. §.3.& C. & c. 8. §. 1.

(K) §. Si convenire non videbitur ad ædificationem, vel ob aliquam aliam cauſam ſufficientem, ut Rector ipſe legat; re cum Provinciali communicatâ, ſi ejusdem ille ſententiæ fuerit, per alium id munus obire poterit.

(L) §. Conſtitutiones quæ ad Collegia pertinent, ſeorſum teneri, & publicè bis aut ter ſingulis annis legi poſſent.

De Univerſitatibus in Societate admittendis.

CAPUT XI.

Eadem *c* charitatis ratio, quâ Collegia admittuntur, & publicæ Scholæ in eis, non tantùm ad noſtrorum, ſed magis etiam ad externorum ædificationem in doctrinâ & moribus, tenentur; extendi poterit ad Univerſitatum curam ſuſcipiendam, ut in eis hîc fructus extendatur, latiusque pateat tam in ſcientiis quæ traduntur, quàm in hominibus qui ad eas conveniunt, & gradibus ad quos promoventur; ut aliis in locis cum auctoritate docere poſſint, quod in his benè ad Dei gloriam didicerint. 1

c Suprà proœm. & c.3.§.1.& c.7. §. 1. & p.3. c.1. §. 27. & p.10. §. 4.

Quibus *d* tamen conditionibus (A) & obligationibus, quibusque in locis hujusmodi Univerſitates admitti debeant, ei qui ſupremam curam Societatis habet, iudicandum relinquitur: qui Aſſiſtentium ſibi auditis ſententiis, & aliorum *e* quos in conſilium adhiberi volet, per ſe ipſum deliberare poterit an ſint admittendæ. *f* Non tamen, poſtquàm admiſſæ fuerint, ſine Congregatione generali per eum diſſolvi poterunt. 2

d Suprà proœ. A. & c. 2. §. 2. & p. 9. c. 3. §. 17.

e Sup. c. 2. §. 2.

f Sup. c. 2. §. 3. & c.10. §.2. & p.8. c. 2. §. 2. & p. 9. c. 3. §. 5. & 18.

De

Declarationes

Conſtitutionum circa Vniverſitates.

IN CAP. XI.

(A) §. CVm *Fundator à Societate aſſignari certum Lectorum numerum, vel alias obligationes ſuſcipi vellet; animadvertendum eſt, quòd ſi admittantur, judicando utile etiam tunc eſſe Societati ad finem propoſitum divini ſervitii id oneris ſubire, omnino in eis implendis deeſſe non oportet; ſicut nec facilè aliquid in hac parte præter id ad quod obligantur (præſertim ſi id interpretari quis poſſit, quaſi nova induceretur obligatio) præſtandum eſt ſine Generalis conſenſu.* a *Ille autem non ſe facilem ad id concedendum reddet: quin potiùs, re in conſultationem cum ſuis Aſſiſtentibus adductâ, videat ne Societatem gravet: & ſi quâ in re indulgeatur, conſtet obligationem nullam induci; ſed id, quod additur, omnino voluntarium eſſe.*

a Sup. c. 2. B.

3 Quia tamen religioſa quies, & ſpirituales occupationes nec animi diſtractionem, nec alia incommoda, quæ judicandi in rebus civilibus vel criminalibus officium ſequi ſolent, Societati permittunt; jurisdictio hujusmodi, quam per ſe vel per alios à ſe dependentes exercere debeat Societas, non admittantur: quamvis ad ea (B) quæ ad bonum ſtatum Univerſitatis propriè pertinent, conveniat Juſtitiæ ordinariæ, ſive ſæcularis ſive Eccleſiaſticæ, miniſtros circa punitionem Scholaſticorum, voluntatem Rectoris Vniverſitatis ſibi ſignificatam exequi (C) & generatim res ſtudiorum favore ſuo, præſertim cùm à Rectore fuerint commendatæ, promovere.

b Inf. c. 16. §. 5. & D.

(B) §. b *Ad bonum Vniverſitatis ſtatum propriè pertineret, ſi Scholaſticus aliquis rebellis, vel ſic offendiculi cauſa aliis eſſet, ut non ſolùm Scholis eum, ſed etiam civitate expelli, vel in carcerem conjici conveniret; ut certiores facti juſtitiæ ordinariæ adminiſtratores, id ſtatim exequerentur. Et ad hoc & ſimilia à Principe vel ſupremâ poteſtate, hujusmodi facultatis ſcriptum habere teſtimonium oportebit. Vt commendatio etiam Rectoris in alicujus Scholaſtici favorem momentum apud eosdem juſtitiæ miniſtros haberet, ne Scholaſtici opprimerentur, oporteret.*

(C) §. Quoniam exemptio ab ordinariis Iudicibus, Scholaſticorum nume-

merum allicere non poteſt; aliis prærogativis & privilegiis ut id compenſetur, curandum eſt.

De ſcientiis quæ tradendæ ſunt in Univerſitatibus Societatis.

CAPUT XII.

CUm *a* Societatis atque ſtudiorum ſcopus ſit, proximos ad cognitio- 1
nem & amorem Dei, & ſalutem ſuarum animarum juvare; cumque ad eum finem, medium magis proprium ſit facultas Theologiæ; in hanc potiſſimùm Societatis Univerſitates incumbent; *b* ac diligenter per idoneos admodùm Præceptores, quæ ad Scholaſticam doctrinam, & ſacras Scripturas pertinent, *c* ac etiam ex Poſitivâ, quæ ad hunc finem nobis præfixum, conveniunt (non attingendo tamen eam partem Canonum, quæ foro contentioſo inſervit) pertractabunt.

a Supra proœm. & c. 5. §. 1. & c. 6. §. 1. & Exa. c. 1. §. 2. & p. 7. c. 1. §. 1. & p. 10. §. 2.
b Sup. c. 6. §. 6. & inf. c. 13. §. 3.
c Sup. c. 5. §. 1. & B. & inf. c. 14. §. 1. & C.

Et quia tam doctrina Theologiæ, quàm ejus uſus exigit (his præſer- 2
tim temporibus) *(A) d* litterarum humaniorum, & Latinæ, ac Græcæ, & Hebraicæ Linguæ cognitionem; harum etiam *e* idonei Profeſſores, & quidem juſto numero, conſtituentur. (B) Aliarum prætereà linguarum, qualis eſt Chaldaica, Arabica, & Indica, ubi neceſſariæ vel utiles ad dictum finem viderentur, habitâ regionum diverſarum, & cauſarum quæ ad eas docendum movent, ratione, poſſent Præceptores conſtitui.

d Sup. c. 5. §. 1. & c. 6. §. 5. & inf. 1. c. 13. §. 4. & B.
e Sup. c. 6. §. 6. & inf. c. 13. §. 3.

IN CAP. XII.

(A) §. *SUb f Litteris Humanioribus præter Grammaticam intelligatur quod ad Rhetoricam, Poëſim, & Hiſtoriam pertinet.*

f Sup. c. 5. A.

(B) §. *Cùm in aliquo Collegio, vel Univerſitate eò ſpectaretur, ut homines ad Saracenos vel Turcas juvandos præpararentur; Arabica lingua vel Chaldaica conveniret; cùm ad Indos, Indica: & ſic de aliis dicendum, quæ eſſe poſſent aliis in regionibus ob ſimiles cauſas, utiliores.*

g Sic etiam quoniam (C) Artes vel Scientiæ naturales ingenia diſpo- 3
nunt ad Theologiam, & ad perfectam cognitionem & uſum illius inſerviunt, & per ſe ipſas ad eumdem finem juvant; quâ diligentiâ par eſt, & *h* per eruditos Præceptores, in omnibus ſincerè honorem & gloriam Dei quærendo, tractentur.

g Sup. c. 5. §. 1.
h Sup. c. 6. §. 6. & Inf. c. 13. §. 3.

(C) §. Tractabitur Logica, Phyſica, Metaphyſica, Moralis ſcientia, & etiam Mathematicæ, quatenus tamen ad finem nobis propoſitum conveniunt. In legendo & ſcribendo alios inſtituere, opus etiam charitatis eſſet; ſi is perſonarum numerus Societati ſuppeteret, ut omnibus vacare poſſet: propter earum tamen penuriam hoc ordinariè docere non conſuevimus.

4 Medicinæ, & Legum ſtudium ut à noſtro Inſtituto magis remotum, in Vniverſitatibus Societatis vel non tractabitur, vel ſaltem ipſa Societas per ſe id oneris non ſuſcipiet.

De modo & ordine prædictas facultates tractandi.

CAPVT XIII.

1 AD tractanda tam facultatum inferiorum, quàm Theologiæ ſtudia, diſpoſitio & ordo conveniens tam manè, quàm veſperi ſervandus eſt.

2 Et quamvis (A) pro regionum, & temporum diverſitate in ordine, & ſtatutis horis ſtudio tribuendis, poſſit varietas accidere; omnes tamen in eo conveniant, ut ubique fiat, quod inibi magis expedire ad majorem in litteris profectum exiſtimabitur.

IN CAP. XIII.

a Sup. c. 6. H. *(A) §. DE a ſtatutis lectionum horis, ordine, ac modo, & de exercitationibus tam compoſitionum (quas à Magiſtris emendari oportet) quàm diſputationum in omnibus facultatibus, & pronuntiandi publice orationes & carmina, ſpeciatim* b *in quodam tractatu per Generalem Præpoſitum approbato agetur ſeorſum, ad quem hæc Conſtitutio nos remittit; id dumtaxat monendo, illa locis, temporibus, & perſonis accommodari oportere; quamvis ad illum ordinem accedere, quoad fieri poteſt, conveniat.*

b Sup. c. 7. §. 2.

3 Nec ſolùm lectiones ſint, quæ publicè prælegantur; ſed (B) *c* Magiſtri etiam diverſi pro captu & numero audientium conſtituantur: *(C)* qui quidem *d* profectum uniuſcujusque ex ſuis Scholaſticis ſpeciatim procurent, & lectionum rationem exigant; (D) utque eæ *e* repetantur, & ſtudioſi Litterarum Humaniorum *f* familiarem ſermonem, Latinè communiter loquendo; *g* & ſtylum, ſcribendo, ac pronuntia-

c Sup. c. 6. § 6 & c. 12. §. 1. 2. & 3.
d Sup. c. 6. § 6.
e Sup. c. 6. H.
f Sup. c. 6. § 13.
g Ibid. §. 13. & inf. c. 16. §. 3.

tiationem, compoſita bene pronuntiando expoliant, curent: & his, ac multò magis facultatum ſuperiorum ſtudioſis crebras *a* diſputationes imponant; quibus dies & horæ certæ conſtituantur: ubi non ſolùm cum condiſcipulis, verùm paulò inferiores cum aliquantò provectioribus diſputent in iis, quæ ipſi capiunt: quod etiam vice versâ provectiores cum minùs provectis, ad ea quæ illi tractant deſcendendo, & Præceptores alii cum aliis præſtabunt, ſemper quâ decet modeſtiâ obſervatâ; & *b* aliquo præſidente, qui contentionem dirimat, & quid doctrinæ elici oporteat ex diſputatis declaret.

a Sup. c. 6. H
b Sup. c. 6. §. 10. 11. & 12.

(B) §. Tres ordinariè erunt Præceptores in tribus diverſis Grammaticæ claſſibus; quartus Humaniores Litteras, quintus Rhetoricam prælegat: c *& in horum duorum clasſibus Græca lingua, & Hebraica, & ſi qua alia diſceretur, eſt prælegenda; ita ut ſemper ſint quinque claſſes. Quòd ſi tantum negotii aliquæ ipſarum exhiberent, ut unus Magiſter eis ſolus non ſatisfaceret, adjutor aliquis ei adjungetur. Si verò auditorum numerus ferre non poterit, ut unus Præceptor ſolus omnibus det operam, quamvis alios auxiliares habeat, geminari poſſet claſſis ea, quæ ſic numero abundaret; ita ut duæ (verbi gratiâ) quintæ claſſes, duæ quartæ eſſent;* d *& omnes Præceptores, ſi fieri poteſt, ex Societate ſint: quamvis ſi necesſitas urgeret, externi eſſe poſſent. Si exiguus numerus, vel auditorum diſpoſitio nec tot claſſes, nec tot Præceptores exigeret, in omnibus prudentia ad moderandum numerum, & eos dumtaxat qui ſatis ſint, deſignandos locum habebit.*

c Sup. c. 12. §. 2.
d Sup. c. 6. §. 6.

(C) §. An præter Præceptores ordinarios, qui ſpeciatim auditorum rationem habeant, eſſe unum oporteat, vel plures, qui more publicorum Profeſſorum legant Philoſophiam, Mathematicas ſcientias, vel quamvis aliam diſciplinam, majori cum apparatu, quàm Lectores ordinarii; prudentia id conſtituet, juxta locorum, & perſonarum, cum quibus agitur, rationem; præ oculis majorem ædificationem, & Dei ſervitium habendo.

(D) §. Non ſolùm e *repetitiones ultimæ lectionis fieri oportebit, verum & hebdomadæ, & longioris temporis, prout expedire judicabitur.*

e Sup. c. 6. §. 8. & H.

4 Erit itidem Rectoris, per ſe, vel per *f* Cancellarium ſemper obſervare, ut qui novi accedunt, examinentur; & in iis claſſibus, cumque iis Præceptoribus, qui ipſis conveniunt, collocentur: *g* & ejus diſcretioni (auditâ ſententia eorum, qui ad id munus deſignati ſunt) relinquetur, num diutius in eadem claſſe manere, an ad aliam ulteriùs progredi debeant. (E)

f Inf. c. 17. §. 2.
g Sup. c. 5. §. 2. & 3. & D. & inf. c. 15. §. 1. & A.

a Sup. c. 6. §. 5. & D. & c. 12. §. 2. & Exa. c. 7. §. 3.

b Sup. c. 5. §. 2. & C. & D. & Exa. c. 7 §. 3.

c Sup. c. 5. §. 2.

Ejusdem *a* erit judicium de ſtudio linguarum, præter Latinam, num Artibus, & Theologiæ anteponi, an poſtponi, & quamdiu in eis quemque hærere oporteat. Sic etiam in aliis ſcientiis ſuperioribus propter ingeniorum & ætatum inæqualitatem, aliaque conſideratione digna, ad *b* eumdem pertinebit expendere, quantum quisque eas diſcere, & quamdiu in eisdem verſari debeat: quamvis ii *c* qui ætate & ingenii aptitudine pollent, melius ſit, ut in omnibus proficere, & conſpicui eſſe ad Dei gloriam enitantur.

d Sup. c. 5, D.

(E) §. Poſſet d *aliquis eâ ætate vel ingenio eſſe, ut ſola Latina lingua ei ſufficiat, & ex aliis facultatibus quantum ad Confeſſiones audiendas, & agendum cum proximis opus eſt; cujusmodi ſunt aliqui qui curam animarum gerunt, nec magnæ eruditionis ſunt capaces. Alii rurſum erunt, qui ad ſuperiores ſcientias progredientur. Has autem capeſſere, & illas relinquere quatenus conveniat, Superioris erit judicare; quod cùm Scholaſticis externis ſignificaverit, ſi volent illi nihilominùs aliam rationem ſequi, cogendi non erunt.*

5 Ut aſſiduitas in litterario exercitio, ſic & aliqua remiſſio neceſſaria eſt. (F) Quanta hæc eſſe debeat, & quibus temporibus, prudenti conſiderationi Rectoris, expenſis circumſtantiis perſonarum & locorum, relinquetur.

(F) §. Saltem ſingulis hebdomadis dies unus à prandio quieti deſtinatus ſit: in reliquis conferatur cum Provinciali, qui ordo in vacationibus, vel intermiſſionibus ſtudiorum ordinariis ſit tenendus.

De libris qui prælegendi ſunt.

CAPUT XIV.

e Sup. c. 5. §. 4. & p. 3. c. 1. O. & p. 8. c. 1. K.

1 GENERATIM *e* (ut dictum eſt, cùm de Collegiis ageretur) illi prælegentur libri, qui in quavis facultate ſolidioris ac ſecurioris doctrinæ habebuntur. (A) Nec illi ſunt attingendi, quorum doctrina, vel auctores ſuſpecti ſint. Hi tamen particulatim in quavis Univerſitate nominentur.

IN CAP. XIV.

(A) §. QVamvis liber ſuſpicione malæ doctrinæ vacet, cùm tamen ſuſpectus eſt auctor, legi eum non convenit. Solet enim opus in causâ eſſe, ut qui legit, ad auctorem afficiatur: & auctoritas quam apud ipſum habet in iis, quæ benè dicit, poſſet poſtmodùm aliquid perſuadere ex iis, quæ malè dicit. Rarum eſt etiam aliquid veneni non admiſceri in iis, quæ à pectore veneni pleno egrediuntur.

In Theologiâ legetur vetus & novum Teſtamentum, (B) & doctrina Scholaſtica Divi Thomæ: (C) & in eâ, *a* quam Poſitivam vocant, eligentur ii auctores, qui ad ſcopum noſtrum magis convenire videbuntur. *a* Sup. c. 5. §. 1. & c. 12. §. 1.

(B) §. Prælegetur etiam Magiſter Sententiarum. Sed ſi videretur temporis decurſu alius auctor ſtudentibus utilior futurus, ut ſi aliqua ſumma vel liber Theologiæ Scholaſticæ conficeretur, qui his noſtris temporibus accommodatior videretur; gravi cum conſilio & rebus diligenter expenſis per viros qui in universâ Societate aptiſſimi exiſtimentur, cumque Præpoſiti Generalis approbatione, prælegi poterit. In aliis etiam ſcientiis & Litteris Humanioribus, ſi libri aliqui admittentur in Societate compoſiti, ut utiliores quàm alii, qui communiter in manibus habentur; magnâ cum conſideratione id fiet, præ oculis habendo ſcopum noſtrum majoris boni univerſalis.

b Quod attinet ad libros Humaniorum Litterarum Latinos, vel 2 Græcos, abſtineatur in Vniverſitatibus quoque, quemadmodùm in Collegiis, quoad ejus fieri poterit, ab eis juventuti prælegendis, in quibus ſit aliquid, quod bonis moribus nocere queat; (D) niſi priùs à rebus, & verbis inhoneſtis purgati ſint. *b* Sup. c. 5. E.

(C) §. Vt ex aliquâ parte Iuris Canonici, & Conciliorum, &c.

(D) §. Si aliqui omnino purgari non poterunt, quemadmodùm Terentius, potiùs non legantur: ne rerum qualitas animorum puritatem offendat.

In Logicâ, & Philoſophiâ Naturali, & Morali, & Metaphyſicâ, 3 doctrina Ariſtotelis ſequenda eſt; & in aliis Artibus liberalibus, & in commentariis tam hujuſmodi auctorum, quàm Humaniorum Litterarum, habito eorum delectu, nominentur ii, quos videre diſcipuli, quoſque ipſi Præceptores præ aliis in doctrinâ, quam tradunt, ſequi debeant. *c* Rector autem in omnibus quæ ſtatuerit, procedet juxta id, quod in univerſali Societate magis convenire ad Dei gloriam judicabitur. *c* Sup. c. 5. §. 4. & E.

De curſibus, & gradibus.

CAPVT XV.

1 IN Litteris Humanioribus, & linguis (A) curſus temporis limitatus ad earum ſtudium abſolvendum eſſe nequit, propter ingeniorum & doctrinæ auditorum varietatem, multasque alias cauſas; quæ non aliam temporis præfinitionem, quàm quæ unicuique convenire *a* juxta prudentis Rectoris, vel Cancellarii arbitrium videbitur, permittunt.

a Sup. c. 5. §. 3. & c. 13. §. 4. & inf. c. 17. §. 2.

IN CAP. XV.

(A) §. BOno ingenio præditis, qui ſtudia inchoant, videatur an medius annus in quavis quatuor claſſium inferiorum ſufficiat, & duo in ſupremâ, quod tempus Rhetoricæ, & linguarum ſtudiis impendatur: certa tamen regula præſcribi non poteſt.

2 In Artium ſtudio curſus erunt ordinandi, in quibus ſcientiæ naturales (B) (ad quas minus quàm trium annorum ſpatium ſatis non erit) prælegantur; *b* præter quos medius adhuc annus ab audita repetenda, & actus Scholaſticos celebrandos, & gradum Magiſterii ſuſcipiendum iis qui eum ſuſcepturi ſunt, relinquetur. Curſus ergo integer trium erit annorum cum dimidio, usque ad promotionem ad Magiſterium. (C) Singulis autem annis unus hujusmodi curſus inchoabitur, & alius cum divino auxilio abſolvetur.

b Sup. c. 6. §. 16. & 17.

(B) §. Si aliquis alibi audiviſſet aliquid ex artibus liberalibus, poſſet ejus temporis ratio haberi: ut plurimùm tamen, ut quis ad gradum Magiſterii promoveatur, tres annos, ut dicitur, ſtuduerit oportet: & tantumdem de quatuor Theologiæ annis, ut ad actus admittantur, & in eadem gradum Doctoratus accipiant, dictum ſit.

(C) §. Si opportunum non fuerit id ita omnino præſtare, vel quod deſint homines, vel alias ob cauſas; præſtabitur cum Præpoſiti Generalis, vel certè Provincialis aſſenſu, quòd poterit.

3 Theologiæ curriculum ſex annis emetietur. *c* In primis quatuor, ea omnia quæ legi oportebit, prælegentur; in duobus reliquis, *d* præter repetitionem, *e* actus ſoliti ad gradum Doctoratus ab iis qui promovendi ſunt, abſol-

c Sup. c. 9. §. 3. & p. 5. c. 2. §. 2.
d Sup. c. 6 §. 16.
e Ibid. §. 17.

abſolventur. (D) Quarto quoque anno ordinariè curſus inchoabitur, ſic libris prælegendis diſtributis, ut quolibet quatuor annorum quivis ſtudioſus inchoare poſſit; & quod reliquum eſt incepti quadriennii, & ejus quod ſequitur quadriennii, usque ad illum terminum, unde inceperat, audiendo, quatuor annis peragere omnino curſum Theologiæ poſſit.

(D) §. Si talis eſſet rerum ſtatus in aliquo Collegio vel Vniverſitate Societatis, ut ſecundo quoque anno inchoare melius videretur, vel aliquando poſt quartum; de conſenſu Generalis, vel Provincialis, fieri poterit quod magis convenire comperietur.

a In gradibus tam Magiſterii Artium, quam Doctoratus Theologiæ 4
tria obſerventur; Primum, ne quis niſi diligenter (E) & publicè examinatus, per perſonas deſignatas, quæ benè ſuum officium faciant, & idoneus ad prælegendum eamdem Scientiam inventus, promoveatur; ſive ille de Societate ſit, ſive extra eam. Alterum, *b* ut præcludatur oſtium ambitioni, nullis locis certis eis, qui ad gradus promoventur, aſſignatis; quin potiùs honore ſe invicem prævenire, nullâ locorum differentiâ obſervatâ, curent. *c* Tertium, ut quemadmodùm gratis docet, ita & ad gradus Societas gratis promoveat: (F) & non niſi admodùm exigui ſumptus (licet voluntarii ſint) externis permittantur, ne conſuetudo vim legis tandem obtineat, & in eâ parte temporis decurſu exceſſus fiat. Videat etiam Rector, ne Magiſtris, vel ullis aliis de Societate, ſibi, aut Collegio pecuniam, aut dona quævis ab ullo pro re quavis in ipſorum utilitatem factâ accipere permittat; *d* quandoquidem præmium noſtrum ſolus Chriſtus Dominus juxta noſtrum Inſtitutum futurus eſt; qui eſt merces noſtra magna nimis.

a Sup. c. 6. §. 17.
b Sup. c. 6. §. 17. & p. 10. §. 6.
c Sup. c. 7. §. 3. & inf. c. 17. §. 3. & E. & Ex. c. 1. § 3. & c. 4. §. 27. & p. 6. c. 2. § 7. & G. & p. 7. c. 4. §. 4. & B. & p. 10. §. 5.
d Exa. c. 4. §. 27.

(E) §. Si juſtas ob cauſas aliquis publicè non examinandus videretur; habitâ à Generali, vel Provinciali facultate, fieri poterit quod Rector ad majorem Dei gloriam fore judicaverit.

(F) §. Et ſic non permittentur convivia, nec alii ludi, qui cum ſumptibus non mediocribus fiunt, & ad finem nobis propoſitum inutiles ſunt: nec pilei, aut chirothecæ, vel quid aliud detur.

De

De iis, quæ pertinent ad bonos mores.

CAPVT XVI.

1 DILIGENTER curetur, ut qui litteras diſcendi gratiâ ad Vniverſitates Societatis ſe conferunt, ſimul cum illis bonos ac Chriſtianis dignos mores addiſcant. Ad quod multùm juverit, (A) ſi *a* omnes ſingulis ſaltem menſibus ſemel ad confeſſionis Sacramentum accedent; ſi Miſſam quotidie, Concionem ſingulis diebus feſtis (cùm ea fiet) audient. Ex Præceptoribus autem quiſque hoc à ſuis diſcipulis præſtari curabit.

a Sup. c. 7. §. 2.

IN CAP. XVI.

(A) §. QVi facilè compelli poſſunt, compellantur ad id quod de Confeſſione, Miſsâ, Concione, doctrinâ Chriſtianâ, & declamatione dicitur. Aliis amanter quidem perſuadere convenit; ſed ad id ne cogantur, nec ſi id non præſtiterint, à Scholis expellantur; dum tamen nec diſſoluti, nec aliis offendiculo eſſe videantur.

2 *b* Prælegetur etiam in Collegio, aliquo die cujuſcumque hebdomadæ, Chriſtiana doctrina; & ut pueri eam ediſcant, & recitent, omneſque etiam adultiores, ſi fieri poteſt, eamdem ſciant, curabitur.

b Sup. c. 7. §. 2.

3 *c* Habebitur etiam ſingulis hebdomadis (ut de Collegiis eſt dictum) (B) ab aliquo ex Scholaſticis declamatio de rebus, quæ audientibus ædificationi ſint, eoſque ad augmentum in omni puritate ac virtute expetendum invitent; *d* ut non ſolùm ſtylus exerceatur, ſed mores meliores reddantur. Omnes autem eos qui Latinè ſciunt, hujuſmodi declamationi intereſſe oportebit.

c Sup. c. 6. §. 13. *d* Sup. c. 6. §. 13. & c. 13. §. 3.

(B) §. Quamvis ut plurimùm ex primâ claſſe ſit futurus, qui hanc declamationem dicet, ſive ex Scholaſticis Societatis, ſive ex externis ſit; poſſet tamen aliquando aliquis alius, qui Rectori videretur, eam conficere, vel quod alius confecerit, pronuntiare. Quia tamen res erit publica, hujuſmodi eſſe debebit, ut à quocumque pronuntietur, eo loco non indigna eſſe judicetur.

4 . In Scholis nec juramenta, nec injuriæ verbo vel facto illatæ, nec inhoneſtum aut diſſolutum quid in externis ad Scholas accedentibus permit-

mittatur. *a* Feratur autem Præceptorum peculiaris intentio, tam in le- *a* Sup. c. 8. A.
ctionibus, cùm ſe occaſio obtulerit, quàm extra eas ad eoſdem ad obſequium & amorem Dei ac virtutum, quibus ei placere oportet, movendos; & ut *b* omnia ſua ſtudia ad hunc finem referant. Quod ut ad memoriam eis *b* Sup. c. 6. §. 1.
reducatur, (C) ante lectionis initium dicat aliquis brevem orationem ad id inſtitutam; quam Præceptor, & Diſcipuli omnes aperto capite attentè audient.

(C) §. Oratio vel eo modo dicenda eſt, ut devotionem & ædificationem addat, vel non eſt dicenda; ſed Præceptor ſigno Crucis ſe muniat aperto capite; & incipiat.

Propter eos qui tam in diligentiâ ſuis ſtudiis adhibendâ, quàm in iis, 5
quæ ad bonos mores pertinent, peccaverint; & cum quibus ſola verba bona, & exhortationes non ſufficiunt, *c* Corrector (qui de Societate non ſit) con- *c* Sup. c. 7. §. 2. & D. & inf. c. 17. G.
ſtituatur; qui pueros in timore contineat, & eos, quibus id opus erit, quique caſtigationis hujuſmodi erunt capaces, caſtiget. Cùm autem nec verba, nec Correctoris officium ſatis eſſet, & in aliquo emendatio non ſperaretur, aliiſque eſſe offendiculo videretur; (D) præſtat *d* à Scholis eum removere, *d* Sup. c. 11. B.
quàm ubi parum ipſe proficit, & aliis nocet, retinere. Hoc autem judicium Rectori Univerſitatis, ut omnia ad gloriam & ſervitium Dei, ut par eſt, procedant, relinquetur.

(D) §. Si caſus aliquis accideret, ubi in remedium offendiculi præſtiti, ſatis non eſſet à Scholis expellere; videat Rector quid prætereà conveniat providere: quamvis, e quoad ejus fieri poterit, in ſpiritu lenitatis, pace & charitate *e* P. 10. §. 11.
cum omnibus conſervatâ, ſit agendum.

De Officialibus vel Miniſtris Univerſitatis.

CAPUT XVII.

(A) CURA univerſalis, vel ſuperintendentia & gubernatio Univerſitatis, 1
penes Rectorem erit; qui idem eſſe poterit qui in Collegio præcipuo Societatis præeſt, & iis prædítus Dei donis, *f* de quibus dictum eſt; ut *f* Sup. c. 10. §. 4.
poſſit commiſſo ſibi officio dirigendi in litteris & moribus totam Univerſitatem, ſatisfacere. *g* Ejus electio ad Præpoſitum Generalem, vel alium, *g* Sup. c. 2. §. 5. & c. 10. § 3. & p. 9. c. 3. §. 3. 14. & 15.
cui ille id commiſerit (cujuſmodi eſſet Provincialis, vel Viſitator) ſpectabit: confirmatio verò ſemper erit Generalis. (B) Habebit *h* autem Re- *h* Sup. c. 10. §. 7. & inf. §. 6. & p. 9. c. 6. §. 14. & 1.

ctor quatuor Conſiliarios, vel Aſſiſtentes, qui in rebus ad ipſius officium pertinentibus ut plurimùm poſſint eum juvare, & cum quibus ipſe, quæ ſunt majoris momenti, conferat.

IN CAP. XVII.

(A) §. QVamvis hoc ita ſe habeat, tamen nec Lectores primarios, nec Officiales (qualis eſt Cancellarius) inconſulto Provinciali, vel Generali, ſi vicinior eſt, mutabit; ſi ille non eidem id commiſiſſet; cui ut res omnes perſpectæ ſint curare debet.

a P. 8. c. 1. §. 3. *(B) §.* a *Ex his Conſiliariis unus poſſet Collateralis eſſe, ſi Præpoſito Generali id neceſſarium videretur: & ſi tam multi eſſe commodè non poſſent, fiet, ut optimè poterit.*

2 (C) Erit *b* & Cancellarius, vir in litteris egregie verſatus, qui & zelo bono, & judicio ad ea, quæ ſunt ei committenda, polleat: *c* cujus ſit munus, generale Rectoris inſtrumentum eſſe ad ſtudia bene ordinanda, & diſputationes in actibus publicis dirigendas, & ad diſcernendum an ſufficiens doctrinâ ſit eorum, qui ad actus & gradus (quos quidem ipſemet dabit) ſunt admittendi.

b Sup. c. 5. §. 1. c Sup. c. 13. §. 4. & c. 15. §. 1.

(C) §. Si ſatis eſſet Rector, ut præter ſuum, Cancellarii etiam munus obire poſſet, in eamdem perſonam hæc duo officia poſſent convenire.

3 Sit Secretarius ex eadem Societate, qui librum habeat, (D) ubi omnium Scholaſticorum, qui Scholas aſſidue frequentant, nomina ſcribantur: quique eorum promiſſionem de obedientiâ Rectori præſtandâ, & *d* Conſtitutionibus obſervandis (E) (quas ipſemet proponet) admittat; & ſigillum Rectoris, & Vniverſitatis habeat: *e* quæ tamen omnia ſine ullis expenſis Scholaſticorum fient.

d Sup. c. 7. §. 2. e Sup. c. 15. §. 4.

(D) §. Quando ultra unam hebdomadam, aſſiduè Scholas frequentant, invitandi ſunt ad nomina ſua danda, quæ in librum matriculæ referantur: & legentur eiſdem non omnes Conſtitutiones, ſed quæ unicuique ſunt obſervandæ: & promiſſio ab eis, non autem jusjurandum, de obedientiâ & obſervatione propoſitarum Conſtitutionum exigetur. Si nollent aliqui promiſſione obligari, vel nomina in matriculam referenda dare, non ideò à Scholis excludendi ſunt; dummodò pacificè & ſine offendiculo in eis verſentur: & ſic eis ſignificari poterit; addendo nihilominùs, quòd cura magis peculiaris

Scho-

Scholaſticorum, quorum nomina ſcripta in libro Vniverſitatis ſunt, haberi ſolet.

(E) §. Quamvis poſteà quæ ab omnibus ſunt obſervandæ, eo in loco, ubi publicè legi poſſint; quæ verò in quavis claſſe, in eâ ipsâ ſunt affigendæ.

(F) Erit & Notarius, ut fidem publicam faciat de ſuſceptis gradi- 4
bus, & aliis quæ occurrent. (G) Sint & duo, vel tres Bidelli, unus ád facultatis linguarum, alter ad Artium, tertius ad Theologiæ functiones deſtinatus.

(F) §. Hic poterit aliquid utilitatis ab externis qui teſtimonium ſuorum graduum requirunt, percipere. Sit tamen quid moderatum, a *nihilque in Societatis utilitatem redundet. Ad teſtimonium autem noſtris reddendum, litteræ patentes Rectorum ſatis erunt.*

a Suprà c.15. §.4.

(G) §. Hi ex Societate non erunt: quia tamen non parum laboris ſunt habituri, commodum ſtipendium accipient; b *& unus eorum Corrector eſſe poterit.*

b Sup. c.16. §.5.

In has tres facultates Vniverſitas dividetur; & in quavis earum ſit De- 5
canus, & duo alii Deſignati ex iis qui meliùs res facultatis illius callent: qui à Rectore vocati, poſſint dicere quid ſentiant ad ſuæ facultatis bonum convenire: & ſi quid tale in mentem venerit, dum inter ſe de hujusmodi rebus agunt, ad Rectorem, quamvis non vocentur, referent.

In rebus quæ ad ſolam unam facultatem pertinent, (H) vocabit Re- 6
ctor, præter Cancellarium & ſuos *c* Aſſiſtentes, Decanum etiam & Deſignatos illius facultatis: in iis quæ ad omnes pertinent, Decani, & Deſignati omnium vocentur. Et ſi Rectori viſum fuerit & alios de Societate, vel extra eam, ad Congregationem vocare, facere id poterit; ut cùm omnium ſententias audierit, meliùs quod convenit conſtituat.

c Sup. §. 1.

(H) §. Quamvis deciſio rerum ex ſuffragiis horum non pendeat; ipſos tamen vocari & audiri convenit. Sententiæ autem eorum, qui res meliùs intelligunt, eam quam par eſt, rationem Rector habebit. Si tamen omnes alii aliter quàm ipſe ſentirent, contra omnium ſententiam ne agat; niſi priùs cum Provinciali contulerit.

(I) Erit *d* Syndicus unus generalis, qui tam de perſonis, quàm de rebus, 7
de quibus videbitur, Rectorem & Præpoſitum Provincialem, & Generalem admoneat: qui quidem Syndicus vir magnæ fidelitatis & judicii eſſe debebit. Præter hunc, ſuos habebit Syndicos particulares Rector; (K) ut quæ

d Sup. c. 6. §.15. & c.10. §. 7. & p. 3. c. 1. §. 16.

quavis in claſſe acciderint,quibus providere oporteat,ad ipſum referant. Et ut ipſe de omnibus Præceptoribus,& aliis de Societate ; ita & Collaterales,& Syndicus,& Conſiliarii de ipſo,& de aliis (L) *a* ſcribent ſemel ſingulis annis Præpoſito Generali, & bis Provinciali,qui Generalem (ſi quid oportuerit) admonebit : ut in omnibus majori cum circumſpectione & curâ præſtandi, quòd quiſque debet, procedatur.

a P. 8. c. 1. §. 9.

(I) §. Hoc Syndici officium poſſet conjungi cum Collateralis,vel Conſiliarii officio, ſi ſic videretur convenire ; quòd alius in Vniverſitate magis ad id idoneus, quam aliquis eorum, non eſſet.

(K) §. Et quamvis Syndici nihil habeant,quod alicujus momenti ſit ; ſingulis tamen diebus Sabbati ſaltem, ſe nihil habere Superiori referant.

(L) §. Mittantur hujuſmodi litteræ eo modo obſignatæ, ut nullus ſciat quid alius ſcripſerit. Et cùm vellet Præpoſitus Generalis vel Provincialis pleniorem rerum notitiam ; non tantùm Collateralis, Syndicus, & Conſultores de Rectore, deque omnibus aliis ſcribent ; verùm etiam quiſque Magiſtrorum, & Scholaſticorum approbatorum, & Coadjutorum quoque formatorum ſcribet, quid de omnibus, ac etiam de Rectore ſentiat. Et ne id novum videatur, tertio quoque anno ſaltem, hæc referri quaſi ordinariè ſic debeant.

8 De aliquibus inſigniis,num eis Rector, Cancellarius, Bidelli, Doctores & Magiſtri,ut in Vniverſitate cognoſcantur,vel ſaltem in actibus publicis uti debeant,necne ; & ſi utantur,qualia eſſe debeant, (M) conſiderationi Generalis tunc exiſtentis,cùm aliqua Vniverſitas admittitur, relinquetur. Ille autem per ſe,vel per alium,expenſis circumſtantiis,quod judicaverit ad majorem Dei gloriam & obſequium, & bonum univerſale fore (qui unicus ſcopus in hac,& in omnibus rebus nobis eſt) conſtituet.

(M) §. Quamvis hoc ita ſe habeat ; id tamen,quod in quovis loco convenire ex inſigniis hujuſmodi videbitur, diſtinctè in cujuſque univerſitatis Regulis conſtituetur.

QVIN-

QVINTA PARS

De iis, quæ ad admittendum in corpus Societatis pertinent.

De admiſſione, & quis, & quando debeat admittere.

CAPVT I.

QVI in Societate, quantum ſatis eſt, probati fuerint; & tamdiu, ut utrimque intelligi jam poſſit, num in eadem manere ad majus Dei obſequium & gloriam conveniat; (A) admitti debent; non ut prius ad Probationem, ſed modo magis interno, ut membra unius ac ejusdem corporis Societatis. Hujusmodi autem ſunt præcipuè, qui ad Profeſſionem, vel in Coadjutores formatos admittuntur. Sed quia Scholaſtici approbati, etiam modo quodam interiori, quàm admiſſi ad Probationem, in corpus Societatis cooptantur; de eorum quoque admiſſione in hac quintâ Parte dicetur, quid in Domino obſervandum videatur. 1

Declarationes in quintam Partem.

De iis, quæ ad admittendum in corpus Societatis pertinent.

IN CAP. I.

(A) §. a *SOcietas, ut ejus nomen latiſſimè accipitur, omnes eos, qui ſub obedientiâ Præpoſiti Generalis vivunt, etiam Novitios; & quicumque* b *cùm propoſitum vivendi & moriendi in Societate habeant, in Probationibus verſantur, ut in eam ad aliquem ex aliis gradibus, de quibus dicetur, admittantur, complectitur.* a Exa. c. 1. §. 7. b Exa. c. 3. §. 14, & p. 1. c. 4 §. 3.

Secundo modo, qui minùs latè patet, Societas cum Profeſſis & Coadjutoribus formatis, etiam Scholaſticos approbatos continet. Ex his enim tribus partibus, ſeu membris, Societatis corpus conſtat.

Tertio modo, & magis proprie Profeſſos, & Coadjutores formatos dumtaxat continet : a *& ſic accipiendus eſt in Societatem ingreſſus, quem Scholaſtici promittunt ; ſcilicet, ut inter Profeſſos, vel Coadjutores formatos illius numerentur.*

a Inf. c. 4. E. & Exa. c. 1. §. 10. & c. 7. §. 1.

Quarta hujus nominis Societatis acceptio & maximè propria Profeſſos dumtaxat continet : non quòd ejus corpus alia membra non habeat, ſed quòd hi ſint in Societate præcipui, b *& ex quibus aliqui, ut inferiùs dicetur, ſuffragium activum & paſſivum habent in electione Præpoſiti Generalis, &c.*

b P. 8. c. 3. A. & c. 6. B.

Quocumque ex his quatuor modis aliquis in Societate ſit, capax eſt communicationis gratiarum ſpiritualium, c *quas in eâ Præpoſitus Generalis, ſecundùm conceſſionem Sedis Apoſtolicæ, ad majorem Dei gloriam poteſt concedere. Ceterùm de primo admittendi modo, cùm idem ſit, atque ad Probationem admittere, in primâ Parte dictum eſt : & de admiſſione in tribus aliis modis in hac quintâ Parte agetur.*

c P. 8. c. 1. §. 6. & p. 9. c. 3. §. 10.

2 *d* Primò quidem facultas admittendi in corpus Societatis eos qui admittendi erunt, penes ejus caput erit ; ut ratio poſtulat. Sed quia Præpoſitus Generalis tam variis locis intereſſe non poteſt, (B) aliis *e* de Societate eam partem hujus facultatis, quæ ad totius corporis hujus bonum facere videbitur, poterit communicare.

d Inf. c. 2. §. 1. 4. & 5. & B. & C. & p. 9 c. 3. §. 1. & A.
e Inf. c. 2. §. 4 & 5. & A. B. & C. & p. 9. c. 3. A.

(B) §. Alii, quibus ordinariè magis, & abſolutè communicabitur, Præpoſiti Provinciales erunt. Quibusdam tamen Præpoſitis Localibus, vel Rectoribus, & aliis Viſitatoribus, aut perſonis inſignibus, poterit Præpoſitus Generalis hanc auctoritatem communicare ; imò & alicui qui de Societate non eſſet, aliquo in caſu, ut Epiſcopo alicui, vel perſonæ in dignitate Eccleſiaſticâ conſtitutæ ; cùm nullus ex Profeſſis ejusdem Societatis eo in loco, ubi aliquis ita eſt admittendus, inveniretur.

3 *f* Tempus ad admittendum modo ſuperiùs dicto, in univerſum loquendo, (C) ultra biennium eſſe oportebit. Sed qui antequàm ad ſtudia mitteretur, vel in eisdem diu probatus fuiſſet ; poſt illa abſoluta, ſi ad Profeſſionem eſt admittendus, *g* integrum adhuc Probationis annum habebit ; ut adhuc magis perſpectus ſit, antequàm eam emittat. *h* & prorogari hoc tempus poterit (ut in Examine dictum eſt) cùm Societas, vel qui ab eâ hanc in Domino curam habet, pleniùs ſibi ſatisfieri deſideraret.

f Inf. c. 4. §. 3. & 6. & Exa. c. 1. §. 12. & c. 4. §. 16. & 41 & c. 6. §. 8. & p. 4. c. 3. §. 3. & c. 4. §. 5.
g Exa. c. 1. §. 12. & c. 4. §. 16. & c. 6. §. 8.
h Exa. c. 1. §. 12. & c. 4. §. 43.

(C) §. Quamvis hoc ita ſe habeat, tamen ut prorogari, ita & contrahi hoc ſpatium quibusdam in caſibus, ex cauſis tamen non levis momenti, judicio Præpoſiti Generalis (cujus erit diſpenſandi jus) licebit : rarò tamen id fiet.

Qua-

Quales eſſe debeant, qui admittendi ſunt.

CAPVT II.

CVM nullo ex his modis admitti debeat, niſi qui idoneus in Domino fuerit exiſtimatus; illi ad Profeſſionem idonei habebuntur, *a* quorum vita diuturnis ac diligentibus Probationibus, (A) à Præpoſito *b* Generali (ad quem referent particulares Præpoſiti, vel alii, quorum teſtimonium Generalis requiret) perſpecta valdè & approbata fuerit. Ad hoc autem conferet illis qui ad ſtudia miſſi fuerunt, abſoluta jam eâ curâ & diligentiâ, quæ ad excolendum intellectum adhibita fuerit, ultimæ Probationis tempore in ſcholâ affectus diligentiùs ſe exercere, *c* & in rebus ſpiritualibus, & corporalibus, quæ ad profectum in humilitate & *d* abnegatione univerſi amoris ſenſualis, voluntatis & judicii proprii, & ad majorem cognitionem & amorem Dei conferunt, inſiſtere; ut cùm in ſeipſis profecerint, meliùs ad profectum ſpiritus alios ad gloriam Dei & Domini Noſtri juvent. 1

a Exa. c. 1. §. 8. & p. 8. c. 1. §. 2. & B. & p. 10. §. 7.
b Sup. c. 1. §. 2. & inf. §. 4. & c. & B. & C. & p. 9. c. 3. §. 1. & A.
c Exa. c. 4. §. 16.
d Inf. §. 2. & p. 3. c. 1. §. 23.

IN CAP. II.

(A) §. QVamvis *e in remotiſſimis regionibus (cujusmodi ſunt Indiæ) poſſit Præpoſitus Generalis, judicio Provincialis relinquere, non expectatâ hinc approbatione (quæ non niſi per multos annos eò perveniret) num aliquis ad Profesſionem admitti debeat, nec ne: f in locis tamen, ex quibus major poteſt haberi communicatio, non facilè ulli Provinciali facultatem admittendi ad Profesſionem committet: niſi priùs ipſe certior factus ad eos qui ei videbuntur in Domino ad profesſionem admittendos, particulariter conſenſum præſtiterit.*

e Sup. c. 1. §. 2. & B. & p. 9. c. 3. A.
f P. 9. c. 3. A.

2 *g* Doctrina etiam in hujusmodi, ſufficiens eſſe debebit, præter Humaniores Litteras, & Artes liberales, in Theologiâ Scholaſticâ & Sacris Litteris. Et quamvis aliqui breviori tempore non minorem progreſſum, quàm alii longiori facere poſſent; nihilominùs ut communis aliqua menſura ſumatur, ſpatium aliquod temporis præſcribetur: & hoc erit (B) *h* quadriennium integrum poſt Artium liberalium & Philoſophiæ ſtudia, in Theologiâ expleviſſe. Vt ergo ad Profeſſionem quis admittatur, in eâ facultate hoc tem-

g Exa. c. 1. §. 8. & 10.
h P. 4. c. 9. §. 3. & c. 15. §. 3.

tempus ſe exercuiſſe, & quidem, ad gloriam Dei, ſatis in eâ profeciſſe convenit; & in profectus hujusmodi teſtimonium quisque ante Profeſſionem Aſſertiones Logices, Philoſophiæ, & Theologiæ Scholaſticæ tuebitur. Quatuor autem ad argumentandum, & judicandum de eorum doctrinâ, an ſit quanta oportet, prout juxta veritatem ſincerè ſenſerint, deligantur. *a* Quòd ſi doctrinâ eâ præditi eſſe, quæ ſatis ſit, non invenientur; conducibilius erit, ut donec eam conſequantur, expectent: ut illos etiam expectare oportebit, qui in *b* abnegatione ſui ipſorum, & virtutibus Religioſo dignis teſtimonium, quod par eſſet, nondum omnino haberent.

a Par. 10. §. 7.

b Sup. §. 1.

(B) §. Quamvis ut plurimùm hæc menſura ſtudii quatuor annorum in ſacrâ Theologia (præter Litterarum Humaniorum & Artium ſtudia, & examinationem dictam, ut quem progreſſum in eâ doctrinâ fecerint, videri poſſit) ſit obſervanda; nihilominùs tamen qui in Iure Canonico doctrinam ſufficientem, vel alia egregia Dei dona haberet, ex quibus, quod ſtudio Theologiæ deeſt, compenſari poſſet; ſine eo, ad Profesſionem trium, & aliqui viri inſignes etiam ad quatuor votorum (quamvis hoc extendi non debeat) admitti poſſent. c *Horum donorum judicium Præpoſito Generali tantùm, vel ſi cui, peculiari præſcripto, id ille committeret, ut quod foret ad majorem Dei gloriam, faceret, relinquetur.*

c Sup. c. 1. §. 2.

3 Præter hos, (C) *d* nonnulli ad trium Votorum ſolemnium tantùm Profeſſionem admitti poſſent: raro tamen, & non ſine cauſis peculiaribus alicujus momenti: & hos, ſeptem annos in Societate notos fuiſſe, & non mediocrem ſui talenti ac virtutum ſatisfactionem, ad gloriam Dei præbuiſſe, in eâ oportebit.

d Inf. c. 3. §. 5. & 6. & Exa. c. 1. D.

(C) §. Qui ad profesſionem trium Votorum ſolemnium admittuntur, ordinariè ſufficientiam in litteris, quæ ſaltem ad Confeſſarii munus benè obeundum ſatis ſit, habeant oportet; vel certè dona Dei aliqua rara, quæ id compenſare videantur, ita, ut e *Præpoſitus Generalis, vel alius, cui ſuas vices ad hoc ille ſpeciali commisſione concederet, ad majus Dei obſequium, & Societatis bonum, ſic convenire judicaret. Et hi ut plurimùm homines erunt, qui propterea quòd bene meriti ſint & valdè devoti, quamvis minori doctrinâ, ac concionandi aptitudine præditi, quàm noſtrum inſtitutum in Profesſis requirat, admittendi eſſe in Domino videbuntur.*

e Sup. c. 1. §. 2.

4 *f* Vt quis etiam in Coadjutorem formatum admittatur, oportet Societati eſſe ſatisfactum de ejus vitâ, deque bono exemplo ac talento ad ſe juvandam,

f Exa. c. 6. §. 1.

dam, vel cum litteris, in rebus ſpiritualibus, vel ſine illis, in exterioribus; prout cuique divina bonitas dona ſua communicaverit. Hoc ipſum autem *a* metiatur oportet Præpoſiti Generalis prudentia: niſi alicui ex particularibus, cui multum in Domino confideret, id committendum videretur.

a Sup. §. 1.

b Vt aliqui admittantur in Scholaſticos approbatos, quadam pro- 5
portione ſervatâ, eadem requiruntur: & id peculiari quadam ratione; ut ex eorum ingenio ſperetur, eos in litteris profecturos, *c* Præpoſiti Generalis judicio, vel ejus, cui hoc munus ille commiſerit, confidendo prudentiæ ac probitati à Deo ipſi donatæ.

b Exa. c. 1. §. 10. & p. 4. proœ. A. & c. 3. §. 1. 2. & 3.
c Sup. §. 7.

De modo admittendi ad Profeſſionem.

CAPVT III.

QVANDO *d* aliqui, peracto Probationis tempore, & experimentis; ac 1
aliis quæ in Examine continentur, confectis, ad profeſſionem admittendi fuerint; cùm Societati, vel ejus Præpoſito Generali plenè ſit in Domino ſatisfactum, Profeſſio hoc modo, qui ſequitur, emittetur.

d Exa. c. 1. §. 8.

In primis Præpoſitus Generalis, vel qui acceptâ ab eo facultate, ad 2
Profeſſionem admittet, (A) poſtquàm publicè Miſſæ ſacrificium obtulerit in eccleſiâ coram domeſticis, & aliis externis, qui interfuerint; cum ſanctiſſimo Sacramento Euchariſtiæ ad eum, qui Profeſſionem eſt emiſſurus, ſe convertat. Ille autem abſolutâ generali Confeſſione, & verbis quæ ante Communionem dici ſolent, voce altâ Votum ſuum ſcriptum *e* (quod aliquot ante dies conſideraverit oportet) leget; cujus formula hæc eſt:

e Exa. c. 4. §. 41.

IN CAP. III.

(A) §. PArticularia quæ hìc, & inferiùs attinguntur, decent quidem, & cùm fieri poteſt, obſervanda ſunt; non tamen, ut neceſſaria. Fieri enim poſſet, ut Sacerdos non eſſet, vel Miſſam celebrare non poſſet, qui ex ordinatione Præpoſiti Generalis Profeſſionem admittit. Illud autem eſſentiale eſt, ut publicè Votum legatur coram iis de Societate, & externis, qui adfuerint, atque ut tamquàm ſolemne & emittatur, & admittatur.

EGO N. Profeſſionem facio, & promitto Omnipotenti Deo coram ejus

Virgine Matre, & univerſâ cæleſti curiâ, ac omnibus circumſtantibus, & tibi Patri Reverendo N. Præpoſito Generali Societatis IESV, locum Dei tenenti, & ſucceſſoribus tuis; vel, tibi Reverendo Patri vice Præpoſiti Generalis Societatis IESV, & ſucceſſorum ejus, locum Dei tenenti; perpetuam *a* Paupertatem, Caſtitatem, & Obedientiam; & ſecundùm eam, (B) peculiarem *b* curam circa puerorum eruditionem, juxta formam vivendi, in litteris Apoſtolicis Societatis IESV, & in ejus Conſtitutionibus contentam.

a Inf. §. 6. Exa. c. 1. §. ?. & p. 6. c. 1. & 2. ferè per totum.
b Inf. §. 6. & c. 4. §. 2.

(B) §. Promiſſio docendorum puerorum ac rudium hominum, juxta litteras Apoſtolicas, & Conſtitutiones non inducit aliam obligationem, quàm reliqua ſpiritualia exercitia, quæ ad auxilium proximorum adhibentur; cujusmodi ſunt Confesſiones, & Prædicationes, &c. in quibus quisque ſe debet occupare, juxta rationem obedientiæ ſuorum Superiorum. Quòd autem de pueris docendis in Voto ſit mentio, eâ de causâ ſit, ut ſancta hæc exercitatio peculiari modo ſit commendata, & devotiùs curetur, propter ſingulare obſequium quod Deo per eam in animarum auxilio exhibetur; & quia faciliùs oblivioni tradi poterat, & in deſuetudinem abire, quàm alia magis ſpecioſa, cujusmodi eſt prædicatio, &c.

3 (C) Inſuper *c* promitto ſpecialem Obedientiam ſummo Pontifici, circa miſſiones; prout in eisdem litteris Apoſtolicis, & Conſtitutionibus continetur. Romæ, vel alibi, tali die, menſe, & anno, & in tali eccleſiâ.

c Exa. c. 1. §. 5. & p. 6. c. 5. & p. 7. c. 1. §. 1. & B.

(C) §. Tota intentio quarti hujus Voti obediendi ſummo Pontifici fuit & eſt circa misſiones: & ſic intelligi oportet litteras Apoſtolicas, ubi de hac Obedientiâ loquuntur; in omnibus quæ juſſerit ſummus Pontifex, & quocumque miſerit, &c.

4 Poſt hæc, ſumet ſanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum. Quibus peractis, *d* in libro, quem ad hoc habebit Societas, ejus nomen qui Profeſſionem emiſit; & illius, in cujus manibus emiſit, adnotato die, menſe, & anno, ſcribetur; & ejus Vota ſcripta aſſervabuntur; ut omnia ſemper conſtare poſſint, ad Dei gloriam.

d Inf. c. 4. G.

5 Aliqui, *e* qui ad Profeſſionem trium Votorum ſolemnium dumtaxat admittentur, in eccleſiâ, ac coram domeſticis & externis qui aderunt, antequàm ſanctiſſimum Chriſti Corpus accipiant, ex ſcripto ſuum Votum juxta formulam ſequentem legent.

e Sup. c. 2. §. 3. & C. & Exa. c. 1. D.

6 EGO N. profeſſionem facio, & promitto omnipotenti Deo coram ejus

ejus Virgine Matre,& universâ cæleſti curiâ, ac omnibus circumſtantibus, & tibi Reverendo Patri Præpoſito Generali Societatis IESV, locum Dei tenenti, ac ſucceſſoribus tuis; vel, tibi Reverendo Patri vice Præpoſiti Generalis Societatis IESV, & ſucceſſorum ejus, locum Dei tenenti, *a* perpetuam Paupertatem, Caſtitatem,& Obedientiam,& ſecundùm eam, *b* peculiarem curam circa puerorum eruditionem; juxta formam vivendi in litteris Apoſtolicis Societatis IESV, & in ejus Conſtitutionibus contentam. Romæ,vel alibi, tali die, menſe, & anno,& in tali eccleſiâ. Deinde ſequetur Communio,& reliqua ſuperiùs dicta.

a Sup. §. 3.
b Sup. §. 3.

De admittendis Coadjutoribus formatis, & Scholaſticis.

CAPVT IV.

QVI *c* in Coadjutores formatos ſpirituales cum ſimplicibus Votis, & non ſolemnibus admittuntur, in eccleſiâ, vel ſacello Domus, aut alio decenti loco coram domeſticis & externis, qui aderunt, (A) in manibus ejus, qui admiſſurus ſit, Votum ſuum emittent in hac formulâ, quæ ſequitur, id legentes: 1

c Exa. c. 1. §. 9. & c. 6. §. 8.

IN CAP. IV.

(A) §. I*N manibus fieri Vota dicuntur, quando emittuntur coràm aliquo, qui, cùm ad id habeat poteſtatem, ea admittit. Et quamvis multi adeſſent, cùm hujusmodi Vota fiunt; non ideò tamen mutant naturam ſimplicium: quandoquidem intentio emittentis, & admittentis, juxta traditam à Sede Apoſtolicâ facultatem, hæc eſt, ut nec emittantur, nec admittantur ut ſolemnia. Ad prudentiam autem admittentis pertinebit, conſecuturæ ædificationis rationem habere, & ſic curabit, ut plures, vel pauciores interſint. Ceterùm eadem erit formula, qua Coadjutores Temporales, & Spirituales utentur; & utraque in exterioribus perſimilis erit ei, quâ Profesſi utuntur.*

EGO N. promitto Omnipotenti Deo, coram ejus Virgine Matre, & totâ cæleſti curiâ, & tibi R. Patri Præpoſito Generali Societatis IESV, locum Dei tenenti,& ſucceſſoribus tuis; vel tibi R. Patri vice Præpoſiti Generalis Societatis IESV, & ſucceſſorum ejus, locum Dei tenenti; *d* perpetuam Pau- 2

d Exa. c. 1. §. 9. & p. 6. c. 1. & 2.

a Sup. c. 3. §. 3. & B. Paupertatem, Caſtitatem, & Obedientiam; & ſecundùm eam, *a* peculiarem curam circa puerorum eruditionem; (B) juxta modum in litteris Apoſtolicis, & Conſtitutionibus dictæ Societatis expreſſum. Romæ, vel alibi, in tali loco, die, menſe & anno, &c. Demum ſumat ſanctiſſimum Christi Corpus: & fient, quæ de Profeſſis dicta ſunt.

(B) §. Quod dicitur, juxta Bullas, & Conſtitutiones; intelligendum eſt, quòd Coadjutores emittunt hujuſmodi ſimplicia Vota, cum tacitâ quâdam, b Exa. c. 6. §. 8. & A. *quod ad perpetuitatem attinet, conditione, quæ hæc eſt; Si Societas eos tenere volet.* b *Quamvis enim illi, quod in ipſis eſt, ſe obligent in perpetuum, ſuæ devotionis & ſtabilitatis gratiâ; liberum tamen erit Societati eos di-* c P. 2. c. 1. §. 1. & A d Exa. c. 6. §. 8. & c. 7. §. 1. & 2. & p. 2. c. 4. §. 3. *mittere,* c *ut in ſecundâ Parte dicitur: quod ſi accideret,* d *tunc illi liberi ab omnium Votorum obligatione manent.*

3 (C) Formula ad Coadjutores in rebus temporalibus admittendos eadem erit; clauſulâ illâ de puerorum inſtitutione ſolùm remotâ.

(C) §. Si homines eſſent, qui Latinam linguam non intelligerent, quales aliqui Coadjutores Temporales erunt; Votum in vernaculam linguam vertetur; & legant ipſi, vel præeat alius legendo verba, quæ mox ipſimet, eum inſequendo, pronuntiabunt.

e Sup. c. 1. §. 3. & Exa. c. 1. §. 12. & c. 4. §. 41. & p. 4. c. 3. §. 3. & c. 4. § 5. Qui peractâ ſuâ priori Probatione & experimentis *e* per biennium, in Scholaſticos approbatos admittuntur coram aliquibus domeſticis, (D) quamvis non in manibus cujuſquam, Vota ſua emittent ad hunc modum.

(D) §. Vt hoc Votum ſoli Deo offertur, & non homini; ita nemo id admittit. Propterea in nullius manibus fieri dicitur. Et conditio illa tacita, f Exa. c. 7. §. 1. & 2. *quæ ineſſe dicta eſt in Voto Coadjutorum,* f *quod ad perpetuitatem attinet, etiam in hoc eſt intelligenda; ſcilicet, Si Societas eos tenere volet.*

4 Omnipotens Sempiterne Deus, EGO N. licet undecumque divino tuo conſpectu indigniſſimus, fretus tamen pietate ac miſericordiâ tuâ in- g Exa. c. 1. §. 10. & c. 7. §. 1. & p. 4. c. 3. §. 3. finitâ, & impulſus tibi ſerviendi deſiderio, *g* voveo coram ſacratiſſimâ Virgine Mariâ, & curiâ tuâ cœleſti universâ, divinæ Majeſtati tuæ Paupertatem, Caſtitatem, & Obedientiam perpetuam in Societate IESV: (E) & promitto eamdem Societatem me ingreſſurum, ut vitam in eâ perpetuò degam, omnia intelligendo juxta ipſius Societatis Conſtitutiones. A tua ergo immenſa bonitate & clementia per IESV Chriſti ſanguinem peto ſuppliciter, ut hoc holocauſtum in odorem ſuavitatis admittere digneris: & ut largitus es ad hoc deſiderandum & offerendum, ſic etiam ad explendum, gra-

tiam uberem largiaris. Romæ, vel alibi,tali loco, die, menſe, & anno. Poſt hæc perinde ut alii,ſanctiſſimum Chriſti Corpus ſument; & reliqua,quæ ſuperiùs dicta ſunt, peragentur.

(E) §. Promiſſio ingrediendi Societatem, ut declaratum eſt initio a *hujus Partis, eſt de Votis Profeſſorum ſolemnibus, vel Coadjutorum formatorum,prout Præpoſito ad majus Dei obſequium fore videbitur, emittendis.* a Sup. c. 1. A. & Exa. c. 1. §. 10. & c. 7. §. 1.

b Poſtquàm aliquis in corpus Societatis cooptatus fuerit in aliquo 5
gradu, (F) ad alium progredi curare non debet: ſed in ſuo perfici, & obſequio Dei & gloriæ ſeſe impendere; ac Superiori, qui ſcilicet Chriſti Domini Noſtri vices gerit, curam aliorum omnium relinquere. *b* Exa. c. 6. §. 5. & 6.

(F) §. c *Proponere quæ in animo verſantur, quæque occurrunt, licitum eſt: nihilominùs, ut in Examine dicitur, omnino paratum eſſe oportebit,* d *ut id melius eſſe exiſtimet, quod Superiori ſuo melius videbitur.* *c* Exa. c. 8. A. & P. 7. c. 2. I. *d* P. 3. c. 2. §. 1. & P. 6. c. 1. §. 3.

6
Qui in Domibus verſantur, *e* poſt biennium Vota eadem emittere, quæ Scholaſtici, & Chriſto Domino Noſtro ſe obſtringere debent; & id, quamvis ſtudiis applicandi non videantur, nec expedire, ut tam citò in Coadjutores formatos, vel Profeſſos admittantur, exiſtimetur. *f* Quòd ſi quis propria impulſus devotione, ante id tempus biennii vellet Votis ſe Deo offerre; eamdem formulam ſequi poterit, & (G) uno Voti ſui ſcripti exemplo tradito Superiori, alterum penes ſe retineat; ut quid Deo ac Domino Noſtro obtulerit, recordetur. Et ad hoc ipſum,ſimulque ad devotionem augendam conferet, (H) ſtatutis quibusdam temporibus,quæ congrua videbuntur,Vota ſua renovare. Quod quidem non eſt, obligatione nova ſe obſtringere, ſed ejus, qua obſtricti ſunt in Domino, recordari, atque eamdem confirmare. *e* Sup. c. 1. §. 3. *f* Exa. c. 1. E. & P. 5. c. 1. T.

(G) §. g *Etiam in libro aliquo horum memoria (ſicut & aliorum) honeſtas ob cauſas debet aſſervari.* *g* Sup. c. 3. §. 4.

(H) §. Quod h *ad Scholaſticos attinet, jam in quartâ Parte dictum eſt, quibus temporibus ſua Vota renovare debeant. Eadem erit ratio eorum qui in Domibus habitant, & Vota emiſerunt: in duobus enim feſtis ſolemnibus ſingulis annis ea renovare debent, & in aliquo alio, ſi Superiori videretur expedire: non in cujusquam manibus, ſed unoquoque ſuum Votum legente coram ſanctiſſimo Sacramento, reliquis vel nonnullis de Societate præſentibus; ut magis ad devotionem obſervandi quod Deo ac Domino Noſtro* *h* P. 4. c. 4. §. 5. & D.

promiſerunt, magiſque præ oculis habendum id quod ex obligatione debent eidem Domino, excitentur.

SEXTA PARS

De iis qui admiſſi, & in corpus Societatis cooptati ſunt: quod ad ipſorum perſonas attinet.

De iis, quæ ad obedientiam pertinent.

CAPVT I.

1 VT illi qui jam ad Profeſſionem, vel in Coadjutores formatos admiſſi ſunt, uberiori cum fructu, juxta noſtrum Inſtitutum, divino ſervitio, & proximorum auxiliis ſe impendant; aliqua in ſeipſis obſervare debent: quorum præcipua, licet ad ea Vota, *a* quæ Deo & Creatori Noſtro juxta litteras Apoſtolicas obtulerunt, reducantur; de illis tamen, ut magis & declarentur, & commendentur, in hac ſexta Parte dicetur. Et quoniam quæ ad Votum Caſtitatis pertinent, interpretatione non indigent, cùm conſtet, quàm ſit perfectè obſervanda, nempe enitendo Angelicam puritatem imitari & corporis, & mentis noſtræ munditia: his ſuppoſitis, de ſancta Obedientia dicetur. Quam quidem omnes plurimum obſervare, & in ea excellere ſtudeant; nec ſolùm in rebus obligatoriis, ſed etiam in aliis; licet nihil aliud, quàm ſignum voluntatis Superioris ſine ullo expreſſo præcepto, videretur. *b* Verſari autem debet ob oculos Deus Creator ac Dominus Noſter, propter quem homini Obedientia præſtatur: &, ut in ſpiritu amoris, & non cum perturbatione timoris procedatur, curandum eſt: ita *c* ut omnes conſtanti animo incumbamus, ut nihil perfectionis, quod divina gratia conſequi poſſimus (A) in abſoluta omnium Conſtitutionum obſervatione, noſtrique Inſtituti peculiari ratione adimplenda, prætermittamus. & exactiſſimè omnes nervos virium noſtrarum ad hanc virtutem Obedientiæ in primis Summo Pontifici, deinde Superioribus Societatis exhibendam, inten-

a P. 5. c. 3. §. 3. & c. 4. §. 2.

b Inf. §. 2. & 3. & p. 3. c. 1. §. 23. & p. 4. c. 10. §. 5. & p. 7. c. 2. §. 1. & A. & I. & p. 8. c. 1. D. & p. 9. c. 3. §. 20.

c Inf. c. 5. & p. 4. c. 10. §. 5. & p. 9. c. 3. § 8. & c. 6. A. & p. 10. §. 13.

tendamus: ita (B) ut omnibus in rebus, ad quas poteſt cum charitate ſe Obedientia extendere, ad ejus vocem, perinde ac ſi à Chriſto Domino egrederetur (quandoquidem ipſius loco, ac pro ipſius amore & reverentia Obedientiam præſtamus) quàm promptiſſimi ſimus; re quavis, *a* atque adeò littera à nobis inchoata necdum perfecta relicta, ad eum ſcopum vires omnes ac intentionem in Domino convertendo, (C) ut ſancta *b* Obedientia tum in executione, tum in voluntate, tum in intellectu ſit in nobis ſemper omni ex parte perfecta; cum magna celeritate, ſpirituali gaudio, & perſeverantia, quidquid nobis injunctum fuerit, obeundo; omnia juſta eſſe, nobis perſuadendo; omnem ſententiam ac judicium noſtrum contrarium cæca quadam Obedientia abnegando; & id quidem in omnibus, quæ à Superiore diſponuntur, ubi definiri non poſſit (*c* quemadmodùm dictum eſt) aliquod peccati genus intercedere. Et ſibi quiſque perſuadeat, quòd qui ſub Obedientia vivunt, ſe ferri ac regi à divina providentia per Superiores ſuos, ſinere debent, perinde ac ſi cadaver eſſent, quod quoquoverſus ferri, & quacumque ratione tractari ſe ſinit: vel ſimiliter atque ſenis baculus, qui ubicumque, & quacumque in re velit eo uti qui eum manu tenet, ei inſervit. Sic enim obediens rem quamcumque, cui eum Superior ad auxilium totius corporis Religionis velit impendere, cum animi hilaritate debet exequi, pro certo habens, quòd ea ratione potiùs, quàm re alia quavis, quam præſtare poſſit, propriam voluntatem ac judicium diverſum ſectando, divinæ voluntati reſpondebit.

a P. 4. c. 10. §. 9.

b P. 3. c. 1. §. 23. & p. 4. c. 10. §. 5.

c Declar. B.

Declarationes

In Sextam Partem.

IN CAP. I.

(A) §. HÆ primæ Declarationes, quæ ſimul cum Conſtitutionibus promulgantur, d *eamdem, quam illæ, auctoritatem habent. Et ita in utrarumque obſervatione, eamdem curam adhiberi oportet.*

d Procœm. declar.

(B) §. e *Hujuſmodi ſunt illæ omnes, in quibus nullum manifeſtum eſt peccatum.*

e Inf. hoc §. 1. & p. 3. c. 1. §. 23.

(C) §. Obedientia quod ad executionem attinet, tunc præſtatur, cùm res juſſa completur: quod ad voluntatem, cùm ille qui obedit, id ipſum vult, quod qui jubet: quod ad intellectum, cùm id ipſum ſentit, quod ille; & quod jubetur benè juberi exiſtimat. Et eſt imperfecta ea Obedientia, in quâ præter executionem, non eſt hæc ejuſdem voluntatis & ſententiæ inter eum qui jubet, & qui obedit, conſenſio.

2 Omnibus itidem maximè commendatum ſit, ut multum reverentiæ (& præcipuè in interiori homine) ſuis Superioribus exhibeant: *a* IESVM Chriſtum in eiſdem conſiderent, ac revereantur: eoſdem ex animo ut patres in eodem diligant: ac ſic in ſpiritu charitatis in omnibus procedant, ut *b* nihil ex externis vel internis eos celent: quin potiùs, ut omnia prorſus intelligant; quò meliùs in via ſalutis & perfectionis ſe dirigant, optare debent. Et ea de cauſa omnes tam Profeſſi, quàm formati *c* Coadjutores ſemel ſingulis annis (& quoties præterea Superiori viſum fuerit) ad ſuas conſcientias in Confeſſione, vel ſecreto, vel alia ratione eiſdem aperiendas, propter magnam ejus rei utilitatem (ut in Examine dictum eſt) parati eſſe debebunt: tum etiam ad Confeſſionem generalem, quæ ab ultima generali inchoëtur, ei quem Superior ſibi ſubſtituerit, faciendam.

a Sup. §. 1.
b Exa. c. 4. §. 34. &c. & p. 3. c. 1. §. 12. & p. 4. c. 10. §. 5.
c Exa. c. 4. §. 40.

3 Deferant omnes ad Superiorem ſuum res, quæ eis expetendæ occurrerint: nec privatus quiſpiam, directè vel indirectè ſine ejus facultate, & approbatione, à Summo Pontifice, nec ab alio extra Societatem, gratiam ullam in ſuum privatum, vel alterius uſum petat, aut petendam curet: ſibique *d* perſuadeat, ſi per Superiorem ſuum, vel cum ejus conſenſu, quod optat, non obtinuerit, ne id quidem ad divinum ſervitium ſibi convenire: &, ſi convenit, cum Superioris conſenſu, ut qui *e* Chriſti Domini Noſtri locum erga ipſum tenet, id ſe conſecuturum.

d P. 3. c. 2. §. 1. & p. 5. c. 4. F.
e Sup. §. 1.

De iis, quæ ad Paupertatem, quæque eam conſequuntur, pertinent.

CAPVT II.

1 PAVPERTAS, *f* ut murus Religionis firmus, diligenda, & in ſua puritate conſervanda eſt, quantum Divina gratia aſpirante fieri poterit. Et quia

f P. 3. c. 1. §. 25. & p. 10. §. 5.

quia humanæ naturæ hoſtis ad hoc propugnaculum ac refugium debilitandum (quod Deus Dominus Noſter Religionibus inſpiravit contra illum, aliosque Religioſæ perfectionis adverſarios) eniti ſolet, ea quæ à primis Fundatoribus benè ordinata fuerant, immovendo per declarationes, vel innovationes, primo illorum ſpiritui minimè conſentaneas; ut quod in nobis ſitum fuerit, hac parte Societati proſpiciamus; quicumque in eâ Profeſſionem emiſerint, (A) ſe ad innovationem Conſtitutionum in iis quæ ad Paupertatem pertinent, nihil facturos promittant: niſi aliquo modo pro rerum occurrentium ratione, eam in Domino magis reſtringendam judicarent.

IN CAP. II.

(A) §. *Innovari quod ad Paupertatem attinet, eſt relaxari ad reditus, vel poſſeſſionem ullam in proprium uſum, vel ad Sacriſtiam, vel ad fabricam, vel ad aliquem alium finem a præter id, quod ad Collegia, & Domos Probationum attinet, admittendum. Et ne in re, quæ tantum habet momenti, Conſtitutiones mutentur; poſt emiſſam Profeſſionem unusquisque promittat coram Præpoſito Generali, & iis qui apud eum erunt, aſſeratque in conſpectu Creatoris & Domini Noſtri, quòd numquam aſſentietur ad immutandum quod ad Paupertatem in Conſtitutionibus pertinet; nec in conventu totius Societatis congregatæ, nec per ſeipſum ullâ ratione id curando.* a Exa. c. 1. §. 4.

b In Domibus, vel Eccleſiis, quæ à Societate ad auxilium animarum admittentur, (B) reditus nulli, ne Sacriſtiæ quidem, aut fabricæ applicati, haberi poſſint: ſed neque ullâ aliâ ratione, ita ut penes Societatem eorum ſit ulla diſpenſatio: ſed in ſolo Deo, cui per ipſius gratiam ea inſervit, fiducia conſtituatur, ſine reditibus ullis ipſum nobis proſpecturum de rebus omnibus convenientibus ad ipſius majorem laudem & gloriam. 2 b Infrà §. 5. & 6. & Exa. c. 1. §. 3. & 4. & p. 10. §. 5.

(B) §. *Si aliquis ex Fundatoribus Domorum vel Eccleſiarum vellet reditus aliquos ad fabricæ uſum relinquere; dummodò nec diſpoſitio eorum ad Societatem pertineat, nec ſit unde ei competat actio in illos (quamvis id illi curæ eſſet, ut is, cui tale munus commiſſum eſt, ſuum officium faceret) & ſic in rebus ſimilibus; non eſſet id à Paupertate Societatis alienum.*

(C) Profeſſi vivant ex eleemoſynis in Domibus, cùm aliquò non mit- 3

a P. 4. c. 10. A. tuntur: *a* nec officium Rectorum ordinarium in Collegiis, vel Vniverſitatibus Societatis habeant (niſi ipſarum neceſſitas, vel magna utilitas id exigeret) (D) nec *b* reditibus eorum in Domibus utantur.

b Exa. c. 1. §. 4. & p. 4. c. 2. §. 5. & c. 10. §. 1 & p. 9. c. 3. §. 18. & c. 4. §. 7. & p. 10. §. 4.

c P. 4. c. 2. F.

d P. 4. c. 2. F.

(C) §. In Collegiis Profeſſos non habitare, intelligitur, diu in eis manendo: c *quamvis dum aliò iter faciant, diem aliquem, vel tempus congruum in eis manere poſſint: habitare autem* d *diu etiam poſſent, cùm neceſſarium aut conveniens ad ipſius Collegii, vel Vniverſitatis bonum id eſſet; ut ſi ad gubernationem ſtudiorum eſſent neceſſarii; vel ſi legerent, aut in ſpiritualibus exercitiis Confeſſionum & Concionum, ad Scholaſticos, qui id præſtare deberent, ſublevandos; vel ad id demum quod ipſi non poſſunt, præſtandum, occuparentur; vel ſi ad viſitanda & dirigenda hujuſmodi Collegia, vel Vniverſitates mitterentur. Quando etiam neceſſarium aut conveniens ad univerſale bonum id videretur; ut ſi aliquis cum expreſsâ facultate Præpoſiti Generalis ſcribendi gratiâ per tempus aliquod ſe eò reciperet.*

e P. 4. c. 2. F.

(D) §. e *Res minimæ ducuntur pro nihilo: & ita ad ſcrupulos eximendos declaratur, ubi Rector eum qui iter per ipſius Collegium haberet, ac viatico egeret, viatico aliquo ac eleemoſynâ proſequeretur, recipi eam poſſe. Quòd autem Collegia ſuppleant aliquos ſumptus, quos ſi ipſa non facerent, facturæ eſſent Domus, ſi poſſent, ut veſtitum & viaticum eis qui ad Collegia ex Domibus mittuntur, providere; quamvis id ſit, aut eſſe videatur Domum juvare; non tamen eſt contra intentionem hujus Conſtitutionis, qua cavet, ne Collegiorum reditibus ad victum, & veſtitum, & alias expenſas proprias Domus juventur. Sic etiam intelligitur contra Conſtitutionem non eſſe, quòd in aliquo horto Collegii aliquid recreationis infirmi, vel ſani, qui ſunt in Domibus, ſumant; dum tamen expenſis Collegii, quamdiu ſunt in Domibus, non alantur: & tantumdem de rebus ſimilibus poteſt judicari.*

4 Coadjutores, quamdiu in Domibus erunt; quæ ex eleemoſynis vivunt, & ipſi eodem modo vivent. In Collegiis, ſi Rectores fuerint, vel lectores, aut alioqui in rebus neceſſariis vel valdè convenientibus eiſdem Collegiis utiles fuerint, vivent ſicut reliqui, ex eorum reditibus, quamdiu eorum operâ Collegia indigebunt. Cum autem deſierint utiles eſſe Collegiis, deſinent in eis habitare; & in Domibus Societatis, ut de Profeſſis eſt dictum, habitabunt.

f Sup. §. 2.

5 *f* Non ſolùm reditus, (E) ſed nec poſſeſſiones ullas habeant in particulari, nec in communi Domus vel Eccleſiæ Societatis, præterquam quod ad habitationem, vel uſum neceſſarium eis, aut valdè conveniens fuerit; cu-

jus-

usmodi duceretur, ſi in uſum convaleſcentium, vel eorum, qui ut rebus ſpiritualibus vacent, ſe ab hominum frequentiâ recipiunt, locus aliquis à communi habitatione ſeparatus, qui aëre ſalubriori, & aliis commodis polleret, admitteretur: & tunc hujusmodi ille ſit, ut nec aliis locetur, (F) nec fructus, qui redituum loco eſſe poſſint, habeat.

(E) §. Quia, ut in litteris Apoſtolicis dicitur, non eſt habitura Societas jus civile ad rem ullam ſtabilem, niſi ad ipſius habitationem & uſum eſſet opportuna; quidquid ſtabile illi datum fuerit, teneatur eo, quàm primùm poterit, ſe exuere, ac vendere; ut pauperibus Societatis, vel externis, ſuâ in penuriâ ſubveniatur.

Quamvis hoc ita ſe habeat, temporis tamen opportunitas ad vendendum non eſt excludenda. Et hoc intelligatur, cum res illa ſtabilis, neceſſaria non eſt ad Domus uſum, ut aliqua ex ſuperiùs memoratis. Aliarum rerum mobilium, ut pecuniarum, vel librorum, vel earum, quæ ad victum & veſtitum pertineant, poteſt in communi Societas proprietatem ad uſum ſuum habere.

(F) §. Hujusmodi eſſent, ſi vini, vel olei, vel tritici proventum dictæ poſſeſſiones ferrent; vel ſi fructus, & olera ex hortis venderentur: quorum nihil licebit. Quamvis fructibus, aut parte ipſorum ad commodum Domus ſuæ uti posſint; ſi tamen Societas colonum aliquem, vel ſæcularem hominem haberet, qui hortis vel agris, quos dictæ Domus habent, præeſſet; non eſſet etiam ei prohibendum, ne ad privatam ſuam utilitatem, quod videretur convenire ex dictis, faceret: dummodò tunc nec ad Domos, nec ad particulares perſonas Societatis utilitas interim ulla perveniret.

Quamvis ad bona & ſancta opera, & maximè perpetuò duratura incitare laudabile ſit; ob majorem tamen ædificationen, nullus de Societate debet, nec poteſt quemquam ad eleemoſynas perpetuas Domibus vel Eccleſiis ejusdem Societatis relinquendas, incitare: & ſi aliqui ſponte ſuâ eas relinquerent, nullum jus civile ad eas petendas in judicio adquiratur. Sed cùm ad id charitas propter Deum eos moverit, tunc eas elargiantur. 6

a Omnes, qui ſub Obedientiâ ſunt Societatis, (G) meminerint ſe gratis dare debere, quæ gratis acceperunt; nec poſtulando, nec admittendo ſtipendium, vel eleemoſynas ullas, quibus Miſſæ, vel Confeſſiones, vel Prædicationes, vel Lectiones, vel viſitationes, vel quodvis aliud officium ex iis quæ Societas juxta noſtrum Inſtitutum exercere poteſt, compenſari videatur: ut ſic majori cum libertate poſſit, & proximorum ædificatione, in divino ſervitio procedere. 7

a Exa. c. 1. §. 3. & c. 4. §. 27. & p. 4. c. 7. §. 3. & c. 15. §. 4. & c. 17. F. & p. 7. c. 4. §. 4. & B. & p. 10. §. 5.

(G) §. Quamvis quicumque voluerint, Domum vel Eccleſiam eleemoſynis juvare poſſint (ſive in ſpiritualibus ipſi ab eâ juventur, ſive non) tamen non debet quidquam accipi tanquam ſtipendium, vel eleemoſyna, pro iis, quæ ob ſolum Chriſti Domini Noſtri obſequium eis communicantur; ita ut hoc detur, aut accipiatur pro illo.

8 Vt omnis avaritiæ ſpecies evitetur, præcipuè in piis miniſteriis, quibus ad animarum auxilium Societas utitur; nulla ſit in eccleſiâ arca, in quam eleemoſynæ ab iis qui ad Conciones, Miſſas, vel Confeſſiones, & reliqua ſpiritualia ad eam conveniunt, coniici ſolent.

9 Eadem de causâ munuſcula, quæ Magnatibus ad res majores ab ipſis obtinendas offerri ſolent, ne offerantur: nec hujusmodi primarios viros inviſere Noſtri conſueſcant, niſi ſancto ſtudio piorum operum ducerentur; vel quando intimâ benevolentiâ in Domino tam eſſent conjuncti, ut hujusmodi officium aliquoties eis deberi videretur.

10 *a* Parati ſint ad mendicandum oſtiatim, quando vel Obedientia, vel neceſſitas id exiget. Et ſit unus, vel plures ad eleemoſynas petendas, quibus perſonæ Societatis ſuſtententur, deſtinati: quas eleemoſynas ſimpliciter amore Domini Noſtri petent.

a Inf. F. & Exa. c. 4. §. 27. & p. 4. c. 2. §. 6.

11 (H) Vt nihil *b* proprium Domi teneri, ita nec foris apud alios poteſt. Et quisque iis, quæ de communi data fuerint ad uſum ſuum neceſſarium aut convenientem, reſecatis ſuperfluis, ſit contentus.

b P. 3. c. 1. §. 7.

(H) §. Intelligendum eſt hoc abſolutè de Profeſſis, & Coadjutoribus formatis. Ceterùm in Scholaſticis, & aliis qui tempus Probationis nondum expleverunt, hoc intelligi debet de rebus iis, c quæ in præſentiâ ſubſint eorum diſpoſitioni: nihil enim horum habere debent, niſi conſcio & approbante Superiore. Neque verò ſermo eſt de bonis, quæ forte procul inde illi habent; de domibus ſcilicet, vel rebus aliis; d ſed quod ad hæc attinet, parati etiam eſſe debebunt, ut illis ſe abdicent, quandocumque Superiori videretur, ut in Examine dictum eſt.

c Exa. c. 4. §. 4.

d Exa. c. 4. §. 2. & 5. & p. 3. c. 1. §. 7. & F. & p. 4. c. 4. E.

12 Quò meliùs Paupertatis puritas, & quies illa quam ſecum affert, conſervetur, non ſolùm particulares Profeſſi, vel Coadjutores formati hereditariæ ſucceſſionis non erunt capaces, verùm nec Domus, nec Eccleſiæ, nec Collegia eorum ratione. Sic enim omnibus litibus, & controverſiis præciſis, charitas cum omnibus ad Dei gloriam meliùs conſervabitur.

13 *e* Quando Summus Pontifex, vel Superior, hujusmodi Profeſſos, vel

e P. 7. c. 1. §. 1.

Coadjutores ad laborandum in vineam Domini mittet, [a] nullum viaticum petere poſſint; ſed ſe liberaliter repræſentent, (I) ut mittantur, prout illis ad majorem Dei gloriam fore videbitur.

[a] Exa. c. 1. §. 5. & p. 7. c. 1. §. 3. & E. & c. 2. G.

(I) §. Id eſt pedites, vel equites cum pecuniis, vel ſine illis. Et [b] *omnino parati eſſe debebunt ad id faciendum, quod is qui mittit, magis convenire, & ad majorem ædificationem univerſalem fore judicaverit.*

[b] Sup. §. 10. & p. 7. c. 1. E & c. 2. G.

Vt in hac etiam parte modo conſentaneo debitæ Paupertati procedatur, (K) nullum in Domibus Societatis jumentum ad equitandum, ad uſum alicujus de ipsâ Societate (ſive Præpoſitus, ſive ſubditus ille ſit) ordinarie habebitur. 14

(K) §. Niſi id fieret propter adverſam valetudinem continuam, vel neceſſitatem urgentem propter publica negotia, præcipuè in amplis populis. Tunc enim potiùs univerſalis boni, & ſanitatis Noſtrorum, quàm temporis definiti, aut perpetui, quamque ſuis vel alienis pedibus incedendi, ratio eſt habenda; intuendo ſemper quod neceſſarium & honeſtum ſit, & nullâ ratione quod ad pompam ullam pertineat.

[c] In veſtitus itidem ratione tria obſerventur; Primum, ut honeſtus ille ſit; Alterum, (L) ut ad uſum loci, in quo vivitur, accommodatus; Tertium, ut Profeſſioni Paupertatis non repugnet. (M) Videretur autem repugnare, ſi Sericis, vel pretioſis pannis uteremur; à quibus abſtinendum eſt; ut in omnibus [d] humilitatis & ſubmiſſionis debita ad majorem Dei gloriam ratio habeatur. 15

[c] Exa. c. 4. §. 26. & p. 3. c. 2. §. 3. & C.
[d] Sequenti §.

(L) §. Vel ſaltem quòd omnino non recedat.

(M) §. Hoc intelligendum eſt in iis, quibus Domus novas veſtes providet: [e] *non tamen repugnat, quòd qui Societatem ingrediuntur, ſi panno pretioſiore, aut re ſimili induti venerunt, eo uti poſſint. Nec etiam, ſi in occurrenti aliquâ occaſione, vel neceſſitate quis veſtibus melioribus, honeſtis tamen, indueretur: ſed ad ordinarium veſtiendi modum eis uti non debent. Eſt nihilominùs conſiderandum, quòd non omnes eisdem viribus naturalibus, nec ſanitate corporis, nec ætate ad eam convenienti pollent: atque ita juxta majus particulare bonum hujusmodi perſonarum, & univerſale aliarum multarum, id conſiderandum eſt; & quoad ejus fieri poterit, ad majorem Dei gloriam providendum.*

[e] Exa. c. 1. F.

In iis quæ ad rationem victus, [f] ſomni, ac uſus reliquarum rerum vitæ neceſſariarum, vel convenientium ſpectant, (N) quamvis [g] communis illa ſit, minimeque diverſa ab eo [h] quod Medicus illius loci, in quô vivitur, judicabit: ita ut quod quisque ſibi inde ſubtraxerit, ex devotione, non ex obligatione 16

[f] P. 3. c. 2. E. & P. 4. c. 4. §. 1.
[g] Exa. c. 1. §. 6.
[h] P. 3. c. 2. G.

Sup. §. 15. & Exa. c. 4. §. 26. b P. 7. c. 4. §. 26.

ſubtrahat. *a* Habenda tamen ſemper erit ratio humilitatis, Paupertatis, ac ſpiritualis ædificationis, *b* quæ ſemper nobis in Domino ob oculos verſari debet.

(N) §. In particularibus, ſi magis vel minùs neceſſarium erit, juxta circumſtantias perſonarum; relinquetur diſcretioni eorum, qui ipſis præſunt; ut quemadmodum eis conveniet, provideant.

De iis rebus, in quibus occupari, & à quibus abſtinere debent qui in Societate ſunt.

CAPVT III.

1 QVONIAM habitâ ratione temporis, ac approbationis vitæ, quæ expectatur, ut aliqui ad Profesſionem, vel in Coadjutores formatos in Societate admittantur, tanquàm certum ducitur, eos viros ſpirituales futuros; & qui ſic in viâ Chriſti Domini Noſtri profecerint, ut per eam currere posſint, quantum corporis valetudo, & externæ occupationes charitatis atque Obedientiæ permittent; non videtur in iis *c* quæ ad orationem, meditationem, & ſtudium pertinent, ut nec in corporali exercitatione jejuniorum, vigiliarum, aut aliarum rerum ad auſteritatem vel corporis caſtigationem ſpectantium, (A) ulla regula eis præſcribenda, niſi quam diſcreta charitas unicuique dictaverit: *d* dum tamen ſemper Confeſſarius conſulatur, & ubi dubium acciderit, quid conveniat, res ad Superiorem referatur. Hoc tamen dicetur in univerſum, eſſe quidem animadvertendum, *e* ne nimius hujusmodi rerum uſus tantopere vires corporis debilitet, tantumque temporis eos diſtineat, ut deinde ſpirituali proximorum auxilio, juxta noſtri Inſtituti rationem non ſufficiant: nec contrà tanta in illis ſit relaxatio, ut fervore ſpiritus refrigeſcente, humani ac inferiores affectus incaleſcant.

c P. 3. c. 1. R.

d Exa. c. 1. §. 6. & C. & p. 3. c. 1. §. 12. & c. 2. §. 5.

e P. 3. c. 2. §. 1.

IN CAP. III.

(A) §. SI quibusdam convenire judicabitur certum tempus præſcribi, ne excedant, vel deficiant in ſpiritualibus exercitiis; Superior id facere poterit. Sic etiam in uſu aliorum mediorum, ſi ipſe omnino judicaret aliquo utendum eſſe, non id relinquendo arbitrio cujusquam particularis perſonæ, procedet, ut in Domino convenire judicabit. Subditi autem erit, cum omni devotione, quod ſibi præſcriptum fuerit, amplecti.

2 Sacramentorum frequentatio valde commendetur. *f* Differri autem

f Exa. c. 4. §. 25.

non

non debet Communio, aut Miſſæ celebratio ſine cauſis judicio Superioris le- & p. 3. c.1. §.11.
gitimis, ultra octo dies: *a* omnesque asſignato ſibi Confeſſario, vel alioqui & p.4. c.4. §.3.& B.
juxta ordinem, quem quisque præſcriptum habet à Superiore, confiteantur. *a* P.3. c.1. §. 11.
Ex Regulis particularibus, quæ in Domibus, ubi ipſi fuerint, obſervan- & I. & Q.
tur, debent operam dare, ut eam partem obſervent, quæ conveniens eſt, ac ju- 3
dicio Superioris ipſis imponetur; ſive ad profectum vel ædificationem ſuam
id ſit, ſive etiam aliorum, inter quos verſantur.

Quoniam occupationes, quæ ad animarum auxilium aſſumuntur, ma- 4
gni momenti *b* ſunt, ac noſtri Inſtituti propriæ, & valde frequentes; cum- *b* Exa. c. 1. §.2.&
que alioqui noſtra habitatio tam ſit in hoc vel in illo loco incerta; (B) non p. 4. proœm.
utentur Noſtri choro, ad Horas Canonicas, vel Miſſas, & alia officia decantan-
da: quandoquidem illis, quos ad ea audienda devotio moverit, abunde ſup-
petet, ubi ſibi ipſis ſatisfaciant. Per Noſtros autem ea tractari convenit, quæ
noſtræ vocationis ad Dei gloriam magis ſunt propria.

(B) §. Si in quibusdam Domibus vel Collegiis ſic convenire judicaretur; eo tempore, quo veſperi prædicandum, vel legendum eſt, ad populum detinendum ante hujusmodi Lectiones vel Conciones, poſſet veſpertinum officium tantùm dici. Sic etiam ordinariè Dominicis & feſtis diebus, ſine cantu figurato vel firmo, ut vocant, ſed tono quodam devoto, ſuavi, & ſimplici: & id in hunc finem; & quatenus judicaretur, quòd populus ad magis frequentandas Confesſiones, Conciones, & Lectiones moveretur, & non aliter. Eodem tono officium, quod tenebrarum dici ſolet, cum ſuis cæremoniis in hebdomadâ ſanctâ fieri poſſet.

c *In Misſis majoribus, quæ dicentur (licet ſubmiſſâ voce) habitâ devo-* c P.4. c. 1. A.
tionis & decentiæ ratione, licebit duos veſtitos ſuperpelliceis, vel unum asſiſte-
re; prout in Domino fieri poterit.

Cùm *d* homines itidem hujus Societatis ſemper parati eſſe debeant ad 5
diſcurrendum per quasvis mundi partes, quò fuerint à Summo Pontifice, vel *d* P.4. c.2. §. 4. & B.
à ſuis Superioribus misſi; non debent curam animarum, neque item mulie-
rum Religioſarum, vel aliarum quarumcumque ſuſcipere, ut ordinarie illa-
rum Confesſiones audiant, vel ipſas regant: quamvis nihil repugnet ſemel
unius Monaſterii Confesſiones ob ſpeciales cauſas audire.

(C) Obligari *e* etiam ad Miſſas perpetuas in ſuis eccleſiis dicendas, vel ad 6
curam ſimilem, quam libertas noſtro procedendi modo in Domino neceſſa- *e* P. 4. c. 2. §. 4. & B.
ria non patitur, minime convenit.

(C) §.

(C) §. Quod ad Collegia attinet, in quartâ Parte attingitur quid horum poſſit tolerari: Domibus quidem omnino convenit, tale onus non ſuſcipere.

7 Vt *a* pleniùs poſſit Societas rebus ſpiritualibus juxta ſuum Inſtitutum vacare, (D) quoad ejus fieri poterit, à negotiis ſæcularibus abſtineat (qualia ſunt Teſtamentariorum, vel Executorum, vel Procuratorum rerum civilium, aut id genus officia) nec ea ullis precibus adducti obeunda ſuſcipiant, vel in illis ſe occupari ſinant. Quòd ſi Collegiorum aliqua negotia tractanda fuerint, ſuum habeant Procuratorem, per quem ea tractent, & jura ſua tueantur. Si verò ad Domos Societatis, vel ad totum ejus corpus pertinent; quò pacem ſuam meliùs conſervare poſſit Societas, idem Procurator, vel alius ex Coadjutoribus, vel demum aliquis extra Societatem, aut Familia quæpiam, quæ Domus patrocinium ſuſciperet, jus Societatis ad majorem Dei gloriam poſſet defendere.

a P. 9. c. 6. §. 4. & B.

(D) §. Hoc obſervetur, quoad ejus fieri poterit: Superiori tamen ad caſum aliquem neceſſitatis, vel majoris momenti, ad finem divini ſervitii præfixum, facultas diſpenſandi ad tempus relinquetur. Hic autem Superior, Præpoſitus Generalis erit, vel qui ab eo facultatem ad hoc acceperit.

8 Eadem de causâ, utque inquietudinis, à noſtrâ profesſione alienæ, occaſiones evitentur, *b* & meliùs pax ac benevolentia cum omnibus ad majorem Dei gloriam conſervetur; nemo ex Profesſis, vel Coadjutoribus, vel etiam Scholaſticis Societatis in cauſis civilibus, nedum criminalibus, (E) ſe examinari (niſi, qui ad peccatum obligare poteſt, compelleret) ſine licentiâ Superioris permittat. Superior autem eam minime dabit, niſi in cauſis quæ ad Religionem Catholicam pertinent, vel alioqui in piis, quæ ſic cedunt in hujus favorem, ut in alterius detrimentum non cedant: quandoquidem Inſtituti noſtri eſt, ſine cujusquam offenſione, quantum fieri poteſt, omnium in Domino commodis inſervire.

b Par. 10. §. 11. & B.

(E) §. Si Superior alicui facultatem daret, ut in causâ civili examinaretur, in gratiam alicujus, cui id denegari non poſſe videretur; limitatio tunc neceſſaria erit, quæ prohibeat, ſi quis articulus criminalis vel infamatorius occurrerit, in eo examinari: ad hoc enim nullus Superior facultatem dare debet.

De auxilio, quod morientibus in Societate præſtatur: & de ſuffragiis poſt mortem.

CAPUT IV.

VT in vitâ universâ, ita & multò magis in morte unusquisque de 1
Societate eniti & curare debet, ut in ipſo Deus ac Dominus Noſter IESVS Chriſtus glorificetur, ipſiusque beneplacitum impleatur; & *a* proximi ædificentur, ſaltem exemplo patientiæ, ac fortitudinis, cum fide vivâ, ac ſpe, & amore bonorum illorum æternorum, quæ nobis Chriſtus Dominus Noſter tam incomparabilibus vitæ ſuæ temporalis laboribus, & morte promeruit & acquiſivit. Cùm tamen perſæpè hujusmodi ſit morbi ratio, ut uſum virium animæ magnâ ex parte impediat; cumque hujusmodi ſit ille à temporali vitâ tranſitus, ut propter graves impugnationes dæmonis (à quo ſummoperè refert non ſuperari) requirat ſubſidium fraternæ charitatis, ſollicitè advertat Superior, ut qui juxta Medici ſententiam de vitâ periclitatur, antequàm uſu judicii privetur, omnibus Sacramentis ſanctis acceptis, tamquàm armis à Divinâ liberalitate Chriſti Domini Noſtri nobis conceſſis, ad tranſitum à temporali vitâ ad æternam, ſe muniat.

a Exa. c. 4. §. 32.

Juvari etiam debet orationibus omnium domeſticorum valdè pecu- 2
liaribus, donec animam ſuo Creatori reddat. Et præter alios qui ingredi poſſunt plures (A) aut pauciores pro arbitrio Superioris, aliqui delecti ſint oportet peculiariùs, ut infirmum morti proximum inviſant, & ei aſſiſtant, & animoſiorem reddant; eaque ſuggerant, eisque auxiliis juvent, quæ eo tempore convenient. Et cùm jam aliis rebus juvari non poterit, eum Domino commendent, donec ejus animam à corpore diſcedentem dignetur ad ſe recipere, qui eam tam caro pretio ſanguinis & vitæ ſuæ redemit.

IN CAP. IV.

(A) §. SI aliqui ex infirmis, quòd in phreneſim inciderint, uſu rationis privati ſint (quo in ſtatu quidquid dixerint, nihil habet vel culpæ vel meriti) vel ſi contingeret eſſe aliquos, qui minus ædificationis in ſuâ ægritudine, quàm par eſſet, præberent; utrisque paucos aſſiſtere ex iis, quibus magis confideretur, oporteret.

3 Poſteaquàm quis expiraverit, uſque ad ſepulturam ejus corpus decenter, (B) quamdiu conveniet, teneatur. Poſtmodùm (C) abſoluto officio, coram domeſticis pro more ſepeliatur: & manè proximo poſt ejus mortem, omnes Sacerdotes domeſtici, pro ejus animâ Miſſæ Sacrificium offerant: reliqui verò peculiari oratione pro eodem divinam implorent clementiam; atque in eo perſeverent ulteriùs, juxta Superioris arbitrium, & cujusvis privatam devotionem, & obligationes quæ in Domino intercedunt.

(B) §. In aliquo poſſent aliquot horæ deeſſe ad diem naturalem, quando mali odoris ratione (præſertim cum viget æſtus) judicio Superioris, anteverti id tempus poſſe videretur: ordinarium tamen ſpatium id erit, quod dictum eſt.

(C) §. Vſus habet, ut officium dicatur tono mediocriter alto, ſine cantu; præſentibus in eccleſiâ domeſticis cum ſuis candelis accenſis, &c.

4 Reddantur etiam certiores alii de Societate, in locis illis quæ Superior convenire judicaverit, ut ſimile officium præſtent: ita ut charitas erga eos qui vitâ perfuncti ſunt, non minus quàm erga viventes, in Domino demonſtretur.

Quòd Conſtitutiones peccati obligationem non inducunt.

CAPVT V.

a Sup. c. 1. §. 1. & p. 4. c. 10. §. 5. & p. 9. c. 3. §. 8. & c. 6. A. & p. 10. §. 13.

b P. 5. c. 3. §. 3.

c P. 9. c. 3. §. 20.

CUm *a* exoptet Societas univerſas ſuas Conſtitutiones, Declarationes, ac vivendi ordinem, omnino juxta noſtrum Inſtitutum, nihil ullâ in re declinando, obſervari; optet etiam nihilominùs ſuos omnes ſecuros eſſe, vel certè adjuvari, ne in laqueum ullius peccati, quod ex vi Conſtitutionum hujusmodi aut ordinationum proveniat, incidant; viſum eſt nobis in Domino, *b* excepto expreſſo Voto, quo Societas Summo Pontifici, pro tempore exiſtenti, tenetur, ac tribus aliis eſſentialibus Paupertatis, Caſtitatis, & Obedientiæ, nullas Conſtitutiones, Declarationes, vel ordinem ullum vivendi, poſſe obligationem ad peccatum mortale vel veniale inducere; niſi Superior ea In Nomine Domini Noſtri IESV Chriſti, vel *c* in virtute Obedientiæ juberet: quod in rebus, vel perſonis illis, in quibus judicabitur, quòd ad particulare uniuscuiusque, vel ad univerſale bo-

bonum multùm conveniet, fieri poterit: & loco timoris offenſæ, ſuccedat amor & deſiderium omnis perfectionis; & ut major gloria & laus Chriſti Creatoris, ac Domini Noſtri conſequatur.

SEPTIMA PARS

De iis, quæ pertinent àd admiſſos in corpus Societatis ad proximorum utilitatem per vineam Domini diſtribuendos.

De Miſsionibus Summi Pontificis.

CAPUT I.

VT in ſextâ Parte de iis dictum eſt, quæ obſervanda ſunt cuique de Societate erga ſeipſum, ita in hac ſeptimâ de iis dicendum eſt, quæ erga proximos (*a* qui finis noſtri inſtituti valde proprius eſt) dum dividuntur per Chriſti vineam, ut in eâ illius parte, atque opere, quod ipſis commiſſum fuerit, ſe exerceant, obſervari debent; (A) ſive à Summo *b* Chriſti Domini Noſtri Vicario, ſive à Superioribus Societatis, qui etiam Divinæ Majeſtatis loco ipſis præſunt, per diverſa loca mittantur; ſive ipſimet ſibi eligant ubi, & quâ in re occupentur; *c* ſi ipſorum judicio relictum fuerit, ut diſcurrant quacumque majus Dei & Domini Noſtri obſequium, & animarum profectum aſſequi ſe poſſe arbitrentur: ſive labor ſit impendendus, non loca peragrando diverſa, ſed in ſtabili ac continuâ habitatione, in aliquibus locis, ubi magnus divinæ gloriæ & obſequii proventus ſperatur. Et ut primo loco de Miſſione Summi Pontificis, ut inter ceteras præcipua, tractetur; animadvertendum quòd (B) eò fertur *d* intentio Voti illius, quo ſe Obedientiæ Summi Chriſti Vicarii, ſine ullâ excuſatione Societas obſtrinxit, ut quocumque gentium ad majorem Dei gloriam, & animarum auxilium inter fideles *e* vel infideles, nos mittendos cenſuerit, nos conferamus. Nec intellexit Societas particularem aliquem locum; ſed ut per *f* orbem in diverſas regiones, & loca ſpargeretur; cum optaret, quod factu optimum eſſet, eligere; idque ſperaret futurum, ſi hanc ipſius diſtributionem Summus Pontifex faceret.

a Exa. c. 1. §. 1. & p. 1. c. 2. §. 8. & c. 3. §. 1. & p. 3. c. 1. §. 9. & p. 4. procem. & c. 12. §. 1. & p. 6. c. 3. §. 4. & p. 10. §. 2.
b P. 6. c. 2. §. 13.
c Inf. §. 7. & c. 3. §. 1.
d Exa. c. 1. §. 5. & P. 5. c. 3. §. 3. & C.
e Inf. c. 2. C. & p. 9. c. 3. F.
f Inf. c. 2. H. & Exa. c. 4. §. 35. & p. 3. c. 2. G. & p. 4. proœ. A.

Declarationes in ſeptimam Partem.

IN CAP. I.

(A) §. HI *ſunt quatuor modi univerſaliores, noſtros dividendi per Chriſti Domini Noſtri vineam; de quibus totidem Capitibus Septimæ hujus Partis agitur.*

(B) §. Intentio quarti Voti ad Summum Pontificem, non tendebat ad locum aliquem particularem: ſed ut per varias mundi partes, qui vovebant, ſpargerentur. Cùm enim qui primi convenerunt in hanc Societatem, ex diverſis provinciis & regnis eſſent, nec eis conſtaret, inter quas regiones fidelium, a vel infidelium verſari deberent; ne in viâ Domini errarent, promiſſionem illam, vel Votum emiſerunt, ut Summus Pontifex eos ad majorem Dei gloriam, & juxta ipſorum intentionem, per orbem diſcurrendi, diſtribueret: & ſicubi optatum ſpiritualem fructum non invenirent, ut inde in alium atque alium locum, majorem Dei gloriam & animarum auxilium inveſtigando, ſe conferrent.

a Inf. c. 2. C. & p. 9. c 3. F.

2 Et in hac parte, cùm omnem proprium ſenſum ac voluntatem Chriſto Domino noſtro, & ejus Vicario Societas ſubjecerit, (C) nec Superior pro ſeipſo, nec quiſquam alius ex inferioribus pro ſe, vel pro alio curare nec tentare mediatè vel immediatè cum Summo Pontifice, vel ejus miniſtris poterit, ut reſidere, vel mitti potiùs in hanc partem, quàm in illam debeat: ſed *b* inferiores hanc curam univerſam Summo Chriſti Vicario, ac Superiori ſuo; Superior verò, quod ad ſuam perſonam attinet, (D) Summo Pontifici, & ipſi Societati in Domino relinquat.

b Inf. c. 2. C. & 1. & c. 3. §. 1.

(C) §. Cùm aliquis ex inferioribus ad locum aliquem vel opus deſignaretur, ad quod mittendus non fore, rebus à Summo Chriſti Vicario benè perſpectis, judicaretur; Præpoſitus Generalis pleniorem notitiam eius Sanctitati dare, omnibus tandem ipſius arbitrio relictis, poterit.

(D) §. Societas eſſe intelligerentur, qui ex eadem in loco ubi agit Præpoſitus Generalis, invenirentur; qui poſſent quod res habet, benè Summo Pontifici referre, ſi aliorum relatu diverſo adduci videretur, ut Præpoſitum Generalem, quò non convenit ad commune bonum Societatis, & majus Dei obſequium, mittere cogitaret.

a Præ-

a Præterea, qui à Summo Pontifice deſignatus fuerit, ut aliquò ſe conferat; ſeipſum liberaliter, re temporali nullâ pro viatico per ſe, vel per alium poſtulatâ, offerat: quin potiùs ſic à Summo Pontifice mittatur, (E) ut ejus Sanctitas ad majus Dei, & Sedis Apoſtolicæ obſequium fore, nullâ rei alterius in eo habitâ ratione, judicaverit. 3

a Exa. c.1. § 5. & p.6.c.2.§.13. & I.

(E) §. Hoc ſanè repræſentari poterit, imò debebit, per Prælatum aut quemvis alium, per quem ſummus pontifex jubet aliquò proficiſci, quæ ſit ipſius mens, b *de modo itineris conficiendi; & ibidem quò mittitur, manendi; num ex eleemoſynis propter Chriſti amorem emendicatis, an alio modo vivendo: quod enim Summo Pontifici melius videbitur, devotiùs & ſecuriùs in Domino fiet.*

b Inf. c. 2 G. & p.6.c.2.§.13. & I.

Si Summus Pontifex perſonam non deſignaret, ſed aliquem vel plures ad hunc vel illum locum proficiſci juberet, Superioris arbitrio relinquendo, qui ſint ad hujuſmodi Miſſionem aptiores; Superior juxta ejus præceptum, eos qui magis convenire, & aptiores ad id fore videbuntur, deſignabit. Quâ in re majus bonum univerſale intuebitur, & ut quàm minimum detrimentum alia opera, ad Dei obſequium ſuſcepta, patiantur. 4

c Ei qui ſic miſſus fuerit, plene declarari convenit plurimùm Miſſionem ſuam, & ſcopum, quò fertur Summi Pontificis intentio, & effectum, cujus gratiâ mittitur: (F) & hoc, ſi fieri poteſt, in ſcriptis, quò exactiùs, quod ei injunctum fuerit, explere poſſit. (G) Eumdem etiam Superior juvare conſiliis ac inſtructione, quoad ejus fieri poterit, curabit; ut in omnibus ad Dei, & Sedis Apoſtolicæ obſequium, utiliùs ſuum impendat miniſterium. 5

c Inf. c.2 §.2. & L.

(F) §. Si id non obtinebitur, curandum certè erit ut verbotenus mens Summi Pontificis intelligatur: ſive ipſemet eam immediatè, ſive per Superiorem, vel Prælatum, vel quemvis alium ei qui mittitur, declaret.

(G) §. Superior etiam aliquibus documentis adhibitis, non ſolùm in ſuis, ſed etiam Summi Pontificis Miſſionibus juvare poterit; ut meliùs quod ad Chriſti Domini Noſtri obſequium quæritur, conſequatur.

d Si ad particularia loca, tempore minime limitato, per Summum Pontificem mittetur; ad tres menſes ibidem manendum ei eſſe intelligatur: & magis, aut minùs, pro modo majoris aut minoris ſpritualis fructus, qui inde percipi videbitur, vel alibi ſperabitur; vel demum ut ad bonum aliquod univerſale magis expedire judicabitur. Quæ omnia, juxta Superioris arbitrium, qui ſanctam intentionem Pontificis, in Chriſti Domini Noſtri obſequium conſiderabit, tranſigentur. 6

d Inf. c.2. H. & p.9. c.3. G.

7 Cùm *a* in locis deſignatis diutius erit reſidendum, ſi fieri poterit ſine detrimento principalis Miſſionis, atque intentionis Summi Pontificis, excurſiones aliquas, ſi poterit, & cum fructu divini ſervitii eas fore judicabit, facere non erit inconveniens; ut in locis vicinis, animarum auxilio ſerviens, poſtmodùm ad ſuæ reſidentiæ locum redeat: in quo quidem, præter id quod eſt ei peculiari ratione injunctum (ad quod præcipuam etiam conferet curam, nec propter alias occaſiones, licet bonas, divini obſequii poſthabebit) poteſt, & debet conſiderare, quibus aliis in rebus, quæ ad Dei gloriam, & animarum ſalutem conferant, ſuam operam ſine detrimento ſuæ Miſſionis (ut dictum eſt) poſſit impendere. Opportunitatem autem, quam Deus ad id dederit, quantum in eodem convenire judicabit, è manibus elabi non ſinet.

a Sup. §.1. & inf. c.3. §.1.

8 Ad finem noſtræ profeſſionis ac promiſſionis meliùs conſequendum, Præpoſitus Generalis cùm novus Chriſti Vicarius in Apoſtolicâ Sede fuerit conſtitutus, per ſe, vel per alium, intra annum ab ejus creatione & coronatione, teneatur ejus Sanctitati declarare profeſſionem, *b* ac promiſſionem expreſſam Obedientiæ, quâ ipſi Societas peculiari Voto circa Miſſiones ad Dei gloriam ſe obſtrinxit.

b Sup. §. 1.

De Miſſionibus Superioris Societatis.

CAPVT II.

1 QUo (A) ſpirituali animarum neceſſitati ſubveniri multis in locis majori cum facilitate ac ſecuritate eorum, qui ad id fuerint deſtinati, poſſit; (B) *c* Præpoſiti Societatis, juxta facultatem eis à Summo Pontifice conceſſam, mittere quoſvis de Societate poterunt, (C) quocumque magis expedire judicabunt: qui tamen ubicumque fuerint, ad Obedientiam Sedis Apoſtolicæ parati erunt. Et quia complures ſunt, qui aliquos ex Noſtris ſibi concedi petant, potiùs propriæ obligationis ſpiritualis erga ſuum gregem, vel aliorum commodorum, à fine noſtro magis diſtantium, ratione habitâ, quàm communium & univerſalium; Præpoſitus Generalis, vel qui ab eo hanc habuerit facultatem, diligenter in hujuſmodi Miſſionibus curet, (D) ut in ſuis ad hanc potiùs, quàm ad illam partem mittendis, & (E) ad hoc opus potiùs, quàm ad illud. & (F) ut hanc perſonam potius, quàm illam mittat, (G) hoc, vel illo modo, (H) ad prolixius, vel brevius tempus; id *d* ſemper, quod ad majus Dei obſequi-

c P.9. c.3. §.9. & F. & G.

d Sup. D. & E.

ſequium,& bonum univerſale facit, ſtatuatur. Cum hac ergo rectiſſimâ ac ſinceriſſimâ intentione,in Dei ac Domini Noſtri conſpectu habitâ, & ſi ei videbitur,propter deliberationis difficultatem vel momentum,re divinæ Majeſtati, ſuis & domeſticorum orationibus ac Sacrificiis, commendata; & cum aliquo vel pluribus ex eadem Societate, qui videbuntur inter eos qui adfuerint, communicata; ſtatuet per ſe ipſum, num mittere debeat,nécne: & ſic de reliquis circumſtantiis, ut ad Dei majorem gloriam convenire judicabit. Erit autem ejus, qui mittitur, officium, nulla ratione ſe ingerendo ad eundum, vel manendum in hoc loco potiùs, quam in illo, (I) [a] plenam ac omnino liberam ſui diſpoſitionem Superiori, [b] qui eum Chriſti loco dirigit, ad ipſius majus obſequium & laudem relinquere. Sic etiam, ut alii maneant alicubi, vel aliò ſe conferant, (K) nemo quoquo modo ſine conſenſu Superioris ſui, per quem ille in Domino gubernandus eſt, curare debet.

[a] Sup. c. 1. §. 2. & Inf. c. 3. §. 1. & p. 4. c. 10. § 5.
[b] Sup. A & p. 3. c. 1. §. 23. & p. 4. c. 10. §. 5. & p. 6. c. 1. §. 1. 2. & 3. & p. 8. c. 1. D. & p. 9. c. 3. §. 20.

IN CAP. II.

(A) §. Faciliùs & expeditiùs pluribus locis (præſertim ſi remoti ſint à Sede Apoſtolicâ) per Superiorem Societatis provideri poteſt, quàm ſi ſemper eis qui hominibus Societatis indigent, eſſet Summus pontifex adeundus. Particularibus etiam ſecurius eſt, ſi cum ſuorum Superiorum Obedientiâ, quàm ſi pro arbitratu ſuo (etiam ſi id poſſent) & non ab iis miſſi proficiſcerentur, [c] *à quibus Chriſti Domini Noſtri loco, ut ab interpretibus divinæ voluntatis, ſunt regendi.*

[c] Inf. hoc §. 1.

(B) §. Vt poteſt Præpoſitus Generalis reliqua munera per ſe ipſum, & per inferiores; ita & hoc mittendi ſuos, reſervatis Miſſionibus, quas duxerit reſervandas, obire poterit.

(C) §. [d] *Mittere quocumque eis videbitur, inter fideles, etiam in Indias, & inter infideles, præſertim ubi aliqua eſſet habitatio fidelium, ut in Græciam, &c. intelligendum eſt. Vbi eſſent omnino infideles, conſiderare admodùm Superiorem oportebit in conſpectu Domini, num mittere, nécne, & quò, & quos debeat.* [e] *Semper autem erit ſubditi, Miſſionem ſuam, ut de manu Domini, hilari animo ſuſcipere.*

[d] Sup. c. 1. §. 1. & B. & p. 9. c. 3. F.
[e] Sup. c. 1. §. 2.

(D) §. Vt in mittendo ad hunc vel ad illum locum, rectiùs procedatur, præ [f] *oculis habendo majus divinum obſequium, & univerſale bonum, ut re-*

[f] Inf. hoc §. 1. & E.

gulam

gulam ad quam exigi Miſsiones oportet; eligenda videtur, in tam amplâ Chriſti Domini Noſtri vinea (paribus ceteris, quod in omnibus quæ ſequuntur debet intelligi) ejus pars illa, quæ magis indiget; tam ob penuriam aliorum operariorum, quàm ob miſerum ſtatum, & infirmitatem proximorum in eâ, & damnationis extremæ periculum.

Conſiderandum eſt etiam, unde veriſimile ſit fructum uberiorem, ex mediis proximi juvandi quibus utitur Societas, proventurum; inde ſcilicet, ubi oſtium apertius, & major diſpoſitio, & facilitas in hominibus, ut juvari poſſent, videretur: quod quidem poſitum eſt in eorum majori devotione, ac deſiderio (quod ex inſtantiâ quâ Noſtros petunt, ex parte intelligi poteſt) vel in conditione & qualitate perſonarum, quæ magis ſint idoneæ, ut juvari, & fructum quem ceperint, ad Dei gloriam conſervare poſſint.

Vbi magis debemus, ut in locis illis, in quibus Domus vel Collegia Societatis ſunt, vel aliqui ex eâ, qui ſtudent, & beneficentiâ populi juvantur (ſi paria eſſent cetera quæ ad ſpiritualem profectum attinent) magis conveniret aliquos noſtros operarios verſari, & hujuſmodi loca talem ob cauſam, juxta ordinem perfectæ charitatis, aliis præferri.

Inf. E. *Quia bonum, quò a univerſalius, eò divinius eſt; illi homines, & loca, quæ, cùm profecerint, in causâ erunt, ut bonum ad multos alios qui eorum auctoritatem ſequuntur, vel per eos reguntur, perveniat, debent præferri. Sic ſpirituale auxilium, quod hominibus magnis & publicis (ſive ſæculares, ut Principes, Domini, Magiſtratus, vel Iuſtitiæ miniſtri; ſive Eccleſiaſtici illi ſint, ut Prælati) quodque viris doctrinâ & auctoritate eminentioribus confertur, majoris momenti eſſe propter rationem eamdem boni univerſalioris exiſtimandum eſt: propter quam etiam, auxilium impenſum magnis gentibus, ut Indis, vel populi primariis, vel Vniverſitatibus, quò ſolent multi confluere, qui ſi juventur, ipſi operarii eſſe ad alios juvandos poterunt, debeat præferri.*

Vbi itidem intelligeretur inimicus Chriſti Domini Noſtri ſeminaſſe zizania, ac præcipuè effeciſſe, ut malè ſentiant, vel malè affecti ſint in Societatem, quò impediatur fructus, qui ex eâ poſſet provenire; tunc impenſiùs eſſet incumbendum; præſertim ſi alicujus momenti, & cujus habenda ſit ratio, is locus eſt: eoque mittendi eſſent homines, ſi fieri poſſet, qui vitæ exemplo, & doctrinâ, conceptam ex falſis narrationibus malam opinionem removerent.

(E) §. Ad meliorem ac certiorem operum electionem, ad quæ Superior

ſuos

ſuos mittit, a *eadem regula ob oculos verſetur, ſcilicet divinus honor major,* a Sup. D. & Inf. hoc §. 1.
majusque bonum univerſale. Hæc enim conſideratio juſtiſſimè ad mittendum in hunc locum potiùs, quàm in illum movere poteſt. Et ut aliqua quæ ad alterutram partem poſſunt momentum habere, attingantur; in primis, cùm poſſint, qui de Societate ſunt, operam ſuam collocare, ubi bona ſpiritualia quæruntur, & etiam ubi corporalia, in quibus etiam miſericordia & charitas exercetur; cùm itidem aliqui poſſint in rebus majoris ſuæ perfectionis, & minoris, & demum in rebus ex ſe melioribus, & minùs bonis juvari; b *ſi utra-* b Inf. c. 4. §. 9.
que ſimul præſtari non poſſunt, priora (ceteris paribus) ſecundis ſemper eſſent præferenda.

Cùm etiam res aliquæ in divino ſervitio magis urgeant, aliæ minùs, quòd remedii dilationem meliùs ferant; quamvis alioqui æqualis eſſent momenti, priores poſterioribus ſunt anteponendæ.

Cùm etiam quædam peculiari quodam modo ad Societatem pertineant, vel cernatur alios non eſſe, qui eisdem vacent; rurſus aliæ, quarum curam, & modum eisdem proſpiciendi, alii habent; priores in Miſſionibus priorem locum habere æquum eſt.

Sic etiam inter pia opera, quæ æqualis eſſent momenti ac neceſſitatis, & quæ æqualiter urgerent, ſi aliqua ſecuriora tractanti, alia verò periculoſiora eſſent; & rurſus, aliqua quæ faciliùs & expeditiùs, alia quæ majori cum difficultate & longiori tempore abſolvuntur; priora etiam debent præferri.

c *Cæteris quæ dicta ſunt, paribus; cùm etiam ſint aliquæ occupationes* c Sup. D. & inf. c. 3. §. 2.
univerſalioris boni, & quæ ſe ad plurium auxilium extendunt, ut concionari, vel legere; aliæ magis particulares, ut Confeſſiones audire, vel exercitia ſpiritualia tradere; ſi utriſque vacari non poteſt, priores præferantur: niſi aliquæ circumſtantiæ moverent, ut ſecundæ magis convenire viderentur. Cùm etiam quædam pia opera diuturniora, & ſemper profutura ſint, ut fundationes aliquæ piæ, quæ ad proximorum auxilium inſtituuntur; alia minùs diuturna, quæ raró, & ad tempus exiguum juvant; conſtat priora ſecundis eſſe præferenda. Et ſic Præpoſitus Societatis potiùs ad hæc quàm ad illa, ſuorum operam conferre debet. Fiunt verò hæc omnia propterea quòd ad majus Dei obſequium, majusque proximorum bonum ita conveniat.

(F) §. d *Quamvis ſumma providentia, & Sancti Spiritus directio, ea ſit,* d Procem. Conſtit. & p. 1. c. 2. §. 13. & p. 4. c. 8. §. 8.
quæ efficaciter meliora cùm in aliis omnibus eligere faciat; tum in mittendis ad quemvis locum illis, qui magis convenient, & quadrabunt perſonis, & rebus,

propter quas mittuntur ; illud tamen in univerſum dici poteſt ; primùm, quòd ad res graviores, & in quibus plus refert non errare (quoad ſitum in eo fuerit cum divinâ gratiâ, qui providere debet) mitti viros magis delectos, quibusque magis confidatur, oportet.

In rebus quæ corporis labores majores exigunt, qui robuſtiores & ſaniores.

Vbi pericula ſpiritualia plura ſunt, qui in virtute magis probati & ſecuriores.

Vt agant cum viris prudentibus, qui ſpiritualem gubernationem vel temporalem habent, ii convenire magis videntur, a qui diſcretionis & converſandi cum hominibus gratiam habent ; cum exteriori ſpecie (modò, quæ interiora ſunt, non deſint) quæ ad auctoritatem conferat. Poſſet enim magni momenti eſſe eorum conſilium.

a P. 1. c. 2. §. 9. & 10.

Ingenioſis & ſubtilibus ac litteratis, ii magis quadrant, qui in ingenio itidem & litteris peculiare donum habent. Hi enim in lectionibus, & colloquiis magis juvare poterunt.

Ad populum, ut plurimùm, aptiores erunt, qui talento Prædicationis & audiendarum Confeſſionum pollent.

Quod ad numerum attinet hujuſmodi operariorum; qui mittendi ſunt, & combinationem eorum, conſideratio erit etiam adhibenda : & primò quidem, cùm fieri poſſet, conveniret unum ſolum non mitti ; ſed ſaltem duos : tum ut mutuò ipſi in rebus ſpiritualibus & corporalibus juventur, tum ut poſſint eſſe magis utiles iis ad quos miſſi ſunt ; labores inter ſe dividendo, quos in ſervitium proximorum ſuſcipiunt.

Et ſi duo mittentur, cum uno Concionatore vel Lectore commodè conjungeretur alius, qui meſſem in Confeſſionibus, & ſpiritualibus exercitiis, quam ille præpararet, colligeret ; juvaretque eumdem in colloquiis, & aliis mediis, quæ ad proximos juvandos adhiberi ſolent.

Sic etiam, ſi quis in modo procedendi Societatis, & cum proximis agendi parum exercitatus mitteretur ; alteri in his magis exercitato adjungi deberet ; quem imitari, cum quo conferre, quemque de rebus dubiis, quæ occurrent, conſulere poſſit.

Alicui valdè ferventi & animoſo, alius magis circumſpectus & cautus benè adjungeretur : b *& ſic de aliis mixtionibus huic ſimilibus ; ita ut diverſitas vinculo charitatis unita, ſic utrumque juvet, ut contradictionem vel diſcordiam inter*

b P. 8. c. 1. §. 3. & C.

inter eos, aut alios proximos generare non poſſit. Plures, quam duos, cum opus, ad quod mittuntur, majoris eſſet momenti in divino obſequio, ac majorem multitudinem exigeret, & alioqui Societas plures operarios ſine detrimento rerum aliarum ad majorem Dei gloriam, & univerſale bonum ſpectantium poſſet providere, Superior mittere poterit; prout ſancti Spiritus unctio eum docuerit, vel in divinæ Majeſtatis conſpectu melius convenientiusque ipſe ſenſerit.

(G) §. a *Quod ad modum attinet eos mittendi (præter convenientem inſtructionem) num pauperum more, ut ſine jumento ac pecuniâ, an majori cum commoditate mitti oporteat;* b *cum litteris item, an ſine illis, quo tendunt, deſtinatis (ſive ad privatos aliquos homines, ſive ad civitatem, vel ejus caput ſcribentur, quæ ad auctoritatem aut benevolentiam conferant) Superior undecumque majorem proximorum ædificationem, & divinum obſequium intuendo, quod convenit, conſtituet.* a Sup. c. 1. E. & p. 6. c. 2. §. 13. & I. b Inf. M.

(H) §. c *Tempus quod Miſſionibus dandum eſt, ſive ad hanc, ſive ad illam partem mittantur, quando à Summo Pontifice præſcriptum non eſt, metietur, hinc quidem qualitas negotiorum ſpiritualium, quæ tractantur, & momentum ipſorum majus aut minus, habita neceſſitatis, & fructus, qui percipitur vel ſperatur, ratione; inde verò conſideratio eorum, quæ aliis in locis ſe offerunt, & obligatio eis vacandi, & vires Societatis, quas habet, ut his atque illis operibus poſſit ſatisfacere. Quædam etiam accidere ſolent, quæ expendenda ſunt, ut Miſſionis tempus vel brevius ſit, vel prolixius.* d *Demum habitâ primi noſtri inſtituti ratione, cum hoc ſit per varias Mundi partes diſcurrere, ac magis vel minus in illis hærere, pro fructus, qui cernitur, modo; videndum erit, num conveniat plus aut minus temporis in his, aut illis Miſſionibus impendi.* e *Et ut hoc intelligatur, conveniet crebris litteris certiorem reddi Superiorem percepti fructus ab his, qui miſſi ſunt.* c Sup. c. 1. §. 5. & p. 9. c. 3. G. d Sup. c. 1. §. 1. & Ex. c. 4. §. 35. & p. 3. c. 2. G. & p. 4. prœ. A. e Inf. §. 2. & p. 8. c. 1. §. 9. & L.

f *Cum mutari aliquem oportebit, animadvertat Superior, quod ad eum revocandum, quoad fieri poterit, iis mediis utatur, ut hi, à quibus aliquis evocatur, potiùs benevoli omnino maneant, quam offenſi vel male affecti; & quod in omnibus honor & gloria divina, & bonum univerſale quæritur, ſibi perſuadeant.* f P. 10. §. 11. & B.

(I) §. g *His non repugnat proponere motus animi, aut cogitationes, quæ in contrarium occurrunt; ſubiiciendo ſuum ſentire & velle eis, quod ipſius Superior, Chriſti Domini Noſtri loco, ſentiret ac vellet.* g Ex. c. 8. A. & p. 5. c. 4. F.

(K) §. *Hinc planum fit, prohiberi, ne quis Principem, vel Communitatem, aut hominem quemvis magnæ auctoritatis, ad ſcribendum Superiori, vel verbote-*

nus petendum aliquem de Societate , moveat ; niſi priùs , cum Superiore communicatâ re , hanc eſſe ipſius voluntatem intellexerit.

2 *a* Quocumque Superior mittet aliquem , (L) eum plenè inſtruere (& ordinariè in ſcriptis) debebit , tam de modo procedendi , quàm de mediis , quibus eum uti velit ad finem , quem in animo habet. Per *b* crebram etiam litterarum communicationem, quantum fieri poteſt , totius ſucceſſus certior redditus ex eo loco, ubi ipſe reſidet (ut perſonæ, & negotia exegerint) conſilio, (M) & aliis auxiliis, quæcumq; adhiberi poſſint, providebit ; ut majus ſervitium Deo fiat , magiſque commune bonum per perſonas Societatis juvetur : quod tantò majori curâ præſtari debebit , quanto negotii qualitas (quòd vel magni momenti ſit , vel difficile) (N) & perſonarum, quæ miſſæ ſunt (quòd conſilio , & inſtructione indigeant) id magis exigit.

a Sup. c. 1. §. 5. & F. & G.
b Sup. H. & p. 8. c. 1. §. 9. & L.

(L) §. Dicitur ordinariè , propterea quòd aliquando is , qui mittitur , tam inſtructus eſt , tantaque dexteritate pollet , ut inſtructio non ſit neceſſaria. Sed demum hoc fiet , quandocumque opus erit.

(M) §. Cujuſmodi eſſent orationes & Miſſæ , quæ initio præſertim ſuſcipiendorum operum , vel quando major ſubſidii neceſſitas cernitur , quòd res magni momenti ſint , vel difficultates graves incidant , ad id applicentur. In hoc ergo , ſicut & in aliis auxiliis c *ſuarum patentium , aut Sedis Apoſtolicæ litterarum , & aliis rebus , quæ poſſent eſſe neceſſariæ ; providebit Superior , prout ratio & charitas monebit.*

c Sup. G.

(N) §. Hoc conſilium , & inſtructio , non tantùm negotiis , ſed etiam perſonis , prout unuſquiſque vel animari , vel reprimi opus habet , perutile eſſe poterit : & ſic de aliis intelligatur.

De liberâ ad hanc vel illam partem profectione.

CAPUT III.

1 QUAMVIS *d* eorum ſit , qui ſub Obedientiâ Societatis vivunt , ſe non ingerere directè vel indirectè ad ſui Miſſionem , ſive à Summo Pontifice , ſive à ſuo Superiore in nomine Domini Noſtri IESU Chriſti mittantur ; qui tamen ad regionem aliquam magnam (cujuſmodi eſſet India , vel aliæ Provinciæ) miſſus eſſet ; *e* ſi pars ejus aliqua , peculiari limitatio-

d Sup. c. 1. §. 2. & c. 2. §. 1. & I.
e Sup. c. 1. §. 1. & 7.

tatione ei aſſignata non fuerit, poteſt magis, & minus in hoc vel in illo loco immorari, aut diſcurrere quacumque, omnibus perpenſis (in ſe, quod ad voluntatem ſuam attinet, indifferentiam ſentiendo) & oratione factâ, judicaverit ad Dei gloriam magis expedire. Hinc apparet quòd (primæ & ſummæ Obedientiæ Summi Pontificis non repugnando) multò magis in hujusmodi Miſſionibus, Superiori ad hanc partem potiùs, quàm ad illam, prout in Domino ſenſerit, convenire, eosdem dirigere licebit.

Ubicumque quis maneat, ſi non eſt ei injunctum, ut medio aliquo 2
limitato utatur, quale eſſet legere, vel prædicare; in eo ſe exercebit, ex iis quibus utitur Societas, in quartâ Parte, capite octavo dictis, & proximo capite dicendis, (A) *a* quod magis convenire judicabit: atque etiam *a* Sup. c. 2. D. & E.
quod *b* in ſextâ Parte devitandum dicitur, ad majus Dei obſequium etiam *b* P. 6. c. 3. §. 4. & ſequentibus.
devitabit.

IN CAP. III.

(A) §. *QVamvis hoc ita ſe habeat, tamen conferre media, quibus uti debet cum c eo Superiore, qui ei proprior fuerit, ſemper erit ſecurius.* c P. 8. c. 1. §. 4.

Quibus in rebus Domus & Collegia Societatis proximum adjuvent.

CAPUT IV.

QUIA non ſolum enititur Societas, diſcurrendo per varia loca, ſed 1
etiam in quibusdam continenter reſidendo (ut in Domibus & Collegiis) proximos juvare; operæ pretium eſt intellexiſſe, quibus modis poſſint animæ in hujusmodi locis juvari; ut eorum pars illa, quæ poterit, ad gloriam Dei exerceatur.

Et primò quidem conferet bonum exemplum totius honeſtatis ac 2
virtutis Chriſtianæ; *d* ut non minùs bonis operibus, imò magis, quàm *d* P. 10. §. 12.
verbis eis *e* ædificationi eſſe, quibuscum agitur, curent. *e* P. 6. c. 2. §. 16.

Iuvatur etiam proximus ſanctis deſideriis, & orationibus in Dei con- 3
ſpectu pro universâ Eccleſiâ, ac (A) pro iis præſertim, qui majoris ſunt momenti, ad ejus univerſale bonum effuſis; ac pro amicis etiam, & *f* be- *f* P. 4. c. 1.

nè de nobis meritis viventibus, & vitâ functis; ſive poſtulent ipſi, ſive non poſtulent; ac pro illis, in quorum auxilium peculiariter ipſi, & reliqui de Societate in variis locis inter fideles, & infideles incumbunt; ut Deus omnes ad gratiam ſuam excipiendam, per debilia hujus minimæ Societatis inſtrumenta diſponere dignetur.

IN CAP. IV.

(A) §. Cujusmodi ſunt Principes Eccleſiaſtici, & ſæculares, & alii, qui multùm prodeſſe, vel obeſſe bono animarum, & divino obſequio poſſent.

4 Miſſarum etiam Sacrificiis juvare poſſunt, & aliis divinis officiis, (B) nullâ *a* pro eis eleemoſynâ acceptâ; ſive aliqui particulares ea petierint, ſive pro ſuâ devotione quisque ea Deo obtulerit. Et quod attinet ad Miſſas, præter *b* eas quæ pro Fundatoribus dicuntur, una, vel duæ, aut plures (pro numero Sacerdotum, & prout convenerit) ſingulis hebdomadis pro benefactoribus vivis, aut defunctis offerentur; Deum ac Dominum Noſtrum rogando, ut pro illis hoc ſanctum Sacrificium admittere, & pro infinitâ ac ſummâ liberalitate ſuâ, eam beneficentiam remunerari, quâ illi erga Societatem noſtram ex divino amore ac reverentiâ uſi ſunt, æternis præmiis dignetur.

a Exa. c. 1. §. 3. & p. 6. c. 2. §. 7. & p. 10. §. 5.

b P. 4. c. 1.

(B) §. Ut c *in ſextâ Parte explicatum eſt.*

c P. 6. c. 2. §. 7.

5 Poterit *d* juvari etiam proximus Sacramentorum adminiſtratione: præcipuè in audiendis Confeſſionibus ((C) ad quas aliqui à Superiore, qui eo fungantur officio, ſunt deſignandi) & in ſancto Euchariſtiæ Sacramento, (D) extra Paſchæ tamen feſtum, ſuâ in eccleſiâ adminiſtrando.

d P. 4. c. 8. §. 4.

(C) §. Præter eos qui Confeſſarii ordinarii conſtituti ſunt, Superioris erit, in ſpiritualibus neceſſitatibus quæ occurrunt, videre, num alii horum Sacramentorum adminiſtrationi vacare debeant; & quod convenit, ſtatuere.

(D) §. Paſcha, intelliguntur octo dies ante, & totidem poſt ipſum feſtum: quamquam eo tempore, qui facultatem haberent, vel peregrini, & reliqui quos jus excipit, poſſunt ad Communionem admitti: & illi etiam, qui cùm jam ſuis Parochiis ſatisfecerint, vellent hiſce quindecim diebus ſemel aut ſæpius in noſtris eccleſiis Sanctiſſimum Chriſti Corpus accipere.

6 Proponatur verbum Dei populo aſſiduè in eccleſiâ, in Concionibus,

Le-

Lectionibus, & in Chriſtiana Doctrina, per eos quos Superior probaverit, & ad tale munus deſtinaverit: (E) & quidem iis temporibus, & modo, *a* qui eidem ad majorem Dei gloriam, & animarum ædificationem expedire videbitur. *a* P. 4. c. 8. §. 3.

(E) §. Quia quibusdam in locis fieri poſſet, ut aliquando his mediis, vel eorum parte uti non conveniret; Conſtitutio non obligat, niſi cùm Superiori eis utendum eſſe videretur: ſed eam intentionem oſtendit, quam habet Societas in locis, in quibus reſidet; quæ ea eſt, ut hæc tria media, vel duo ex illis, vel quod eorum magis convenire videbitur, exerceatur.

Poteſt & hoc ipſum, quod dictum eſt, extra eccleſiam Societatis, aliis in eccleſiis, vel plateis, vel aliis locis præſtari; quando ei, qui ceteris præeſt, ad majorem Dei gloriam conferre videbitur. 7

b Curabunt etiam privatim proximum piis colloquiis ad meliora promovere; tum conſilio, & exhortatione ad bona opera, (F) tum *c* etiam tradendis ſpiritualibus exercitiis. 8 *b* Exa. c. 6. §. 4. & p. 4 c. 4. §. 6. *c* P. 4. c. 8. §. 5. & F.

(F) §. Exercitia ſpiritualia plenè non niſi paucis, iiſque hujusmodi, ut ex eorum profectu, non vulgaris ad Dei gloriam fructus ſperetur, tradenda ſunt. Primæ hebdomadæ exercitia ad multos, & aliqua conſcientiæ examina & modi orandi (præſertim primus trium illorum, qui in exercitiis proponuntur) ad multò plures etiam extendi poſſent. quivis enim bonâ præditus voluntate ad hæc idoneus erit.

Corporalibus etiam pietatis operibus, *d* quantum ſpiritualia, quæ majoris ſunt momenti, permittent; quantumque vires patientur, incumbent; ut infirmis juvandis, præcipue in Xenodochiis, eos inviſendo, & aliquos, qui eis inſerviant, mittendo; & diſſidentes ad concordiam revocando; ſic etiam pauperes, ac in cuſtodiis publicis detentos, quoad ejus fieri poterit, per ſe ſublevando, (G) & ut alii ſublevent, curando. Metiatur autem oportet Præpoſiti prudentia (qui majus Dei obſequium ac bonum univerſale ſemper ob oculos ſibi proponet) quantum in hujusmodi rebus operæ ſit ponendum. 9 *d* Sup. c. 2. E.

(G) §. Nihilominùs non convenit, Societatem, vel ejus Domos, aut Collegia, cum aliquâ Congregatione miſceri: nec in eâ ulli conventus agantur; niſi qui ad earumdem Domorum vel Collegiorum finem, in divino obſequio fient.

e In Collegiis, & eorum eccleſiis fiet, ex iis quæ de Domibus dicta ſunt, 10

quod *e* P. 4. c. 8. §. 1.

quod fieri poterit; prout opportunum fuerit, juxta Superioris (ut dictum eſt) arbitrium.

11 *a* Qui talento præditus ad ſcribendos libros communi bono utiles, eos conſcriberet; *b* in lucem edere non debet aliqua ſcripta, niſi priùs Præpoſitus Generalis ea videat, & legi ac examinari faciat; ut, ſi ad ædificationem fore videbuntur, & non aliter in publicum prodeant.

a P. 6. c. 2. C.
b P. 3. c. 1. §. 18. & p. 4. c. 6. O.

12 De iis, quæ ad officia domeſtica, & res alias magis particulares pertinent, *c* in Regulis Domorum dicetur: nec ulteriùs progrediemur circa Miſſiones, vel diviſionem eorum, qui de Societate ſunt, per vineam Domini Noſtri IESV Chriſti.

c Procœm. declar. & p. 4. c. 10. §. 6.

OCTAVA PARS

De iis, quæ conferunt ad eorum, qui diſperſi ſunt, cum ſuo capite, & inter ſe mutuam unionem.

De iis, quæ juvant ad unionem animorum.

CAPVT I.

1 QUo difficilius eſt, membra hujus Congregationis cum ſuo capite, & inter ſe invicem uniri, (A) quòd tam diffuſa in diverſis mundi partibus inter fideles & infideles ſint; eò impenſiùs, quæ juvant ad unionem, quærenda ſunt: quandoquidem nec conſervari, nec regi, atque adeò nec finem, ad quem tendit Societas ad majorem Dei gloriam, conſequi poteſt, ſi inter ſe & cum capite ſuo membra ejus unita non fuerint. Dicetur ergo de iis, quæ conferunt ad animorum unionem: Deinde de iis quæ ad unionem perſonalem in Congregationibus vel conventibus pertinent. Et quidem circa animorum unionem, quædam ex parte ſubditorum, quædam ex parte Superiorum, quædam ex utrorumque parte juvabunt.

DE-

DECLARATIONES

In Octavam Partem.

IN CAPUT I.

(A) §. *SUnt & aliæ rationes, qualis eſt, quod ut plurimum litterati erunt, & gratia apud Principes & primarios viros, ac populos non parum valebunt.*

Ex parte ſubditorum, juverit, (B) magnam *a* turbam hominum ad Pro- 2
feſſionem non admitti; nec quoſcumque, ſed ſelectos homines, etiam inter *a* P.4.Proœ.A.& p.5.c.2.§.1.& 2.& p.10.§.7.
Coadjutores formatos, aut Scholaſticos retineri. Multitudo enim magna eorum, qui vitia ſua non bene domuerunt, ut ordinem non fert, ita nec unionem, quæ in Chriſto Domino Noſtro tam neceſſaria eſt, ut bonus ſtatus, ac procedendi modus hujus Societatis conſervetur.

(B) §. Hoc autem non excludit numerum (licet magnum) eorum, qui erunt idonei, ut in Profeſſos, vel Coadjutores formatos, vel Scholaſticos approbatos admittantur: ſed hoc eò ſpectat, ut commendatum habeatur, ne, qui tales non erunt, idonei (præcipuè ad Profeſſionem) facilè cenſeantur: & cum bene obſervabitur quod in primâ, & in quintâ parte dictum eſt, ſatis erit. Qui enim hujusmodi eſſent turba exiſtimari non deberent: ſed potius gens electa, tametſi magna eà eſſet.

Et quia hujusmodi unio magna ex parte per Obedientiæ vinculum con- 3
ficitur; *b* hæc ſemper in ſuo vigore conſervanda eſt: & qui foras ad labo- *b* P.3.c.1.§.23.& p.6.c.1.
randum in agro Dominico ex Domibus mittuntur, (C) quoad ejus fieri poteſt, in eadem ſint exercitati: *c* & hac in virtute, qui primas in Societate te- *c* P.4.c.10.§.4.& 8.
nent, bono ſui exemplo aliis præluceant; uniti omnino cum ſuo Superiore; & prompte, humiliter, & devotè ei obediendo, perſiſtant. *d* Qui autem *d* P.7.c.2.F.
tam egregium ſui ſpecimen in Obedientiâ non dediſſet, certè ei adjungi deberet ſocius, qui in ea magis eſſet conſpicuus. Nam ut plurimum ſocius qui in Obedientiâ magis profecit, eum qui minus in eâ profeciſſet, cum divino favore, in eadem juvabit. Et alioqui, quamvis ad hunc ſcopum non tenderetur, ei qui cum aliquo munere gubernandi mittetur, (D) Collateralis ſocius (ſi Superiori videbitur quod ſic melius commiſſo muneri ſa-

tisfaciet) adjungi poterit: qui ſic ſe geret cum eo qui aliis præeſt, & ille invicem cum hoc, ut Obedientia ac reverentia ſubditorum, debilior erga Superiorem non reddatur: ſed ille potius verum ac fidelem adjutorem, & ſublevatorem erga ſuam perſonam, & aliorum, qui ſuæ fidei commiſſi ſunt, ſibi datum eſſe in Collaterali experiatur.

(C) §. Cum experimento compertum eſſet, aliquos ex iis qui miſſi ſunt, non rectà incedere, quod ad Obedientiam attinet; vel revocari debent, vel ſocii qui in ea profecerint, eis adjungi; quamvis initio miſſi non fuiſſent.

(D) §. Quamvis Collateralis, Obedientiæ Præpoſiti, vel perſonæ illius cui datur, non ſubdatur; debet tamen ei intèrius & exterius reverentiam exhibere; ac in ea reliquis, qui ejus Obedientiæ ſubduntur, exemplum præbere. Debet itidem quâ poterit diligentia eum, qui aliis præeſt, juvare in rebus omnibus ad ipſius officium pertinentibus, in quibus ejus operam ille requiret.

Quamvis etiam nulla de re interrogaretur, cum tamen animadvertet, quod ei aliquid dici conveniat, quod ad perſonam, aut res quæ ſunt ipſius officii, pertineat; debet fideliter ea quæ oportet, ei referre; & cum libertate & modeſtia Chriſtiana, quod ſentiat, explicare: propoſitis tamen ſuis rationibus, & iis quæ ipſum movent, ſi Præpoſitus in ſua contrariâ ſententiâ perſiſteret, Collateralis proprium judicium ſubmittere, & ei conformem ſe reddere debet; niſi tamen clariſſime intelligeret illum errare: quòd ſi accidet, ad Superiorem referre debet.

a P.3. c.1. §.23. & p.4. c.10. §.5. & p. 6. c.1. §.1.2. & 3. & p.7. c.2. §.1. & A. & p.9. c.3 §.20.

b Inf. §.9. & p. 4. c.17. §.7.

a *Curet etiam Collateralis unionem, quoad ejus fieri poterit, ſubditorũ inter ſe, & cum ſuo Præpoſito immediato; & inter eos velut Angelus pacis incedat: & ſtudium adhibeat, ut de Superiore ſuo ſic ſentiant, illumque ita ament ut oportet, a quem Chriſti Domini Noſtri loco habent.*

b *Debet etiam certiorem reddere Superiorem ſuum Generalem, vel Provincialem iis de rebus, quas vel ipſe, vel is, cui Collateralis adjunctus eſt, commendaret: & ſponte ſua etiam ejus loco id faciat, cum per adverſam corporis valetudinem, vel occupationes, vel aliquam aliam cauſam, ille in hac parte officio ſuo deeſſet.*

Contra, Præpoſitus cum ſuo Collaterali nonnulla obſervare debet: ac primum, conſiderando quod non ut ſubditus, ſed ut auxilium & ſublevamen ei datus eſt, peculiarem erga eum dilectionem, & honorem præ ſe ferre debet: agatque cum eo familiariter, ut ſit animoſior ad ei dicendum, quod ſentit; commodiusque id faciat, ac videat, qua in re eum juvare poſſit. Curet

etiam,

etiam, ut auctoritatem habeat, & diligatur ab inferioribus: eò enim utilius ejus miniſterio erga illos utetur.

Si quæ occurrerint, quæ difficiliora eſſe videantur; cum eo tractari oporteret, ejus ſententiam rogando, & ad dicendum quod ſentit (etiam cum non interrogaretur) reducendumque ſibi in memoriam quod ad ſuam perſonam & officium convenire videatur, exhortando. Et auditis, quæ à Collaterali dicuntur, melius per ſeipſum, quod facto opus eſt, conſtituet.

Quod attinet ad executionem ſui officii ad ſubditorum gubernationem, utatur Collaterali, ut fideli miniſtro in rebus majoris momenti; ſive univerſales ſint, ad Domos, ſive particulares, ad quemvis ex fratribus ſpectantes.

In iis, quæ ad Præpoſitum Generalem pertinent, eique debentur, utatur etiam ejus operâ: & in omnibus eo habeat loco, eoque modo ipſi confidat, quo alteri ſibi (dempta poteſtate) in ſpiritus unione in Chriſto Domino Noſtro.

Et animadvertendum eſt, duabus ex cauſis præcipue Collateralem adjungi debere. Prima eſt, quando in eo, qui cum præcipuo munere mittitur, majus auxilium deſideraretur; propterea quòd non ſit magnopere verſatus & exercitatus in hujusmodi gubernatione; vel propter alias cauſas: quamvis ejus deſideria, & vita ad majorem Dei gloriam ſint valde approbata. Secunda, quando aliquis ex eis, quos ſecum eſt habiturus, hujusmodi eſſet, ut exiſtimaretur minus profecturus, ſi ſub ejus, qui præeſt, Obedientiâ conſtituatur, quam ſi ut Socius adjungeretur: dummodo talentum ad eumdem juvandum haberet.

a Ad eamdem Obedientiæ virtutem ordo bene obſervatus inter 4
ipſos Superiores, quorum alii aliis ſubduntur, & inferiorum erga illos, pertinet: ita ut ſinguli, qui in aliqua Domo vel Collegio verſantur, ad ſuum Præpoſitum Localem, ſeu Rectorem recurrant, & per eum in omnibus regi ſe ſinant. Eis autem qui per provinciam aliquam variis in locis disjuncti manent, ad Provincialem Præpoſitum, *b* vel alium Localem viciniorem erit recurrendum, prout eis injunctum fuerit. *c* Omnes vero Præpoſiti Locales, vel Rectores crebrâ communicatione cum Provinciali utantur: & juxta ejus arbitrium in omnibus ſe gerant. Eodem modo Præpoſiti Provinciales cum Generali ſe habebunt. (E) Sic enim, *d* ſubordinatione conſervatâ, unio, quæ in eâ quam maximè conſiſtit, aſpirante gratia Dei, conſervabitur.

a Inf. §.6. p.4.c. 10.§.5.& p.10.§.9.

b P.7.c.3.A.

c P.9.c.6 §.2.

d P.2. c.1. §.2.

(E) §. Cum particularibus ex cauſis, Præpoſito Provinciali magis convenire ad divinum obſequium videretur, ut aliquis ex iis, qui in Domibus vel Collegiis verſantur, ſibi immediatè ſubſit; poteſt ab Obedientiâ Rectoris, vel Præpoſiti Localis eum eximere. Et ſic Generalis quoſdam ex privatis, & Præpoſitis Localibus, vel Rectoribus, ſuæ Obedientiæ proximè reſervare poſſet. Vt plurimùm tamen prædicta Obedientiæ ſubordinatio eò melior erit, quo perfectiùs obſervabitur.

a P. 2. c. 2. D.

5 *a* Si quis diviſionis, vel diſſenſionis eorum qui unà vivunt, inter ſe, vel cum ſuo capite auctor eſſe cerneretur; diligentiſſime ab eâ Congregatione, velut peſtis quæ eam poteſt ſummopere inficere, ſi præſens remedium non adhibeatur, (F) ſeparandus eſt.

(F) §. Separare intelligendum eſt, vel omnino à Societate dimittendo; vel in alium locum transferendo, ſi hoc ſufficere videretur: & ad divinum obſequium, ac commune bonum, judicio illius qui curam ejus habet, magis conveniret.

b P. 9. c. 2.

c Sup. §. 4. & p. 5. c. 1. A. & p. 9. c. 3. §. 1. & 10.

d P. 2. c. 1. §. 2.

6 Ex parte Præpoſiti Generalis, quæ ad hanc unionem animorum conferent, (G) ſunt eæ dotes, quibus (ut *b* in nonâ Parte dicetur) eum exornari oportet: quibus cùm præditus fuerit, erga omnia membra Societatis ſuo fungetur officio: capitis videlicet, à quo in illam influxus, ad præfixum ipſi finem neceſſarius, deſcendat. *c* & ſic à Generali Præpoſito, ut à capite, univerſa facultas Provincialium egrediatur, ac per eos ad Locales, per hos autem ad ſingulares perſonas deſcendat. Sic etiam ab eodem capite (vel ſaltem eo ſuam facultatem communicante, & rem approbante) Miſſiones procedant. De communicatione gratiarum Societatis tantundem ſit dictum: *d* quò enim magis inferiores à Superioribus pendebunt, eò melius amor, Obedientia, atque unio inter eos retinebitur.

e P. 9. c. 2. §. 2. & 9. & c. 6. A.

f P. 9. c. 5. §. 2. & c. 6. §. 10. & 11.

(G) §. Iuvabit e etiam in primis, inter alia Dei dona, bona exiſtimatio, & auctoritas erga ſubditos; & habere, ac præ ſe ferre dilectionem, & curam illorum: ita ut ſubditi ſibi perſuadeant, ſuum Superiorem ſcire, velle, & poſſe benè ipſos in Domino gubernare. Ad quod, ſicut ad alia multa, conferet, ſecum viros, qui conſilio polleant, habere; (ut f in nonâ Parte dicetur) quorum operâ in iis quæ ſtatuenda ſunt ad bonum Societatis progreſſum, in his atque illis locis ad Dei gloriam uti poſſit.

g P. 3. c. 1. N.

Conferet etiam, circumſpectè & ordinatè præcipere, eo modo curando ſubditos in Obedientiæ officio continere, ut Superior omni benevolentiâ, & modeſtiâ, g & charitate in Domino, quod in ipſo eſt, utatur: ita ut ſubditi ſe

poti-

potiùs ad dilectionem majorem, quàm ad timorem ſuorum Superiorum poſſint componere; quamvis aliquando utrumque ſit utile: eorum etiam arbitrio aliquid relinquendo, cum probabile videbitur, quòd eos id juvabit: aliquando etiam eis ex parte aliquid indulgendo, & compatiendo, cùm videretur id poſſe magis convenire.

Et ut locus magis conveniat ad communicationem capitis cum ſuis membris, conferre plurimùm poteſt, ut (H) Præpoſitus Generalis magnâ ex parte *a* Romæ reſideat: ubi cum aliis omnibus locis Societatis faciliori utetur commercio. (I) Provinciales itidem in iis locis diutius verſabuntur, unde cum inferioribus, & cum Superiori Præpoſito commoda fuerit communicatio; quantum in Domino id effici poterit. 7

a Inf.c.5.§.11.

(H) §. Poterit nihilominùs ſubditos aliis in locis, prout occaſio & neceſſitas occurrerit, viſitare; & prope Romam aliquando habitare; prout ad majorem Dei gloriam fore judicaverit.

(I) §. De viſitatione Præpoſiti Provincialis eadem erit ratio, atque Generalis: poterit enim id facere, cùm videbitur ad Dei majus obſequium fore: eſtque id valde proprium ejus officii. Cùm tamen aliquo in loco diutius eſt ei reſidendum, ſi fieri poteſt, locum eligat, ex quo, cum ſubditis, & cum Generali crebra communicatione litterarum, uti poſſit.

b Præcipuum utriusque partis vinculum, ad membrorum inter ſe, & cum capite ſuo unionem, amor eſt Dei ac Domini Noſtri IESV Chriſti: cum cujus divinâ ac ſummâ bonitate, ſi Superior & inferiores valdè uniti fuerint, perfacilè inter ſeipſos unientur: idque per eumdem illum amorem fiet, qui à Deo deſcendens, ad omnes proximos, ac peculiari ratione ad Corpus Societatis pertinget. *c* Charitas itaque, & ut in univerſum dicatur, omnis probitas ac virtus, qua juxta ſpiritum procedatur, ad unionem ex utraque parte juvabit; & (quod inde ſequitur) omnis rerum temporalium contemptus, in quibus ſui ipſius amor, graviſſimus hujus unionis ac boni univerſalis hoſtis, errare ſolet. *d* Multum etiam conferet conſenſio, tum in interioribus, (K) ut eſt doctrina, judicia, ac voluntates, quoad ejus fieri poterit; tum etiam in exterioribus, ut eſt veſtitus, cærimoniæ *e* Miſſæ, & reliqua; quantum perſonarum & locorum, & ceterorum varietas permittet. 8

b Par.10.§.9.
c Par.10.§.2.& 9.
d Procem.declar. & p.3.c.1.§.18. & p.10.§.9.
e Exa. c.5. §.7.& p.4.c.8.§.2.

(K) §. f Cum iis qui adhuc litteris operam non dederint, curandum eſt, ut omnes (ut plurimum) eamdem doctrinam, quæ in Societate fuerit electa ut

f P.4.c.5.§.4. & c.14.§.1.

 melior

melior & convenientior Noſtris, ſequantur. Qui autem ſtudiorum curſum jam peregit, advertat, ne opinionum diverſitas conjunctioni charitatis noceat: & quoad ejus fieri poterit, doctrinæ in Societate communiori ſe accommodet.

9 *a* Magnopere etiam juverit, (L) litterarum ultro citroque miſſarum inter inferiores & Superiores, frequens commercium; & crebrò alios de aliis certiores fieri, (M) ac audire quæ ex variis locis ad ædificationem, (N) & eorum quæ geruntur, cognitionem, afferuntur; cujus rei Superioribus, ac præcipue Generali, & Provincialibus cura erit; eo conſtituto ordine, ut quovis in loco, quæ ad mutuam conſolationem & ædificationem in Domino faciunt, ex aliis ſciri poſſint.

a Sup. D. & inf. c. 2. B. & p. 4. c. 17. § 7. & L. & p. 7. c. 2 §. 2. & H. & p. 10. §. 9.

(L) §. *Præpoſiti Locales, vel Rectores, qui ſunt in aliquâ Provinciâ, quique miſſi ſunt ad fructum in agro Domini curandum; Præpoſito ſuo Provinciali ſingulis hebdomadis, ſi fieri poteſt, ſcribere debent: &* b *Provinciales, & alii, Generali ſingulis hebdomadis, ſi vicinus fuerit: ſi autem in regno diverſo reſident, ubi deſit ea commoditas, tam privati ad fructificandum miſſi (ut dictum eſt) & Præpoſiti Locales, & Rectores, quam Provinciales, ſingulis menſibus ſemel Generali ſcribent: qui curabit, ut eisdem, ſaltem Provincialibus, ſemel ſingulis menſibus ſcribatur. Ipſi vero Provinciales, Præpoſitis Localibus, & Rectoribus, & privatis perſonis, quibus opus erit, ſemel etiam ſingulis menſibus ſcribi curabunt: & utrimque crebrius, juxta occaſionum in Domino occurrentium rationes.*

b P. 9. c. 6. A.

(M) §. *Vt autem res Societatis ad ædificationem pertinentes communicari omnibus poſſint; hanc formulam ſequi oportebit. Qui ſub uno Provinciali ſunt, ex diverſis Domibus vel Collegiis ſcribant, quarti cujusque menſis initiis, litteras, quæ ſolum ea quæ ad ædificationem faciunt, contineant: & alterum earum exemplum, lingua vernacula illius provinciæ; alterum, Latina ſcriptum ſit: & mittant utrumque duplex Provinciali; ut mittat alterum exemplum utraque lingua, Generali, cum aliis ſuis litteris; ubi referat quod notatu dignum, vel ad ædificationem fuerit, ſi particulares id omiſerunt. Ex altero vero exemplo, tot alia exſcribi curet, ut ad certiores reddendos alios de ſua Provincia, ſatis ſint. Si multum temporis conſumeretur mittendis hujusmodi litteris Provinciali; Præpoſiti Locales, & Rectores poſſunt litteras ſuas Latinâ & vernaculâ linguâ ſcriptas, rectà ad Generalem, & earum Exemplum Provinciali deſtinare. Poterit etiam Provincialis, cum ei viſum fuerit, quibusdam*

buſdam ex Localibus injungere, ut certiores reddant alios ejuſdem Provinciæ; tranſmiſſis ad eos earumdem litterarum, quæ ad Provincialem mittuntur, exemplis.

Vt tamen, quæ in una Provincia geruntur, in alia ſciantur; curabit Præpoſitus Generalis, ex litteris quæ à Provinciis mittuntur, tot exempla exſcribenda, quot ſatis ſint, ut omnes alii Provinciales certiores reddantur. Illorum verò quiſque, exſcribi in ſuæ Provinciæ uſum curabit.

Cum magnum inter duas Provincias commercium eſſet, ut inter Luſitaniam & Caſtellam, Siciliam & Neapolim; Provincialis unius poſſet Provinciali alterius exemplum litterarum Præpoſito Generali miſſarum tranſmittere.

(N) §. Ad clariorem omnium cognitionem, quarto quoque menſe mittatur Præpoſito Provinciali ex ſingulis Domibus vel Collegiis brevis catalogus, iſque duplex, omnium qui in ea Domo ſunt; quique etiam poſt ultimum catalogum miſſum uſque ad id tempus quo ſcribitur, deſint; vel quod mortui fuerint, vel aliâ quavis cauſâ: breviter perſtringendo dotes uniuſcujuſque. a *Et Provincialis eodem modo ſingulis quadrimeſtribus exemplum catalogorum cujuſvis Domus & Collegii, Generali tranſmittet. Ita enim melius intelligentur, quæ ad perſonas attinent; meliuſque totum Societatis corpus ad Dei gloriam regi poterit.* a P.9 c.6 §.3.

Quibus in caſibus Congregatio generalis fieri debeat.

CAPVT II.

AD unionem perſonalem ut veniamus, quæ in Congregationibus Societatis fit; conſiderandum eſt, quibus in caſibus, qui, & per quem; ac itidem quo in loco, quo tempore, & modo debeant congregari; & id definiri, de quo in Congregationibus agetur. Et ut declaretur primo loco, quibus in caſibus Congregatio, & Conventus generalis fiat; illud in primis ſuppoſitum ſit, quod non videtur in Domino in præſentiarum expedire, (A) ut certis temporibus, aut *b* crebro fiat: quoniam Præpoſitus Generalis (B) adiutus communicatione, quam cum univerſa Societate habet, & *c* eorum operâ qui cum ipſo degent, hoc laboris & diſtra- b Inf. c. 4. §.2.& P.9.c 1. & C. c. P.9.c.2.§.10.& c.6.§.7.&c.

diſtractionis univerſæ Societati, quantum fieri poterit, adimet. Aliquando tamen congregari, omnino erit neceſſarium, ut ad electionem Præpoſiti Generalis; ſive eligendus ſit, qui in demortui locum ſuccedat, ſive aliquam ob cauſam ex iis, propter quas Generalis à ſuo officio abſolvi poteſt, ut *a* poſtea dicetur.

a P.9. c.4. §.7. & c.5. §.4.

IN CAP. II.

(*A*) §. *CVjuſmodi eſſet, tertio aut ſexto quoque anno, plus, minus.*

b Sup. c.1. § 9. & L. & p.9. c.6. A.

(*B*) §. b *Hujuſmodi communicatio fit per transmiſſas litteras, & perſonas, quæ ex Provinciis venire debent; ſaltem unus ex ſingulis earum, tertio quoque anno, & ex Indiis, quarto; electus Profeſſorum & Rectorum illius Provinciæ ſuffragiis; ad certiorem multis de rebus faciendum Præpoſitum Generalem. Poſſunt etiam per hujuſmodi communicationem, cum opus fuerit, intelligi ſententiæ eorum, quos Præpoſitus Generalis in univerſa Societate melius ſenſuros judicabit. Et ſic, adhibitis eis, quos apud ſe habet conſilii gratia, multa conſtituere ſine Congregatione totius Societatis poterit: quandoquidem magna ex parte Congregatio ideo ad bene conſtituendum juvare ſolet, quod vel rerum major cognitio habetur, vel quod conveniunt aliqui eminentiores viri, qui dicunt quod ſentiunt. Id autem multis in caſibus ſine Congregatione generali, ut dictum eſt, tranſigi poteſt.*

2 Altera cauſa eſt, cum deliberari oportebit (C) de rebus perpetuis ac magni momenti: quales eſſent (verbi gratiâ) *c* Collegia vel Domos diſſolvere, aut aliò transferre; vel res admodum difficiles ad univerſam Societatem ſpectantes; vel rationem procedendi in illa, pertractare, ad majus divinum obſequium.

c P.4. c.2. §.3. & c.10. §.2. & c.11. §.2. & p.9. c.3. §.5. 17. & 18.

(*C*) §. *Non res perpetuæ quævis ſatis ſunt, ut generalis Conventus indici debeat; niſi majoris momenti ſint. Aliquæ tamen magni momenti, licet non perpetuæ, ſatis eſſent.* d *Hoc autem diſcernere, & ſtatuere, Præpoſiti Generalis erit. Cum tamen aliqua acciderent, quæ urgerent, magnique momenti viderentur, ut qui aſſiſtunt Generali, & Provinciales, ac Præpoſiti Locales pluribus inter ſe ſuffragiis judicarent, quod cogi debeat Congregatio generalis,* e *ut nona in Parte dicitur, cogetur: idque Præpoſito Generali gratum eſſe oportet. Et ut Congregatio hujuſmodi magna cum diligentia fiat, idem Generalis ſtatuere debet.*

d Inf. c.4. § 1. & p.9. c.3. §.12.

e P.9. c.4. §.6. & c.5 §.6.

Qui

Qui debeant congregari.

CAPVT III.

NON omnes, qui ſub Obedientiâ Societatis vivunt, nec Scholaſtici approbati; (A) vèrum Profeſſi dumtaxat, & prætereà Coadjutores aliqui, ſi ita expedire in Domino videretur, ſunt ad Congregationem generalem convocandi: & quidem ex his, non *a* niſi qui commodè venire queant. Non itaque infirmi ac valetudinarii, nec qui in regionibus remotiſſimis agunt, ut in Indiis; ſed nec illi, qui præ manibus negotia habent magni momenti, qui absque gravi incommodo deſeri non poſſunt, convenient. Pendebit autem hoc ex judicio Præpoſiti Generalis, ſi is ad Congregationem convocaverit; vel eorum, qui congregati in ſingulis Provinciis fuerint, ut venturos ad generalem Congregationem eligant. Verùm ut certa aliqua ratio præſcribatur; cùm Conventus celebrabitur ad eligendum Generalem, aut ad deliberandum de iis quæ ad Generalem ipſum ſpectant, terni ex ſingulis Provinciis veniant; (B) Provincialis videlicet Præpoſitus, cum duobus aliis, qui fuerint ad hoc negotium in Congregatione Provinciali electi: quæ quidem Congregatio in ſingulis Provinciis, ante generalem, ad hunc finem cogetur. Convenient *b* autem, & ſuffragii jus habebunt in eà, Profeſſi omnes Provinciæ, qui intereſſe poterunt; Præpoſiti Domorum, atque Collegiorum Rectores, ac Procuratores; vel ii quos tamquàm vicarios illi ſuo nomine miſerint. Cùm Conventus ad res alias indiceretur, Præpoſitus Provincialis ſine Congregatione provinciæ, duos ex eâ eligere poterit, pro arbitrio Præpoſiti Generalis; cujus erit, pro occurrentium cauſarum ratione, conſtituere, num Conventus provincialis hujusmodi ad duorum illorum electionem ſit cogendus; an Provincialis ſine Conventu eos debeat eligere; prout ei videbitur in Domino expedire. (C) His tribus, & generali Congregationi, quicumque in Provinciâ remanent, ſuas vices delegabunt. Quòd ſi præter duos electos, quosdam alios Præpoſitus Generalis deſignaret; vel Præpoſitus Provincialis adducendos judicaret; eadem erit horum, & aliorum ratio. Sed ſi Provincialis præter tres, aliquos eligeret; plures, quàm duos, adjicere non poterit: ita ut ad ſummum quinque ex unâ Provinciâ veniant.

1

a Inf. c. 5. §. 3.

b Inf. c. 5. §. 3.

IN CAP. III.

a Inf. c. 6. B. *(A) §. CVm vocat Congregationem qui ſupremam in Societate curam habet, ejus erit judicium, num aliqui* a *qui Profeſſionem trium Votorum ſolemnium emiſerunt, vel Coadjutores nonnulli, ad conferendum cum eis de rebus, quæ in Congregatione tractandæ ſunt, venire debeant. Hoc enim aliquando conveniens fore videtur, præſertim ſi Rectores Collegiorum, & eorum Procuratores, aliique Officiales, quibus optimè perſpecta erunt quæ ad ipſorum officia pertinent, vocentur. Poſſent etiam hujusmodi Officiales, ſuffragium activum & paſſivum ad reliqua habere, præterquàm ut Profeſſis quatuor* b Inf. c. 6. B & p. 5. c. 1. A. *Votorum præeſſe poſſint.* b *Si Congregatio ad electionem Generalis indicitur, nullus qui quatuor Vota ſolemnia in Profeſſione non emiſerit, ſuffragium activum aut paſſivum ad hujusmodi electionem habere poterit.*

(B) §. Provinciali veniendum eſſe intelligatur, ſi poſſit: ſin minùs, pro ſe alium mittet; qui magis idoneus ei videbitur ex tribus, quos Congregatio Provincialis elegerit.

(C) §. Quamvis qui remanent in provinciis, ſuum ſuffragium in ſcriptis mittere non posſint; tamen ſi res fuerit eis communicata, ſuam ſententiam in ſcriptis tranſmittent: & qui veniunt, dicent in Congregatione generali, quid & alii ſentiant.

2 Ex Profeſſis qui Congregationi intererunt, unusquisque ſuffragium unicum; ſolus Generalis duo habebit. Sed ſi numerus par eſſet, Provincialis reliquis præferetur: & ſi inter ipſos Provinciales eſſet paritas, pars illa, in quam Præpoſitus Generalis, vel (ſi is è vivis exceſſiſſet) ipſius Vicarius inclinabit, eſſet præferenda. Vt enim illis magis eſt neceſſarium divinæ gratiæ auxilium, propter munus quod gerunt; ita ſperandum eſt, Deum ac Dominum Noſtrum uberiùs id illis, ut ſentiant & dicant quæ ad ipſius gloriam faciant, largiturum.

Ad

Ad quem ſpectet Congregationem generalem indicere.

CAPVT IV.

CVM ad eligendum novum Præpoſitum, priore vitâ functo, conven- 1
tura eſt Societas; (A) unus ex Profeſſis, quem ſuum in hac parte Vicarium, ante mortem Præpoſitus nominaverit, alios certiores faciendos curabit. Hic autem Vicarius (ut plurimùm) unus ex iis erit, qui adeſſe Præpoſito, & ipſum juvare ſoliti ſunt: vel certè ex iis qui proximè degunt. Hujus officium erit, Societatem ad electionem Præpoſiti faciendam, præſcripto tempore, & loco, quo convenire oporteat, convocare.

IN CAP. IV.

(A) §. SI nullus ex Profesſis apud Generalem eſſet, & aliquem ipſe ex vicinis nominaret; eadem erit ratio. Si tamen morte præoccupatus, vel morbo, qui ad hunc effectum perinde ac mors cenſeatur, Vicarium non nominavit; qui apud eum fuerint Profeſſi (quamvis non in eodem loco, ſed in vicinis fuerint) pluribus ſuffragiis Vicarium eligent. Et ſive Præpoſitus Generalis aliquem vicinum abſentem, ſive nullum nominaverit; qui præeſt Domui, in quâ mortem obiit Generalis, vel qui vicinior eſſet, ſi in nullâ Domo Societatis moreretur, curabit ſtatim mitti, qui certiores faciat Profeſſos vicinos, ut ad Vicarium conſtituendum (ut dictum eſt) qui gerat vices Generalis, donec ille electus fuerit, congregentur; vel ad eum agnoſcendum, quem conſtabit electum eſſe.

Quando non ad electionem Generalis congregatur Societas, *a* in aliis 2
eventibus Præpoſitus Generalis eam convocabit; præterquàm in illis, qui in nonâ Parte exprimentur: *b* & non congregabit frequenter Societatem, ut dictum eſt, niſi rerum agendarum neceſſitas urgeret. Sed cùm generalis Congregatio ad electionem Præpoſiti convocata, eum jam elegerit; deinde de rebus aliis gravioribus, quàm ut à Generali, & iis qui cum ipſo agunt, decidi debeant, tractari poterit.

a Sup.c.2.C.&p. 9.c.3.§.12.
b Sup.c.2.§.1.& C.&p.9.c.1 C.

De loco, tempore, & modo congregandi.

CAPVT V.

1 LOCVS, quò conveniet Societas ad Generalis electionem, videtur ordinariè Curia Summi Pontificis eſſe debere, *a* ubi plurimùm erit ipſius Generalis reſidentia: niſi Societas, ex compoſito, conveniendum eſſe in alium locum, qui commodior omnibus futurus eſſet, ſtatueret: ut ſi quis in confinio diverſarum provinciarum, in quibus manet Societas, eſſet conſtitutus; vel alius, qui magis accommodus videretur. *b* Si Præpoſitus Generalis eſt, qui Societatem ad alia negotia congregat; ejus erit eligere ac deſignare locum, quem in Domino aptiorem judicaverit.

a Sup.c.1.§.7.
b P.9.c.3.§.12.

2 Spatium temporis, quod cogendæ Societati tribuetur, ubi de electione Generalis agendum eſt, quinque aut ſex menſium erit, à tempore, quo litteræ, quæ de hac re commonefacient, ſcriptæ fuerint. Prorogari tamen id tempus poterit, cùm neceſſitas poſtulaverit. *c* Cùm verò alias ob cauſas fuerit congreganda, Generalis Præpoſitus pro ſuo arbitratu tempus deſignabit.

c P.9.c.3. §.12.

3 Modus in congregandâ Societate ſervandus hic erit; ut ille, cujus eſt hoc munus, confeſtim variis viis Provinciales, & ſi qui ex Profeſſis ſigillatim convocandi eſſent, adſcriptâ (quantum ſat eſſe ipſi videbitur) causâ, locô, & tempore Conventus habendi, certiores faciat: admonens quoque, *d* ut ubique Miſſæ celebrentur, & orationes fiant pro felici Præpoſiti electione. Unusquisque autem Provincialium (ſi ipſi ſoli eligendi poteſtatem non habuerint) *e* Profeſſos qui in ipſius Provinciâ verſantur, Rectores quoque, & Locales Præpoſitos, qui venire poſſint, convocabit. Ubi verò ad Congregationem Provincialem convenerint qui commodè potuerint, eligent pluribus ſuffragiis (Provincialis ſententiâ pro duobus ſuffragiis numeratâ) eos, qui ad generalem Congregationem venient: qui eſſe ii debebunt, quos magis expediat Congregationi intereſſe; & *f* quorum abſentia minus detrimenti Provinciæ ſit allatura. Ipſi verò, quàm primùm poterunt, ad conſtitutum locum, relictis in ſuis Provinciis Vicariis, & rebus omnibus benè compoſitis, proficiſcentur.

d Inf.§. 4. & c.7. §.1.
e Sup.c.3.§.1.
f Sup.c.3.§.1.

a Curabunt prætereà Superiores, ut omnes, qui ſub Obedientiâ Societatis vivunt, quotidie in orationibus, & in Miſſarum Sacrificiis plurimùm Domino commendent eos, qui ad generalem Congregationem ſe conferunt; & ſimul, ut quidquid in eâ tranſigetur, ad majus obſequium & laudem & gloriam Divini nominis cedat. 4 *a* Sup. §. 5.

De modo deliberationis, cùm de electione Generalis agitur.

CAPUT VI.

SI Conventus indictus eſt ad novi Præpoſiti, qui in demortui locum ſuccedat, electionem; ſimul atque convenerint, Vicarius Generalis, quatuor dies ante Præpoſiti futuri electionem, de eadem omnes alloquatur: horteturque ad eam, prout ad majus Dei obſequium, & bonam Societatis gubernationem convenit, faciendam. Et præter hunc diem, tres ſequentes habebunt, ut ſe Deo commendent, meliusque conſiderent, quisnam ex universâ Societate ad hujusmodi curam maximè idoneus ſit futurus; informationem capientes ab eis, qui eam benè dare poterunt: donec tamen ingrediantur locum electionis, & in eum includantur, non definiant apud ſe, quem ſint electuri. 1

Hoc medio tempore, unusquisque, ſub pœnâ Excommunicationis latæ ſententiæ, teneatur Vicario manifeſtare, vel alicui ex antiquioribus Profeſſis (qui cum Vicario conferet) ſi ſciret aliquem hoc munus affectaſſe, vel etiam tunc affectare, directè aut indirectè id procurando, vel ſigno aliquo id declarando. (A) Qui autem de ambitione hujusmodi convictus eſſet, activo & paſſivo ſuffragio privetur, ut inhabilis ad eligendum alium, & *b* ut ipſe eligatur: nec in eam Congregationem, nec in aliam umquam admitti poſſit. 2 *b* P. 10. §. 6.

IN CAP. VI.

(A) §. *VT ſuffragio privari quis poſſit ut inhabilis, quòd de ambitione hujusmodi notatus eſſet; oporteret clarè teſtimoniis convictum eſſe, vel alioqui, quantum ſatis eſt, de veritate eorum, quæ objecta ſunt, conſtare;*

quacumque ratione id conſtare poſſet. Sed cùm probationes ſuſpicionem tantùm valdè probabilem, ſed non fidem certam facerent; is non erit ad electionem idoneus; & quæſitâ aliqua occaſione, removendus quidem ab eâ Congregatione; ſed ſuffragii jure tamquàm inhabilis privandus non erit. Nec ſuſpicio evulganda erit; & multò minùs, ſi ſuſpicio probabilis non eſſe deprehenderetur: tunc enim nulla ratione id nocere debebit ei, qui non juſtè notatus fuerit; nec deſinet Congregationi intereſſe, & ſuffragii jus, ſicut alii, habere. Ad quem pertinet hoc judicare, Vicarius eſt, tribus aliis ex antiquioribus Profeſſis vocatis: & condemnatio ut minimùm tribus ſuffragiis fieri debet. Qui autem aliter, atque in animo ſentiret, ſententiam diceret, ipſo facto Excommunicationem incurret.

Si ipſemet Vicarius, vel aliquis ex antiquioribus notaretur; ſemper quatuor ex iis, qui priùs Profeſſionem emiſerunt, judicabunt; excluſo eo, qui notatus eſt: & eorum quisque, ad cujus aures hujusmodi infamia perveniret, reliquos vocet; ut de eâ cognoſcatur.

3 Ipſo die electionis, qui hos tres dies conſequentur, celebret aliquis Miſſam de Spiritu ſancto, quam omnes audiant, ac in eadem Sanctiſſimum Chriſti Corpus ſumant.

4 Poſtmodùm ad campanæ pulſum, (B) qui ſuffragium habent, ad locum Congregationis vocentur: & unus eorum concionem habeat; quâ in genere (nullo dato ſigno, quo particularis aliqua perſona ſignificetur) ad electionem ejus Præpoſiti, qui ad majus Dei obſequium conveniat, exhortetur. Et poſtquàm hymnum illum ſimul dixerint, Veni creator Spiritus, &c. in prædictum locum Congregationis, ab aliquo ex Præpoſitis, vel Rectoribus, vel aliquo quopiam de Societate, cui id officii in Domo Congregationis commiſſum fuerit, includantur: ita ut nec inde egredi, nec eis aliquid ad victum, præter panem & aquam, dari poſſit; donec Præpoſitum Generalem elegerint.

a Sup.c.3. A. & p.5.c.1.A.
b Sup c.3. A.
c Sup.c.3.A.

(B) §. a *Qui ſuffragium habent, Profeſſi quatuor Votorum dumtaxat erunt, ut* b *dictum eſt, ſi quidem de electione Generalis agitur: quamvis curetur, ut & alii conveniant, ad majorem rerum cognitionem habendam, ſi opus fuerit; & ad agendum, poſt electionem Generalis, aliis de rebus, in quibus* c *Rectores, & Præpoſiti Locales (ſi Profeſſionem trium Votorum emiſerunt, vel Coadjutores formati ſunt) qui vocandi erunt, ſuffragium (ut ſuperiùs diximus) habebunt.*

Quòd

Quòd ſi omnes communi inſpiratione, non expectato ordine ſuffragi- 5
orum, quempiam eligerent; ille ſit Præpoſitus Generalis. Omnem enim ordinem, & eligendi formulam, Spiritus Sanctus, qui ad hujuſmodi electionem eos movit, facilè ſupplet.

Quando eo modo non peragetur electio; formula quæ ſequitur, erit 6
obſervanda. In primis, quiſque ſeorſim orabit Deum; (C) & cum nullo alio loquendo, in Creatoris ſui ac Domini conſpectu, ex iis quæ priùs intellexit, apud ſe ſtatuet, quem ſit electurus: & in chartâ ſcribet nomen perſonæ, quam eligit in Præpoſitum Generalem, & ſuum ſubſcribet; & ad hoc, ſpatium unius horæ ad ſummum præfigatur. Deinde ad ſedes ſuas omnes conveniant, & Vicarius (D) cum Secretario ad hoc ipſum inter Profeſſos electo, & alio tertio qui eis aſſiſtat, exurgens à ſede, proteſtetur nolle ſe admittere quemquam, nec excludere, quem non debeat. (E) Det autem omnibus abſolutionem generalem ab omnibus cenſuris, ad hunc canonicæ electionis effectum. Poſtmodùm invocatâ Spiritus ſancti gratiâ, accedat cum ſuis ſociis ad menſam in medio poſitam: & ipſimet tres prædicti, mutuò ſuffragia ſua alius ab alio petant: & (F) juret unuſquiſque, priùs quàm det, quòd eum nominat, quem ſentit in Domino ad hoc munus magis idoneum: & ſuffragia in manibus Secretarii ſimul ſerventur: deinde à quolibet eorum qui in Congregatione ſunt, ſeorſum, ſed tamen coram aliis, proprium ſuffragium ſcripto contentum poſtulent: quod, prævio eodem juramento, eiſdem dabit unuſquiſque. Deinde in medio omnium Secretarius ſuffragia, electum ſolummodò nominando, promulgabit: ac demum uno ſuffragiorum numero cum alio collato, qui pluſquàm mediam partem ſuffragiorum habuerit, ſit Præpoſitus Generalis: & ita qui priùs eum nominavit, vel Vicarius percunctetur alios, an ſuum conſenſum ei præſtent, quem major pars elegit: & utcumque reſpondeant, formabit Decretum electionis, dicendo: In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti; EGO N. nomine meo, & omnium idem ſentientium, eligo N. in Præpoſitum Generalem Societatis JESV. Quo peracto, (G) ſtatim omnes ad reverentiam ei exhibendam accedant; & flexo utroque genu, manum ejus oſculentur. Qui verò electus fuerit, nec electionem, nec exhibitam reverentiam (memor cujus nomine eam admittere debet) recuſare poterit. Deinde ſimul omnes dicant, Te Deum laudamus.

(C) §.

(C) §. Servabunt omnes ſilentium in loco incluſionis; ita ut unus cum alio non colloquatur in iis, quæ ad electionem pertinent (niſi quid eſſet, quod neceſſarium videretur; & id quidem coram omnibus dicendum eſſet) donec Generalis ſit electus.

(D) §. Antequàm ingrediantur in locum electioni deſtinatum, in ſpatio quatuor illorum dierum congregati omnes qui in loco Congregationis Profesſi invenientur, a *Secretarium, & Asſiſtentem eligent: ac quilibet quem nominet, ſcriptum dabit: & publicè Vicarius, cum duobus ex Profesſis antiquioribus, videbit quis plura habeat ſuffragia; & ubi paritas eſſet, tres ipſi ſuffragia ſua ferent: & qui duo habuerint ex eis, Secretarius, & Asſiſtens erunt.*

a Inf.F.& G.& p.9.c.5. §.4.

(E) §. Abſolvit ab omnibus cenſuris, quas non incurriſſent, propter defectus ad hanc electionem pertinentes.

(F) §. Formula juramenti hæc eſſe poterit: Teſtem invoco, cum omni reverentiâ, IESVM *Chriſtum, qui Sapientia eſt æterna, quòd ego N. illum eligo, & nòmino in Præpoſitum Generalem Societatis* IESV, *quem ſentio ad hoc onus ferendum aptisſimum. Itaque duo jurat; unum, quòd ſuum nomen ponit, ut perſonæ eligentis; alterum, quòd ponit nomen illius, quem magis idoneum judicat, ut perſonæ electæ: & tunc ſuffragium ſuum ſcriptum dabit. Et hanc juramenti formulam quisque ſcriptam habeat exteriùs in eadem chartâ ſui ſuffragii, & eam legat altâ voce, cùm ſuffragium dat tribus deſignatis. Locus autem, ubi quisque ſeorſum, & coram omnibus ſuum dat ſuffragium, menſa erit in medio conſtituta, ubi Vicarius eſt cum* b *ſuis Asſiſtentibus.*

b Sup.D.

c Sup. D.

(G) §. Incipiente Vicario c *cum Asſiſtentibus; vel (ſi aliquis eorum fuerit electus) duobus reliquis; & ſequentur ceteri.*

7 Si non fuerit qui ampliùs quàm mediam partem ſuffragiorum habeat; alia ratio, ſcilicet compromiſſionis, ineatur; (H) electis inter omnes tribus, aut quinque electoribus (qui nimirum ad id munus plura habuerint ſuffragia) & quò major horum trium vel quinque pars inclinaverit, ille ſit Præpoſitus Generalis, & promulgetur, eique reverentia exhibeatur, & Deo Noſtro gratiæ agantur; ut ſuperiùs *d* dictum eſt.

d Sup.§.6.

(H) §. Modus eligendi hos electores erit, ut ſcribat unusquisque quos ſentiat eligendos; & qui plura habuerint ſuffragia, ſint electores: & cùm quisque ſcripſerit hujusmodi electorum nomina, jurabunt omnes in hanc formam:

mam: Teſtem invoco IESVM *Chriſtum, qui Sapientia eſt æterna, quòd ego N. illum eligo, & nomino in Præpoſitum Generalem Societatis* IESV, *quem electores ad id conſtituti elegerint & nominaverint.*

Poſt promulgationem, nulli integrum erit, ſuffragium ſuum mutare, nec peractâ electione aliam tentare: & obſervet quæ dicta ſunt, qui ſchiſmaticus ac ruinæ Societatis auctor haberi nolit, & in pœnam Excommunicationis latæ ſententiæ incidere; (I) aliasque graves cenſuras ſubire, pro arbitrio Societatis; cui *a* unio & conformitas omnimoda ad Dei gloriam convenit. 2

a P.3.c.1.§.18.

(I) §. *Poterit Vicarius cum plurium aſſenſu, vel qui electus fuerit in Præpoſitum Generalem, decernere cenſuras, quæ convenire in Domino videbuntur.*

De modo in deliberationibus tenendo, quando in Congregatione generali non de electione Præpoſiti, ſed aliis de rebus agitur.

CAPVT VII.

CVM in Congregatione, non de electione Præpoſiti, ſed aliis de rebus gravibus, & ad ſtatum Societatis pertinentibus agitur; incluſio neceſſaria non erit: licet ſit curandum, ut quàm expeditiſſimè fieri poterit, quæ tractanda ſunt, abſolvantur. Sed quia ex primâ & ſummâ Sapientiâ deſcendat oportet lux ea, quâ dijudicari poſſit quid ſtatuere conveniat; in *b* primis Miſſarum Sacrificia offerentur; fietque oratio in loco Congregationis, & aliis partibus Societatis, per totum illud tempus quo congregantur, & quo tractantur res in eo Conventu definiendæ, ad gratiam impetrandam, ut omnia ad majorem Dei gloriam conſtituantur. 1

b Sup.c.5. §.3. & 4.

Deinde ſemel, aut ſæpius omnibus congregatis, (A) Præpoſitus Generalis, deinde Provinciales, Rectores, aliique ad Congregationem vocati, quæ eis tractanda videbuntur, rationesque eorum quæ ſentiunt (poſtquàm diligenter omnia conſideraverint, ac Deo & Domino Noſtro commendaverint) coram omnibus breviter proponent. Et poſtquàm propo- 2

ſuerint, ſummam (B) ſcriptam in medio relinquent; ut ſi qui velint, eam legant; & quod eâ de re ſentiunt, in ſequenti Congregatione dicant.

IN CAP. VII.

(A) §. QVi veniunt Provincialium loco, eis abſentibus eodem ordine loquentur. Hoc tamen obſervabitur, ut antiquisſimus ex Profesſis cujusvis Provinciæ, qui Provincialis ſit, vel loco Provincialis veniat, dicat primus; & eum ſequentur reliqui omnes ejusdem Provinciæ, juxta antiquitatem Profesſionis, vel Votorum, quæ Coadjutores Spirituales emittunt. Poſteà inter reliquos Provinciales, qui fuerit antiquior, & cum eo reliqui ex eadem Provincia. Poſt hujusmodi ſequentur, ſi alii fuerint, qui ſub nullo Provinciali ſint, vel extra ordinem ſint vocati; qui etiam ordine antiquitatis dicent.

(B) §. Suum ſcriptum ſuper menſa, quæ in medio erit, ponendo. Curabit autem Secretarius, ut, ſi opus fuerit, plura exempla exſcribantur, vel quisque ſecum ferat; quibus rationes, quæ ipſos movent, contineantur; ut videri posſint ab iis, qui ſententiam de rebus eisdem dicturi ſunt.

3 Rebus agitatis hinc inde in unâ vel pluribus Congregationibus, ſi nihil manifeſtè in alteram partem conſtitui videretur; communi omnium, vel fere omnium aſſenſu, quatuor qui definiant, ex iis qui interſunt Conventui, & in eo jus habent ſuffragii, plurium ſententiis (quibus alii ſe ſtare velle compromittant) eligantur: qui quoties opus fuerit, cum Præpoſito Generali congregati, omnia ea, de quibus agitur, decident. Quòd ſi omnes ejusdem ſententiæ non fuerint; quò verget major pars, id præferendum, & à totâ Congregatione, ut de manu Domini, admittendum erit.

4 Si Præpoſitus Generalis eâ corporis valetudine non eſſet, ut poſſet rebus omnibus tractandis intereſſe; poſſet alium ſuo loco ſubſtituere; & ſic ſigillatim, omnibus rebus conſtitutis, prout majori parti viſum fuerit, quod decretum eſt, ſcribetur: & in plenâ Congregatione legetur: &, ſi etiam tunc alicui viſum fuerit, quid eâ in re ſentiat, dicere ei licebit: ſed omnia tandem arbitrio Præpoſiti cum Definitoribus relinquentur.

Con-

Conſideratis denuò illis, quæ diſcuſſa ſunt, & modo jam dicto rur- 5
ſum conſtitutis, Secretarius in libro ad id deſtinato (C) ea poſtmodum promulganda ſcribet.

(C) §. Promulgatio fiet coram totâ Domo, ac poſteà, per Domos, & Collegia reliqua; quod de ordinationibus & ſtatutis dictum intelligatur, quæ, ut ubique obſerventur, conſtituta ſunt. Quod enim ad Collegium, vel Domum, vel perſonam unam tantùm pertineret, non eſt quòd aliis in locis promulgetur, quamvis res ſecretæ non eſſent: ſed ſi eſſent ſecretæ, multò magis evulgatio, ſub gravibus cenſuris arbitrio Præpoſiti Generalis, eſt prohibenda.

Ordinationes in Congregatione conſtitutæ, in ſuo vigore permaneant (ſi in aliâ Congregatione generali non revocarentur) quamvis Præpoſitus Generalis, ſub quo factæ ſunt, è vivis excesſiſſet.

NONA PARS

De iis quæ ad caput Societatis, & gubernationem ab eo deſcendentem pertinent.

Quòd Præpoſitum Generalem, & quidem perpetuum, dum vixerit, eſſe oporteat.

CAPVT I.

VT in omnibus Rebuspublicis vel Congregationibus benè conſtitutis, præter eos qui ad fines particulares in eis tendunt, neceſſe eſt eſſe aliquem, vel etiam plures, qui boni univerſalis curam habeant; &, ut ad proprium finem, ad id tendant; ſic etiam in hac Societate, præter eos, qui particularibus Domibus, Collegiis, & Provinciis etiam, in quibus hujusmodi ſunt Domus vel Collegia, præſunt, neceſſe eſt *a* eſſe aliquem, qui univerſæ Societatis curam habeat: qui hunc ſibi finem *a* Inf. c. 6. §. 1.
conſtituat, ut bene gubernetur, conſervetur, & augeatur totum Societatis corpus: & hic eſt Præpoſitus Generalis; qui cùm duobus modis eligi poſſet; ſcilicet, ut ad tempus aliquod definitum, vel ut quamdiu vivet, So-

cietati præſit: (A) propterea quòd experientia, & in gubernando exercitatio, & hominum particularium notitia, (B) & erga eosdem auctoritas confert magnoperè, ut benè hoc munus obeat; ad vitam, & non ad tempus aliquod præſcriptum, erit eligendus. a Accedit autem ad cetera hoc commodi ex eo, ut Societas in rebus magni momenti, ad Dei gloriam, ſatis ferè ſemper occupata, (C) univerſalibus his Conventibus, minus laboris & diſtractionis patiatur.

a P.8 c.2.§.1.& c.4.§.2.

DECLARATIONES
in nonam Partem.

IN CAP. I.

b Par.10.§.6.

(A) §. PRæter rationes, quæ in hac Conſtitutione attinguntur, ut Generalis ad vitam conſtituatur; ſunt & aliæ. b *Vna eſt, quòd longiùs recedet omnis cogitatio & occaſio ambitionis, quæ hujusmodi officiorum peſtis eſt, quàm ſi certis temporibus eſſet eligendus.*

Altera, quòd facilius eſt unum idoneum, quàm plures, ad hoc munus inveniri.

Tertia eſt, exemplum quod ſumitur ex communi ratione gubernationum magni momenti, quæ ad vitam eſſe ſolent, tam in Eccleſiaſticis, Summi Pontificis, & Epiſcoporum; quàm in ſæcularibus, Principum ac Dominorum. De remedio autem, quo evitentur aliqua incommoda, quæ ſequi poſſent ex hujusmodi officio, ſi ad vitam teneatur, inferiùs capite quarto agetur.

(B) §. Major erit Præpoſiti auctoritas, ſi mutari non poterit, quàm ſi ad unum vel plures annos eligeretur, cum externis, quia magis omnibus notus erit, & cum iis, qui de Societate ſunt, propter rationem eamdem. Et contrà, ſcire, quòd eo officio aliquando ſit perfuncturus, & æqualis, vel inferior aliis futurus; eſſe etiam in eo parùm exercitatum, auctoritatem poteſt imminuere.

(C) §. Conſtat, rariùs congregandam univerſam Societatem, ſi Præpoſitus ad vitam eligetur: quandoquidem quæ fiunt Congregationes, majori ex parte, ad ejus electionem, & rarò in aliis occaſionibus fiunt.

Qua-

Qualis eſſe debeat Præpoſitus Generalis.

CAPVT II.

(A) INter dotes varias, quibus ornari Præpoſitum Generalem optandum 1
eſt, omnium prima hæc erit: *a* ut cum Deo ac Domino Noſtro *a Inf. c 6. A, & p. 10. §. 2.*
quàm maximè conjunctus, & familiaris, tam in oratione, quàm in omnibus ſuis actionibus ſit: ut eò uberiùs ab ipſo, ut boni totius fonte, univerſo corpori Societatis abundantem donorum ac gratiarum ejus participationem, ac multum valoris & efficaciæ omnibus illis rationibus, quibus ad animarum auxilium utetur, impetret.

IN CAP. II.

(A) §. AD has ſex partes, ut primarias, reliqua reducuntur: quandoquidem in eis Præpoſiti perfectio conſiſtit erga Deum; quodque ejus affectum, intellectum, & executionem perficit; quodque ex bonis corporis, & externis juvare poterit. Et juxta ordinem poſitum, momentum earum æſtimandum eſt.

Secunda, *b* ut vir ſit, cujus in omni virtutum genere exemplum, 2
reliquos de Societate juvet; ac præcipuè in eo ſplendor charitatis erga omnes proximos, & in primis erga Societatem; ac veræ humilitatis, quæ Deo & hominibus amabilem eum reddant, ſit conſpicuus. *b Inf. c. 6. A. & p. 8. c. 1. G.*

3 Liber etiam ab omnibus inordinatis affectionibus, per gratiam Dei edomitis & mortificatis, ſit oportet; ne interiùs judicium rationis perturbent: & ut exteriùs tam ſit compoſitus, & in loquendo præſertim tam circumſpectus, ut in eo nihil, ne verbum quidem, notari poſſit, quod non ad ædificationem, ſive eorum qui de Societate ſunt (quibus ſpeculi & exemplaris loco eſſe debet) ſive externorum faciat.

4 Nihilominùs eo modo didicerit rectitudinem ac ſeveritatem neceſſariam, cum benignitate & manſuetudine miſcere, ut nec ſe flecti ſinat ab eo, quod Deo ac Domino Noſtro gratius fore judicaverit; & tamen filiis ſuis, ut convenit, compati noverit: eo modo ſe geren-

a Inf.c.3.§.11.& p.3.c.1.§.15.& N. gerendo, *a* ut etiam qui reprehenduntur, vel corriguntur, quamvis ſecundùm inferiorem hominem quod agitur diſpliceat, agnoſcant nihilominùs quòd rectè in Domino, & cum charitate ille ſuum officium faciat.

5 Animi etiam magnitudo ac fortitudo eſt ei perneceſſaria, ad infirmitatem multorum ferendam, & res magnas in divino ſervitio aggrediendas; in eisque conſtanter, quando id convenit, perſeverandum; non propter contradictiones (licet à magnis & potentibus excitatas) animum deſpondendo; nec ab eo, quod ratio & divinum obſequium poſtulat, ullis eorum precibus, aut minis ſeparari ſe ſinendo: ut omnibus demum caſibus, qui incidere poſſunt, ſit ſuperior: nec proſperis efferri, nec adverſis dejici animo ſeſe permittat: paratiſſimus, cùm opus eſſet, ad mortem pro Societatis bono, in obſequium IESV Chriſti Dei ac Domini Noſtri, ſubeundam.

6 Tertia eſt, ut præclaro intellectus, ac judicii dono polleat; ut nec in rebus ad ſpeculationem, nec ad praxim pertinentibus, quæ occurrerint, hoc talento ſit deſtitutus. Et quamvis doctrina valdè ei neceſſaria ſit, qui tam multis viris eruditis eſt præfuturus; *b* magis tamen eſt neceſſaria prudentia, & in rebus ſpiritualibus & internis exercitatio, ad varios ſpiritus diſcernendos; ad conſilium ac remedium tam multis, qui neceſſitatibus ſpiritualibus laborabunt, adhibendum.

b Par. 10. §.2.

c P.7.c.2.F.
d P.4.c.8.§.8.

c Diſcretionis etiam donum in rebus externis, ac modo res tam varias tractandi, *d* & cum tam diverſis hominum generibus in ipsâ Societate & extra illam agendi, ſummoperè erit ei neceſſarium.

7 Quarta, & in primis neceſſaria ad res conficiendas, eſt vigilantia, & ſollicitudo ad eas incipiendas; & ſtrenuitas ad eaſdem ad finem & perfectionem ſuam perducendas, ut nec incuriâ, nec remiſſione animi, inchoatæ & imperfectæ relinquantur.

8 Quinta ad corpus pertinet; in quo, quod ad ſanitatem, ſpeciem externam, (B) & ætatem attinet, habenda eſt ratio hinc quidem decentiæ & auctoritatis, inde verò virium corporis, quas ejus munus exigit; ut in eo fungi officio ſuo, ad Dei ac Domini Noſtri gloriam, poſſit.

(B) §. Et ſic videatur ætas valdè ſenilis non convenire, quæ ad labores & curas hujus officii idonea eſſe non ſolet: nec valdè juvenilis, quam nec auctoritas, nec experientia quæ convenit, comitari ſolet.

a Sex-

9 *a* Sexta (C) circa res externas eſt; inter quas, quæ magis ad ædificationem, & Dei obſequium in eo officio conferunt, præferri debent. *b* Hujusmodi eſſe ſolent, exiſtimatio ac bona fama: & demum, quæ ex ceteris ad auctoritatem cum externis, & cum iis qui de Societate ſunt, adjuvant.

a P.1.c.2.§.13. *b* P.8.c.1.G.

(C) §. *Externa cenſentur, nobilitas, divitiæ, quas in ſæculo habuit, honor, & ſimilia. Et horum, ceteris paribus, aliqua ratio eſt habenda: alia tamen majoris momenti ſunt, quæ, quamvis hæc deſint, ad electionem poſſint ſufficere.*

10 Denique ex eorum numero eſſe debet Præpoſitus Generalis, qui in omni virtutum ornatu clariſſimi, & de Societate optimè meriti, & diu in eadem tales eſſe perſpecti ſunt. Et ſi aliquæ ex dotibus ſuperiùs dictis deeſſent, certè non deſit eximia probitas, & amor erga Societatem, ac judicium bonum, quod etiam idonea doctrina comitetur. In reliquis enim, per eos *c* qui ad ejus auxilium deſtinandi ſunt (de quibus inferiùs dicetur) cum auxilio & favore divino, multa ſuppleri poterunt.

c Inf.c.6.§.7.&c. & p.8.c.2.§.1.

De auctoritate Præpoſiti Generalis erga Societatem, ac de officio ejus.

CAPUT III.

1 VT *d* benè gubernetur Societas, expedire valdè videtur, ut Præpoſitus Generalis omnem habeat auctoritatem in Societatem, ad ædificationem. Quæ poteſtas (unde Præpoſiti officium cognoſcitur) hæc erit. *e* Primùm Præpoſitus Generalis per ſe, & per alios admittere in Domibus, vel Collegiis, vel ubicumque libeat, poterit eos qui ad Inſtitutum Societatis ei idonei videbuntur; ſive ad Probationem, (A) ſive *f* ad Profeſſionem, ſive in Coadjutores formatos, vel Scholaſticos approbatos admittendos cenſeat. *g* Poterit etiam eosdem dimittere, & à Societate removere.

d P.4.c.10.§.2. & p.8 c.1.§.6.& p. 10.§.8. *e* P.1.c.1.§.1. *f* P.5.c.1.§.2.& B. & c.2.§.4.& 5. *g* P.2.c.1.§.1.

IN

IN CAP. III.

(*A*) §. *CVm unum vel plures ad Profeſſionem per alium admiſerit, priùs nominatim de eis certiorem fieri, & de eorum dotibus ipſi ſatisfactum eſſe oportebit:* a *vel hoc munus admittendi pro ſuo arbitratu (juxta id, quod in quintâ Parte dicitur) alicui, cui perinde ac ſibi ipſi confidat, peculiariter committat.*

a P.5.c.1.§.2.& B & c.2.A.

(*B*) §. *Iuxta id, quod in ſecundâ Parte de dimittendi ratione dictum eſt.*

2 Ejuſdem erit, quos mittendos judicaverit, & quocumque volet, ad ſtudia litterarum mittere. *b* Poterit & eoſdem revocare ante vel poſt abſoluta ſtudia, ac transferre ab uno in alium locum; prout ad ipſorum particulare, & ad univerſale bonum Societatis magis convenire in Domino exiſtimabit.

b P.4.c.9.§.2.

3 *c* Totam habebit ſuperintendentiam, & gubernationem Collegiorum, quod ad Scholaſticos, & Præceptores, & Officiales attinet: inter quos primas tenent Rectores; *d* quos conſtituere, ac removere poterit, eamque facultatem eiſdem communicare, quam ſenſerit in Domino convenire: *e* & per hujuſmodi Rectores, adminiſtrationem Collegiorum exercebit in iis quæ ad ædificia, & temporalia ipſorum bona in Scholaſticorum uſum comparata pertinent; ut in litteris Apoſtolicis continetur.

c P.4.c.2.§.5.& c.10 §.1.
d Inf §.14.& 15. & p.4.c.2.§ 5.& c.10.§.3.
e P.4.c.2.§.5. & C.

4 *f* Curabit etiam, (C) ut illi rationem officii ſui eo modo, qui convenire maximè videbitur, reddant. Et quod de Collegiis dicitur, de Univerſitatibus Societatis ejus curæ commiſſis dictum intelligatur. Res enim earum, quæ ad vitæ ac doctrinæ inſtitutionem pertinent, adminiſtrare, Præpoſiti Generalis munus erit; quod per miniſtros, à ſe juxta Conſtitutiones conſtitutos, exercebit, &c.

f Inf.§.15.& p.4.c.2.§.5.& c.10, §.3.

(*C*) §. *Sive reddenda ſit ratio eidem, ſive Præpoſito Provinciali, ſive alii cuipiam, qui ad eam exigendam poteſtatem commiſſariam habeat.*

Eſt item penes Præpoſitum Generalem omnis facultas agendi quoſvis contractus emptionum aut venditionum quorumlibet bonorum temporalium mobilium tam Domorum quàm Collegiorum Societatis: & imponendi, ac redimendi quoslibet cenſus ſuper bonis ſtabilibus ipſorum Collegio-

legiorum, in eorumdem utilitatem ac bonum, cum facultate ſeſe onere liberandi, reſtitutâ pecuniâ quæ data fuerit. Alienare *a* autem, aut omnino diſſolvere Collegia vel Domos jam erectas Societatis, ſine generali ejus Congregatione, Præpoſitus Generalis non poterit.

[a] Inf.§.17. & 18. & p.4.c.2.§.3. & c.10.§.2.& c 11. §.2.& p.8.c.2.§.2.

6 De iis verò quæ Societati ita relinquuntur, ut ipſa pro ſuo arbitratu ea diſponat (ſive bona ſtabilia illa ſint, ut domus aliqua, vel prædium non alicui certo Collegio ab eo qui relinquit determinatè applicatum vel annexum; ſive mobilia, cujuſmodi ſunt pecunia, triticum, & quævis alia mobilia) idem Generalis diſponere poterit, aut vendendo, aut retinendo, aut huic vel illi loco id quod ei videbitur, applicando; prout ad majorem Dei gloriam ſenſerit expedire.

7 Et Præpoſiti Provinciales, aut Locales, & Rectores, & alii ejus Commiſſarii eam partem hujus facultatis habebunt, quam ipſis Generalis communicaverit. Neque verò Collegiales ad hujuſmodi actus collegialiter erunt congregandi.

8 Sicut ad Generalem pertinet curare, ut *b* Societatis Conſtitutiones ubique obſerventur, (D) ita ad eumdem pertinebit, in iis, quæ accidunt, ubi diſpenſatione opus eſt, habita ratione perſonarum, locorum, temporum, & aliarum circumſtantiarum, diſpenſare: quod munus eâ cum prudentiâ, quam lux æterna communicaverit, *c* finem earumdem Conſtitutionum intuendo, qui alius non eſt quàm majus Dei obſequium, & eorum bonum, qui hoc vivendi Inſtitutum ſequuntur, præſtabit. Idque (E) tam de experimentis eorum, qui in Probationibus verſantur, quàm de aliis rebus, in quibus eam fuiſſe mentem eorum, qui Conſtitutiones condiderunt, ad gloriam Dei ac Domini Noſtri judicabitur, dictum ſit.

[b] Inf.c.6.A. & p. 4.c.10.§.5.& p. 6 c.1.§.1. & c.5. & p.10.§.13.

[c] Procem.declar.

(D) §. Per ſeipſum exercere debet Generalis hanc poteſtatem: d & per alios in caſibus urgentioribus id etiam præſtare poterit, ubi ſine incommodo inſigni expectari nequit; vel ubi peculiariter alicui, cui, tamquàm ſibi ipſi fideret, præſertim in locis remotiſſimis, qualis India, committeret. Et intelligendum eſt, diſpenſare poſſe, ubi eam eſſe mentem Conſtitutionum, ut dictum eſt, conſideratis circumſtantiis particularibus, & non aliter, in Domino judicaret.

[d] Par.4.c.10.B.

(E) §. e *Penes Generalem erit, ut omnia experimenta, & plura etiam quàm illa ſex, de quibus in Examine dicitur, fiant; vel unum aut plura eorum omittantur, vel cum aliis permutentur, conſtituere; quando alicui non*

[e] Exa.c.4.§.9. & 16.

conveniret, quod generatim convenit; cujusmodi eſſet hoſpitale, vel peregrinatio, vel lectio, vel aliqua ex aliis Probationibus.

9 *a* Idem Generalis in Miſſionibus omnem habebit poteſtatem; eis tamen nullâ ratione repugnando, quæ à Sede Apoſtolicâ (ut in *b* ſeptimâ Parte dicitur) proficiſcuntur. Mittere ergo poterit omnes ſibi ſubditos, ſive Profeſſionem emiſerint, ſive non emiſerint (quos mittendos judicaverit) (F) ad quaslibet mundi partes, ad quodvis tempus, vel definitum, vel indefinitum, prout ei videbitur; ad quamvis actionem ex iis, quibus uti ad proximorum auxilium Societas ſolet, exercendam. (G) Poterit etiam miſſos revocare: & in omnibus denique, ut ad majorem Dei gloriam fore ſenſerit, procedere. (H) Idem, cùm talenta hominibus Societatis noſtræ donata cognoſcat, officia Prædicatorum, Lectorum, & Confeſſariorum diſtribuet. De aliis officiis tantumdem intelligatur: & quemlibet eo in munere, quod convenientius ad divinum obſequium, & ſalutem animarum obiturus in Domino videbitur, conſtituet.

a P.7.c.2.§.1. & A.B.& C.
b P.7.c.1.

c P.7.c.1.§.1.&B. & c.2.C.

(F) §. c *Vt inter fideles in Indiis, & inter infideles, ubi ſunt aliqui incolæ Chriſtiani, & etiamſi nulli ſint, in quibusdam caſibus, vel neceſſitatibus urgentioribus: id tamen magnâ conſideratione præcedente fieri debet.*

d P.7.c.1.§.6.& c.2.H.

(G) §. d *Non ſolùm miſſos per præcedentem Præpoſitum, vel per ſeipſum, ſed etiam per Summum Pontificem, nullo tempore definito, poteſt revocare; ut in litteris Apoſtolicis gratiarum, anno quadrageſimo nono, per Paulum Tertium, noſtrum ſanctum Patrem nobis conceſſarum continetur.*

(H) §. *Hoc, ſicut alia multa dicta, & dicenda, poterit exequi Generalis per ſuos miniſtros; ſive Præpoſiti Locales illi fuerint, ſive non.*

10 *e* Ejus erit, uti facultatibus à Sede Apoſtolicâ Societati conceſſis; & eam partem illarum unicuique inferiorum communicare, quam in ipſo benè collocatam, ad finem divini obſequii nobis præfixum, exiſtimaverit. Ejusdem erit revocare eas, vel contrahere; ad eamdem regulam divini beneplaciti omnia exigendo.

e P.5.c.1. A. & p. 8.c.1.§ 6.

11 *f* Ejusdem Generalis erit, correctionibus uti, ac pœnitentias, quæ ad ſatisfactionem quorumcumque defectuum convenire videbuntur, habitâ ratione perſonarum, & aliarum circumſtantiarum, injungere: quarum conſide-

f Sup.c.2.§. 4.& inf.c.6.§.4. & p. 3.c.1.§ 15.& N.

ſideratio ejus charitati cum prudentiâ conjunctæ, quâ ad Dei gloriam utetur, committitur.

a Ejusdem erit, convocare Societatem ad generalem Congregationem (quando aliis de rebus, quàm de electione Præpoſiti eſt agendum) & ſtatuere, ut Provincialis etiam Congregatio convocetur, cùm expedire judicaverit; & dirigere eos qui convenerint; ac ſuo tempore, iis abſolutis quæ tractanda erant, dimittere. 12

a P.8.c.2.C. & c. 4.§.2.& c.5.§.1. & 2.

b Sine ejus facultate & approbatione, nullus poſſit dignitatem ullam extra Societatem admittere: nec ille facultatem hujuſmodi dabit, nec id approbabit, ſi Sedis Apoſtolicæ Obedientia ipſum non compelleret. 13

b P.10.§.6.&A.

c Conſtituat idem, ut dictum eſt, per ſeipſum Rectores Collegiorum, & Univerſitatum, ac Præpoſitos Locales Domorum, quos aptiores fore judicaverit: (I) *d* Provinciales itidem Præpoſitos ad triennium ut plurimùm (quamvis & contrahi, & prorogari etiam id ſpatium temporis poſſit, quando ad majorem Dei ac Domini Noſtri gloriam id fore videbitur.) *e* Quibus etiam eam poteſtatem communicabit, quam duxerit communicandam. 14

c Sup.§.3.& p.4. c.2.§.5.& c. 10. §.3.& c.17.§.1.
d Inf.c.5 §.1.
e Sup.§.3.

(I) §. Cum iis qui benè ſuum officium faciunt, & ei poſſunt ſatisfacere, in triennii definito ſpatio nihil deperit: quandoquidem hoc tempus & contrahi, & prorogari poterit: cum iis qui ſe parum idoneos oſtenderent, id commodi accedit, ut ſine notâ, curſu triennii peracto, removeri poſſint: niſi ante id tempus, ratione univerſalis boni, Generali removendi viderentur.

Poterit etiam eam revocare, reſtringere, & etiam augere, *f* & adminiſtrationis rationem ab eis exigere. *g* Quòd ſi Provinciali facultatem conſtituendi Præpoſitos Locales, & Rectores communicaverit; ejusdem Generalis erit, eosdem confirmare, vel removere. 15

f Sup. §.4.
g Sup.§.3. & p.4. c.2 §.5.& c.10. §.3.& c.17. §.1.

(K) Idem Officiales reliquos ad gubernationem Societatis neceſſarios, *h* ut Procuratorem generalem, *i* & Secretarium Societatis conſtituet; eam illis facultatem, quam pro negotiorum ac perſonarum ratione convenire in Domino judicabit, communicando. 16

h Inf c.6.§.12.& & p.4 c.2.E.
i Inf.c.6. §.8.

(K) §. Quamquam poterit ad has electiones, & res alias graves & dubias, rogare ſententias aliorum, quos judicaverit in Domino benè ſenſuros; conſtituere tandem, in ejus erit poteſtate.

17 *a* Idem poterit, non expectatâ generali Congregatione, Domos, Collegia, Univerſitates Societati oblatas accipere; & in Fundatores, cum privilegiis in quartâ Parte dictis, eos quos in Domino admittendos duxerit, admittere; & Lectores, Sacerdotes, & alia quæ occurrerint, providere. *b* Erit tamen ei curandum, ut cum hujusmodi conditionibus admittat, ex quibus Societas commoditatem ad propoſitum ſibi divini obſequii finem, & non detrimentum ſentiat. *c* Sed ſi experimento compertum eſſet, gravari magis quàm juvari Societatem, nec Præpoſitus Generalis de remedio proſpiceret; in primâ generali Societatis Congregatione, utrùm hujusmodi Domum, Collegium, vel Vniverſitatem relinqui, an teneri cum tali onere expediat, agi poterit.

a Par.4. Proœm. A & c.2.§.1.
b P.4.c.2.§.2.& c.11.§.2.& A.
c Sup.§.5. & p.4. c.2.§.2.& 3.& A.

18 *d* Transferre, vel diſſolvere Domos, vel Collegia jam erecta, aut in
e uſum Societatis Profeſſæ reditus eorum convertere, Præpoſitus Generalis, ut in quartâ Parte dictum eſt, non poterit.
f Cognoſcat, quoad ejus fieri poterit, conſcientias eorum qui ſub ejus Obedientiâ ſunt; ac præcipuè Præpoſitorum Provincialium, & alio-
19 rum, quibus munera majoris momenti committit.

d Sup. §.5.
e Inf.c.4.§.7. & Ex.c.1.§.4.& p. 4.c.2 §.5.& c.10. §.1.& p.6. c.2.§. 3.& p.10.§.4.

20 Generatim loquendo, in rebus omnibus quæ ad propoſitum Societati finem perfectionis & auxilii proximorum ad gloriam Dei faciunt, *g* omnibus præcipere in Obedientiæ virtute poſſit. Et quamvis aliis inferioribus Præpoſitis, vel Viſitatoribus, vel Commiſſariis ſuam facultatem communicet; poterit tamen approbare, vel reſcindere quod illi fecerint, & in omnibus quod videbitur, conſtituere: & ſemper ei obedientiam ac reverentiam (*h* ut qui Chriſti vices gerit) præſtari oportebit.

f Ex.1.c.4.§.36.
g P.6.c.5.
h P.3.c.1.§.23.& p.4.c.10.§.5.&p. 6.c.1.§.1,2.& 3.& p.7.c.2.§.1. & A. & p.8.c.1,D.

De auctoritate, vel providentiâ, quam Societas habere debet erga Præpoſitum Generalem.

CAPUT IV.

1 (A) FACULTAS, vel providentia Societatis erga Præpoſitum, (habitâ ſemper ratione boni univerſalis, ac majoris ædificationis) ſex in rebus, quæ ad Dei gloriam juvare poſſunt, conſiſtit.

IN CAP. IV.

(A) §. a E*T exercebit eam per Aſſiſtentes, de quibus mox dice- tur.* a Inf.c.5.§.2.

b Prima ad res externas pertinet, veſtitus, victus, & expenſarum 2
quarumlibet ad perſonam Præpoſiti ſpectantium: quæ omnia vel au- b Inf.c.5.§.2.
gere, vel imminuere poterit Societas; prout Præpoſitum ipſum, ac ſe decere, & Deo gratius fore judicabit. Et huic Societatis ordinationi Præpoſitum acquieſcere oportebit.

c Secunda ad corporis curam pertinet; ne in laboribus, vel rigore nimio menſuram excedat. Quâ etiam in re ad moderationem ſe reduci ſinet 3
Superior, & Societatis arbitrio acquieſcet. c Inf.c.5.§.2.

d Tertia ad animam ejus ſpectat, cùm etiam viris perfectis aliquando hujusmodi cura vel circa perſonam, vel circa officium ſit neceſſaria. 4
Habeat ergo Societas cum Præpoſito Generali (& idem cum inferioribus fieri poſſet) aliquem, qui accedens ad Deum in oratione, poſtquàm divinam bonitatem conſuluerit, & æquum eſſe id judicaverit, cum modeſtiâ debitâ ac humilitate, quid ſentiat in ipſo Præpoſito requiri ad majus obſequium & gloriam Dei, admonere teneatur; ſive ille ſit ejus Confeſſarius, ſive alius quiſpiam per Societatem deſignatus, qui ad hoc negotium aptus videatur. d Inf.c.5.§.2.

e Quarta eſt, quòd (B) ſi quis urgeret (licet eum non obligando 5
ſub pœnâ peccati) ut dignitatem aliquam admitteret, in quâ Præpoſiti e Inf.c.5.§.6. &
officium neceſſariò relinquendum eſſet, non poſſet ſine conſenſu Socie- E.& p.10.§.6. & A.
tatis eam admittere. Societas autem, ſemper intuendo quæ ad majus Dei obſequium & gloriam pertinent, ſi Obedientia Sedis Apoſtolicæ non compulerit, aſſenſum numquàm præſtabit.

(B) §. Vrgere intelligendum eſt, ſi Princeps aliquis ſæcularis id curaret; & ordinaret Summus Pontifex aliquam ſumere dignitatem; non tamen ita abſolutè imperando, ut oſtendat ſe velle eum ad tale officium admittendum obligare. Nam in hujusmodi caſibus, ubi ceſſat obligatio, non debet, nec poteſt ſine probatione Societatis eam admittere: nec Societas approbabit, ſi Pontifex præcepto, quod ad peccatum obliget, non compelleret.

 a Quin-

6 *a* Quinta locum habet, ſi accideret ut valdè negligens vel remiſſus
a Inf. c.5.6.& D. eſſet in rebus magni momenti, ad Præpoſiti officium pertinentibus; propter corporis gravem ægritudinem, aut ſenium, ſpe emendationis eâ in parte ſublatâ; unde multum detrimenti publicum bonum pateretur. Tunc enim Coadjutor, vel Vicarius qui Generalis officio fungatur, eſt eligendus: ſive ipſemet Præpoſitus eum cum approbatione Præpoſitorum Provincialium ſibi ſubſtituat; ſive illi cum approbatione duorum Præpoſitorum Localium, vel Rectorum uniuscujusque Provinciæ, eum per litteras pluribus ſuffragiis eligant ad Societatis gubernationem; cum eâ facultate, quæ Generali, vel ipſi Societati, ſi ea eligeret, communicanda videretur.

7 *b* Sexta locum haberet in quibusdam caſibus (quos ſperamus per
b Inf.c,5.§.4. Dei bonitatem, aſpirante ipſius gratiâ, numquàm eventuros) cujusmodi eſſent peccata mortalia in externum actum prodeuntia; ac nominatim
c Sup.c.3.§.18.& Exa.c.1.§.4.& p.4.c.2.§.5.& c.10.§.1.& p.6.c.2.§.3.& p.10.§.4. copula carnalis; (C) vulnerare quemquam; *c* ex reditibus Collegiorum aliquid ad proprios ſumptus aſſumere, (D) vel cuivis extra Societatem donare; vel aliqua ſtabilia bona Domorum, aut Collegiorum alienare; vel pravam doctrinam habere. Si quid ergo horum accideret,
d Inf.c 5.§.4. poteſt ac debet Societas (E) (*d* ſi de re ſufficientiſſimè conſtaret) eum
e P,2.c.1.§.1.&A. officio privare; *e* &, ſi opus eſt, à Societate removere: in omnibus præ oculis habendo quod ad majorem Dei gloriam & univerſale bonum Societatis fore judicabitur.

(C) §. Vt cum aliquo armorum genere, vel cultello, vel re quavis, cum quâ inſignis læſio inferri poteſt.

(D) §. Id agitur peculiariter, ut non det conſanguineis, vel eis qui conjunctionem aliquam ſæcularem cum ipſo habent: & non præcluditur oſtium, ut fiat eleemoſyna, vel detur, quod convenit, ei, cui dari debere ad Dei gloriam Generalis ſentiret.

(E) §. Quoniam qui curam aliorum, præcipuè tam univerſalem habent, injuſtè calumniam à multis pati varias ob cauſas poſſunt; diligenter animadvertere oportet, ut probationes dictorum defectuum ſint, quàm fieri poſſit, efficaciſſimæ, morali modo loquendo.

De modo quo procedere debet Societas in iis, quæ ad Præpoſitum Generalem pertinent.

CAPVT V.

IN primis Præpoſiti Provinciales, *a* quos Generalis ipſe per ſe conſtituit, in conſpectu Dei conſiderare & efficere quod univerſali bono Societatis debent in prædictis ad Præpoſitum Generalem pertinentibus, prout in Domino ſenſerint, teneantur. 1

a Sup.c.3. §.14.

b In iis quæ ad ſumptus & curam corporis ejus, & res alias minùs graves pertinent, Congregatione opus non eſt: ſed (A) ut *c* Societas viros quatuor ei Aſſiſtentes, qui diſcretione, ac zelo communis boni Societatis polleant, conſtituat: qui *d* quidem apud Præpoſitum manentes, in conſpectu Creatoris ac Domini ſui dicere, ac efficere, *e* quidquid circa tria prima in præcedenti capite dicta, ad majorem Dei gloriam fore ſenſerint, teneantur. 2

b Sup c.4.§.2.
c Sup c.4. A.& inf.c.6.§.10.&11. & p.8 c.1 G.
d Inf.c.6. §.10.
e Sup.c.4.§.2.3. & 4.

IN CAP. V.

(A) (Profeſſi ſint, ſi commodè fieri poterit. Et ſi aliquando hujuſmodi (Aſſiſtentes vel aliquis eorum) à Præpoſito recederent, miſſi ad hanc vel illam partem, ut citò redeant; neceſſe non erit alios in eorum locum ſubrogare: ſi diu eos abeſſe oporteret, alii ſubrogentur. Verùm Præpoſitus Generalis ſine gravi causâ vel neceſſitate eos procul à ſe mittere non debet.

Electio verò quatuor hujuſmodi Aſſiſtentium, eorum erit qui Præpoſitum eligent, quando ad id congregantur. Quòd ſi vel mortem obiret, vel à Præpoſito Generali diutius abeſſe, propter cauſas graves, aliquem ipſorum oporteret; non repugnantibus Provincialibus Societatis, Præpoſitus Generalis alium ſubſtituet, qui cum approbatione omnium, vel majoris partis eorum, manebit in demortui vel abſentis loco. 3

f Tertiò, ſi accideret aliquod ex peccatis (avertat id Deus) quæ ſufficiunt ad Præpoſitum officio ſuo privandum; ſimul atque res *g* per teſtimonia ſufficientia, vel ipſius affirmationem conſtaret; juramento obſtrin- 4

f Sup.c.4.§.7.
g Sup.c.4.§.7.

ſtringantur quatuor Aſſiſtentes ad id Societati denuntiandum, & cum omnium, vel certè trium ſubſcriptionibus Congregationem, (B) id eſt Præpoſitos Provinciales cum duobus aliis, quod ſinguli ex ſuâ Provinciâ ſecum adducent (qui congregari tenebuntur) convocandam. Et ſi res divulgata, & communiter manifeſta eſſet; non expectatâ quatuor Aſſiſtentium convocatione, Provinciales alii alios vocando convenire deberent. Et ipſo primo die, quo in locum hujuſmodi Congregationis ingredientur, ubi aderunt quatuor illi qui convocarunt, cum aliis congregatis, rem is aggrediatur, cui omnia notiora ſunt, & accuſatio dilucidè explicetur: & poſtquàm auditus fuerit Præpoſitus, foras egredi debebit: & antiquiſſimus ex Provincialibus *a* ſimul cum Secretario, & alio Aſſiſtente de totâ re ſcrutinium faciat, & primò quidem, an conſtet de peccato quod objicitur; deinde an hujuſmodi ſit, ut propter id privari officio debeat; & idem ſuffragia promulget, quæ, ut ſufficiant, duas tertias partes excedent; & tunc ſtatim de alio eligendo agatur: & ſi fieri poteſt, non priùs inde egrediantur, quam Societas Generalem Præpoſitum habeat: & ſi eo die res tranſigi non poterit, in ſequenti vel quàm expeditiſſimè fieri poterit, eo modo quo in octavâ Parte *b* dictum eſt, tranſigatur.

a P. 8. c. 6. D.

b P. 8. c. 6.

(B) §. Rem nihilominùs ſecretam teneant, quantum fieri poterit, cum aliis, etiam ejuſdem Societatis, donec veritas eluceat: ſi certum eſſe, quod quatuor ſibi perſuaſerant, non inveniretur, injuſtæ infamiæ nota Præpoſito non inuratur.

5 (C) Si defectus deprehenſi non fuerint ejuſmodi, ut privandus officio ſuo, ſed tantùm corrigendus videretur; quatuor eligantur, quibus cura injungatur conſiderandi, quæ correctio ei conveniat: & ſi non convenirent, paribus ſuffragiis exiſtentibus, quintus adjungatur, vel tres alii; ut quid in Domino conveniat conſtituant.

(C) §. Cùm defectus ad depoſitionem ſufficientes non deprehenderentur, aliis de rebus agatur propter quas convocata Societas videatur; & quod ad Præpoſitum attinet, diſſimuletur: imò quoad ejus fieri poterit, nullo tempore divulgari debet. Et ſic, cùm convocantur, præmoneri, & poſt rem diſcuſſam ſeriò injungi conſciis, & præſertim Provincialibus oportet, ne cui indicent. Et cùm conſtitutum fuerit illum officio privare, tunc etiam cum Præpoſito Generali ſecretò agendum eſt, ut ipſemet officio ſe abdicet; ut

hoc

hoc promulgari, & peccatum, ac officii propter peccatum privatio occultari poſſit.

(D) Si *a* accideret Præpoſitum Generalem ad Societatis gubernationem eſſe inutilem, re partim coram eo, & partim in ejus abſentiâ agitatâ, diſpiciatur an eligi Vicarium abſolutâ cum poteſtate, quamvis ſine nomine Præpoſiti Generalis (quamdiu vixerit qui tunc erat) oporteat: & id, ſi pluribus quàm dimidiæ parti ſuffragiorum viſum fuerit, ſic agendum erit. Si id neceſſarium fore non judicarent, videndum erit an præter miniſtros illos, quorum operâ Generalis utebatur, Societas alios providere debeat; ut ſublevato magis eo, & adjuto, non deſideraretur quod ad gubernationem Societatis conveniret. Et eâ in re ſequi oportebit, quod plusquàm media pars eorum qui congregati ſunt, ſtatuerit. *b* Si ageretur de dignitate, quam ut plurimùm pati non poteſt Præpoſiti officium, ſi non compulerit talis Obedientia Summi Pontificis, quæ ad peccatum obligare poſſet; res in conſultationem ne adducatur: (E) ſed id omnino tamquàm certum tenendum eſt, nec debere, nec poſſe conſenſum ad hujusmodi dignitatem admittendam præſtari. 6

[a] Sup. c. 4. §. 6.

[b] Sup c. 4. §. 5. & B. & p. 10. §. 6. & A.

(D) §. Omnino eſſet inutilis, qui uſu rationis careret; quique in morbum minimè curabilem incidiſſet, tamque gravem, ut rebus ſui officii vacare non poſſet, nec aliquando vacaturus ſperaretur. Si morbus talis non eſſet, ut de ſanitate deſperandum videretur; ſine Congregatione generali Vicarius per eumdem Præpoſitum poſſet conſtitui, ut ipſius officio, donec convaleſceret, omnino fungeretur: & recuperatâ ſanitate, conceſſa ei priùs facultas ceſſabit.

(E) §. Hinc apparet neceſſarium non eſſe ad hoc ſtatuendum ad Congregationem venire: niſi Obedientia Sedis Apoſtolicæ intercederet, quæ Præpoſitum, vel Societatem (ut dictum eſt) ad peccatum obliget, niſi res ad effectum perducatur.

De iis, quæ juvare poterunt Præpoſitum Generalem, ut ſuo officio benè fungatur.

CAPVT VI.

1 CVM proprium Generalis officium non ſit concionari, nec Confeſſiones audire, nec alia hujuſmodi (in quibus tamen ille, ut particularis perſona, videbit quid præſtare poſſit, cùm ei per alias occupationes officii ſui proprias licebit, & non aliter) (A) ſed *a* ita regere univerſum hujus Societatis corpus, ut conſervetur, & gratiâ divinâ aſpirante in bono ſuo ſtatu, & modo procedendi ad Dei & Domini Noſtri gloriam creſcat; ad quem ſibi propoſitum finem ſuâ poteſtate uti debet.

a Sup.c.1.

IN CAP. VI.

(A) §. b *Hoc præſtabit in primis auctoritate, & exemplo vitæ ſuæ, & charitate ac dilectione Societatis in Chriſto Domino Noſtro, & oratione* c *aſſiduâ ac deſideriis plenâ, & Sacrificiis, quæ gratiam conſervationis & augmenti hujuſmodi impetrent: & ex iis, quæ præſtare ipſe poteſt, hoc maximi momenti apud eum eſſe debet, & in quo plurimùm in Domino confidat. Eſt enim in primis efficax ad gratiam à divinâ Majeſtate impetrandam; à quâ, quod expetitur, procedit: idque potiſſimum faciet, cùm neceſſitas occurrerit:* d *tum etiam id faciet, ſollicitudinem adhibendo ad Conſtitutionum obſervationem;* e *injungendo crebrò ſibi rationem reddi eorum quæ in Provinciis omnibus geruntur per Provinciales: ſcribendo eiſdem quod ſentit de rebus ad ſe relatis; & curando, ut provideatur, ubi convenit, per ſe, & miniſtros; de quibus agetur.*

b Sup.c.2.§.2.& p.8.c.1.G.
c Sup.c.2.§.1.& p.10.§.2.
d Sup.c.3.§.8.& p.4.c.10.§.5.&p.6.c.1.§.1.& c.5.& p.10.§.13.
e P.8.c.1.§.9.& L.&c.2.B.

2 Præter dona illa perfectionis magnæ ſpiritualis, ac virtutum, de quibus ſecundo capite dictum eſt, bonis *f* etiam miniſtris ad munera particularia obeunda opus habet. Quamvis enim per ſeipſum aliquando in illis verſetur; habeat tamen neceſſe eſt Præpoſitos inferiores (quos viros ſelectos eſſe oportet) *g* quibus multum poteſtatis conferre, & hujuſmodi res particulares ferè ſemper committere poſſit. *h* Ejus autem crebrior communicatio inter Præpoſitos inferiores cum Provincialibus erit; horum autem

f Par.10.§.8.
g P.2.c.1.§.2.& B.&p.4.c.10.§.4.&p.o.§.8.
h P.8.c.1.§.4.

autem cum Rectoribus, & Præpoſitis Localibus, ut *a* meliùs ſubordinatio conſervetur. Aliquando tamen Generalis, vel ut pleniorem rerum omnium notitiam habeat, vel propter alia quæ ſæpius accidere ſolent, ipſemet cum Rectoribus, & Præpoſitis Localibus, & particularibus etiam perſonis aget; *b* eosdemque conſilio, reprehenſione, & ſi opus eſt, correctione juvare ſtudeat: quandoquidem ejus eſt munus, defectus Præpoſitorum inferiorum ſupplere; ac cum divino favore & auxilio, quod in ipſis perfectum non eſt, ad perfectionem perducere.

a P.2.c.1.§.2.& p.8.c.1.§.4. & E. & p.10.§.9.

b Sup.c.3.§.11.

3 Ad omnia etiam conferet, ſi Generalis litteras Apoſtolicas, & conceſſiones omnes, quæ ad inſtitutionem, facultates, vel privilegia Societatis pertinent, & quoddam eorum compendium apud ſe habuerit · catalogum itidem unum omnium Domorum & Collegiorum Societatis cum ſuis reditibus; & *c* alterum perſonarum omnium quæ in quavis Provinciâ verſantur, non ſolùm Profeſſorum, & Coadjutorum qui formati, ac Scholarium qui approbati dicuntur; ſed etiam illorum qui in Probationibus exercentur; ubi eorum nomina, & qualitates ſcribantur: & hunc catalogum renovandum ſingulis annis, ſi convenire videbitur, curabit. Et demum omnia perſpecta habeat, ut in omnibus rebus meliùs poſſit quæ ad gloriam divinam pertinent, providere.

c P.8.c.1. N.

4 *d* Quod in univerſum in ſextâ Parte capite tertio dicitur, eos qui de Societate ſunt, negotiis ſæcularibus, licet pia alioqui eſſent, implicari non debere; id Generali magis, quàm reliquis omnibus, convenit: (B) ne in eis, vel aliis etiam rebus, piis quidem, ſed ad Societatem non pertinentibus, ita occupari ſe ſinat, ut tempus ac vires ad ea quæ pertinent ad ipſius officium (*e* quod quidem magis, quàm totum hominem requirit) eum deſtituant.

d P.6.c.3.§.7. & E.

e Inf.§.7.

(B) §. Hoc intelligendum eſt, quatenus declinari poterunt. Sed demum prudentia docebit, num per ſe, aut alios de Societate debeat nonnumquàm aliquorum piorum operum, quæ ad Societatem non pertinent, curam ſuſcipere: vel quòd magni ſint momenti in Dei obſequio, vel in gratiam eorum, qui id impetrare ſtudent.

5 (C) Sed nec in executione miniſteriorum particularium ad Societatem pertinentium, quæ per alios effici poſſunt, magnoperè occupari deberet: cujusmodi eſſet peculiaris alicujus Domus cura, quod ad ſuſtentationem temporalem, & gubernationem ejus attinet: quin potiùs, *f* ut ſuperiùs dicitur, ſuos quovis in loco, etiam ubi ipſe reſidebit, Officiales habeat;

f Sup.§.2.

in quos ſi totam curam non rejecerit, ſublevetur certè ab eis, & hujusmodi curæ occupatione liberetur.

(C) §. Præſcribere ordinem, qui tenendus eſt (ſi talis non eſſet, qualis conveniret) ubi reſidet, & etiam aliis in locis, Præpoſiti Generalis eſt: ſed executio aliis, ut dicitur, demandabitur.

6 *a* Sic etiam in quavis Provinciâ eos habeat Provinciales tam probatæ fidei, ut qui intelligit magnâ ex parte ex his & Localibus bonam gubernationem Societatis pendere. Cùm autem illi tales fuerint, laborem cum illis, in rebus quæ id patiuntur, dividendo, & de omnibus gravioribus certiorem ſe fieri curando, plus otii ac temporis ſibi relictum, ut rebus univerſalibus vacet, quæ ſolus ipſe obire poteſt, intelliget: plus etiam lucis ad perſpiciendum quid in illis facto opus ſit, ſi ipſius intellectus eam lucem, quâ donatus eſt, ex parte non amiſerit; ut eis accidit, qui plus æquo in rebus particularibus, ac exiguis occupantur; unde opprimi & debilior reddi intellectus acies ad res univerſales perſpiciendas ſolet.

a Par.10.§8.

7 Nec ſolùm Præpoſitus Generalis ad res particulares (ut *b* dictum eſt) miniſtris opus habet; (D) ſed etiam ad univerſales, & ſui officii proprias; ut eis benè ac ſuaviter poſſit ſatisfacere. Habeat igitur neceſſe eſt, qui multa in memoriam reducendo, ad ſollicitudinem curandi res tam multas officii ſui; qui etiam conſilio ad res ordinandas; demum qui diligentiâ ac labore ad eas opere complendas adjuvet. Id enim compertum eſt, quòd nec viri unius memoria tam multarum rerum recordationi ſatis ſit; nec, ſi id præſtaret, unius intellectus ad easdem benè conſiderandas & ordinandas ſatis eſſet; nec, quamvis & hoc poſſet, vires unius ad easdem exequendas ſufficerent.

b Sup.§ 2 5.& 6.

(D) §. Quoniam qui cum tam multis hominibus, deque rebus tam variis & tanti momenti agere debet, ſi aliorum miniſterio non juvaretur, onus ferret intolerabile, quod ne magnâ quidem cum diſtractione animi, & ſanitatis, ac longioris vitæ diſpendio benè poſſet ſuſtinere: & ſic videre eſt, eos omnes quibus gubernationum alicujus momenti cura eſt commiſſa, quò illis ſatisfacere poſſint, multis ad id auxiliis ſublevari. Unde & Generalis, ut benè, expeditè, & ſuaviter ſuum officium faciat, eisdem indiget auxiliis.

8 Ad *a* primum illud de ſollicitudine omnia curandi, aliquo miniſtro

a Sup.c.3.§.16.

ei opus eſt, qui ordinariè apud ipſum maneat; (E) qui pro memoriâ & manibus illi ſit ad omnia, quæ ſcribenda & tractanda fuerint, ac breviter ad res omnes officii ſui obeundas; qui induat Præpoſiti perſonam; & præter poteſtatem, totum officii ejus pondus humeris ſuis impoſitum eſſe exiſtimet.

(E) §. Hujus officium erit, ex omnibus litteris & informationibus ſummam in pauca redigere, & capita eorum quæ Superiori proponenda ſunt, & quæ poſtulant ut reſpondeatur, vel aliquid agatur; & prout ſe extendet munus à Generali commiſſum, litteris poterit reſpondere; ſive Generalis, ſive ipſe Secretarius de ipſius commiſſione, eas ſubſcribat: & Generali eas, vel ſecundùm ejus voluntatem Aſſiſtentibus, vel alicui eorum, aut etiam nulli oſtendat; prout res ipſæ, de quibus ſcribitur, & ratio perſonæ Secretarii exigunt.

Hic Præpoſiti miniſter vir eſſe ſollicitus, & diſcretionis, & ſi fieri poſ- 9
ſet, doctrinæ dono, & ſpecie honeſtâ, ac modo agendi verbo & litteris cum omni hominum genere, præditus eſſe deberet; quique in primis eſſet vir, cui confidenter quidvis committi poſſet; quique Societatem in Domino diligeret: quò utiliùs ejus operâ ac miniſterio uti Præpoſitus Generalis ad gloriam divinam valeat.

Secundum auxilium, videlicet conſilii ad res graves, quæ ſe offerunt, 10
ordinandas & conſtituendas, quàm ſit Generali Præpoſito neceſſarium, ex earum multitudine, & ex humani intellectus naturâ, qui tam multas in partes conſideratione dividi nequit, vel certè ad id quod oportet, in eis partibus diſpiciendum, ac providendum non ſufficit, poteſt intelligi. *b* Videtur ergo perneceſſarium, ut aliqui ſint apud Superiorem viri, litteris & omnibus aliis Dei donis clari, qui ei aſſiſtant; & conſiderandi peculiari ſollicitudine res univerſales Societatis à Generali commiſſas curam habeant; quam illis poſſet dividere, quò accuratiùs res omnes perſpiciant: ut unus rerum Indicarum inſpiciendarum, alter Hiſpaniæ & Portugalliæ, & alius Germaniæ & Galliæ, & alius Italiæ & Siciliæ curam haberet: & ſic de aliis, quando Societas in plures partes ſpargeretur. Quiſque autem ex eis peculiari oratione & ſuis in Sacrificiis recordatione, Deo partem illam ſibi ſpecialiter commiſſam commendare debet; & conſiderare, quid in eâ magis, ad id conſequendum quod ſibi Societas proponit, juvare poſſet. Conferendum etiam cum aliis eſſet, ſi

b Sup. c. 5. §. 2. & p. 8. c. 1. G.

quid ad rem facere magnoperè videretur. Res autem inter ſe diſcuſſas Generali referre poſſent. (F) Iidem etiam attenderent iis rebus, quæ vel à Præpoſito, vel etiam à Secretario Societatis proponerentur, ut magis inter ipſos diſcuſſæ Superiori referantur. Et in univerſum in conſiderandis & tractandis rebus, tam ad doctrinam, quàm ad praxim pertinentibus, quæ altiorem conſiderationem poſtulant, juvare Præpoſitum ac ſublevare debent. Præter id autem, & quòd rebus multis meliùs provideri per illos poterit, Prædicationi, Lectioni, Confeſſionibus audiendis, & aliis bonis ac piis operibus ad Dei gloriam & animarum auxilium vacare poterunt.

(F) §. Etiam res ſcribendæ majoris momenti, & inſtructiones eorum, qui huc & illuc mittuntur, cum his antequam ſcriberentur, poſſent conferri: quodque eis videretur, poſſet Secretarius Superiori referre: & tantumdem in iis, quæ ad doctrinam pertinent. Hæc autem non ſolum ſublevarent Generalem, ſed etiam rebus illis, quæ ab ipſo conſtituerentur, majorem auctoritatem afferrent.

11 Numero autem hujuſmodi Aſſiſtentes nunc quidem quatuor erunt; & quidem illi ipſi eſſe poterunt, de quibus *a* ſuperius dictum eſt. Quamvis autem res graviores cum eis tractandæ ſint, ſtatuendi tamen facultas, poſtquam eos audierit, penes Præpoſitum Generalem erit.

a Sup. c. 5. §. 2.

12 In tertio auxilio, videlicet diligentiæ ad exequendum vel complendum quod ad res Societati neceſſarias fuerit conſtitutum, cujuſmodi eſſent negotia, quæ ad Domos vel Collegia pertinent, expedire; tum etiam quæ illorum ſunt, defendere: & generatim ad res omnes agendas, *b* multum conferet, imò neceſſarium eſt unius Procuratoris generalis Societatis auxilium, qui quidem Romæ reſideat, ac prudentia, fidelitate, & dexteritate cum hominibus agendi, & omnibus aliis dotibus polleat; non tamen Profeſſus ſit, (G) nec in Domibus Societatis Profeſſæ habitet; ſed in alia (de qua dictum eſt in quarta Parte) (H) qui ſuis etiam auxiliis, ac miniſtris ad eà negotia, quæ ſolus non poteſt conficere, neceſſariis ſublevetur.

b Sup. c. 3. §. 16. & p. 4. c. 2. E.

(G) §. Quamvis Procuratorum habitatio in Domibus Profeſſæ Societatis ordinarie eſſe non debeat, ſed in aliâ ipſis aſſignata; nihilominus quando non tractant lites, vel quando neceſſitas aliqua urgeret, vel alioqui conveniret, & ad tempus, poſſent in Domibus habitare. Et hoc eorum judicio relinquitur, qui in dictis Domibus Profeſſæ Societatis aliis præſunt; juxta quod ordinatum vel commiſſum eis fuerit à Generali, vel de ipſius intentione eis conſtiterit.

(*H*) §.

(H) §. Vel ut plures Procuratores conſtituerentur; prout res, quæ incidunt, & neceſſitas urgens diverſarum ac variarum regionum poſtularet.

Cùm ergo Præpoſitus hujuſmodi habeat auxilia, tempus (quod quidem valetudo, & vires corporis permittent) partim cum Deo, partim cum Officialibus & Miniſtris hujuſmodi agendo, partim ſecum ſeorſum conſiderando, ac cum auxilio & favore Dei ac Domini Noſtri, quod agendum eſt ſtatuendo, impendet. 13

(I) Præpoſiti *a* etiam Provinciales, & Rectores Collegiorum, vel Præpoſiti particulares Domorum ſuis auxiliis pluribus & paucioribus, pro neceſſitate ac momento rerum ipſis commiſſarum, ſublevari debent: ac præcipue ad conſilium aliquos cum quibus res graviores quæ occurrunt, communicent (quamvis eis auditis penes Superiores ſit ſtatuendi facultas) deſignatos habeant. 14

a Par.4.c.10.§. & c.17.§.1.& p.10.§.8.

(I) §. Ex iis, quæ dicta ſunt de Generali, intelligi poterit quod Provincialibus, & Localibus, & Rectoribus Collegiorum convenit, quod attinet ad Dei dona, quibus ornari debent, ad poteſtatem, officium, & auxilia, quæ habere eos oportet; prout expreſſe dici poterit b *in Regulis, quæ ad Præpoſitos hujuſmodi particulares pertinent.*

b Procem. Declar.

DECIMA PARS

De modo, quo conſervari & augeri totum corpus Societatis in ſuo bono ſtatu poſſit.

QVIA Societas, quæ mediis humanis inſtituta non eſt, per ea nec conſervari nec augeri poteſt; ſed per gratiam omnipotentis Dei ac Domini Noſtri IESV Chriſti; in eo ſolo ſpem conſtitui oportet, *c* quod conſervaturus ſit & promoturus hoc opus, quod ad obſequium & laudem ſuam, & auxilium animarum inchoare dignatus eſt. Et juxta ſpem hanc primum medium & maximè conſentaneum, orationum & Sacrificiorum erit, quæ hac cum intentione ſanctâ offerri, & ſingulis hebdomadis, menſibus & annis in omnibus locis, ubi Societas reſidet, certâ ordinatione inſtitui debent. 1

c Inf.§.12.& Proœm. conſt.§.1.

Ad

2 Ad conſervationem & incrementum non ſolùm corporis, id eſt eorum quæ externa ſunt, ſed etiam ſpiritus Societatis, atque ad aſſecutionem *a* finis quem ſibi præfigit auxilii animarum, ad ultimum & ſupernaturalem ſuum finem conſequendum media illa, quæ cum Deo inſtrumentum conjungunt, ac diſponunt, ut à divinâ manu rectè gubernetur, efficaciora ſunt, quàm quæ illud diſponunt erga homines. *b* Hujuſmodi eſt probitas & virtus, ac præcipuè charitas, & pura intentio divini ſervitii, & *c* familiaritas cum Deo in ſpiritualibus devotionis exercitiis, & zelus ſincerus animarum ad gloriam ejus qui eas creavit ac redemit, quovis alio emolumento poſthabito. Videtur *d* itaque in univerſum curandum eſſe, ut omnes qui ſe Societati addixerunt, in virtutum ſolidarum ac perfectarum, & ſpiritualium ſtudium rerum incumbant; ac in hujuſmodi majus momentum, quàm in doctrinâ, vel aliis donis naturalibus & humanis conſtitutum eſſe ducant. Illa enim interiora ſunt, ex quibus efficaciam ad exteriora permanare ad finem nobis propoſitum oportet.

a Exa. c. 1. §. 2. & p. 1. c. 2. §. 8. & c. 3. §. 1. & p. 3. c. 1. §. 9. & p. 4. Proœ. & c. 12. § 1. & p. 6. c. 3. § 4. & p. 7. c. 1. § 1.
b P. 8. c. 1. §. 8.
c p. 9. c. 2. §. 1. & c. 6 A.
d P. 3 c. 1. §. 10.

Hoc jacto fundamento, media illa naturalia quæ Dei ac Domini
3 Noſtri inſtrumentum in proximorum utilitatem diſponunt, in univerſum ad conſervationem & incrementum totius hujus corporis conferent: ſi tamen & addiſcantur, & exerceantur ſincerè ad ſolum Dei obſequium; non ut illis fiducia noſtra innitatur, ſed potiùs ut divinæ gratiæ, juxta ſummæ providentiæ ſuæ ordinem, per hæc cooperemur; qui ad gloriam ſuam tam dona naturalia, quæ ipſe ut Creator, quàm ſupernaturalia, quæ ut gratiæ auctor donat, vult referri. Et ideò media humana, vel per induſtriam acquiſita, ac præcipuè doctrina exacta & ſolida, *e* & modus eam proponendi populo in Concionibus, & Lectionibus, *f* & forma agendi cum hominibus, eoſdemque tractandi diligenter curanda ſunt.

e P. 3. c. 1. §. 21. & p. 4. c. 8. §. 3. & A. B & C.
f P. 4. c. 8. §. 8.

4 Iuverit etiam magnoperè, in ſuo bono ſtatu ac diſciplinâ Collegia conſervare, & ad id eorum *g* ſuperintendentiam per illos exercere, quibus *h* utilitatis temporalis nihil ex eis poteſt accedere. Talis eſt Societas Profeſſa, *i* quæ in Collegiis eos inſtituendos curabit in perfectione vitæ, litteriſque Chriſtiano dignis, qui talentum ad id ſortiti eſſe videbuntur. Hi enim pro Seminario Societati Profeſſæ, & ejus Coadjutoribus erunt. Et ſi cum Collegiis, Vniverſitates etiam curæ Societatis commiſſæ fuerint; obſervato illo modo procedendi, *k* de quo in quartâ Parte dictum eſt, ad finem eundem juvabunt.

g P. 4. c. 10 §. 1.
h Inſ. §. 5. & Exa. c. 1. §. 4. & p. 4. c. 2. §. 5. & c. 10. §. 1. & p. 6. c. 2. §. 3. & p. 9. c. 3. §. 18. & c. 4. §. 7.
i P. 3. c. 1. §. 27. & p. 4. Proœm. & c. 3. §. 1. & c. 7. §. 1. & c. 11. §. 1.
k Par. 4. c. 11.

5 Quia *a* Paupertas velut propugnaculum eſt Religionibus, ut eas in ſtatu ſuo, & diſciplina conſervet, & à compluribus hoſtibus defendat (unde etiam dæmon enititur illud variis rationibus evertere) refert plurimum ad conſervationem & augmentum totius hujus corporis, procul admodum omnem avaritiæ ſpeciem ablegaſſe; nullos reditus, vel poſſeſſiones, *b* vel ſtipendia pro verbi DEI Prædicatione, aut Lectione, aut Miſſis, aut adminiſtratione Sacramentorum, aut demum rebus quibuslibet ſpiritualibus (ut eſt in ſexta Parte dictum) admittendo, *c* nec ad ſuam utilitatem reditus Collegiorum applicando.

a P.3.c.1.§.25.& p.6.c.2.§.1

b Exa.c.1.§.3 & c.4.§.27.& p 4.c.7.§.3.& c.15.§.4.& c.17.F.& p 6.p.2.§.7.& G.& p.7.c.4.§ 4.&B.

c Sup.§.4.

6 *d* Erit etiam ſummi momenti, ut perpetuò felix Societatis ſtatus conſervetur, diligentiſſimè ambitionem, malorum omnium in quavis Repub. vel Congregatione matrem ſubmovere; ac aditum ad dignitatem, vel prælationem ullam directè vel indirectè quærendam in Societate, præcludere. Quod ut fiat, omnes Profeſſi ſe nihil umquam ad eam obtinendam acturos; & quos agere animadverterint, delaturos, Deo ac Domino Noſtro voveant: *e* & incapaces ac inhabiles ad prælationem quamvis habeantur ii, de quibus probari poſſet quod eam ambiiſſent. Promittant *f* etiam Deo ac Domino Noſtro ad nullam etiam extra Societatem prælationem, vel dignitatem obtinendam ſe quidquam acturos: nec ad ſui electionem ad hujusmodi munus, quoad ejus fieri poterit, conſenſum præſtituros; ſi ejus Obedientia, qui ſub pœnâ peccati poteſt præcipere, eos non compulerit: ſed unusquisque videat quâ ratione animarum ſaluti juxta noſtræ profeſſionis humilitatem & ſubmiſſionem, inſervire poſſit: & ne Societas his hominibus, qui ad propoſitum ſibi finem ſunt ei neceſſarii, privetur.

d P.4.c.6.§.17.& c.15.§.4.& p.9.c.1.A.

e P.8.c.6.§.2.& A.

f P.9.c.3.§.13.& c.4.§.5.& K.& c.5.§.6.& E.

7 Promittat etiam Deo, quod ſi quando dicto modo compulſus, prælationem aliquam extra Societatem admittet, (A) audiet poſteà quovis tempore, Præpoſiti Generalis, qui pro tempore fuerit, conſilium; vel alicujus, quem ille ſibi ad hoc ſubſtitueret; quodque, ſi ſenſerit melius eſſe quod conſulitur, ſit illud executurus: non quod habeat qui Prælatus eſt, aliquem de Societate Superioris loco; ſed quod ſponte in Dei conſpectu vult ad id faciendum obligari, quod ad divinum obſequium melius eſſe intellexerit; quodque placeat eſſe aliquem, qui ſibi cum charitate ac libertate Chriſtianâ ad gloriam Dei & Domini Noſtri id proponat.

DECLARATIONES

In Decimam Partem.

(A) §. C*Onſiderando, quam inſtanter, quamque multis rationibus curatum ſit, ut aliqui de noſtra Societate varios Epiſcopatus ſumerent; cumque in multis obviam itum ſit, nec tamen in Patriarchatu & Epiſcopatibus Æthiopiæ admittendis reſiſti potuerit; de hoc auxilio ad opus illud Æthiopiæ, & alia ſimilia, cum reſiſtendi modus deeſſet, cogitatum eſt. Non tamen obligatur Societas ad hoc munus ſuſcipiendum, quandocumque alicui ex eâ Epiſcopatus eſſet admittendus: imò libera manet, ut id oneris & relinquere, & aſſumere poſſit, ubi multum referre ad DEI obſequium judicaret. Poſt emiſſam autem Profeſſionem, hoc Votum ſimplex* a *cum aliis de quibus diximus, emittetur.*

a Sup. §. 6. & p.6.c.2. §.1.

7 Vt perpetuo totius hujus corporis bonus ſtatus conſervetur, confert plurimum quod in primâ, ſecundâ, & quintâ Parte dictum eſt, de *b* turbâ & hominibus ad noſtrum Inſtitutum ineptis, ne ad probationem quidem admittendis; & ſi aliqui Probationis tempore *c* non eſſe idonei invenirentur, etiam dimittendis. *d* Si qui vero depravatis moribus eſſent, aut de quorum emendatione parum ſperaretur, multò minùs eſſent retinendi. Minus etiam apertum oſtium eſſe debebit ad admittendos aliquos in Scholaſtico sapprobatos, & Coadjutores formatos: minimè verò omnium in Profeſſos: *e* non enim alii, quam ſpiritus & Doctrinæ ſelectæ viri, & multum diuque exercitati, & in variis Probationibus virtutis & abnegationis ſui ipſorum, cum omnium ædificatione & ſatisfactione perſpecti, ad Profeſſionem admitti debent. Sic enim, licet multitudo augeſcat, non imminuetur nec debilior reddetur ſpiritus, dum tales ſint qui in Societatis corpus cooptantur.

b P.1.c.1.§.3.& p.4. Procem. A. & p.8.c.1.§.2.& B.
c P.2.c.1.§.1.
d P.2.c.2.§.2.
e P.5.c.2.§.1.& 2.

8 *f* Cum bona & mala capitis habitudo in univerſum corpus redundet, ſummoperè conferet ſi electio Præpoſiti Generalis ea ſit, quæ in nonâ Parte deſcripta eſt. *g* Et poſt hanc electionem, illa maximi erit momenti, quâ inferiores Præpoſiti in provinciis, & Collegiis ac Domibus Societatis eliguntur. Nam fere quales hi fuerint, tales & eorum

f P.9.c.2.
g P.9.c.6.§.6.

rum ſubditi erunt. Refert *a* etiam magnopere, præter electionem, ſi Præpoſiti particulares in ſibi ſubditos, & Generalis in particulares, ac contra Societas in Generalem (ut in nonâ Parte declaratum eſt) multum poteſtatis habeant: ita ut omnes ad bonum omnia poſſint: &, ſi male agerent, omnino ſubjecti ſint. Refert *b* etiam ut Superiores, Miniſtros idoneos (ut in eadem Parte dictum eſt) ad ordinationem & executionem rerum quæ ſpectant ad eorum officium, habeant.

a P.2.c.1.§.2.& B. & p 4 c.10 § 4 & p.9.c.3.4.5.& 6.
b P.9. c.6. §.2. & 14.

9 *c* Quod juvat ad unionem membrorum hujus Societatis inter ſe, & cum ſuo capite, multum etiam ad conſervationem boni ſtatus illius juvabit: cujuſmodi eſt in primis voluntatum vinculum, quod charitas eſt, & mutuus amor, *d* quem crebra communicatio, & rerum mutua notitia, *e* eadem doctrina, & in omnibus, quantum fieri poteſt, uniformitas nutriet. Sed in primis id præſtabit Obedientiæ vinculum, quod *f* particulares cum ſuis Præpoſitis, & hos ipſos inter ſe, & cum Provincialibus, & utroſque cum Generali uniet: ita ut inter omnes diligenter *g* ſubordinatio ſervetur.

c P.8.c.1.§.8.
d P.8. c.1. §.9.
e Procœ. Declar. & p. 3. c. 1. §.18. & p.8.c.1.§.8.
f P.4.c.10.§.5. & 8. & p.8.c.1.§.4.
g P.2.c.1.§.2.& p. 8.c.1. § 4.& E. & p.9. c 6. §.2.

10 *h* Moderatio laborum animi & corporis, & in Conſtitutionibus, quæ ad neutrum extremum rigoris vel diſſolutionis vergant (ut ſic meliùs obſervari poſſint) mediocritas conferet ad durationem, & totius corporis in ſuo ſtatu conſervationem.

h P.3.c.1.§.4. & 5. & p.4 c.4.§.1.

11 *i* Ad eumdem finem faciet, generatim curare ut amor & charitas omnium etiam externorum erga Societatem conſervetur: (B) ſed eorum præſertim, quorum voluntas bene aut male in nos affecta, multum habet momenti, ut aditus ad divinum obſequium & animarum auxilium aperiatur, vel præcludatur. In ipſa vero Societate nec ſit nec ſentiatur animorum propenſio ad partem alterutram factionis, quæ eſſet fortaſſis inter Principes vel Dominos Chriſtianos: ſed ſit potius quidam univerſalis amor, qui partes omnes (licet ſibi invicem contrariæ ſint) in Domino Noſtro amplectatur.

i P.3.c.2.§.9.& p. 4.c.16.D. & p. 6. c.3. §.8.& p. 7. c. 2 H.

(B) §. In primis conſervetur benevolentia Sedis Apoſtolicæ, cui peculiariter inſervire debet Societas: deinde Principum ſæcularium, & Magnatum, ac primariæ auctoritatis hominum; quorum favor, aut alienatio animi multum facit, ut oſtium divino ſervitio & bono animarum aperiatur, vel præcludatur.

k *Sic itidem, cum aliqui male affecti eſſe intelligerentur, præcipuè ſi homi-*

k P.4. c.10.C.

homines ſint non vulgaris auctoritatis, orandum eſt pro eis, utendumque rationibus convenientibus, ut in amicitiam redeant vel certe adverſarii non ſint: idque non timore contradictionum, vel quod aſperius quidquam nobis inde poſſet accidere; ſed ut per hujuſmodi hominum benevolentiam, magis in rebus omnibus Dei obſequium & gloria creſcat.

11 Juverit etiam moderatus & prudens uſus gratiarum per Sedem Apoſtolicam conceſſarum: ſolius auxilii animarum fine ſinceriſſimè nobis propoſito. Sic enim divina bonitas *a* opus hoc quod cœpit, promovebit; ac bonus odor, *b* qui veritati bonorum operum innitatur, hominum devotionem augebit: ut & à Societate ipſi juvari, & eamdem ad propoſitum ſibi finem obſequii & gloriæ divinæ Majeſtatis juvare curent.

a Sup. §. 1. & Procem. Conſt. §. 1.
b P. 7. c. 4. §. 2.

12 (C) *c* Conferet etiam, rationem habere valetudinis; ut ea in particularibus conſervetur; quemadmodum tertiâ in Parte dictum eſt: *d* & ut demum omnes obſervationi Conſtitutionum ſtudeant: ad quam, eaſdem ſcire, ſaltem quæ ad quemlibet pertinent, neceſſe eſt. Quare legere vel audire eaſdem ſingulis menſibus oportebit.

c P. 3. c. 2. §. 1.
d P. 4. c. 10. §. 5. & p. 6 c. 1. §. 1. & c. 5. & p. 9. c. 3. §. 8. & c. 6. A.

(C) §. Ad hoc etiam curandum eſt, ut Domus & Collegia in locis, ubi ſit purum & ſalubre cœlum, habeantur; & non in eis, qui contrariam habent proprietatem.

F I N I S.

Formula Votorum ſimplicium, quæ Profeſſi emittunt poſt Profeſſionem, juxta Conſtitutiones, extracta ex e prima Congregatione generali, & recognita à f tertia.

e Tit. 6. D. 23.
f Decr. 70.

1 EGO N. Profeſſus Societatis IESU, promitto Deo omnipotenti coram ejus Virgine Matre, & totâ curiâ cæleſti, & coram R. Patre Præpoſito Generali, vel coram N. locum Generalis Præpoſiti tenente, *g* numquam me acturum quacumque ratione, vel conſenſurum, ut, quæ ordinata ſunt circa Paupertatem in Conſtitutionibus Societatis, immutentur: niſi quando

g P. 6. c. 2. §. 1. & A.

do ex cauſa juſta rerum exigentium videretur Paupertas reſtringenda magis.

a Præterea promitto numquam me acturum vel prætenſurum, ne in- 2
directe quidem, ut in aliquam prælationem vel dignitatem in Societate eligar, [a P. 10. §. 6.]
vel promovear.

b Promitto præterea, numquam me curaturum, prætenſurumve ex- 3
tra Societatem prælationem aliquam vel dignitatem; nec conſenſurum in [b Ibidem.]
mei electionem, quantum in me fuerit, niſi coactum Obedientia ejus, qui mihi præcipere poteſt ſub pœna peccati.

c Tum, ſi quem ſciam aliquid prædictorum duorum curare, vel præ- 4
tendere, promitto illum, remque totam me manifeſtaturum Societati, vel [c Ibidem.]
Præpoſito ejus.

d Inſuper promitto, ſi quando acciderit, ut hac ratione in Præſidem 5
alicujus Eccleſiæ promovear: pro cura, quam de animæ meæ ſalute, ac re- [d Ibidem & A.]
cta muneris mihi impoſiti adminiſtratione gerere debeo, me eo loco, ac numero habiturum Præpoſitum Societatis Generalem, ut numquam conſilium audire detrectem, quod vel ipſe per ſe, vel quivis alius de Societate, quem ad id ipſe ſibi ſubſtituerit, dare mihi dignabitur. Conſiliis vero hujusmodi ita me pariturum ſemper eſſe promitto, ſi ea meliora eſſe quam quæ mihi in mentem venerint, judicabo. Omnia intelligendo juxta Societatis IESV Conſtitutiones & Declarationes. In tali loco, tali die, menſe, & anno, &c.

LAVS DEO.

INDEX IN EXAMEN, ET CONSTITVTIONES.

Abnegatio.

IMpenſius ſtudium noſtrum debet eſſe in noſtri abnegatione. *Pagina* 275. Ex. c. 4. §. ult. & pag. 317. par. 3. c. 1. § 27.

Requiritur in noſtris abnegatio ſui in iis, a quibus ſenſus abhorret. pag. 270. Ex. c. 4. §. 28. Voluntatis & judicii. pag. 316. par. 3. c. 1. §. 23. pag. 375 par. 6. c. 1. §. 1. Vniverſi amoris ſenſualis. p. 367. par. 5. c. 2. §. 1. Item in iis, quæ ad corpus pertinent. p. 3 9. p. 3. c. 2. §. 3.

Supponitur ut Fundamentum in iis, qui educuntur è Novitiatu ad ſtudia. pag. 321. par. 4. procem. Et in admittendis ad profeſſionem. p. 367. par. 5. cap. 2. §. 1. & p. 442. par. 10. §. 7. Et ad vota Coadjutorum temporalium p. 278. Ex. c. 6 § 6.

Abſolutio.

Formulas abſolutionum minus uſitatas habere debet Confeſſarius. pag. 345. par. 4. c. 8. D.

Abſolutio à cenſuris in loco electionis. p. 415. par. 8. c. 6. § 6. & E.

Actus.

Scholaſtici debent habere ſuos actus. p. 342. par. 4. c. 6. §. 17.

Ante eos debent examinari à Cancellario. pag. 362. par. 4. c. 17. §. 1. Quot anni ſtudiorum ad eos requirantur. pag. 358. par. 4. c. 15. B. Et quantum tempus in iis celebrandis ponendum. pag. 358. c. 15. § 2. & 3.

Admittere in Societatem.

Admittendi facultas eſt in Generali, etiam per alium. pag. 285. par. 1. cap. 1. §. 1. & pag. 423. par. 9. c. 3. §. 1. Iſque eam communicat ut vult. pag. 423. Ibid.

In admittendo neceſſarius eſt delectus. p. 286. par. 1. c. 1. §. 3. & pag. 442. par. 10. §. 7. & deſiderium moderatum. pag. 286. par. 1. c. 1. §. 4. Ita tamen ne deſimus vocationi divinæ. Ibid. C. Cavendum à particulari affectu. pag. 286. par. 1. c. 1. §. 4. & pag. 293. c. 3. §. 16. Menſuram autem in omnibus tenendam docet unctio. p. 289. par. 1. c. 2. §. 13.

Qui habet officium admittendi, debet habere apud ſe Examinatorem pag. 286. par. 1. cap. 1. §. 3. Vterque autem qualis eſſe debeat. pag. 286. p. 1. c. 1. §. 4.

In admittendis examinanda eſt vocatio, & dotes. p. 286. p. 1. c. 1. §. 3. Dotes autem quæ ſint. pag. 288. par. 1. c. 2. §. 6. & ſeqq.

Cur admittantur juvenes, & quales eſſe debeant. p. 221. par. 4. Procem. A.

Inutiles, & difficiles non debent admitti, etiamſi ipſis ſit utile. p. 288. par. 1. c. 2. §. 4. Nec quorum parentes ſunt in neceſſitate extrema, & præſenti. p. 263. Ex. c. 3. B.

Nemo debet admitti, qui non ſtatuerit vivere & mori in Societate. pag. 294. par. 1. c.

1. c. 4. §. 3. Niſi forte ad triduum ut hoſpes. Ibid. B.

Admittendi valde cognoſci debent. pag. 293. par. 1. c. 4. §. 1. Alioquin differendi. p. 294. §. 3. Niſi peculiares cauſæ urgerent. Ib. C.

Qui motus eſſet a noſtris ad Societatem, quando debeat differri. pag. 263. Ex. c. 3. §. 14.

Quæ ſint impedimenta ne quis admitti poſſit in Societatem. vide *Impedimenta*.

Admittere in Corpus Societatis.

Quære in titulis, *Coadjutores, Profeſſi, Scholaſtici*.

Admonitor.

Generalis debet habere Admonitorem. p. 419. par. 9. c. 4. §. 4. Ejus autem dotes, officium, electio. Ibid.

Præpoſiti inferiores debent habere ſuos Admonitores. Ibid.

Ædificatio.

Semper ante oculos habenda. pag. 382. par. 6. c. 2. §. 16. Procuranda verbis bonis, ſed magis operibus. pag. 397. par. 7. c. 4. §. 2. Procuranda etiam ab ægrotis. p. 271. Ex. c. 4. §. 32. & pag. 313. par. 3. c. 1. §. 17. Item à morientibus. p. 385. par. 6. c. 4. §. 1.

Species exterior ædificationi eſſe ſolet. p. 288. par. 1. c. 2. §. 3.

Ædificia.

Ædificanda ſunt Collegia, & Domus in aëre ſalubri. pag. 444. par. 10. C.

Ædificiorum cura pertinet ad Rectores. pag. 327. par. 4. c. 2. §. 5. & p. 424. par. 9. c. 3. §. 3.

Ætas.

Ætas nimis tenera, vel provecta eſt impedimentum ad Societatem, ſed ſecundarium. p. 293. par. 1. c. 3. §. 15. Tenera eſt infra quatuordecim annos. pag. 289. par. 1. c. 2. §. 12. & pag. 293. c. 3. K.

Ætas in Generali non debet eſſe nec valde ſenilis, nec valde juvenilis. pag. 422. par. 9. c. 2. B.

Affectus.

Affectus propinquorum exuendus. p. 264. Ex. c. 4. §. 2. & pag. 265. §. 7. Et periculum affert errandi in judicio. p. 264. §. 3.

Affectus pravi incorrigibiles excludunt à Societate. pag. 292. par. 1. c. 3. §. 9. & p. 300. par. 2. c. 2. §. 2.

Affectus humani incaleſcunt refrigeſcente ſpiritu. pag. 381. par. 6. c. 3. §. 1.

Affectus in Generali debent eſſe mortificati. p. 421. par. 9. c. 2. § 3.

Alienatio.

Alienatio bonorum mobilium permittitur General. pag. 414. par. 9. c. 3. §. 3.

Alienare Collegia, vide *Collegia*.

Ambitio

Eſt malorum omnium mater. pag. 441. par. 10. §. 6. Peſtis. pag. 420. par. 9. c. 1. A.

Profeſſi vovent ſe non ambituros dignitatem, vel Prælaturam in Societate, nec extra eam, & delaturos quem ſciverint ambire. pag. 441. p. 10. § 6.

Qui ambit Generalatum, deferendus eſt ad quatuor antiquiſſimos. pag. 413. par. 8. c. 6. A. Et notatus ſeu convictus à quibus judicandus & qua pœna afficiendus. Ibid. Ambit autem qui directe, vel indirecte id procurat, aut ſigno declarat. Ibid. §. 2. Et Electores eum tenentur manifeſtare. Ibid.

Locorum ambitio in ſcholis removenda.

da. pag. 342. par. 4. c. 6. §. 17. & pag. 359. c. 15. §. 4.

Amici.

Amici conſervandi, & adverſarii conciliandi. pag. 349. par. 4. cap. 10. C. & p. 443. par. 10. B. Pro iis orandum. pag. 397. par. 7. c. 4. §. 3.

Examinator caveat ab affectu amicitiæ, p. 286. p. I. c. I. §. 4.

Amor.

Amor divinus magis juvat quam Conſtitutiones externæ, pag. 281. Procem. Conſt.

Amor creaturarum quatenus exuendus. p. 317. par. 3. c. 1. §. 26.

Amor mutuus inter noſtros quantum curandus. pag. 400. par. 8 c. 1. §. 1. & 8. & pag. 443. par. 10. § 9.

Amor ſui ipſius hoſtis unionis. pag. 405. par. 8. c. 1. §. 8. Eſt exuendus, p. 311. par. 3. c. 1. §. 9.

Amor debet eſſe univerſalis in Societate erga omnes nationes. pag. 443. par. 10. §. 11.

Apoſtatæ.

Apoſtatæ ſi parum idonei ſint, non ſunt reducendi. pag. 306. par. 2. c. 4. §. 4. Nec ſi habitum alterius religionis ſumpſerint.

Ibid. B. alioquin poteſt Societas eos urgere ſuis privilegiis. Ibid. §. 5.

Apoſtatæ redeuntes quomodo recipiendi, pag. 305. par. 2. c. 4 §. 1. Et quam debent dare ſatisfactionem. p. 306. §. 6. Et quas probationes iterum ſubire, §. ult.

Aſſiſtentes.

Aſſiſtentes cur neceſſarii ſint Generali. p. 437. par. 9. c. 6. §. 10.

Debent eſſe quatuor. pag. 431. par. 9. c. 5. §. 2. & 3. & pag. 437. c. 6. §. 10. 11.

Eligendi ſunt a Congregatione generali. p. 431. par. 9. c. 5. §. 3. Quomodo autem & quando à Præpoſito Generali ſubrogandi. Ibid. & A.

Debent, ſi commode poterit, eſſe Profeſſi, pag. 431. par. 9. c 5. A.

Debent habere zelum communis boni, p. 431. par. 9. c. 5. §. 2. Et eſſe litteris, & aliis dotibus clari, pag. 437. par. 9. c. 6. §. 10.

Per illos exercet Societas ſuam providentiam erga Generalem pag. 429. par. 9. c. 4. A.

Debent juvare Generalem in omnibus ad doctrinam, & praxim pertinentibus p. 437. par. 9. c. 6. §. 10.

Debent ſinguli habere peculiarem curam ſuarum Nationum. pag. 437. par. 9. c. 6. §. 10. Et tamen ſimul conſiderare res univerſales Societatis. Ibid. Præter hoc officium ſuum poſſunt vacare confeſſionibus, & aliis rebus. Ibid.

Conſulendi ſunt a Generali in rebus gravibus. pag. 438. par. 9. cap. 6. §. 11. Quamquam iis auditis poteſt ſtatuere quod ei videtur. Ibid. & pag. 390. par. 7. c. 2. §. 1. & pag. 427. par. 9. c. 3. K. & pag. 438. c. 6. §. 11.

Poteſt Generalis præter illos vocare etiam alios ad conſultationem. pag. 351. par. 4. c. 11. §. 2.

Litteræ Generalis poſſunt eis non oſtendi p. 437. par. 9. c. 6. E. Quæ autem cum illis conferendæ. p. 438. F.

Jurant denuntiare Generalem Societati, ſi incideret in aliquid propter quod deponi debeat, pag. 432. par. 9. c. 5 §. 4.

Poſſunt convocare in certis caſibus Congregationem generalem. p. 432. par. 9. c. 5. §. 4. Et cum Provincialibus decernere, an ſit cogenda, pag. 408. par. 8. c. 2. C.

Debent manere apud Generalem, p. 431. par.

par. 9. c. 5. §. 1. nec ab eo abſque gravi cauſâ amovendi ſunt. Ibid. A.

Avaritia.

Omnis ejus ſpecies evitanda, pag. 380. par. 6. c. 2. §. 8. & pag. 441. par. 10. §. 5. Idque plurimùm confert ad conſervationem, & augmentum Societatis. Ibid.

Benedictio.

BEnedictio menſæ, & gratiarum actio. pag. 309. par. 3 c. 1. §. 5.

Benefactores.

Quantum iis debeamus. p. 323. par. 4. c. 1. §. 1.

Iis ante alios debentur ſubſidia ſpiritualia. pag. 392. par. 7. c. 2. D.

Miſſæ & orationes pro eis dicendæ. pag. 323. par. 4. c. 1. §. 1. & 2. Et aliæ ſingulis hebdomadis pro numero Sacerdotum. pag. 398. par. 7. c. 4. §. 4.

Benefactores ſunt participes bonorum operum noſtrorum. pag. 325. par. 4. c. 1. §. 5.

Beneficia Eccleſiaſtica.

Reſignanda ſunt cùm fit Profeſſio, vel vota Coadjutorum, & quando antè pag. 265. Ex. c. 4. §. 5. Quibus verò, & quomodo. Ibid. & pag. 310. par. 3 c. 1. G.

Benevolentia.

Benevolentia omnium conſervanda pag. 384. par. 6. c. 3. §. ult. Sed præſertim Pontificis, & Principum pag. 443. par. 10. §. 11. & B. Etiam cum iis, qui è Societate dimittuntur. pag. 304. par. 2. c. 3. § 6. Particulariter etiam in Miſſionibus. pag. 398. par. 7. c. 2. G Denique procuranda etiam ab adverſariis. pag. 349. par. 4. c. 10. C.

Bibliotheca.

Debet eſſe una communis præter privatos libros. pag. 338. par. 4. c. 6. §. 7. Ejus clavis cui danda. Ibid. Et ejus Præfecto conſtare debet ratio librorum. Ibid. G.

Qui nihil proficiunt,amovendi,ſunt à ſtudiis.p.346.c.9.§.1

Et, ſi etiam ad alia inutiles fuerint, dimittendi. p.341. c.6. N. Præſertim ſi inclinationem oſtenderint ad ſtudia. p.280. Ex.c. 7.§. 2.

Si tamen ad alia miniſteria apti fuerint, poſſunt iis applicari. pag. 341. par.4. c. 6.N.

Sub finem ſtudiorum poſſunt ordinari. p. 337.c.6.C.

Et aſſueſcere debent ad tractandum cum proximis. pag.344. c.8.§.1. & p.351.c.10. §.ult.

Studiis abſolutis examinandi ſunt de profectu. pag. 340. cap. 6. L. & etiam de vocatione, & reliquis. pag. 280. Ex. c. 7. & 8.

Sublevandi ſunt in miniſteriis proximorum. pag. 335. p.4. c.5. D. & pag. 337.c. 6. C. & pag.378.p 6.c.2.C. & in laboribus domeſticis. p.288. par.1. c.2.A. & p. 337.p.4.c.6. B.& C.

Poſſunt tamen aliqua hora ipſi juvare.pag. 337.cap.6.B.& pag.350.cap.10. H. Vide *Studia.*

Scholaſtici externi.

Scholæ publicæ aperiuntur ad utilitatem externorum. pag.342. par.4.c.7.§.1. & pag.351.c.11.§.1.

Cum admittuntur ad ſcholas, exigenda

da promiſſio obediendi.p.361. p.4. c.17. §.3.

Non tamen excludendi,ſi nolint promittere.Ib.D.

Examinandi, & ad idoneam claſſem mittendi.pag.355. c.13. §.4. Non tamen cogendi.Ib.E.

Inſcribendi etiam matriculæ,ſi velint.p.362. c.17.D.

De eorum repetitionibus, diſputationibus, declamationibus. pag 354. cap. 13. §.3.

Curandum,ut informentur moribus Chriſtianis.p.343 c.7. §.2.

Vt referant ſtudia ad honorem Dei. p. 361. c.16. §.4.

Abſtineant à juramentis, & injuriis. Ibid. Audiant quotidie Miſſam; diebus feſtis concionem; ſingulis menſibus confiteantur pag 343.c.7.§.2. & pag 360.c.16. §. 1.

Diſcant Doctrinam Chriſtianam. p.343. c. 7.§.2.& p.360. c.16 §.2.

Curanda eis aliqua privilegia. pag. 352. c. 11.C.

Neceſſaria eſt correctio, ſed per externum.p.343.c.7.§.2. & D. & pag.361. c. 16. §. 5.

Debet tamen fieri in ſpiritu lenitatis.p.361. c.16.D.

Scandaloſi & rebelles removendi à ſcholis. pag.361.cap.16. §.5.

Imo etiam civitate pellendi per Magiſtratus,vel in carcerem conjiciendi. p.351.c. 11.B.

Scribere.

Scriptor in Collegio teneri poteſt ex noſtris.pag.350.p.4.c.10.H.

Quomodo ſcribendum ſit in ſchola. p.339. par.4.c 6 I.

Scriptorum ſumma facienda, & index. p.341.par.4.c.6.§. 16 & O. & ſcripta in compendio magis apta. pag.345. cap.8. B.& D. F.G.

In libris ſcribere non licet. pag.338.p.4.c.6. G.

Scribere litteras, vide *Litteræ.*

Scribere libros, vide *Libri.*

Scriptura ſacra.

SacraScriptura diligenter pertractanda eſt. p.333.p.4.c.12.§.1.

Poteſt addiſci una cum ſcholaſtica, vel poſt eam.p 337.p.4.c.6. §. 4.

Concionatores debent eam vidiſſe.p.145.p. 4 c.8.B.

Sequenda eſt à noſtris ejus verſio approbata ab Eccleſia. pag. 337. cap. 6. §.5.

Scrupuli.

In omnibus ſcrupulis quomodo acquieſcere debeamus. pag. 262. Exa. cap. 3. §.12.

Secretarius.

Secretarius Vniverſitatum debet eſſe ex Societate,& quod ejus officium.p.362.p.4. c.17.§ 3.

Secretarius electionis creatur in quatriduo ante electionem Generalis. pag.416 p.8. c.6.D.

Quod ejus officium. Ib.§.6.

Secretarius Congregationis generalis poſt electionem ſcribit in libro decreta. pag. 418.p.8.c.7.§.ult.

Et Curat plura exempla fieri ſententiarum. Ib p.418.B.

Secretarius Præpoſiti Generalis qui dicitur etiam Societatis, eligitur à Generali. p. 427. p.9 c.3.§.16.

Debet ei eſſe pro memoria, & manibus, ejusque perſonam induere.p.437. par.9. c.6. §.8.

Debet conficere ſummarium ex litteris & informationibus.Ibid.E.

Poteſt ſubſcribere litteras ex commiſſione. Ibid. Quales debeant eſſe ejus dotes. Ib. § 8. & 9.

Senſus.

Senſuum cuſtodia commendatur. p.309. p. 3.c.1. §.4.

Officia, à quibus ſenſus abhorret, promptius ſubeunda. pag. 270. Ex.c. 4. §. 23.

Et quæ repugnant ſenſui propter obedientiam exequenda. pag.316. par.3.cap.1. §. 23.

Sepultura.

Corpus mortui tenendum uno die antequam ſepeliatur, niſi odor urgeat. pag. 386. par. 6. cap.4. §.3. & B. officium autem funebre quomodo dicendum. Ibid.C.

Silentium.

Silentium tenendum quando convenit. p. 309.p.3.c.1. §.4.

Societas IESV.

Ita appellata eſt à Pontificibus. pag. 254. Ex. cap. 1.§.1.

Quoties confirmata fuerit à ſummis Pontificibus. p.254. Ex.c.1. §.1.

Sæpe vocatur minima pag.254 Ex.c.1. §.1.& pag 282.procem.Conſt.§.1.& p.397. p.7. c.4.§.3. & ejus profeſſio minima p.325. p.4.c.1.§.ult.& humilis,ac ſubmiſſa.pag. 441.p.10.§ 6.

A Deo eſt inchoata, & ideo non mediis humanis, ſed divinis conſervanda. pag. 282. procem.Conſtitut. §.1.& pag. 439.p. 10.§.1.

Curandum ut augeatur numero.pag.286.p. 1.c.1.C. & p.297.p.2.c.1. §.1.

Orandum pro ejus conſervatione, & augmento.pag.439.par 10. §. 1. præſertim à Generali. pag. 434. par. 9. cap. 6. A.

Socii.

Domo egredientibus dandus à Superiore ſocius.p.308.p.3.c.1.§.3.

Et quidem talis, ut uterque alterius opera proficiat.p.334.p.4.c.4. F.

Et idem de Sociis Novitiorum in cubiculis.p.309.p.3.c.1.D.

De Sociis Miſſionum, vide *Miſſio.*

Somnus.

Dandum eſt ſomno tempus neceſſarium. p. 331.p.4.c.4.§.1.

Id eſt intra ſex & ſeptem horas. p.320.par.3. c.2.E.

Et omnino ſecundum præſcriptum medici.p.381.p.6.c.2.§.ult.

Servandus in ſomno ordo temporis. p.319. p.3. c. 2. B. & pag. 350. par. 4. cap. 10. §. 9.

Dandum ad ſomnum ſignum campana. p. 351.p.4. c.10.I.

Non eſt dormiendum ſine induſiis. p.320. p.3. c.2.E.

Status.

Receptus in aliquo ſtatu Societatis non debet curare ut mutetur. p.278. Ex.c.6.§.5. & p.373.p.5.c.4 §.5.

Poteſt tamen proponere. ibid.F.& pag.281. Ex.c.8.A.

Studia.

Studiorum labor debet ex obedientia & caritate ſuſcipi. pag. 336. par. 4. cap. 6. §.2.

Studiorum fundamentum eſt abnegatio, & aliæ virtutes. pag.322.par.4. procem. §. 1.

Item requiritur animæ puritas & recta intentio.pag.336. p.4.c.6.§.1.

Eorum finis eſt proximos juvare. p.351.p.4. c.11.§.1.

Eorum qualitas, & menſura ſumitur ex utilitate proximi. pag. 334. cap. 5. §.1.

Spe-

Spectenda etiam animi propenſio. Ibid. p. 335. C.

Nihil Deo gratius ſuo tempore p. 331. par. 4. cap. 4. §. 2. & pag. 336. cap. 6. §. 2.

Impedimenta omnia ſtudiorum removenda, p. 326. par. 4 c. 2 § 4. & p. 331. c. 4. §. 2. & p. 336. c. 6. §. 3.

In ſtudiis quis ordo ſervandus. pag. 354. p. 4. c. 13. §. 2.

Vide *Scholaſtici quantum ad ſtudia.*

Subminiſter

Numeratur inter officiales ſubordinatos. p. 271. Ex. c. 4. E.

Suffragium.

Suffragium ad decernendum aliquid in Congregatione generali non poteſt mitti in ſcriptis. pag. 410. p. 8. c. 3. C.

Ad quædam tamen alia poteſt, ut ad diſſolvendum Collegium. p. 326. par. 4 c. 2. A.

Vel ad eligendum Vicarium Generalis. pag. 430. p. 9. c. 4. §. 6.

Quis ordo, & ritus ſervandus ſit in ferendis ſuffragiis pro eligendo Generali. pag. 415. par. 8. cap. 6 §. 6. & C. D. F.

Non licet in electione Generalis mutare ſuffragium. p. 417. p. 8. c. 6. §. 8.

Suffragii jure privantur convicti de ambitu. pag. 413. par. 8. cap. 6. §. 2. & A.

Superiores quantum ad ipſos.

Superiores debent habere amorem Dei. p. 405. p. 8. c. 1. §. 8.

Et obedientiæ exemplo præire. p. 350. par. 4. c. 10. §. 8.

In officiis humilibus aliquando ſe exercere. p. 314 p. 3. c. 1 §. 19.

Eſt etiam in iis neceſſaria doctrina. pag. 348. p. 4. c. 10 §. 4 & præſertim in Generali. p. 422. p. 9. c. 2. §. 6.

Ex iis, quæ in Generali requiruntur, ſumere debent omnes quæ ſibi conveniant. pag. 439. p. 9. c. 6. I.

Multa eis poteſtas concedenda, Generali primum. p. 442. p. 10. §. 8.

Deinde etiam immediatis. p. 298. p. 2. c. 1. §. 2. & p. 348. par. 4. c. 10. §. 4.

Debent compati ſubditis, & tamen eos corrigere. pag. 421. p. 9. c. 2. §. 4. & in quibusdam indulgere. pag. 404. par. 8. cap. 1. G. quædam etiam relinquere arbitrio ſubditorum. Ib.

Eorum gubernatio debet præ ſe ferre amorem & curam ſubditorum. Ib.

Debent aliquando exercere ſubditos in obedientia & paupertate. p. 317. par. 3. c. 1. V.

Debent vitæ neceſſaria pro cujusque indigentia providere. pag. 382. pag. 6. cap. 2. N.

Poſſunt jubere in virtute Obedientiæ, & obligare ad peccatum. pag. 386. par. 6. c. 5.

Superiores facile pati poſſunt calumniam. p. 436. p. 9. c. 4. E.

Cum Superioribus magis Deus concurrit, propter ipſorum officium. pag. 410. p. 8. c. 3 § ult.

Quales Superiores, tales fere ſubditi. pag. 442. p. 10. § 8.

Superiores quantum ad ſubditos.

In Superiore non homo, ſed Chriſtus ſpectari debet.

debet. pag. 316. par. 3. c.1. §.23. & 24. & p.375. p.6.c.1.§ 1.
Ejusque vox, ut Dei, accipienda. pag. 270. Ex.c.4.§.30.
Et in ipſo Chriſtus reverendus, pag. 376. p. 6.c.1.§.2.
Et Chriſti loco habendus, p.332.p.4.c.4.§.3. & p.402.p.8.c.1.D.§.3.
Quia Chriſti vices gerit. p.373.p.5.c.4. §.5.
Et Dei loco nobis præeſt. p. 387. p.7. c. 1. §.1.
Et eſt interpres divinæ voluntatis. pag.391. p.7.c.2. A.
Et per ipſum à Dei providentia regimur. pag. 375. p.6.c.1.§.1.
Superiores diligendi ſunt ex animo, ut patres. pag.376.p.6.c.1.§.2.
Eis patefaciendi omnes defectus, virtutes, inclinationes. pag. 270. Ex. c.4. §.35. & pag.312. p.3.c.1.§. 12. & pag. 349. p. 4. c. 10. §.5.& p.376.par.6.c.1. §.2.
Et denique tota conſcientia in confeſſione, vel ſecretò. p.349.p.4.c.10 §.5.&pag. 376.p.6.c.1.§.2.
Debemus eſſe contenti, ut defectus noſtri ad eos deferantur. p.266.Exa.c.4.§.8.
Licet eis proponere quæ occurrunt. p. 373. p.5.c.4.F. & pa.395.p.7.c.2.I.
Præſertim ſi ſe conſtanter offerant ut bona. pag.281.Ex c.8.A.
Sed ſemper ſtandum judicio illorum. Ibid.
Priùs etiam orandum, nec poſteà urgendum. p.319.p.3. c.2.A.
Qui aliquid molitus eſt contra Superiores, dimittendus eſt à Societate. p.302. p.2. c. 2.D.

Superpelliceum.

Poſſunt eo uti, qui miniſtrant Miſſis majoribus. pag.383.p.6.c.3.B.§.2.

Syndicus.

Syndici officium eſt obſervare exteriora. pag.350.p.4.c. 10.§.7.
Et ad Superiorem referre, vel ipſum, qui errat, monere. p.313.p.3.c.1.§.16.
In univerſitatibus unus Syndicus generalis, & alii particulares conſtituendi ſunt. pag.363.p.4.c.17.§.7.
Syndicus conſtituendus pro Scholaſticis, ut bene ſtudeant. pag. 341. par. 4. c. 6. §.15.

Temperantia.

Servanda eſt in refectione corporis. pag. 309.p.3.c.1.§.5.

Tentationes.

Antevertendæ ſunt adhibitis earum contrariis. pag.312.p.3. c.1. §.13.
Nullæ celandæ Superiori, vel Confeſſario, aut Præfecto rerum ſpiritualium. pag. 312. par.3.c.1.§.12.

Teſtamenta.

Noſtri non poſſunt eſſe teſtamentarii, neque executores teſtamentorum, niſi ex diſpenſatione Generalis. pag.384.p.6. c. 3.§.7. & D.

Theologia.

Theologia tam Scholaſtica, quàm Poſitiva juvat ad ſcopum Societatis. pag.334.p.4. c.5.§.1.
Magis eſt propria inſtituti noſtri, quàm aliæ ſcientiæ. pag. 353.c.12.§.1.
In Scholaſtica legendus D. Thomas. pag. 356.p.4.c.14.§.1.
Poſſet etiam alius cum approbatione Generalis. Ibid.B.
Scholaſtica poſt artes, & ante Poſitivam diſcenda. pag. 337.p.4.c.6.§.4.
Et ad eam Artes diſponunt. pag. 353. c.12. §.3.
Theologiæ audiendæ communiter quatuor anni impendi debent; repetendæ, & actibus celebrandis duo. pag. 347. p.4.

p.4.c.9.§.3.& p. 358.c.15.§.3.& p. 367. p. 5. c.2. §.2.
Theologiæ curſus quarto quoque anno inchoandus, poteſt etiam ſecundo.pag.358. p.4.c.15.§.3.& D.
Non poteſt ſuſcipi obligatio dandi lectorem Theologiæ, niſi ex conſequenti in univerſitatibus p.343.p.4.c.7.E.

Tonſor.

Domeſticus potiùs quàm externus eſſe debet. pag.321.p.3.c.2.H.

Vacationes.

Debent eſſe aliquæ vacationes ſtudiorum ordinariæ ex judicio Provincialis. pag. 356.p.4.c.13.F.

Vanitas.

Vanitas mundi conculcanda.p.319.p.3. c. 2. C.
Vanarum rerum inſtrumenta habenda non ſunt. pag. 311. p. 3.c. 1.§.14. Ea verò quæ ſint. p.313.ibid. M.

Veſtitus.

Veſtitus noſter debet eſſe honeſtus, ad uſum regionis, & pauper. pag. 381. par.6. c.2.§.15. ut eo vitetur frigus, & indecorum. p.319 p.3 c.2.C.
Vnusquisque perſuadere ſibi debet ſibi viliſſimas veſtes datum iri pag. 269. Exa.c. 4. §.26.
Etiam in veſtitu tenenda eſt uniformitas, idque juvat ad unitatem animorum.pag. 405.p.8.c.1.§ 8.
Abſtinendum à pretioſis pannis.p. 381.p.6. c. 2. §.15.
Niſi occurrat neceſſitas. Ibid.M.
In particularibus dandum eſt unicuique, quod ei convenit.pag.319.par. 3.c.1.C.& pag.381.p.6.c.2.M.in fine.
Scholaſticorum veſtitus debet eſſe decentior, & commodior, quàm Novitiorum.p.319.p.3.c.2.C.
De veſtitu Generalis ſtatuet Societas. pag. 429.p.9. c.4.§.2.
Novitiorum veſtitus, vide *Novitii.*

Vicarius Generalis.

Vicarius in locum Generalis demortui debet nominari ab ipſo Generali ante mortem.pag.411.p. 8.c.4. §.1.
Alioqui eligi à Profeſſis præſentibus, vel vicinis. Ibid.A.
Debet ut plurimùm eſſe ex iis, qui adeſſe ſolebant Generali.Ibid.§.1.
Hujus officium eſt gubernare Societatem. Ibid. A.
Convocare Societatem ad eligendum Generalem.Ibid. §. 1.
Indicare de ambitu.pag.413.par.8.c.6.§.2.& A.
Decernere cenſuras.pag. 417. Ibid. I. habere exhortationem pag.413.p.8.c.6.§.1.
Abſolvere à cenſuris.pag.415. §.6.
Videre, & numerare ſuffragia. pag. 416. D. Exhibere reverentiam ante omnes Generali electo.pag.416.G.
In paribus ſuffragiis habet prærogativam. pag.410.p.8.c.3 §.2.
Si poſtuletur de ambitu, deferendus eſt ad quatuor antiquiſſimos.pag.413.p. 8. c. 6. A.
Ejus officium ceſſat electo Generali. p. 411 p.8 c.4. A.
Vicarius perpetuus quando Generalis eſſet inutilis, debet creari à Congregatione generali.pag.433.par.9.c.5.§.6.
Vel ſuffragiis per litteras miſſis. pag. 430. p.9. c.4.§.6.

Vel

Vel ab ipſo Generali cum approbatione Provincialium. Ibid.
Vicarium autem non perpetuum poteſt per ſe eligere Generalis in aliquo caſu. pag. 433. p. 9. c. 5. D.

Virtutes.

Majus momentum ponendum in virtutibus, quàm in donis naturalibus. pag. 440. p. 10. §. 2.
Vnicum noſtrum ſtudium eſſe debet proficiendi in virtutibus. pag. 317. par. 3. c. 1. §. 27. etiam ſine conſolationibus. pag. 311. §. 10.
Cavendum ne tepeſcat earum amor. pag. 331. p. 4. c. 4. §. 2.
In iis, qui petunt Societatem, requiritur, ut ſint amatores virtutis, & univerſæ perfectionis. pag. 287. p. 1. c. 2. §. 2. & 8.
Ad progreſſum virtutum multùm refert exemplum antiquorum. pag. 314. p. 3. c. 1. §. 19.
Virtutum exemplo valdè promoventur proximi. p. 397. p. 7. c. 4. §. 2.

Viſitatio.

Generalis poteſt viſitare Societatem. p. 405. p. 8. c. 1. H.
Viſitator ex commiſſione Generalis poteſt eligere Rectorem Vniverſitatis. p. 361. p. 4. c. 17. §. 1.
Poteſt etiam ei committi facultas admittendi in corpus Societatis. 366. p. 5. c. 1. B.
Poteſt tamen Generalis ejus acta reſcindere. pag. 428. p. 9. c. 3. §. ult.
Viſitatores Collegiorum etiam Profeſſi poſſunt in Collegiis ali. pag. 328. p. 4. c. 2. F.
Viſitare eſt proprium officium Provincialis. pag. 405. p. 8. c. 1. I.
Non debent noſtri viſitare Magnates, niſi valde amicos, aut valdè pios. pag. 380. p. 6. c. 2. §. 9.
Pro Viſitationibus nullum ſtipendium, aut eleemoſynæ admittendæ. pag. 379. p. 6. c. 2. § 7.

Uniformitas.

Retinenda inter noſtros in omnibus. pag. 283. procem. Declar. & pag. 417. p. 8. c. 6. §. 8.
Iuvat ad conſervationem Societatis. pag. 443. par. 10. §. 9.
Nihil permittendum, vel in doctrinâ, vel in judiciis, quod ei adverſetur. pag. 314. p. 3. c. 1. §. 18.
Procuranda in veſtitu. pag. 405. p. 8. c. 1. §. 8.
In cæremoniis Miſſæ. Ibid. & pag. 276. Ex. c. 5. §. 7.
In opinionibus, pag. 314. p. 3. c. 1. §. 18. & O.

Unio.

Societas ſine unione regi & conſervari non poteſt. pag. 400. p. 8. c. 1. §. 1.
Vnio Societatis in primis quærenda. pag. 282. procem. Conſt. §. 2.
Cur habeat particularem difficultatem in Societate. pag. 400. p. 8. c. 1. §. 1. A.
Amor Dei, & omnis virtus facilè efficit unionem. pag. 405. p. 8. c. 1. § 8.
Prætereà communicatio, & uniformitas, & obedientiæ vinculum. pag. 443. par. 10. §. 9.
Amor ſui, hoſtis unionis. pag. 405. p. 8. c. 1. §. 8.
Item judiciorum diverſitas. pag. 314. p. 3. c. 1. §. 18.
Ad unionem ſe omnes invicem hortari debent. pag. 315. p. 3. c. 1. §. 21. Eam qui ſcindit, dimittendus eſt. pag. 404. p. 8. c. 1. §. 5.

Univerſitas.

Vniverſitates juvare eſt majus bonum, quia univerſalius. pag. 392. p. 7. c. 2. D.

Poſſunt à Societate ſuſcipi.p.351. p.4. c.11. §.1.
Idque ad Generalem pertinet.Ibid. §.2. & pag.428.p 9.c.3.§.17.
Quomodò autem diſſolvi poſſint,vide *Generalis.*
Earum finis eſt,ut fructus latiùs pateat.pag. 351.p.4.c.11. §.1.
Dividuntur in tres facultates, linguarum, artium,& Theologiæ. pag.363. par.4.c. 17 §.5.
Earum autem officiales qui,& quot eſſe debeant.eodem capite toto.
Earum ſuperintendentia pertinet ad Generalem.pag. 424.p.9.c.3. §.4. Et earum Rectores ipſe creat.Ibid. pag. 427. §. 14.
Rector Vniverſitatis poteſt eſſe idem & Collegii.p.361 p.4.c.17.§. 1.& non debet eſſe Profeſſus ordinariè. pag 378. par. 6.c.2. §. 3.

Vocatio.

Cooperandum divinæ vocationi. pag.286. p.1.c.1.C.
In iis qui petunt Societatem examinanda vocatio pag.286.p.1.c.1.§ 3.
Signum eſt,non eſſe à Deo vocatum, qui non habet dotes idoneas Societati. pag. 307.p.3.c.1.§.1.
Omnes in ſua prima vocatione firmi eſſe debent..pag.259.Ex.c 2.§.6. & pag. 278. c.6.§.6.

Vota.

Vota eduntur ad majus meritum,& ſtabilitatem.pag.279.Ex.c.7.§.1.
Et ad uberiorem gratiam acquirendam, quia Deo magis uniunt.pag.316.p.3. c.1. T.
Et ſunt media ad melius conſequendum finem noſtrum.pag.255.Exa.c 1 §.3.
Tria vota Paupertatis,Caſtitatis, & Obedientiæ dicuntur eſſentialia,& obligant ad peccatum.pag.386.p.6.c.5.
Vota Novitiorum, vide *Novitii.*
Exacto biennio omnes votis ligari debent. pag.333.p.4.c.4.§.5.
Poteſt tamen,ſi Superior velit,differri.pag. 257.Ex.c.1.§.12.
Votis emiſſis poſt biennium non licet tranſire ad aliam Religionem. pag. 274. Ex.c.4. §.44.
Votorum ſolemnitas unde pendeat. pag. 371.p.5.c.4 A.
Noſtra omnia vota, & intelligenda & obſervanda ſunt juxta Conſtitutiones. pag. 370.p.5.c.3.§.3.& pag. 372.c.4.§.2.& 4.
Votorum renovatio facienda bis in anno. pag 333.p.4 c.4. §.5.
Imò & ſæpius, ſi Superiori videatur. pag. 373 p.5.c.4. H.
Quæ quidem renovatio non addit novam obligationem,ſed fit ad devotionis augmentum.pag.373.par.5.c.4.§.6.& H.
Ritus renovandi vota in feſtis ſolemnibus coram ſanctiſſimo Sacramento, aliquibus præſentibus,&c.Ibid.H.
Vota Profeſſorum, Coadjutorum, Scholaſticorum, quære in ſuis titulis.

Zelus.

Societas exercet ſe in zelo animarum. pag. 290.p.1.c.3.§.1.
Zelus ſyncerus animarum commendatur. pag 440.p.10.§.2.
Requiritur etiam in iis, qui recipiuntur ad Societatem. pag. 289. p.1. c.2. §.8.
Hic autem zelus complectitur omnia hominum genera. pag. 290.p.1.c.3.§.1.

Laus Deo, Virginique Matri.

REGV-

REGVLÆ SOCIETATIS IESV.

AVCTORITATE

Septimæ Congregationis Generalis auctæ.

Juxta editionem excuſam



ANTVERPIÆ

Apud JOANNEM MEVRSIVM.

SVPERIORVM PERMISSV.

AD
RELIGIOSOS
SOCIETATIS.

QVid novi habeat hæc editio, quoniam id deſiderari poſſe intelligebam, paucis hoc loco monendum cenſui. Acceſſerunt enim primùm quidem Regulæ Scholaſticorum Societatis, & Coadjutorum temporalium; quæ antehac ſeorſim excuſæ, nondum in commune hoc Regularum volumen relatæ fuerant. Deinde pluscula quoque alia variis paßim, tum Superiorum, tum aliorum Regulis, ex VII. *Congregationis Decreto* XCIII. *nuper adjecta. Nam cùm ex nonnullis partim Quintæ, partim Sextæ, Inſtructionibus, quas in poſterum ad directionem tantummodò retineri voluit, excerpta quædam fuiſſent, & Congregationi probata, quæ vim legis habere, atque obſervari omnino debere judicabat: ſingula in Regulas referri, ſuisque locis inſeri jußit. Quod nimirum in hac novâ editione præſtari cùm oporteret, id accuratè ut fieret, diligenter, ut ſperamus, elaboratum eſt. Romæ* II. *Februarii* M. DC. XVI.

BERNARDVS de ANGELIS
Secretarius Societatis IESV.

SVM-

SVMMARIVM EARVM CONSTITVTIONVM,

Quæ ad ſpiritualem Noſtrorum inſtitutionem pertinent, & ab omnibus obſervandæ ſunt.

1.

Conſtitutionum neceſſitas. In Prooem. Conſtit. §. 1.

QVAMVIS ſumma Sapientia & bonitas Dei Creatoris noſtri ac Domini ſit, quæ conſervatura eſt, gubernatura, atque promotura in ſuo ſancto ſervitio hanc minimam Societatem IESV, ut eam dignata eſt inchoare; ex parte verò noſtrâ interna caritatis & amoris illius lex, quam ſanctus Spiritus ſcribere, & in cordibus imprimere ſolet, potius quàm ullæ externæ Conſtitutiones, ad id adjutura ſit; quia tamen ſuavis diſpoſitio Divinæ providentiæ ſuarum creaturarum cooperationem exigit, & quia Chriſti Domini noſtri Vicarius ita ſtatuit, & Sanctorum exempla, & ratio ipſa nos ita docet in Domino; neceſſarium eſſe arbitramur Conſtitutiones conſcribi, quæ juvent ad meliùs in viâ inceptâ Divini obſequii procedendum, juxta inſtituti noſtri rationem.

Finis Societatis. In Exa. c. 1. §. 2.

2. Finis hujus Societatis eſt, non ſolum ſaluti & perfectioni propriarum animarum cum Divinâ gratiâ vacare; ſed cum eadem impensè in ſalutem & perfectionem proximorum incumbere.

Commoratio in quavis plaga. P. 3 c. 2. lit. G. & p. 6 c. 3. §. 5.

3. Noſtræ vocationis eſt diverſa loca peragrare, & vitam agere in quavis mundi plagâ, ubi majus Dei obſequium, & animarum auxilium ſperatur.

Ratio vivendi. In Ex. c. 1. §. 6.

4. Ratio vivendi in exterioribus juſtas ob cauſas, majus Dei obſequium ſemper intuendo, communis eſt: nec ullas ordinarias poenitentias vel cor-

corporis afflictiones ex obligatione ſubeundas habet, ſed illas aſſumere quivis poterit, quæ ſibi videbuntur cum approbatione Superioris ad majorem ſui ſpiritus profectum convenire; & quas propter eumdem finem Superiores eis poterunt imponere.

Pœnitentia nulla ordinaria, ſed quæ aſſumenda.

5. Ipſo initio ſui in Societatem ingreſſus, debet quisque generalem totius vitæ confeſſionem apud aliquem Sacerdotem à Superiore aſſignatum facere, & poſt eam ſacratiſſimum Chriſti Domini noſtri corpus ſumere: & ſic ſexto quoque menſe eodem modo generaliter ab ultimâ inchoando confitebitur. Et omnes tam Profeſſi, quàm formati Coadjutores ſemel ſingulis annis parati eſſe debebunt ad confeſſionem generalem, quæ ab ultimâ generali inchoëtur, ei quem Superior ſibi ſubſtituerit, faciendam.

Confeſſio generalis, Sacramentorum uſus, & examen conſcientiæ. In Exa.c.4. §.41. P.6.c.1.§.2.

6. Utantur quotidie omnes conſcientiæ ſuæ examinatione conſuetâ. Si Sacerdotes non fuerint, confiteantur oportet, & ſanctiſſimum Sacramentum Euchariſtiæ ſumant octavo quoque die: & unus omnium ſit Confeſſarius à Superiore conſtitutus: quod ſi fieri non poterit, quisque certè ſuum ſtabilem habeat Confeſſarium, cui ipſius conſcientia prorſus aperta ſit.

Examen conſcientiæ. P.3.c.1.§ 11. In Exa.c.4. §.15. & P.6.c.3.§.1. *Vnus omnium confeſſarius.* P.3.c.1.§.11.

7. Qui autem alii, quàm ſuo confeſſario deſignato confiteretur, debet poſtmodùm (quantùm recordari poterit) eidem ſuo Confeſſario totam ſuam conſcientiam aperire, ut nihil ignorando quod ad eam pertineat, meliùs in Domino poſſit eumdem juvare.

Propria Confeſſario aperienda conſcientia ſi quis alteri confeſſus fuerit. P.3.c.1.lit.Q.

8. Unusquisque eorum, qui Societatem ingrediuntur, conſilium illud Chriſti ſequendo, *Qui dimiſerit patrem*, &c. exiſtimet ſibi patrem, matrem, fratres, & ſorores, & quidquid in mundo habebat, relinquendum; imò ſibi dictum exiſtimet verbum illud: *Qui non odit patrem & matrem, inſuper & animam ſuam, non poteſt meus eſſe diſcipulus.* Et ita curandum ei eſt, ut omnem carnis affectum erga ſanguine junctos exuat, ac illum in ſpiritualem convertat; eosque diligat eo ſolùm amore, quem ordinata charitas exigit, ut qui mundo ac proprio amori mortuus, Chriſto Domino noſtro ſoli vivit, eumque loco parentum, fratrum, & rerum omnium habet.

Exuendus inordinatus ſæculi affectus. In Exa.c.4.§.7. *Amor Parentum in ſpiritualem convertendus.*

9. Ad majorem in ſpiritu profectum, & præcipuè ad majorem ſubmiſſionem & humilitatem propriam, contentus eſſe quisque debet, ut omnes errores & defectus ipſius, & res quæcumque, quæ notatæ in eo & ob-

Defectuum manifeſtatio. In Exa.c.4. §.2.

ſervatæ fuerint, Superioribus per quemvis, qui extra confeſſionem eas acceperit, manifeſtentur.

Correctio mutua. In Exa.c.4.§.8.

10. Boni etiam omnes conſulant ab aliis corrigi, & ad aliorum correctionem juvare, ac manifeſtare ſeſe invicem ſint parati debito cum amore & caritate ad majorem ſpiritus profectum: præſertim ubi à Superiore, qui illorum curam gerit, fuerit ita præſcriptum aut interrogatum ad majorem Dei gloriam.

Rerum humanarum contemptus. In Exa c.4.§.44.

11. Diligenter animadvertant oportet (magni faciendo ſummique momenti id eſſe ducendo in conſpectu Creatoris ac Domini noſtri) quantoperè juvet ac conferat ad vitæ ſpiritualis profectum omnino, & non ex parte abhorrere ab omnibus, quæ mundus amat & amplectitur; & admittere & concupiſcere totis viribus quidquid Chriſtus Dominus noſter amavit & amplexus eſt. Quemadmodùm enim mundani homines, qui ea quæ mundi ſunt ſequuntur, diligunt & quærunt magnâ cum diligentiâ, honores ſcilicet, famam, magni nominis exiſtimationem in terrâ, ſicut mundus eos edocet, ſic qui procedunt in ſpiritu, & ſeriò Chriſtum Dominum noſtrum ſequuntur, amant & ardenter exoptant, quæ iis omnino contraria ſunt, indui nimirum eadem veſte ac inſignibus Domini ſui pro ipſius amore ac reverentiâ: adeò ut ſi ſine offenſione ullâ Divinæ Majeſtatis, & absque proximi peccato foret, vellent contumelias, falſa teſtimonia, & injurias pati, ac ſtulti haberi & exiſtimari (nullâ tamen ad id per eos data occaſione) eò quòd exoptant aſſimilari, ac imitari aliquo modo Creatorem ac Dominum noſtrum IESVM Chriſtum, ejusque veſtibus & inſignibus indui: quandoquidem illa ipſe propter majorem profectum noſtrum ſpiritualem induit, nobisque exemplum dedit, ut in omnibus, quoad ejus fieri poterit, Divinâ gratiâ aſpirante, eum imitari & ſequi, cùm vera ſit via, quæ ducit homines ad vitam, velimus.

Contraria iis quæ mundi ſunt, amplectenda.

Abnegatio in rebus omnibus quærenda. In Exa.c.4.§.46.

12. Vt meliùs ad hunc perfectionis gradum in ſpirituali vitâ tam pretioſum perveniatur, majus ac impenſius ſtudium cujusque ſit quærere in Domino majorem ſui abnegationem, & continuam in rebus omnibus, quoad poterit, mortificationem.

Officia humilia promptiùs ſuſcipienda. In Exa.c.4.§.28.

13. In exercendis officiis abjectis & humilibus promptiùs ea ſuſcipi convenit, à quibus ſenſus magis abhorrebit: ſi quidem injunctum fuerit, ut in eis ſe exerceat.

14. An-

14. Antevertere oportet tentationes, adhibitis earum contrariis: ut cum quis animadvertitur ad ſuperbiam eſſe propenſus, exerceri is debet in rebus abjectioribus, quæ ad humiliandum ipſum utiles futuræ videantur: & ſic de aliis pravis animæ propenſionibus. *Tentationes antevertendæ adhibitis contrariis.* P.3.c.1.§.13.

15. Omnes conſtanti animo incumbamus, ut nihil perfectionis, quam Divina gratiâ conſequi poſſimus, in abſoluta omnium Conſtitutionum obſervatione, noſtrique inſtituti peculiari ratione adimplendâ, prætermittamus. *In abſolutâ Conſtitutionum obſervatione nil prætermittendum.* P.6.c.1.§.1.

16. Omnes, qui ſe Societati addixerunt, in virtutum ſolidarum ac perfectarum, & ſpiritualium rerum ſtudium incumbant: ac in hujuſmodi majus momentum, quàm in doctrinâ, vel aliis donis naturalibus & humanis conſtitutum eſſe ducant: illa enim interiora ſunt, ex quibus efficaciam ad exteriora permanare ad finem nobis propoſitum oportet. *Perfectionis, ſolidarumque virtutum ſtudium.* P.10.§.2.

17. Omnes rectam habere intentionem ſtudeant non ſolùm circa vitæ ſuæ ſtatum, verùm etiam circa res omnes particulares; id ſemper in eis ſincerè ſpectantes, ut ſerviant & placeant divinæ bonitati propter ſeipſam, & propter charitatem, & eximia beneficia quibus prævenit nos, potiùs quàm ob timorem pœnarum, vel ſpem præmiorum (quamvis hinc etiam juvari debeant) & in omnibus quærant Deum, exuentes ſe, quantum fieri poteſt, amore omnium creaturarum, ut affectum univerſum in ipſarum Creatorem conferant, eum in omnibus creaturis amando, & omnes in eo, juxta ſanctiſſimam ac divinam ipſius voluntatem. *Recta intentio in rebꝰ omnibꝰ.* P.3.c.1.§.26.

18. In concionibus domeſticis de iis crebrò tractent, quæ ad ſui abnegationem & in virtutibus profectum, & omnimodam perfectionem attinent; ad ea ſe invicem exhortando, & præcipuè ad unionem, & charitatem fraternam. *Quid in concionibus domeſticis tractandum.* P.3.c 1.§.21.

19. Magnoperè conferet, devotè, quoad fieri poterit, ea munera obire, in quibus magis exercetur humilitas & charitas. Et in univerſum loquendo, quantò aliquis ſe arctiùs Deo adſtrinxerit, & liberaliorem erga ſummam majeſtatem ſe præſtiterit, tantò eum in ſe liberaliorem etiām experietur, & ipſe in dies magis idoneus erit ad gratias, & dona ſpiritualia uberiora recipienda. *Munera, in quibus magis exercetur humilitas & charitas, obeunda.* P.3.c.1.§.22.

Cura interioris hominis ſpiritualis. P.5.c.4 §.5.& in Exa.c.6.§.5.& 6.

20. Poſtquàm aliquis in corpus Societatis cooptatus fuerit in aliquo gradu, ad alium progredi curare non debet, ſed in ſuo perfici, & obſequio Dei & gloriæ ſeſe impendere.

Studium devotionis. P.3.c.1.§.20.

21. Omnes ſuum tempus rebus ſpiritualibus impendant, & devotioni quærendæ pro menſurâ gratiæ Dei ipſis communicatæ inſiſtant.

Ab illuſionibus cavendum. P.3.c.1.§.10.

22. Ab illuſionibus dæmonis in ſuis ſpiritualibus exercitationibus caveant, & ſe contra omnes tentationes tueantur: ſimul rationes ſciant, quæ adhiberi poſſint, ut eas ſuperent: & ad veras ſolidasque virtutes conſequendas inſiſtant, ſive plures adſint viſitationes ſpirituales ſive pauciores: curent verò ſemper in viâ divini ſervitii progreſſum facere.

Paupertas diligenda, & conſervanda. P.6.c.2.§.1.

23. Paupertas, ut murus religionis firmus, diligenda, & in ſuâ puritate conſervanda eſt, quantum divinâ gratiâ aſpirante fieri poterit.

Ejus aliqui effectus experiendi. P 3.c.1.§.25.& §.7. P.6.c.2.§.10.

24. Diligant omnes paupertatem, ut matrem, & juxta menſuram ſanctæ diſcretionis ſuis temporibus ejus effectus aliquos experiantur: nullâque re tamquam propriâ utantur: paratique ſint ad mendicandum oſtiatim, quando vel obedientia, vel neceſſitas id exiget.

Viliſſima optanda. In Ex.c.4.§.26.

25. Victus, veſtitus, & lecti ratio erit ut pauperibus accommodata: & unusquisque ſibi perſuadeat, quòd quæ viliſſima erunt ex iis quæ domi ſunt, ei tribuentur propter ipſius majorem abnegationem & ſpiritualem profectum.

Dari mutuò vel diſpenſari nil poteſt inſcio Superiore. P.3.c.1. §.8.

26. Intelligant omnes, quòd mutuò dare, vel accipere, vel diſpenſare quidquam de iis quæ domi ſunt, minimè poſſunt, niſi Superior conſcius conſenſum præſtiterit.

Nihil pro miniſteriis accipiendum. P.6.c.2 §.7.& in Exa.c.1.§.3.

27. Omnes, qui ſub obedientiâ ſunt Societatis, meminerint ſe gratis dare debere, quæ gratis acceperunt, nec poſtulando, nec admittendo ſtipendium vel eleemoſynas ullas, quibus Miſſæ, vel Confeſſiones, vel Prædicationes, vel quodvis aliud officium ex iis, quæ Societas juxta noſtrum inſtitutum exercere poteſt, compenſari videatur: ut ſic majori cum libertate poſſit, & proximorum ædificatione in divino ſervitio procedere.

28. Quæ

28. Quæ ad votum caſtitatis pertinent, interpretatione non indigent, cùm conſtet, quàm ſit perfectè obſervanda, nempe enitendo Angelicam puritatem imitari & corporis & mentis noſtræ munditiâ. *Caſtitas.* P.6.c.1.§.1.

29. Omnes diligentiſſimè curent portas ſenſuum ſuorum (oculorum præcipuè, aurium, & linguæ) ab omni inordinatione cuſtodire, ac ſe in pace & verâ humilitate internâ conſervare, & eam in ſilentio, cùm id obſervandum eſt, cùm autem loquendum, in circumſpectione & ædificatione verborum, & modeſtiâ vultus, ac maturitate inceſſus motuumque omnium, ſine ullo impatientiæ, aut ſuperbiæ ſigno exhibere: in omnibus rebus procurando atque optando potiores partes aliis deferre, omnes in animo ſuo tamquàm ſibi ſuperiores ducendo, & exteriùs honorem ac reverentiam, quam exigit cujusque ſtatus, cum ſimplicitate & moderatione religiosâ exhibendo: atque ita fiat, ut ſe mutuò conſiderantes in devotione creſcant, Deumque Dominum noſtrum laudent, quem quisque in alio, ut in illius imagine, agnoſcere ſtudeat. *Senſuum cuſtodia.* P.3.c.1.§.4. *Modeſtia.* *Deus in aliis agnoſcendus.*

30. In refectione corporis curandum eſt, ut temperantia, modeſtia, & decentia interiùs & exteriùs in omnibus obſervetur. Præmittatur benedictio, & ſequatur actio gratiarum; quas omnes agere debent cum eâ, qua par eſt, devotione & reverentiâ. Et dum corpus edendo reficitur, ſua etiam animæ refectio præbeatur. *In refectione corporis temperantia & decentia.* P.3.c.1.§.5.

31. Expedit in primis ad profectum, & valdè neceſſarium eſt, ut omnes perfectæ obedientiæ ſe dedant; Superiorem (quicumque ille ſit) loco Chriſti Domini noſtri agnoſcentes, & internâ reverentiâ & amore eum proſequentes: nec ſolùm in executione externâ eorum, quæ injungit, integrè, promptè, fortiter, & cum humilitate debitâ, ſine excuſationibus obediant, licet difficilia & ſecundùm ſenſualitatem repugnantia jubeat; verùm etiam conentur interiùs reſignationem & veram abnegationem propriæ voluntatis & judicii habere, voluntatem ac judicium ſuum cum eo quod Superior vult & ſentit, in omnibus (ubi peccatum non cerneretur) omnino conformantes, propoſitâ ſibi voluntate ac judicio Superioris pro regulà ſuæ voluntatis & judicii, quò exactiùs conformentur primæ ac ſummæ regulæ omnis bonæ voluntatis & judicii, quæ eſt æterna Bonitas & Sapientia. *Obedientia.* P.3.c.1.§.23. *Superior loco Chriſti agnoſcendus.* *Abnegatio voluntatis & judicii.*

32. Liberam ſui ipſorum, rerumque ſuarum diſpoſitionem omnes cum verâ obedientiâ Superiori relinquant, nihil ei clauſum, ne conſcien- *Omnia Superiori detegenda.* P.4.c.10.§.5.

tiam quidem propriam, tenendo, non repugnando, non contradicendo, nec ullâ ratione judicium proprium ipſius judicio contrarium demonſtrando: ut per unionem ejusdem ſententiæ & voluntatis, atque per debitam ſubmiſſionem meliùs in Divino obſequio conſerventur & progrediantur.

Obedintia perfectiſſimè ſervanda. P.6 c.1. §.1.

33. Omnes obedientiam plurimùm obſervare, & in eâ excellere ſtudeant, nec ſolùm in rebus obligatoriis, ſed etiam in aliis, licet nihil aliud, quàm ſignum voluntatis Superioris ſine ullo expreſſo præcepto videretur. Verſari autem debet ob oculos Deus Creator ac Dominus noſter, propter quem homini obedientia præſtatur: & ut in ſpiritu amoris, & non cum perturbatione timoris procedatur, curandum eſt.

Ad Superioris vocem litterâ inchoata relinquenda. Ibid.

34. Ad Superioris vocem perinde, ac ſi à Chriſto Domino egrederetur, quàm promptiſſimi ſimus, re quavis, atque adeò litterâ à nobis inchoatâ, necdum perfectâ, relictâ.

Obedientia omni ex parte perfecta. Ibid.

35. Ad eum ſcopum vires omnes, ac intentionem in Domino convertamus, ut ſancta obedientia tum in executione, tum in voluntate, tum in intellectu, ſit in nobis ſemper omni ex parte perfecta; cum magnâ celeritate, ſpirituali gaudio & perſeverantiâ, quidquid nobis injunctum fuerit obeundo; omnia juſta eſſe nobis perſuadendo; omnem ſententiam, ac judicium noſtrum contrarium cæcâ quadam obedientiâ abnegando.

In obediendo, ut cadaver & baculus regi ſe ſinant. Ibid.

36. Quisque ſibi perſuadeat, quòd qui ſub obedientiâ vivunt, ſe ferri ac regi à Divinâ providentiâ per Superiores ſuos ſinere debent perinde, ac ſi cadaver eſſent, quod quoquoverſus ferri, & quacumque ratione tractari ſe ſinit: vel ſimiliter atque ſenis baculus, qui ubicumque & quacumque in re velit eo uti, qui eum manu tenet, ei inſeruit.

Pœnitentiæ implendæ. In Exa.c.4.§.33. *Etiam ob defectum non culpabilem injunctæ.* P.3.c.1.§ 15. In Exa.c.4.§.29.

37. Adimplere quisque debet quasvis pœnitentias, quæ propter defectus & negligentiam ſuam, vel quidvis aliud fuerint injunctæ. Pœnitentias vero hujusmodi promptâ voluntate quisque admittere deberet, cum vero emendationis & ſpiritualis profectus deſiderio, etiamſi propter defectum non culpabilem injungerentur.

38. Cùm aliquis ad miniſteria culinæ obeunda ingreditur, vel ad eum juvandum, qui coquus eſt, eidem obedire cum magnâ humilitate in rebus omnibus ad ipſius officium pertinentibus debet. Atque valdè neceſ-

neceſſarium eſt, ut omnes non ſolùm Superiori Societatis, vel Domus, ſed etiam ſubordinatis officialibus, qui ex illo auctoritatem acceperunt, obediant: & aſſueſcant non intueri, quis ille ſit cui obediunt, ſed potiùs quis ille ſit, propter quem, & cui, in omnibus obediunt, qui eſt Chriſtus Dominus. *Etiam ſubordinatis obediendum.* P.3.c.1.§.24.

39. Si aliquis ex iis qui Domi ſunt, cuiquam ſcriberet, non niſi obtentâ facultate, & litteris ei oſtenſis quem Superior deſtinaverit, id faciet. Si ad eumdem litteræ mitterentur, ei primò reddentur, qui à Superiore fuerit conſtitutus: qui eas lectas reddet, aut non reddet, illi ad quem ſunt deſtinatæ, prout in Domino expedire ad majus ipſius bonum, & Dei gloriam exiſtimabit. *Litteræ oſtendendæ.* P.3.c.1.lit.B. & in Exa.c.4.§.6.

40. Quicumque hanc Societatem in Domino ſequi volet, & in eadem ad majorem Dei gloriam manere; ſub ſigillo confeſſionis, vel ſecreti, vel quacumque ratione ei placuerit & ad majorem ipſius conſolationem fuerit, debet conſcientiam ſuam magnâ cum humilitate & caritate manifeſtare, re nullâ, quâ Dominum univerſorum offenderit, celatâ; & totius anteactæ vitæ rationem integram, vel certè rerum majoris momenti Superiori, qui tum fuerit Societatis, vel cui ex Præpoſitis vel aliis ex inferioribus ille injungeret, prout magis convenire videretur, reddat: & ſexto quoque menſe rationem hanc ſui, ab ultimâ, quam reddiderit, incipiendo quisque reddet. Sic etiam videtur, quòd Coadjutores formati & Profeſſi ſingulis annis, vel crebrius ſi Superiori videbitur, ſuæ conſcientiæ rationem dicto modo ei reddant. *Reddenda ſui ratio, & quando.* In Ex.c.4 §.36. Ibid.§.46.& p. 6.c.1.§.2.

41. Nullam debent celare tentationem, quam Præfecto rerum ſpiritualium, vel Confeſſario, vel Superiori non aperiant: imò verò totam animam ſuam illis integrè manifeſtam eſſe, pergratum habeant: nec ſolùm defectus aperiant, ſed etiam pœnitentias, vel mortificationes, & devotiones, ac virtutes omnes, voluntate purâ optantes ab illis dirigi, ſicubi à rectitudine deflecterent; nolentes ſuo proprio ſenſu duci, niſi conveniat cum judicio illorum, quos Chriſti Domini noſtri loco habent. *Tentatio nulla celanda.* P.3 c.1.§.12.

42. Idem ſapiamus, idem, quoad ejus fieri poſſit, dicamus omnes, juxta Apoſtolum. Doctrinæ igitur differentes non admittantur, nec verbo in concionibus publicis, nec ſcriptis libris; qui quidem edi non poterunt in lucem ſine approbatione atque conſenſu Præpoſiti Generalis. Imò & judiciorum de rebus agendis diverſitas, quæ mater eſſe ſolet diſcordiæ, *Unio, & conformitas mutua.* P.3 c.1.§.18. *Libri ſine approbatione & conſenſu Gener. non imprimendi.*

diæ, & inimica unionis voluntatum, quantum fieri poteſt, evitari debet. Unio verò & conformitas mutua diligentiſſimè curanda eſt, nec quæ ei adverſantur permittenda: quò juncti invicem fraternæ caritatis vinculo, meliùs & efficaciùs poſſint ſe Divino obſequio, & auxilio proximorum impendere.

Animorum propenſio. P.10. §.11.

43. In Societate nec ſit nec ſentiatur animorum propenſio ad partem alterutram factionis, quæ eſſet fortaſſis inter Principes vel Dominos Chriſtianos: ſed ſit potiùs quidam univerſalis amor, qui partes omnes (licet ſibi invicem contrariæ ſint) in Domino noſtro amplectatur.

Otium vitandum. P.3.c.1.§.6.

44. Omnes quam diu corpore benè valent, in ſpiritualibus vel exterioribus habeant in quo occupentur, ne otium malorum omnium origo, quoad ejus fieri poſſit, Domi noſtræ locum habeat.

Rerum ſecularium procuratione abſtinendum. P.6 c.3 §.7.

45. Ut pleniùs poſſit Societas rebus ſpiritualibus juxta ſuum inſtitutum vacare, quoad ejus fieri poterit, à negotiis ſæcularibus abſtineat (qualia ſunt teſtamentariorum, vel executorum, vel procuratorum rerum civilium, aut id genus officia) nec ea ullis precibus adducti obeunda ſuſcipiant, vel in illis ſe occupari ſinant.

Ratio habenda valetudinis. P.3.c.2.§.1.

46. Ut nimia ſollicitudo in iis quæ ad corpus pertinent, reprehenſibilis eſt; ita moderata tuendæ ad Divinum obſequium valetudinis ac virium corporis laude digna, & ab omnibus adhibenda eſt: & eâ de causâ cùm animadverterint aliquid ſibi nocere, vel aliud neceſſarium eſſe circa victum, veſtitum, habitationem, officium, aut exercitationem, & ſic de aliis rebus, admoneant omnes eâ de re Superiorem, vel quem ad id Superior conſtituerit, duo interim obſervantes: Primum, ut antequam ad eum quid referant, ſe ad orandum recipiant, & poſt orationem ſi ſenſerint rem deferendam ad Superiorem, id faciant: Alterum, ut cùm verbo aut ſcripto brevi (ne excidat memoria) Superiori rem expoſuerint, ei totam curam rei expoſitæ relinquant, & quidquid ille ſtatuerit, optimum ducant: nec contendere, aut urgere per ſe, vel alium (ſive concedatur quod petitur, ſive non) pergant, quandoquidem ſibi perſuadere debent, id magis expedire ad Divinum obſequium, ac ſuum majus bonum, quod Superiori, re intellectâ, in Domino viſum fuerit.

Exercitia mentalia, externis interrumpenda. P.3.c.2.§.4.

47. Ut non expedit tanto labore corporali quemquam onerari, ut ſpiritus obruatur, & corpus detrimentum patiatur; ita aliqua corporalis exercitatio, quæ utrumque juvet, omnibus communiter convenit, etiam illis, qui mentalibus exercitiis debent inſiſtere: quæ quidem externis interrumpi deberent, & non continuari, nec ſine menſurâ diſcretionis aſſumi.

48.

48. Corporis caſtigatio immoderata eſſe non debet, nec indiſcreta, in vigiliis & abſtinentiis, & aliis pœnitentiis externis ac laboribus, quæ & nocumentum afferre, & majora bona impedire ſolent. Ideo ſuo Confeſſario detegi ab unoquoque convenit quidquid in hac parte faciat. *Corporis caſtigatio non ſit immoderata, & Confeſſario aperienda.* P.3.c.2. §. 5.

49. Ægritudinis tempore non ſolum obſervare unuſquiſque obedientiam magna cum puritate debet erga Superiores ſpirituales, ut ipſius animam regant; ſed cum eadem humilitate erga medicos corporales, & Infirmarios, ut corpus ejus regant. *Æger etiam medicis & Infirmariis obediat.* In Ex.c.4.§.32.

50. Qui ægrotat, humilitatem & patientiam ſuam præſeferendo, non minorem ædificationem, dum morbo laborat, iis qui ipſum inviſent, & cum eo verſabuntur & agent, quam dum valebat corpore, ad majorem Dei gloriam præſtare curet, verbis piis & ad ædificationem facientibus utendo, quæ oſtendant ægritudinem acceptari ut donum de manu Creatoris ac Domini noſtri: quandoquidem non minus donum eſt, quam ſanitas. *Ædificet adſtantes.* In Ex.c.4.§.32. P.3.c.1. §.17.

51. Aliquoties ſingulis annis omnes a Superiore ſibi pœnitentias injungi propter defectum obſervationis Regularum petant: ut hæc cura indicium ſit illius, quam de ſuo profectu ſpirituali in via Dei quisque habet. *Pœnitentiæ petendæ.* P.3.c.1. §.28.

52. Omnes demum obſervationi Conſtitutionum ſtudeant: ad quam easdem ſcire, ſaltem quæ ad quemlibet pertinent, neceſſe eſt. Quare legere vel audire easdem ſingulis menſibus oportebit. *Conſtitutiones ac regulæ obſervandæ & legendæ.* P.10. §.13.

R E G V L Æ

C O M M V N E S.

1 Singuli præfinitum ſibi tempus ſuæ conſcientiæ bis quotidie examinandæ, orationi, meditationi, lectionique impendant cum omni diligentia in Domino. *Examen conſcientiæ, oratio, & lectio.* P.4.c.3.§.3. & 4.

2. Omnes quotidie Sacro decenter interſint: & concionem lectionemve ſacram, cum in templo noſtro habebitur, audiant. *Sacrum & concio.* P.4.c.4.§.3.& 4.

3. Singuli ſtatuto die, & aſſignato ſibi Confeſſario confiteantur, & non alteri ſine Superioris facultate. *Confeſſio.* P.3.§.1.§ 11. & p. 6.c.3. §.3. & in Bul. 3. Pauli III.

Quid in renovatione votorum. P.4.c.4. §.5.& c. 10 § 5 & p 5.c.4. §.6.& Exa.c.4. §. 38.& 41.

4. Omnes (qui Profeſſi,aut formati Coadjutores non ſunt) bis in anno ſua vota renovabunt, præmiſſa confeſſione generali; quo tempore rationem ſuæ conſcientiæ reddent, & quoties etiam Superiori viſum fuerit, juxta morem Societatis.

Abſtinentia.

5. In abſtinentia ſextæ feriæ, Societatis conſuetudo ſervetur.

Mortificatio publica.

6. Nullus mortificationem publice faciat, nec concionetur, niſi Superiore approbante.

In Ex c.4.§.4. *Pecunia.*

7. Nemo pecuniam apud ſe habeat, aut apud alium vero, nec pecuniam, nec quidquam aliud.

Libri. P.4.c.6.lit.G.

8. Libros nemo habeat ſine facultate: in iis vero quibus uti licet, nec ſcribat quidquam, nec notam ullam imprimat.

Nihil uſurpandum.

9. Nemo rem ullam ex domo, vel ex alterius cubiculo ſibi uſurpet, aut ab externo, quovis modo ſibi aut alii accipiat, ſine Superioris licentia.

Lingua regionis addiſcenda. P.4.c.6. §.13.

10. Ad majorem unionem eorum qui in Societate vivunt, majusque auxilium eorum apud quos habitant, ſinguli addiſcant ejus regionis linguam, in qua reſident, niſi forte ipſorum nativa illic eſſet utilior: ſalua tamen Latini ſermonis lege in iis, qui litteris dant operam.

Nihil obſerandum.

11. Nullus ita cubiculum ſuum claudat, quin aperiri extrinſecus poſſit, aut arcam, ſeu quidquam aliud habeat obſeratum absque Superioris facultate.

Noctu ut dormiendum. P.3.c.2.lit. E.

12. Aperta feneſtra nemo noctu dormiat, nec ſine induſio, aut non coopertus.

Veſtitus decentia.

13. Nemo cubiculo egrediatur, niſi decenter veſtitus.

Coadjutores ne legere addiſcant. In Ex.c.6.§.6.

14. Nemo eorum, qui ad domeſtica miniſteria admittuntur, aut legere diſcat aut ſcribere, aut ſi aliquid ſcit, plus litterarum addiſcat: nec quiſquam eum doceat ſine Præpoſiti Generalis facultate: ſed ſatis ei erit ſancta cum ſimplicitate & humilitate Chriſto Domino noſtro ſervire.

Obedientia perfectio. P.4.c.10.§.9.

15. Signo campanæ conſtitutis horis audito, omnes ſtatim vel imperfectâ litterâ relictâ, ad id, ad quod vocantur, ſe conferant.

Bibere aut comedere extra tempus non licet.

16. Vt conſulatur valetudini, nemo extra conſueta tempora bibat, nec extra domum cibum ſumat absque facultate Superioris.

17. Qui male ſe habere præter ſolitum ſenſerit, id Infirmario, vel Præfe-

Præfecto ſanitatis, aut Superiori referat. Nemo vero medicinam ullam accipiat, aut medicum eligat, vel conſulat, niſi approbante Superiore. *Quid malè habenti agendũ. P.3.c.2.§ 6.*

18. Singuli, etiam ſi Sacerdotes ſint, cum primum ſurgunt, lectum operiant, eumque & reliqua componant hora conſueta, & ſcopis cubiculum verrant tertio ſaltem quoque die, exceptis iis, qui ob occupationes majoris momenti, aut valetudinis cauſa, judicio Superioris ſublevandi ſunt. *Lectus componendus. Verrendum cubiculum.*

19. Mundities, quæ & ad valetudinem & ad ædificationem confert, omnibus curæ ſit, tam circa ſe ipſos quam circa alia omnia. *Mundities.*

20. Qui gravem tentationem alicujus noverit, Superiorem admoneat, ut ei ipſe, pro paterna in ſuos cura ac providentia, convenienti remedio poſſit occurrere. *Tentatio aliena aperienda.*

21. Quæ à Superioribus circa adminiſtrationem agenda ſunt, nemo curioſe ab aliis exquirat, aut conjecturam faciendo de iis ſermonem miſceat: ſed unusquisque ſibi ac muneri ſuo attendens, quidquid de ſe atque aliis conſtituendum erit, tamquam de manu DEI expectet. *Quæ ad regimen ſpectant, non exquirenda.*

22. Omnes caput aperiant ſuis Superioribus, & Sacerdotibus ii qui Sacerdotes non ſunt; diſcipuli etiam ſuis Præceptoribus. Vnusquisque autem Superiores alloquatur magna cum reverentia: is vero, quem Superior alloquitur, aut reprehendit, humiliter & ſine interpellatione audiat. *Caput quibus aperiendum.*

23. Si cui a Superiore denegatum aliquid fuerit, alium Superiorem ne adeat ſuper eâ re, quin ei aperiat, quid ſibi ab alio fuerit reſponſum, & quas ob cauſas negatum. *Re a Superiore denegata, quid cum alio agendum.*

24. Cui fuerit alicujus rei cura commiſſa, ſi impedimentum aliquod intervenerit, mature admoneat aliquem ex Superioribus, ut provideat. *Occupatus Superiorem moneat.*

25. Nemo cum ex uno loco in alium proficiſcitur, quidquam ſecum aſportet ſine facultate Superioris. *Nihil ſecum ferendum.*

26. Extra tempora recreationi aſſignata, hac ratione ſilentium ſervandum eſt, ut nemo loquatur, niſi obiter & perpaucis, aut de rebus neceſſariis, præſertim in Eccleſia, ſacriſtia, & refectorio: in Miſſa vero, concione, *Silentium ubi, & quando.*

ne, menſa, lectionibus, & diſputationibus, ſi quid privatim dicere neceſſe erit, breviſſime, & ſubmiſſa voce ſuggeratur.

Cum iis, qui ſunt in primâ probatione, nō loquendum. P.1.c.4.§.4.lit.A.

27. Nemo, præter eos qui à Superiore deputati fuerint, loquatur cum iis qui in prima probatione verſantur: excipiuntur tamen uſitatæ ſalutationes, quas cum alii aliis obvii fiunt, charitas religioſa exigit.

Modeſtia in loquendo.

28. Omnes demiſſa voce, ut religioſos decet, loquantur: nulluſque cum alio contendat: ſed ſi qua in re nobis eſt diverſa ſententia, eaque videtur manifeſtanda, rationes modeſte & cum charitate afferantur, eo animo ut ſuus veritati ſit locus, non ut in ea re Superiores videantur.

Ægroti quomodo inviſendi.

29. Qui facultate accepta ægrotos inviſent, non ſolum demiſſa voce loquantur, ſed tanta etiam moderatione, ut illis moleſti non ſint, atque de iis agant, quæ & conſolari ægrotos, circumſtanteſque ædificare in Domino poſſint.

Nationes omnes pari affectu amplectendæ. P.16.§.11.

30. Caveant ſibi omnes ab illo affectu, quo aliæ de aliis nationibus ſiniſtre ſentire aut loqui ſolent: quin potius & bene ſentiant, & peculiari affectu diverſas a ſuâ nationes proſequantur in Domino: ac proinde nemo bella contentioneſve inter Chriſtianos Principes in colloquium inducat.

31. Nemo præter eos quibus per Superiorem licet, quidquam aliis jubeat, alioſve reprehendat.

Alterius officium & locus P.4. c.15. §.6.

32. In alterius officium nemo ſe ingerat: in locum vero alieno miniſterio deputatum nullus ingrediatur ſine facultate Superioris, aut Præfecti illius loci, in rebus neceſſariis.

Alterius cubiculum quomodo ingredi liceat. P.3 c.1.lit. D.

33. Nemo in alienum cubiculum ingrediatur, ſine generali aut ſpeciali Superioris facultate: quod ſi aliquis intus ſit, non priùs aperiat oſtium, quam poſt pulſum audiat, *Ingredere*; & tamdiu aperta ſit janua, quamdiu intus unà fuerint.

Tactus mutuus. *Amplexus.*

34. Vt ea, quæ religioſos decet, gravitas & modeſtia retineatur, nemo alium etiam joco tangat, præterquam in ſignum caritatis amplexando, cum quis aut abit, aut redit peregrè.

Aperire caput in menſa.

35. Nemo dum menſæ accumbit, cuiquam ex noſtris, præterquam ei Superiori qui præeſt toti Domui aut Collegio, caput aperiat. Et cum aliquid in menſa cuiquam deeſt, is qui illi aſſidet, admoneat eum qui miniſtrat.

36. Do-

36. Domi nemo loquatur cum externis, aut alios ad id vocet ſine facultate generali aut particulari Superioris. *Loqui cum externis.*

37. Nemo cujusquam externi ad domeſticum, aut domeſtici ad externum mandata deferat, aut litteras, inſcio Superiore: ſæculares autem rumores qui foris audiuntur, ne temere & ſine fructu narrentur. *Litteræ, aut mandata.*

38. Nemo quæ Domi acta vel agenda ſunt, externis referat, niſi Superiori id probari intelligat. Conſtitutiones vero, alioſve hujuſmodi libros aut ſcripto, quibus Societatis inſtitutum vel privilegia continentur, non niſi ex Superioris expreſſo conſenſu iis communicet. *Res domeſticæ non referendæ.*

39. Nemo ſcriptas dabit aut mittet cuiquam externo vel domeſtico inſtructiones ſpirituales aut meditationes; nec exercitia ſpiritualia Societatis alicui communicabit, niſi a Superiore id approbetur. *Inſtructiones ſpirituales ſcriptæ, &c.*

40. Nemo ab externis conſilium petat ſine facultate Superioris. *Conſilium ab externis.*

41. Nemo cujusquam negotii, etiam pii, ſine facultate Superioris curam ſuſcipiat, nec ad id operam ſuam promittat, aut ſe propenſum oſtendat: ſæcularia vero negotia, ut quæ ſunt à noſtro inſtituto aliena, & vehementer a ſpiritualibus avocant, multo magis averſari convenit. *Negotia.* P.6.c.3.§.7. & p. 9. c. 6. §. 4.

42. Omnes, pro ratione ſui gradus, datâ commoda occaſione, enitantur piis colloquiis proximum ad meliora promovere; & conſilio ac exhortatione ad bona opera, præſertim ad confeſſionem, excitare. *Proximus ad bonum promovendus.* P.7.c 4.§.8.& in Exa.c.6. §.4.

43. Nullus Domo egrediatur, niſi quando, & cum quo ſocio Superiori viſum fuerit. *Cum ſocio egrediendum.*

44. Cum quis facultatem à Superiore petit aliquo eundi, ſimul etiam aperiat, quo, & cujus rei cauſa ire velit; præſertim ſi Prælatus aut alius vir primarius conveniendus ſit: eademque die referat eidem quid egerit, ſicut ipſum velle intelliget, & res poſtulaverit. P.3. c. 1. §.3. & in Exa.c.4. § 25. *Aperiendum quo, & ad quid eundum, &c.*

45. Ingreſſuri, egreſſurive Domo, tintinnabulum nec vehementius, nec crebrius pulſent, quam par eſt. Nemo autem niſi conſueta Domus janua egrediatur vel ingrediatur. *Tintinnabulum januæ.*

46. Qui Domo egrediuntur, ſignabunt ſua nomina, quæ prope oſtium Domus in tabula deſcripta ſunt, & admonebunt janitorem, quo ſint profecturi. *Nomina ſignanda.*

Quando exeundum, redeundum. 47. Omnes ante noctem, qui foris ſunt, ſe Domum recipiant: nec egredientur ante lucem ſine facultate Præpoſiti, vel Rectoris.

Ad noſtrorum Domos divertendum. 48. Cum quis iter faciens tranſit per locum, ubi Domus aut Collegium Societatis ſit, ad aliud hoſpitium ne divertat; ejusque, qui illic præeſt, obedientiæ ſubſit in omnibus, ſicut & reliqui, qui in eadem Domo vel Collegio commorantur. Quod ſi quis etiam ad negotia tractanda venerit, ea non niſi ex ejusdem conſilio ac directione tractabit.

Lectio Regularum. *P. 4. c. 10. lit. F.* 49. Singuli has regulas & officiorum ſuorum habeant atque intelligant, ſibique faciant familiares, ac earum memoriam, menſibus ſingulis eis legendis vel audiendis, renovent: qui tamen peculiaria miniſteria Coadjutorum obeunt, eas, quæ ad ipſorum officia pertinent, ſingulis hebdomadis repetant.

REGULÆ
PROVINCIALIS

De iis, quæ ad ejus perſonam, & communem totius Provinciæ adminiſtrationem ſpectant.

CAPUT I.

Quæ a Provinciali ſervanda. 1. QVæ Præpoſitis Domorum & Rectoribus, quod ad eorum perſonas attinet, in regulis præſcribuntur, eo diligentius ſervare enitatur Provincialis, quo pluribus, pro ratione officii ſui, vitæ ſpiritualis ſtudio præire debet.

Finis ejus officii. 2. Finem officii ſui (quem ante oculos habebit) in eo poſitum eſſe intelligat, ut Provinciam ſibi commiſſam in acquirenda perfectione, juxta proprii inſtituti rationem, & regulas ipſi datas promoveat.

Manſuetudo in regendo. *In Bullis Inſtituti Societatis.* 3. Imitetur in gubernatione caritatem, manſuetudinem, & gubernationem Chriſti Domini noſtri, ut juxta eam normam, quam tradiderunt Apoſtoli, non dominans, ſed forma factus gregis ex animo, exemplo magis, quam verbo ſubditos ad perfectionem dirigat.

4. Se-

4. Severitatem ſuo tempore cum benignitate miſceat, ſuamque auctoritatem per ſolidas virtutes tueatur, ac dilectionem & curam ſuorum præſeferendo, modeſte & circumſpecte præcipiendo, ita amabilem ſe reddat, ut omnes fidenter ad illum recurrere poſſint. *Severitas cum benignitate conjungenda.*

5. Sollicite animum ad gubernationem applicet, neque tamen in ea ita diſtrahatur, ut in ſtudio orationis & ſanctis deſideriis, quibus totam ſuſtentare debet Provinciam, intepeſcat. Quamvis autem ordinarie concionari non debet, ſi quando tamen per occupationes officii ſui commode licebit, & hoc & alia Societatis miniſteria exercere poterit. *Incumbat gubernationi. Spiritualia nō deſerat. Raro concionetur.* P.9.c.6.§.1. & lit. A.

6. Nullas regulas, aut ordinationes, aut conſuetudines toti Provinciæ communes abroget, vel novas inducat inconſulto Generali: ſed ſecundum eas quas habet, gubernet Provinciam. *Regulas, &c. nullas abroget, nec novas inducat.*

7. Sicut Provincialis, quando neceſſe eſt, in Regulis, Ordinationibus, Decretis, & in ipſis etiam Conſtitutionibus cum particularibus diſpenſare poteſt; ſic eum diſpenſaverit in rebus majoris momenti, quæ videantur urgere, & in quibus ſine gravi incommodo, Generalis reſponſum expectari nequeat, debet eum primo quoque tempore de hujuſmodi diſpenſatione, & ejus cauſa admonere. *Diſpenſare poteſt in Regulis, &c.* P.9.c.3.§.8.& lit. D & P.4.c.10.lit. B.

8. Præter facultates, quæ in his regulis conceduntur, habet etiam eas omnes, quæ in Compendio facultatum Societatis Provincialibus conceſſæ ſunt, quas ex Compendio ipſo intelliget. *Facultates Provincialis.*

9. Omnes facultates eorum Superiorum, qui Provinciali ſubordinati ſunt, ad ipſum quoque pertinent, ab ipſoque etiam ſuſpendi poterunt, quando ei expedire in Domino videbitur. *Facultates Superiorum.*

10. Poteſt Provincialis in abſentiâ, vel in periculo vitæ, aut in graviore & longiore morbo conſtitutus, nominare Viceprovincialem, ſi Generalis neminem deſignaſſet: quocumque autem modo conſtituatur, eaſdem omnino facultates habeat quas Provincialis, niſi à Generali, vel Provinciali limitentur: rationem tamen adminiſtrationis non immutabit. *Viceprovincialem nominare poteſt, & quando.* Can. 22. Congr. 4.

De

De iis quæ illum ad bonam Provinciæ admini-ſtrationem juvabunt.

CAPUT II.

Quot, & ubi conſultores habebit.
P.9.c.6.§.14.
Ibid.c.4.§.4.

11 Conſultores quatuor habebit à Generali deſignatos in iis locis, ubi frequentius reſidet, quoad fieri poterit, cum quibus res graviores communicabit: quod ſi abſentes ſint, per transmiſſas litteras: quorum unus ab eodem Generali conſtitutus, erit ejus Admonitor & ſocius. In quavis autem Domo vel Collegio opera Superioris, & ejus Conſultorum, quos ad conſultationem adhibendos judicaverit, utatur in rebus iis, de quibus ordinarie conſultandum erit.

Quos alios ad conſultationem adhibere poteſt.

12. Si expediret, præter Conſultores, alios etiam nonnumquam ad conſultationem vocare poterit, & eos quidem, quos de rebus propoſitis melius judicare poſſe exiſtimaverit: vel ſi abſentes ſint, jubere ut de rebus iisdem ſententiam ſuam ad ſe transmittant.

Quæ Conſultoribus & Superioribus oſtendet.

13. Litteras & ſcripta quæ pertinent ad rem, de quâ conſultatio habenda eſt, oſtendat Conſultoribus (niſi quid obſtet) ut bene informati ſententiam ſuam melius dicere poſſint.

Ordinationes communes communicanda, &c.

14. Cum ordinationes aliquas communes à Generali acceperit, illas Superioribus ſuæ Provinciæ, & Conſultoribus manifeſtari faciat. Et quæ alicujus momenti fuerint, ad gubernationem vel inſtructionem pertinentes, in libro ad id deſignato deſcribendas curet.

In re conſultanda indifferentem ſe præbeat.

15. In proponenda re, de qua deliberandum eſt, in neutram partem animi ſui propenſionem oſtendat, de Conſultoribus declinandi in eam partem detur occaſio, ſed quisque liberius in Domino ſuam ſententiam aperiat.

Quomodo deliberabit, de quo non licet cum Conſultoribus.

16. Si quando aliquid occurrerit, de quo non liceat cum Conſultoribus agere, poterit juxta primum & ſecundum modum in exercitiis ad electionem faciendam traditum, quid agendum ſit, deliberare.

Libenter admoneri ſe patiatur.
P.9.c.4.§.4.

17. Libenter ſe ab aliis admoneri patiatur de iis, quæ ad officium & perſonam ſuam pertinent, & eum præcipue, qui Admonitoris officio fungitur, benigne audiat.

18. Ha-

18. Habeat ſecum litteras Apoſtolicas authenticas, & compendium facultatum Societatis, Conſtitutiones, Decreta, Regulas omnes, & quæ a Generali ordinantur, easque bene intelligat & obſervari faciat. *Conſtitutiones, Decreta, &c. ſecum habeat.*

19. In loco, in quo diutius ei reſidendum eſt, habebit archivium, in quo aſſervabit inſtrumenta authentica, libros, & cetera quæ ad officium Provincialis, & communem uſum Provinciæ pertinent, quæ omnia ex catalogo à ſe ſubſcripto ſucceſſori tradet. *Archivium.*

20. Habeat libellum, in quem referat ea, quæ conſultanda, vel providenda, vel ad Generalem ſcribenda ſunt, ne memoriâ excidant. P.2.c.3.§.2.& p. 7.c.2.lit. M, & c. 4.§.3.& p.10.lit. B.

21. Orationes & Miſſas ad tempus indicere poterit etiam in tota Provincia pro cauſis, quæ videbuntur id exigere, modum tamen in ea re non excedat. *Orationes, & Miſſas indicere poteſt.*

De Superioribus ei ſubordinatis, & eorum officialibus.

CAPVT III.

22. Etſi Præpoſitos Domorum, & Rectores Collegiorum & Domorum Probationis ſuæ Provinciæ conſtituere non poteſt; ſi tamen neceſſe eſſet aliquando mutationem facere Superioris alicujus, & periculum eſſet in mora, vel ſi is moreretur, poterit aliquem, qui vices Superioris gerat, interim conſtituere, donec Generalis admonitus provideat. Miniſtros autem, Procuratores, & Præfectos ſtudiorum ipſe deſignabit, atque etiam Subminiſtros, & Præfectos ſanitatis, ubi opus eſſe judicaverit. *Quando Superiorem conſtituere poteſt.* P.9.c.3.§.3.& 14.

23. Conſtituat Magiſtros Novitiorum in locis probationum non ſeparatis, a Generali tamen confirmandos, & eos quidem, qui in rebus ſpiritualibus exercitati ſint, & in modo procedendi Societatis noſtræ bene probati. *Magiſtros Novitiorum.* P.3. c.1. §.12.

24. Deſignabit Præfectos rerum ſpiritualium in omnibus Collegiis, & Domibus profeſſis, quales in prima regula officii illorum præſcribuntur: itemque ordinarios noſtrorum Confeſſarios; ex quibus ferè conveniret Præfectos rerum ſpiritualium deligere. *Præfectos rerum ſpiritualium, & Confeſſarios noſtrorum.* P.4.c.10.§.7.

Conſultores, & Admonitores. 25. Deligere poterit Conſultores & Admonitores eorum qui præſunt, Provincia, ita ut ſtatim ſuo officio fungi poſſint: ſcribet tamen de iis ad Generalem, ut ab eo confirmentur.

Prædicatores, & Confeſſarios. Can. 27. Cong. 2. 26. Prædicatores, & Confeſſarios ipſe conſtituet, præmiſſo tamen domeſtico examine, & approbatione Ordinariorum juxta formam Concilii Tridentini.

Lectores, & Officiales Univerſitatum. P. 4. c. 6. lit. F. Ibid. c. 7. lit. A. Ibid. c. 12. lit. C. 27. Lectores ordinarios in omnibus claſſibus, & primarios officiales, præter Rectorem & Cancellarium in Univerſitatibus, deligat; novas tamen lectiones non addat, nec ſcholas usquam ullas, & præſertim eas, in quibus pueri legendo & ſcribendo inſtituantur (quod nec privatim licebit) ſine facultate Generalis aperiat.

Auctoritas Superiorum immediatorum tuenda. P. 8. c. 1. §. 4. & 6. & p. 9. c. 6. §. 2. 28. Tueatur auctoritatem Superiorum immediatorum in ſubditos, ita tamen, ut conſtet poſſe omnes ad mediatos recurrere: ideo quidquid agendum vel immutandum erit, quod ad immediatorum officium pertineat, per eosdem fieri curabit.

De idoneis ad gubernandum. 29. Si quos ad gubernationem idoneos judicabit, curet de illis paulatim & negotiis tractandis & domeſticis miniſteriis obeundis experimentum ſumere, ut & ipſi talenti accepti ſpecimen dare, & Societatis officia eis tuto committi poſſint.

De aptioribus ad alia miniſteria. 30. Obſervet, ſi qui detineantur in miniſteriis aliquibus, qui magis idonei eſſent ad alia: eam tamen habeat cujusque rationem, ut univerſale bonum ſemper præferatur.

Neminem eximat ab obedientia Superiorum. P. 8. c. 1. lit. E. 31 Neminem ab obedientia Superiorum immediatorum inconſulto Generali eximat, niſi periculum eſſet in mora, & tunc certiorem faciat Generalem de perſona, & de cauſis propter quas eam exemerit.

De admittendis.

CAPUT IV.

Qui admittendi ad Societatem. Par. 1. c. 1. 32. EOs ad probationem per ſe, vel per alios admittere poterit, quos ad inſtitutum noſtrum idoneos in Domino judicaverit: cavebit tamen ne cujusquam admiſſio juſtam aliquam externorum offenſionem, aut Societatis nocumentum pariat: quod cum iis potiſſimum obſervandum erit, qui in ſcholis noſtris inſtituuntur.

33. At-

33. Attendat, ne nimii ſint noſtri in hominibus ad Societatem allicien- dis, ſed per virtutes & bonæ vitæ odorem omnes ad Chriſtum trahere ſtudioſe curent. *Quomodo ad eam alliciendi.*

34. Meminerit quod inepta turba ad inſtitutum noſtrum admitti non debet, & obſervari faciat in hoc diligenter regulas officii Examinatoris. *Inepti non admittendi.* P.10.§.7.

35. Quod ad prima quinque impedimenta attinet, etſi Societas in nullo eorum diſpenſare poteſt; ſi tamen in eo qui admitti petit dona aliqua Dei illuſtriora cernerentur, Generalem admoneat: quod ſi de ejuſmodi impedimentis dubitaret, ad eumdem recurrat. *Quid agendũ cum imped tis.* In Ex.c.2.§.6 lit. D. & p.1. c.3. lit. G.

36. In ſecundariis impedimentis diſpenſandi facultatem habebit, præterquam in deformitate magna aut defectu inſigni, qualem habent Eunuchi, & in ætate infra 15. & ultra 50. expletos annos, & in conjugatis, etiam in caſu in quo non eſt impedimentum eſſentiale. *Quando diſpenſare poteſt cum illis.* P.1.c.3 §.9.lit.H.

37. Poterit in caſu aliquo anteponere & poſtponere aliqua ex ſex experimentis, eaque moderari, & alia in alia permutare, dummodo biennio, & bene probentur Novitii: quod etiam tempus prorogare poterit, ſi opus eſſe judicaverit. *Experimenta anteponere, &c.* In Exa.c.4.§.9. Can. 1. Cong. 2. In Ex.c.4.§.43.

38. Poterit etiam cum Novitiis in ſecundo anno probationis circa ſtudia diſpenſare, habita ratione perſonarum, locorum, & temporum, prout expedire in Domino judicabit. Ii vero cum quibus diſpenſaverit, extra domum probationis, & ſeorſum à Collegialibus eſſe debebunt, ſub cura alicujus Sacerdotis ab ipſo conſtituti, qui vicem Magiſtri Novitiorum gerat; ejuſque regulas, & Examinatoris habeat; ex quibus ea ſervabuntur, quæ commode ſervari poſſunt. Cujuſmodi erit, ut per dimidiam horam veſperi orent; ſed iis tantum diebus, quibus à ſtudiis vacaverint. *Diſpenſare cũ Novitiis circa ſtudia.* Can.1.Cong.1.

39. Coadjutores temporales plures eſſe non debent, quam qui neceſſarii ſint ad ſublevandas Domos, vel Collegia in rebus, quibus occupari Sacerdotes & Scholaſtici non poſſunt ſine detrimento majoris boni. *Coadjutorum numerus.* P.1.c.2. §.1. & p. 4 c.3.§.2. & in 1. Cong. tit. 6. d. 24.

De dimittendis.

CAPVT V.

Dimittere Novitios poteſt. P.2. c.1. lit. C.

40. FAcultatem habet dimittendi eos, qui in prima & ſecunda probatione, ante & poſt emiſſa vota verſantur; niſi à Præpoſito Generali in illius provinciam deſtinati, vel de Societate ipſi tam bene meriti eſſent, ut eorum eſſet particularis ratio habenda. In his enim caſibus, inconſulto Generali dimittere non debet, niſi cauſæ admodum urgentes & graves eſſent, ita ut minime dubitaretur Generalis mentem hujusmodi futuram eſſe.

Alios in aliquibus caſibus. P.2. c.1. lit. C.

41. Scholaſticos verò approbatos, & Coadjutores non formatos, qui probationem abſolverunt, inconſulto Generali non dimittat; niſi in gravibus & urgentibus caſibus, & qui ejusmodi ſint, ut ſine gravi periculo, Generalis reſponſum expectari nequeat: quem tamen poſt dimiſſionem certiorem faciat, adjunctis cauſis dimiſſionis. Et in univerſum diligenter Provinciali diſpiciendum eſt, ut qui minus idonei ad noſtrum inſtitutum, & tandem aliquando dimittendi videntur, eos ipſe intra biennium probationis dimittat. Quod ſi peracto etiam probationis tempore aliqui hujusmodi deprehendantur, tempeſtive Generalis moneatur, ne cum Societatis jactura diutius, quam par eſt, retineantur.

Quos & quando dimittet.

42. Provincialis erit, juxta commiſſam ſibi facultatem, auditis ſuis Conſultoribus, vel ſi neceſſitas urgeat, Superiore & Conſultoribus ejus loci, ubi tunc erit, qui ipſi videbuntur, adhibitis, judicare de cauſis ſufficientibus ad dimiſſionem: curabit tamen, ne ad hæc extrema, niſi quam conſultiſſime, & aliis tentatis remediis veniatur.

Formatos, & Profeſſos nullo modo dimittet. P.2. c.1. lit. C.

43. Coadjutores formatos, ſive ſpirituales ſive temporales, & Profeſſos nullo modo dimittet.

Modus dimittendi. P.2. c. 3. lit. B.

44. Circa modum dimittendi obſervet ea quæ in ſecunda parte Conſtitutionum, capite tertio dicuntur: & intelligat, an is qui dimittitur, aliquid Societati dederit, & ſi quid ei reddi oporteat, juxta ejusdem capitis declarationem: ſcripta vero an ſecum aſportare debeat, conſideret ipſe diligenter.

45. De-

45. Declaretur iis qui dimittuntur, quod liberi maneant à votis ſimplicibus, ſi ea juxta formulam Societatis conſuetam emiſerint. *Dimiſſi liberi manent à votis.* P. 2. c. 4. §. 3.

46. Circa dimiſſos aut egreſſos e Societate, & poſtea reductos, vel ſponte redeuntes, obſerventur ea quæ in Conſtitutionibus & Decretis dicuntur: & ſi admittantur, denuo examinentur, & probentur, prout ipſi videbitur: ſi quis autem ſemel egreſſus erit, poterit quidem iterum admitti; ſed advertatur, hujuſmodi homines raro idoneos ad inſtituti noſtri diſciplinam inveniri. *Dimiſſi ſi redeant ad Societatem, iterum probandi, &c.* P. 2. c. 4. InCong. 1. tit. 2. dec. 10.

De litterarum ſtudiis.

CAPVT VI.

47. IN Vniverſitatibus, & Collegiis, in quibus noſtri litteras profitentur, idoneos & eruditos Profeſſores pro ratione loci & debiti conſtituat. Si aliquis Lector extraordinarius adjiciendus videretur, Generalem conſulat. *Idoneos profeſſores conſtituat.* P. 4. c. 12. & 13. & c. 6. §. 6. Ib. c. 13. lit. C.

48. Peculiari cura videat, num lectiones in ſcholis noſtris, & ſcholaſticæ exercitationes diligenter, aſſidue, atque ordine habeantur: num Magiſtri & Diſcipuli ſuum in Domino officium faciant: & ſi quid opus eſſe judicaverit, provideat, juxta ea quæ in quarta parte Conſtitutionum & Regulis habentur. *Inſpiciat res ad ſcholas pertinentes.*

49. Ipſius prudentiæ relinquitur, quid hi, aut illi addiſcere debeant juxta ætatem, & ingenium uniuſcujuſque ad majorem gloriam Dei; eos autem quos non eſſe aptos ad ſtudia inveniet, ab illis removere poterit. *Quid cuique addiſcendum.* P. 4. c. 5. §. 1. & c. 6. §. 5.

50. In addiſcendis diſciplinis ordinem ſervari faciat, efficietque, ut prius ſcholaſtici in lingua Latinâ ſolidum faciant fundamentum, quam ad alia majora ſtudia tranſeant: curabit vero humaniorum litterarum ſtudia magni fieri: & eorum qui eas profitentur, peculiarem curam haberi: & ne in his profeſſores idonei deſint, illorum Seminaria & inſtituet & conſervabit. *Ordo in addiſcendis diſciplinis.* P. 4. c. 6. §. 4. & c. 5. lit. D. & c. 13. §. 4. lit. E.

51. Aliarum linguarum ſtudium valde commendatum habeat: Hebraicæ vero iis tantum concedat, qui in Theologiæ facultate mediocriter eruditi jam ſint, aut certe tam humiles, ut ſperan- *Linguarum ſtudium.* P. 4. c. 6. §. 5. & lit. D. c. 13. §. 4.

dum merito ſit, hoc ſtudium ſine illorum detrimento utile valde futurum.

Quales ad ſtudia repetenda deſtinandi. P.4.c.6.§.14 16. 17.&c.15.§.3. Ibid.c.6.§.18.

52 Deſignet aliquos, qui & probatæ virtutis in primis ſint, & ingenio polleant, ut abſolutis ſtudiis Philoſophiæ & Theologiæ, ad ea repetenda privatum & quietum ſtudium habeant; & poſitivæ, ac ſacræ Scripturæ ſe dedant: quo etiam tempore in diſputationibus publicis rationem ſuorum ſtudiorum reddant, ut eas facultates privatim vel publice ad ſuam, vel aliorum utilitatem profiteri poſſint. Iis etiam, qui concionandi talentum habent, duo itidem, vel unus ſaltem annus concedatur, ut privato ſtudio ſacræ Scripturæ, legendisque Patribus, ac ſanctæ meditationi vacent.

Ex Inſtruct.2. 6. Congr.

Quinam Philoſophiæ interpretes. Can.8. Congr. 3.

53. Diligenter ſtudeat, ut Præceptores Philoſophiæ, cum magno delectu eos Ariſtotelis interpretes legant, qui contra Chriſtiana dogmata impie ſcripſerunt; & ita Philoſophiam interpretentur, ut Theologiæ ſcholaſticæ, quam nobis commendant Conſtitutiones, ſubſervire faciant.

Opinionum novitas, & diverſitas coërcenda. P.3. c.1. §.18. & lit.O.& p.4. c.5. §.41.& p.8.c.1.§. 8. lit.K.

54. Cum opinionum novitas vel diverſitas non modo finem ipſum, quem Societas ad Dei gloriam propoſitum habet, impedire poſſit; ſed etiam ipſum Societatis ſtatum maxime labefactare; neceſſe eſt ingeniorum licentiam in opinionibus vel introducendis vel ſectandis, omnibus modis certa aliqua lege coërcere. Quare diligentiſſimè curent Provinciales, juxta mentem Conſtitutionum, ea exacte ab omnibus noſtris, & præcipuè à profeſſoribus obſervari, quæ in ratione ſtudiorum præcipiuntur.

Propenſi ad aliquam facultatem in ea exerceantur. P.4.c.5 lit.C.

55. Curet, ut ii qui propenſum animum habent ad aliquam facultatem, in qua poſſint inſignes evadere, in ea diutius verſentur; habita tamen ſpiritualis profectus ratione, & de talibus Generalem admoneat.

Qui caſibus ſtudebunt. P.4.c.5. lit.D.& c.13 §.4.& lit. E. & Can. 17. Congreg. 2.

56. Qui propter ætatem provectiorem, aut alias cauſas, in facultatibus & Scholaſticis ſtudiis progreſſum facere non poſſunt, curabit, ne in illis tempus inſumant, ſed caſibus conſcientiæ diſcendis dent operam: ſintque ſemper aliqui ex noſtris, qui huic ſtudio diligenter incumbant, ut Societas copiam habere poſſit operariorum, qui confeſſionibus audiendis ſint idonei.

Sit Domi qui caſibus conſcientiæ ſatisfaciat.

57. In ſingulis Domibus & Collegiis aliquem conſtituat, qui in caſi-

bus

bus conſcientiæ bene verſatus ſit, ut difficultatibus Domi & foris occurrentibus ſatisfacere poſſit.

58. Comœdias & Tragœdias rariſſime agi permittat, & non niſi Latinas ac decentes, & prius aut ipſe eas examinet, aut aliis examinandas committat: eas vero, atque alias id genus actiones, in Eccleſia fieri omnino prohibeat.

Comœdiæ & Tragœdiæ rariſſime permittantur.

59. Sub finem ſtudiorum Generalem de uniuscujusque talento admoneat, & quantum ſinguli profecerint, ei referat.

Generalis de talentu admonendus.

60. Curet ut nullus ex noſtris librum aliquem ex una in alteram linguam transferat, aut imprimat, absque Præpoſiti Generalis facultate.

P. 4. c. 9. §. 3. *Translatio libri in aliam linguam ne fiat ſine venia.*

De promovendis ad ordines, & gradus litterarios.

CAPUT VII.

61. POteſt per ſe vel per alios præſentare ex noſtris eos, quos idoneos juxta inſtructionem à Generali traditam cenſuerit, ad ordines Eccleſiaſticos recipiendos.

Quos ad ordines præſentabit.

62. Quamvis in actibus ſcholaſticorum communibus exercendi ſunt noſtri, juxta Conſtitutiones; nullus tamen ad Philoſophiæ, vel Theologiæ gradus, etiam ſi idoneus ſit, promoveatur ſine Præpoſiti Generalis facultate.

Nullus promovendus ad gradum litterarium inſcio Generali.

63. Cum noſtri de Generalis facultate in Univerſitatibus Societatis promovendi ſunt ad gradus litterarios, ſi qua in re neceſſaria ad promotionē erit diſpenſandum (quod rariſſimè faciendum eſt, ne hujusmodi gradus veniant in contemptum) ubi id fecerit, tam de perſona, quam de cauſa diſpenſandi admoneat Generalem.

P. 4. c. 6. §. 10. & 17. & c. 15 §. 3. *De diſpenſatione ad eam rem monendus Generalis.*

64. Etſi Doctoratus & Magiſterii gradus juxta Conſtitutiones prædicto modo noſtri accipere poſſunt, nomine tamen Doctoris vel Magiſtri, ratione gradus, inter ſe non utantur.

Nomine Doctoris vel Magiſtri non utantur.

De

De promovendis in Profeſſos, & Coadjutores formatos, ac ſcholares.

CAPVT VIII.

Qui ad vota ſimplicia admittendi. P.4.c.3.§.3.& p.5.c.4.§.3.& 6.

65. POteſt admittere poſt biennium ad vota ſimplicia ſcholaſticorum approbatorum, & Coadjutorum non formatorum; quos in Domino idoneos judicaverit, juxta Regulas & Conſtitutiones.

Quomodo ea vota poſt biennium emittenda. In Ex.c.4.§.41.& 27. In Exam.c.1.§.11.

66. Curet autem, ut quamprimum aliquis biennium Novitiatus expleverit (niſi juſta de cauſa differendus videretur) peractis iis, quæ in Examine habentur, hæc vota in Sacro, antequam communicet, emittat coram aliquibus domeſticis tantum, non tamen inter eos, qui tunc forte vota renovarent, etiam ſi ea prius ex devotione edidiſſet.

Indifferentes ad gradum applicandi. Can.2.Congr.4. in Ex.c.4.§.6.& p.5.c.1.§.3.& c.2.§.1. P.5.c.2.& p.4.c.9.§.3.

67. Si quos ut Indifferentes admiſerit (quod raro fieri debet) poteſt eos applicare ad gradum Coadjutorum, vel ſcholaſticorum, ſicut magis in Domino convenire judicabit. In hac vero claſſe Indifferentium ultra tempus biennii probationis nemo maneat.

Tertia Probatio ſcholaſticorum.

68. Scholaſtici ſimul atque Superiorum arbitrio ſtudia abſolverint, tertium probationis annum in Domibus probationum peragant: quod ſi commode fieri non poſſit, in Domibus Profeſſorum vel in Collegiis probari eos faciat juxta regulas novitiatus.

De promovendis ad gradus Societatis.

69. Finita viſitatione conſideret, qui ſint idonei in ſua Provincia, ut in Coadjutores formatos ſpirituales vel temporales, aut in Profeſſos, juxta Conſtitutiones & inſtructionem à Generali traditam admitti poſſint, & ſecundum eamdem accurate Generalem informari curet.

Servandæ antequam admittantur ad gradus. In Ex.c.1.§.8.& c.4.§.1.& 27.38.41. & c.6.§.8. & p.5.& 6 c.2.§.12.& Can.3.Congr.2. P.6.c.2.§.1.& p.10.§.6. P.5.c.3.§.2.& c.4.§.1.

70. Antequam admittat eos, qui cum Generalis facultate profeſſionem vel vota Coadjutorum formatorum emiſſuri ſunt, ea ſervari curet, quæ ab ipſis erunt facienda; ejuſmodi ſunt diſpoſitio bonorum temporalium, ſi quæ adhuc habuerint; exercitia ſpiritualia, confeſſio generalis, & alia quæ in Conſtitutionibus & Decretis Congregationum dicuntur; in profeſſione etiam, & iis votis emittendis ſerventur, & ut publice fiant, & in ceteris omnibus, quæ Conſtitutiones præſcribunt.

71. Qui

71. Qui profeſſionem fecerint, etiam trium votorum, emittant vota illa ſimplicia, quæ poſt profeſſionem emittenda ſunt, idque juxta formulam primæ Congregationis, ut à tertiâ recognita eſt: & doctrinam Chriſtianam tam ipſi, quàm Coadjutores formati ſpirituales per quadraginta dies intra annum doceant.

Vota ſimplicia poſt profeſſionem emittenda.

In 1. Cong. tit. 6. dec. 23. & in 3. Congreg. dec. 70. & Can. 20. Congr. 2.

72. Habeat librum, in quo eorum nomina ſcribantur, qui vota ſolemnia vel ſimplicia poſt biennium in Domibus vel Collegiis ſuæ Provinciæ emittunt, juxta ordinem Præpoſitis Domorum & Rectoribus traditum.

Notentur vota ſolemnia emittentes.

73. Cùm aliqui profeſſionem vel vota Coadjutorum formatorum fecerint, exempla hujusmodi votorum, & aliorum quinque, quæ profeſſi poſt emiſſam profeſſionem faciunt, nomine ipſorum ſubſcripta, ad Generalem quam primùm tranſmittat.

P. 5. c. 3. & 4.

Quænam ſubſcripta ad Generalem mittenda.

74. Conſtituat juxta Conſtitutiones, ut Profeſſi & Coadjutores ſpirituales formati ſuæ Provinciæ in Domibus Profeſſis, quantùm fieri poteſt, commorentur.

Qui in Domibus profeſſis commorabuntur.

P. 6. c. 2. §. 3. & 4.

De rebus Collegiorum & Domorum.

CAPUT IX.

75. ÆDIFICIA conſervari, &, ſi opus erit, inſtaurari curet: quòd ſi quæ ædificanda majoris momenti fuerint, ut eſſet templum, dormitorium, vel aliquid hujusmodi, niſi approbante Generali non fiant, ad quem pertinent formam & modum noſtrorum ædificiorum præſcribere.

Ædificia curabit.

Can. 11. Congr. 1. Can. 9. Congreg. 2.

76. Reditus & reliqua ſtabilia conſervari curet, & an creſcant vel minuantur, intelligat: ſi quis autem hujusmodi bona augere vellet vel aliquid donare, poterit id admittere: ſi tamen conditiones aliquæ exigerentur, non niſi approbante Generali ullam admittat: & eodem modo, quæ dantur Domui profeſſæ accipere, & ſi quid ſtabile donatum fuerit etiam vendere poterit: ſi tamen Domui neceſſarium pretium non eſſet, & trecentorum ducatorum valorem excederet, conſulat Generalem, ut de eo juxta ipſius præſcriptum diſponat.

Reditus, bona ſtabilia, & donationes.

77. Cùm lites, pro rebus præſertim temporalibus, diligenter noſtris fugi-

Lites devitandæ.

Can.26. Congr.1. fugiendæ ſint ; non intendat quisquàm è noſtris omnino litem aliquam abſque conſenſu Generalis, aut ejus, cui expreſsè ſuas vices ad hanc rem ille commiſerit ; niſi in re adeò neceſſariâ, ut ejus reſponſum expectari nequeat, de quo tamen poſteà ipſum admoneat. Quocircà nitatur Provincialis primùm rem compromiſſione componere. Noſtris autem ſi lis intendatur, curandum etiam diligenter, niſi de jure noſtro manifeſtè conſtaret, ut aliquâ transactione vel concordiâ res tota componatur : id ſi commodè fieri non valet, poterunt in judicio ſe defendere, cum Provincialis poteſtatem habeat conſervandi & defendendi res Collegiorum, etiam in judicio, cum facultate alios ſubſtituendi, ſi id neceſſarium vel conveniens aliquando fuerit. P. 4. c. 2. lit. C.

Exempla authentica contractuum ad Generalem mittat.

78. Intelligat, an exempla authentica contractuum majoris momenti, præſertim rerum perpetuarum, ad Archivium quod eſt in Urbe penes Præpoſitum Generalem, miſſa ſint, alioqui mittenda curabit.

In 1. Cong. tit. 6. dec. 24. *Computa Collegiorum exigat.*

79. Videat computa inter Superiorem & Procuratorem tranſacta, rationemque exigat accepti & expenſi, & reſolutionem ultimi ſui computi ſummatim ſcribi faciat, quam ipſe ſubſcribet in libro deſignato : in hoc autem ſcripto ſimul conſtet tam de ſummâ accepti & expenſi ab ultimâ viſitatione, quàm de eo quod reſiduum fuerit, vel etiam ſi quid debiti maneat.

Viſitet bona ſtabilia.

80. Viſitet bona ſtabilia extra Domum, quæ ſine magno incommodo viſitari poſſint, ut videat, num quâ inſtauratione vel culturâ egeant, & quid ad eorum conſervationem opus ſit.

Oblatas fundationes ad Generalem referat.

81. Si Domus vel Collegia cum commodâ fundatione offerentur, expendat, quid ad commune bonum ex iis ſperetur, & an aliquæ conditiones exigantur, & an locus ſit ſalubris, & omnia ad Generalem referat, nihil interim certi promittendo.

P. 4. c. 2. §. 1. & P. 9. c. 3. §. 17. *Æs alienum vitet.*

82. Magnum æs alienum Collegia vel Domos conflare non ſinat, ſi ſolvendo fore probabiliter non ſperet, habitâ ratione redituum, & eleemoſynarum, quæ ordinariè dari ſolent : nec in iis plures habitare permittat, quàm ali poſſint. Can. 12. Congr. 2.

Contributiones ad ſumptus communes ſtatuat.

83. Quando contribuendum erit ad ſumptus communes Provinciæ, ſtatuat ipſe quid cuique Collegio vel Domui, ſervatâ proportione debitâ, imponi debeat. P. 4. c. 2. lit. E.

84. In

84. In veſtitus ratione tria obſervari faciat; Primum, ut honeſtus ille ſit: Alterum, ut ad uſum communem & approbatum honeſtorum Sacerdotum ejus loci, in quo vivitur, accommodatus: Tertium, ut profeſſioni paupertatis non repugnet. *Obſervanda circa veſtitum.* P. 6. c. 2. §. 15.

85. Habitationem, officinas, veſtes, & reliquam ſupellectilem, omnia denique diligenter inſpiciat; nec neceſſaria deeſſe, aut ſuperflua expendi permittat; & rerum mobilium inventarium conferri faciat cum inventario in præcedenti viſitatione à Viſitatore vel Provinciali ſubſcripto. Obſervet etiam, quæ teneatur œconomiæ ratio. *Res domeſticæ inſpiciendæ.*

De iis qui bonis ſuis nondum ſe abdicarunt.

CAPVT X.

86. NON permittat noſtros abdicare ſe poſſeſſione bonorum ſuorum, niſi quos conſtantes & ſtabiles in ſuâ vocatione cognoverit, atque in eâ re maturo ſemper conſilio procedat. *Quos permittet abdicare ſe poſſeſſione bonorum.*

87. Non ſinat pactiones inire noſtros cum parentibus ſuis, & quibuſcumque aliis de legitimâ parte, & aliis bonis ad ſe pertinentibus, niſi illi priùs admoneantur, Societatem ipſam ad ea bona nullum jus habere, & Generalis de totâ re priùs informentur. *Pactiones cum parentibus quomodo permittat.* Can. 4. Congr. 3.

88. Cùm quis ex noſtris eſt diſpoſiturus de bonis ſuis in auxilium Societatis, admoneatur Generalis de eorum valore, & de animo relinquentis, & neceſſitate etiam Domorum & Collegiorum Provinciæ, ſi in eâ hujuſmodi bona ſint. *De diſpoſitione noſtrorum in auxilium Societatis.* Can. 3. Congr. 2. & Can. 3. Congreg. 3.

89. Si aliqua bona applicabuntur Societati cum facultate Generalis, magnoperè curet Provincialis, ut cum ædificatione & caritate, & non cum rigore exigantur; potiusque per Procuratores externos, quàm per noſtros: expediet quoque, ut ex his eleemoſynæ aliquæ in pauperes ejus oppidi, ubi ſunt bona, diſtribuantur: & ratio dati & accepti talium bonorum ſcripto conſtet, ut ipſe, aut Superior illius Domus vel Collegii, cui applicata fuerunt, eam reddere poſſit ei qui à Generali fuerit deſignatus. *Quid, cùm bona applicabuntur Societati.*

90. Non ferat noſtros quidquam petere à parentibus, cognatis, vel amicis: ſed omnia eis neceſſaria à Societate provideantur: intelligatque eti- *Noſtri ne petant à parentibus, &c.*

In Exam. c. 4. §. 4. & p. 4. c. 4. lit. E. etiam ſi quibusdam ad tempus proprietas bonorum temporalium permittitur, uſum tamen eorum ad propriam utilitatem nulli eſſe concedendum.

De modo, quo cum Generali & aliis Provinciis ac externis ſe habere debeat.

CAPUT XI.

Quomodo ſe gerat erga Generalem.

91 OBEDIENTEM, reverentem, ac fidelem ſe Præpoſito Generali exhibeat, & hac re ſubditis in primis exemplum præbeat; idque potiſſimùm curet, ut omnes de ſuis Superioribus benè ſentiant, eisque peculiari devotione afficiantur.

Quomodò res ſuæ Provinciæ Generali manifeſtari curet.

92. Perſpecta Generali eſſe cupiat omnia, quæ ad ſuam Provinciam pertinent, eaque per ſe, & Superiores Domorum & Collegiorum, & Conſultores ſuæ Provinciæ, juxta formulam ſcribendi, manifeſtari diligenter curet.

Congregationes Provinciales.

93. Cogitet de communi bono Societatis, illudque juvet: Congregationes Provinciales ſuo tempore juxta formulam traditam cogat: ſi quid annotaverit circa Decreta & Conſtitutiones, vel quid aliud, quod Congregationem Generalem expoſcat, Præpoſito Generali ſcribat, vel Procuratori tertio quoque anno ad eumdem venturo tradat.

Occaſio juvandi alias Provincias.

94. Si occaſio ſe obtulerit juvandi alias Provincias, non deſit caritatis officio, & litterarum communicatione, juxta formulam ſcribendi, mutuam concordiam & caritatem foveat.

Benevolos conſervet, adverſarios reconciliet.

95. Benevolos & devotos conſervet, curetque ut benefactoribus ſe gratos noſtri exhibeant: ſi qui autem adverſantur Societati, ſtudeat ut melius informati reconcilientur.

P. 10. §. 11. & lit. B.

Eleemoſynæ pro externis præſcribendæ.

96. Quæ eleemoſynæ externis pauperibus, ſive ordinariæ ſive extraordinariæ, dari debeant, ipſe Superioribus præſcribet, auditis Conſultoribus, pro Collegii vel Domus facultate. Ubi verò habentur bona Eccleſiaſtica, eleemoſynas aliquas fieri providebit, in locis præcipuè, ubi hujusmodi reditus percipiuntur.

De communi ratione juvandi proximos.

CAPVT XII.

97. INTELLIGAT, præſertim ſub finem ſtudiorum, qui ex noſtris, & quouſque, quibuſque rationibus, Domi & foris, externis ſe communicare debeant: quod tamen non niſi probatis, & in vocatione ſtabilibus, diſcretis, & benè inſtructis, quique alios ædificare poſſint, concedendum erit.

Intelligat qui ex noſtris ſe communicare debeant externis. P. 4. c. 10. §. 10. & c. 6. §. 3. lit. C. Can. 27. Congr. 2.

98. Conſideret, num Miſſæ celebrentur & ſacramenta alia miniſtrentur, juxta uſum Romanæ Eccleſiæ: concionandi etiam, & doctrinæ Chriſtianæ docendæ modum obſervet: curetque, ut in his omnibus noſtri uniformes ſint, & ut finem, quem Societas intendit, aſſequantur. Præcipuè verò circa concionatores invigilet; ut ſi quis ex iis ad ſuas ſe regulas fortè non accommodaverit, à concionandi munere amoveatur, & in aliis Societatis noſtræ miniſteriis occupetur.

Miſſæ, & Sacramentorum ritus. P. 4. c. 8. §. 2. P. 10. §. 9.

99. Videat, num in Domibus & Collegiis Concionatores, & Confeſſarii ad ſua munera idonei ſint, & ſtatuat pro ratione inſtituti, & loci, quàm frequenter Domi vel foris concionandum, vel publicè legendum ſit, vel doctrina Chriſtiana tradenda: & tempore peſtis aliqui ab eo deſignentur, qui ſeparati ab aliis, proximis juvandis vacent.

Confeſſarii & Concionatores idonei. Can. 27. Congr. 2. *Statuat qui peſte infectis aſſiſtant.*

100. Det operam, ut Confeſſarii maturi ſint ætate quantum fieri poteſt, ac multò magis ſpiritu & moribus, præſertim qui ad confeſſiones mulierum audiendas mittuntur. Curetque ut noſtri gratiis & privilegiis Apoſtolicis prudenter & moderatè utantur.

Quales Confeſſarii. Dec. 93. §. 11. Congr. 7. P. 10. §. 12.

101. In iis locis, in quibus ſimul Domus Profeſſorum & Collegium fuerint, Societatis miniſteria in Domo exercenda curabit: in Collegiis verò ea quæ ad ſtudia litterarum, & auxilium ſpirituale ſcholaſticorum pertinent, tractanda ſunt.

Quid cùm ſimul fuerint Domus Profeſſorum, & Collegium.

102. Efficiet, ut in feſtis, quæ à noſtris præcipuè celebrari ſolent, ornatus noſtrarum Eccleſiarum ſit moderatus ac religioſus, & quoad fieri poteſt, ſine nimiâ diſtractione noſtrorum, & moleſtia externorum.

P. 4. c. 8. & p. 7. c. 4. *Ornatus in feſtis.*

103. Non permittat, ut cum Congregationibus externorum, quæ Confraternitates dicuntur, noſtri miſceantur, nec in Domibus vel Collegiis

Externorum Confraternitates.

P. 7. c. 4. lit. G. giis ulli earum conventus agantur, niſi qui ad finem earumdem Domorum & Collegiorum in divino obſequio fient.

Iudicium de admittendis externis ad ordines. Can. 19. Cong. 2. & Can. 7. Congr. 4.

104. Si examinandi miniſterium ab ordinario injunctum effugere noſtri nullâ ratione poſſint, quamvis de doctrinæ ſufficientiâ judicium ferre valeant, illud tamen retineant, ne de admittendis vel non admittendis ferant, ſed illud omnino Prælatis relinquatur.

De miſſionibus & mutationibus noſtrorum.

CAPUT XIII.

Qua facultate alio proficiſci quis poſſit. Can. 32. Congr. 2.

105. PROVINCIALIS non abeat à ſuâ Provinciâ ſine Generalis, nec Præpoſitus aut Rector â ſuâ Domo vel Collegio absque Provincialis facultate, niſi locus eſſet vicinus, aut ſine gravi incommodo Superioris reſponſum expectari non poſſet. Reliquorum verò mutationes intra Provinciam Provincialis ipſe ne faciat ſine causâ alicujus momenti.

Obſervanda circa miſſiones. P. 7. c. 1. §. 5. & c. 2. §. 2. Can. 27. Congr. 2.

106. In mittendis operariis per Provinciam extra Domos & Collegia, ut in vineâ Domini laborent, obſervet, quæ in Conſtitutionibus & regulis Miſſionum dicentur: videat tamen, ne Domus & Collegia neceſſariis miniſtris deſtituantur.

Miſſi inſtruendi. P. 7. c. 1. §. 5.

107. Quocumque mittat aliquem, eum per ſe vel alium plenè inſtruat, & ordinarie in ſcriptis, tam de modo procedendi quàm de mediis, quibus eum uti velit ad finem, quem in animo habet.

Quomodo adjuvandi. P. 7. c. 2. §. 2.

108. Per crebram litterarum communicationem, juxta formulam ſcribendi, totius ſucceſſus certior factus, ex eo loco ubi ipſe commoratur, conſilio & orationibus, & aliis rationibus eum juvabit, ut perſona & negotium poſtulaverit.

Maturiores mittendi. P. 8. c. 1. §. 4.

109. Optimi quique, & maturiores ad proximos juvandos, quantum commode fieri poterit, mittantur: & ſi ei videbitur expedire, alicui Superiori vicinioris Domus vel Collegii ſubjiciantur.

Cui ſubjiciendi.

Quomodò revocandi. Part. 7. c. 2. lit. H.

110. Cùm mutari aliquem oportebit, animadvertat, ut ad eum revocandum, quoad fieri poterit, iis mediis utatur, ut ii, à quibus evocatur, potiùs benevoli omnino maneant, quàm offenſi vel male affecti.

111. Si miſſum à Superiore vel à Summo Pontifice, minùs utiliter occupari videret, Generalem admoneat.

Quid ſi inutiliter occupentur.

112. Extra Provinciam ſuam neminem mittat, nec etiam ad laborandum in vineâ Domini, niſi negotii alicujus, aut peregrinationis causa, aut niſi ei conſtaret de Generalis voluntate, vel conveniret cum Provinciali illius Provinciæ, ad quam mittere aliquem ad tempus voluerit: ad provincias tamen extra Europam, & inter ipſaſmet hæ tranſmutationes ſine facultate Generalis ne fiant.

In Bul. 3. Paul. III.

De miſſionibus & transmutationibus extra Provinciam.

113. Poſt cognitam Generalis mortem Provincialis neminem ex iis qui jus ſuffragii habent, ex ſua provincia in aliam mittat ante congregationem Provincialem, niſi cauſa ſit adeò urgens, ut ipſe & major pars Conſultorum ipſius exiſtimet eſſe mittendum.

Cognitâ morte Generalis, non mittendi extra Provinciam qui jus ſuffragii habent.

114. Cùm peregre erit noſtris proficiſcendum, aliquem, cui maxime confidat, præficiet, cui toto itineris tempore ceteri tamquàm Superiori in omnibus obediant.

Superior in itinere.

115. Ad retinendam religioſam diſciplinam & paupertatis rationem, det operam, ut noſtri in profectionibus, quos ipſorum Superiores id præſtare poſſe judicaverint, in toto vel in parte pedeſtri itinere utantur; & in equitando ſolius neceſſitatis, ſive perſonæ, ſive negotiorum ratio habeatur.

Quomodo iter faciendum.

Can. 12. Cong. 3.

116. Expenſas itinerum ſolvere ejus erit Provinciæ, aut Collegii, aut Domus, in cujus bonum & utilitatem cedit profectio: quòd ſi in ea re dubium eſſet, arbitrio ipſius, auditis Conſultoribus, ſtatuendum relinquitur: ſi aliquando tamen inter aliquos Provinciales non conveniret, recurrant ad Generalem.

Itinerum expenſæ.

Can. 10. Congr. 2.

117. Quando quis ab uno loco ad alium transfertur, Superior, ad quem talis mittitur, informandus eſt, quantum ad cognoſcendum & juvandum eum ſit ſatis. Neminem autem ex uno in alium locum ire permittat ſine litteris patentibus. Qui verò in aliquo Collegio aut Domo male ſe gerit, non mittatur, ſi fieri poteſt, ad aliud, niſi juvetur ubi deliquit.

Superior informandus, quando ex uno loco ad alium quis transmittitur.

Dec. 1. 93. Congr. 7. §. 2.

De viſitatione.

CAPUT XIV.

Singulis annis Provincia viſitanda. Can. 29. Congr. 1. & P. 8. c. 1. lit. I.

118 SINGULIS annis per ſe ipſum ſingula loca ſuæ Provinciæ viſitet, cùm hoc ſit valde proprium ſui officii; & ibi diutius immoretur, ubi magis erit opus, præſertim in loco ad communicationem cum inferioribus & Generali Præpoſito magis commodo.

Quando per alium viſitabit.

119. Si quando ob cauſas graviores viſitare omnia loca ſuæ Provinciæ ipſe non poſſit, re cum ſuis Conſultoribus collata, ad ea, quæ non poteſt, ſibi alium ſubſtituat. Quamvis omnino curandum ſit, ut Domos Probationis & ſcholaſticorum Seminaria peculiari cura, & per ſe, viſitet.

Quid cum ad locum viſitandum pervenerit.

120. Cùm ad Domum vel Collegium aliquod pervenerit, Superiorem interroget, num aliqud urgeat, cui ſtatim neceſſariò ſit remedium adhibendum: & Viſitationes præteritas petat. Deinde omnes ſimul benigne alloquatur, eosque ad renovationem in ſpiritu, & ſtudium perfectionis hortetur.

Viſitatio inchoanda à Templo.

121. Incipiat Viſitationem à Templo, cujus oſtio clauſo, videat quomodò cuſtodiatur Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum: mox viſitet ſacrum infirmorum oleum, & Sanctorum reliquias, ex quibus nihil ulla ratione auferatur; altaria, ſedesque Confeſſariorum, atque alia, quæ tam in Templo quàm in Sacriſtia ad divinum cultum pertinent.

Tum perſonarum.

122. Poſteà ad viſitationem perſonarum accedat, & curet, ut omnibus benevolum ſe exhibeat, ne alicujus mentum ſubeat ſuſpicio, quòd ob ſiniſtras aliquas informationes minùs hilarem vultum ipſis oſtendat.

Informatio de ſtatu Collegii vel Domus, & Superiore.

123. Petat à Superiore, & conſequenter à Conſultoribus, & ab aliquibus Patribus antiquioribus, vel præcipuis officialibus, ut ea quæ ſciunt alicujus momenti de ſtatu Collegii vel Domus, aut de perſonis referant: quòd ſi judicaverit expedire, jubere poterit, ut informationes hujusmodi, vel partem earum, breviter ſcribant, & ſibi tradant: ſcripta autem, quæ ſecretum continent, clauſa ipſe diligentiſſime ſervet, caveatque ne minimo quidem indicio eos, qui ſibi aliquid referunt, prodat.

Tum de ſingulis perſonis.

124. Hujusmodi informationibus acceptis & conſideratis, percurrat cum Superiore catalogum perſonarum Domus vel Collegii, brevemque de ſingulis ab eo capiat informationem.

125. De-

125. Deinde vocet ſigillatim omnes eo ordine, qui ei magis convenire videbitur, & ſingulos ſeorſum juxta inſtructionem ſequenti capite poſitam memoriter potiùs, quam ex ſcripto interroget, & quæ advertenda judicaverit, ſibi memoriæ causâ ſcribat. Quid verò à quoque interrogandum ſit, illius prudentiæ relinquitur. *Singuli ſeorſum interrogandi.*

126. Hortetur omnes ad veritatem ſincerè dicendam, ne ipſis imputetur, ſi morbi propter eorum ſilentium incogniti & latentes curari non poſſint: admoneatque teneri eos ſervare ſub ſecreto, quidquid cum eo quod ſecretum requirit, tranſegerint, licet à quovis alio, qui ipſo ſit inferior, de eâ re interrogentur. *Ad veritatem hortandi.*

127. Non facilè credat, ſi quæ forſan contra alios, præſertim Superiores, dicentur: ſed ea notet & expendat, ut veritatem aſſequatur. Caveatque ne dum ſubditos conſolari ſtudet, illi debiliores in obedientiâ & reverentiâ erga ſuos immediatos Superiores reddantur. *Non facilè credat, quæ contra alios, præſertim Superiores.*

128. Si quis diviſionis, aut diſſenſionis eorum, qui unà vivunt, inter ſe vel cum ſuo capite auctor eſſe inveniretur, diligentiſſimè ab eâ Congregatione, velut peſtis quæ eam poteſt inficere, ſi præſens remedium non adhibeatur, ſeparandus eſt. *Diſſenſionis auctor.* P.8.c.1.§.5.

129. Viſitatio rerum, aut partium, juxta ea quæ in præcedentibus regulis, præſertim in nono capite hujus officii dicta ſunt, fieri debet; in quâ ſimul examinandæ ſunt regulæ officialium, qui ejuſmodi rerum curam habent: ſi quid autem non ſolùm informationem, ſed inſpectionem requirat, ipſe per ſe aut ſocium id præſtabit. *Examinandæ Regulæ officialium.*

130. Summarium Conſtitutionum & Regulas Communes coram Superiore, Conſultoribus, & Miniſtro examinabit: & ſi quas non obſervari intellexerit, conſideratis cauſis remedia adhibebit, ut obſervari poſſint. Regulas autem Miniſtri, Conſultorum, & Admonitoris, Concionatorum, & Sacerdotum, itemque præcipuorum officialium ipſe per ſe cum ipſiſmet examinabit: reliquas verò aliorum officialium poterit ſocio, aut alteri coram ſingulis eorum examinandas committere. *Quæ Regulæ, & cum quibus.*

131. Provincialis integram rationem totius anteactæ vitæ, juxta Conſtitutiones ab iis exigat, qui Societatem ingrediuntur: & ab eo tempore, quo ad ſtudia miſſi ſunt ab iis, qui illis abſolutis ad tertium probationis annum peragendum mittuntur. Quòd ſi id aliquando per ſe præſtare non poterit, ſubſtituat ad id ordinariè Superiorem Domus vel Collegii. Singulis *Conſcientiæ rationem à quibus, & quando exigat.* In Exam.c.4.§.36.& 39.

verò annis in quacumque Domo vel Collegio ſuæ Provinciæ, abſolutâ rerum domeſticarum viſitatione, aut in ipſo viſitationis decurſu (ſi id opportunius in aliquibus fore judicaret) rationem conſcientiæ ab omnibus accipiat ab ultimâ, quam reddiderunt, juxta modum inferiùs præſcriptum.

Quando renovatio Votorum præmitti aut differri poſſit. Quòd ſi viſitatio circa renovationem votorum inciderit (quam extra ſtatutum tempus ratione ſui adventus in Domum aliquam vel Collegium, præſertim magnum, per unum aut alterum menſem præmittere aut differre poterit) ipſe ad excipiendas confeſſiones generales noſtrorum, aliquos Patres probatos & maturiores deſignabit; eosque, qui ſibi confiteri volent, benignè audiet.

Superior, poſtremus omnium viſitandus. 132. Poſtremum omnium viſitet Superiorem Domus vel Collegii, circa ea quæ ad perſonam & officium ejus attinent, juxta officii ejus regulas, & ea quæ ex acceptis informationibus collegerit.

Recognoſcenda poſt viſitationem abſolutam. 133. Viſitatione cujusque Domus vel Collegii abſolutâ, & rebus omnibus perſpectis, ut laboris ſui fructum capiat, denuò omnia, quæ accepit in viſitatione, conſideret, & ea quæ majoris momenti ſunt, diligentius expendat; quid item clarum, quidque tantùm probabile videatur, & de quibus Generalis conſulendus eſt, & quæ cum ſolo Superiore Domus vel Collegii, quæ etiam cum Conſultoribus, & quæ cum aliis particularibus ſint tranſigenda, diligenter diſcernat.

Ordinanda ad gubernationem ſpectantia, expendenda, Deoque commendanda. 134. Quæ ad gubernationem ſpectantia ipſi ordinanda videbuntur, hæc vel illa iis etiam expendenda tradat, quos de unaquâque re meliùs judicare poſſe confidat. Et antequàm ultimam executionis manum rebus imponat, omnia in orationibus, & Miſſarum ſacrificiis Deo commendet, ut juxta ipſius Divinum beneplacitum dirigantur.

Quænam expungenda ex præteritâ viſitatione. 135. Poſtquàm autem apud ſe omnia conſtituerit, ex præteritæ viſitationis memoriali, ubi rerum quæ temporariæ ſunt, ordinationes ſcribuntur, eas quæ executioni mandatæ fuerint, expungat. In libro verò in quo non niſi majoris momenti ordinationes ſcribendæ erunt, ipſe ea tantùm ſcribet, ſuâque manu ſubſcribet, quæ cum Generali communicaverit, & ab ipſo fuerint approbata.

Inſtru-

Inſtructio de iis quæ in viſitatione interroganda ſunt.

CAPUT XV.

Quæ ad gubernationem pertinent à Superioribus, & Conſultoribus, & aliis, quibus videbitur, petenda.

I.

INTERROGET, ſi quid gravius in eâ Domo vel Collegio accidiſſe extra Confeſſionem intellexerit, & quod remedium ſit adhibitum. *Quænam, & à quibus de gubernatione interroganda.*

2. Quomodò ſerventur regulæ, quæ ad Novitios pertinent.

3. An aliqui, præſertim pueri, aut mulieres, ad vota emittenda inducantur, vel ad conſilia alia obſervanda indiſcretè trahantur.

4. An aliquis Domi nimis affectus videatur ad conſanguineos, vel ad eorum ſubventionem teneatur.

5. De numero & ſufficientiâ Confeſſariorum, & de frequentiâ & fructu confitentium.

6. Quomodò litterarum ſtudia vigeant, & quàm exactè ſerventur, quæ de opinionum novitate & diverſitate ſtatuta ſunt. Et an aliqui videantur finitis jam ſtudiis educendi è Collegiis.

7. An infirmi, hoſpitalia, carceres, & triremes (ubi eſſent) viſitentur & adjuventur à noſtris.

8. Ex quibus operibus piis, juxta noſtrum inſtitutum, major fructus percipiatur.

9. De curâ in tradendis ſpiritualibus exercitiis, & quàm exactè illa fiant. Et de vigilantiâ in puerorum ac rudium in doctrinâ Chriſtianâ inſtitutione.

10. De modo converſandi juxta rationem & finem noſtri inſtituti.

11. De miſſionibus & earum fructu, & modo procedendi eorum qui mittuntur.

12. An aliqui prætextu valetudinis juvandæ, à ſpiritus perfectione degenerent, & à laboribus noſtri inſtituti abhorreant, atque ad otium aſpirent.

 13. An

13. An erga noſtros infirmos, & hoſpites debita Societatis caritas & cura exerceatur.

14. An aliqua ambitionis & proprietatis indicia in aliquo appareant.

15. Quæ eleemoſynæ externis pauperibus dentur.

Quæ ab omnibus peti poſſunt.

Quæ ab omnibus. 16. QVOMODO valeat corpore & viribus, & quomodò ei conveniat ratio victus, veſtitus, cubiculi, & exercitationis corporalis, quâ utitur.

17. Si quid dubitationis aut difficultatis, ſi quid etiam ad ſuam conſolationem, inſtructionem, aut profectum fore putat, confidenter proponat.

18. Quod ad alios attinet, interrogetur quomodò tractetur à Superioribus, & quid ſentiat de illis, tam de perſonis, quàm de officiis eorum.

19. An aliquis Superior impedierit libertatem ſubditorum ſcribendi ad Superiores mediatos, aut quovis modo ſignificaverit ſibi non placere, ut noſtri de ipſo, aut ejus gubernatione, ad eosdem ſcribant.

20. An noverit extra confeſſionem aliquid de quavis perſonâ, quod non ei probetur, ut de inobedientiâ, murmuratione, conſpirationibus, præſertim contra Superiores, & ſi quid parum honeſtum & incautum in familiaritate nimiâ cum aliquâ perſonâ accidiſſet, vel contrà de diſſenſione.

21. Quomodò ſerventur Domi Conſtitutiones, Decreta, Regulæ, communis ordo, & ordinationes, quæ à Præpoſito Generali, & aliis Superioribus emanant.

22. Quomodò exerceantur miniſteria Societatis erga externos, quod ad modum & fructum attinet.

23. Quis ſit profectus noſtrorum in rebus ſpiritualibus, & quod omnium in ſolidis virtutibus acquirendis ſtudium.

24. Si de iis etiam, quæ pertinent ad alias Domos & Collegia totius Provinciæ aliquid habet, quod alicujus momenti videatur, liberè proponat.

Pro

Pro Scholaſticis addatur.

25. QVID ingenii, memoriæ, vitium, & propenſionis ad litteras in ſe experiatur. *Quænam à Scholaſticis.*

26. An occupatione exteriore vel ſtudiis removeatur vel diſtrahatur à rebus ſpiritualibus.

27. An habeat libros neceſſarios, & an ſcribat, legat, diſputet.

28. De ſuo profectu in litteris quid ſentiat.

29. An omnia experimenta Societatis fecerit, & quo fructu.

Pro iis qui in probatione verſantur.

30. AN firmus ſit in propoſito vivendi & moriendi in Societate. *Quæ ab iis, qui in probatione.*

31. An ſit indifferens ad quemlibet gradum, miniſteria, & exercitia Societatis, prout obedientia conſtituerit.

32. An Exercitia ſpiritualia, vel aliqua alia experimenta fecerit, & in quibus plus profecerit; & alia, ſi videbitur, ex Examine.

Modus accipiendæ rationis conſcientiæ.

QVOD in ſummario Conſtitutionum, §. 40. præſcribitur de manifeſtandâ conſcientiâ, id magni momenti ad Dei gloriam, & Societatis noſtræ bonum, Pater noſter ſanctæ memoriæ IGNATIVS exiſtimavit: quare ut omni diligentiâ & animi ſinceritate ſervetur, Provinciali curandum erit. Et cùm quisque dixerit, quæ dicere voluerit, juxta inſtructionem datam, poterit Provincialis, ſi qua exiſtimaverit ampliùs interroganda, id etiam facere: quamvis, quæ hominem pudore multùm afficerent, ea extra confeſſionem interroganda non eſſent. Nec à ſingulis ſingula petet, ſed prudenter & circumſpectè pro ratione perſonarum. Denique eam ſuavitatem teneat, ut illa omnia non tamquàm judex exigere, ſed ut benignus parens ob ſubditi conſolationem cognóſcere velle videatur. *Ratio conſcientiæ.*

REGULÆ PRÆPOSITI Domus Profeſſæ.

De iis quæ ad ejus perſonam, & totius Domus adminiſtrationem pertinent.

CAPUT I.

I.

Qualis eſſe debeat. P.4.c.10.§.4.

OMNI ſtudio enitatur, ut talis ſit, qualis operatur Rector in noſtris Conſtitutionibus; atque eò magis, quòd illis præſit, quos viros ſpirituales, & perfectionis ſtudioſos eſſe oportet.

Oratione,&c. Domum ſuſtineat. P.6.c.10.§.5.

2. Primam officii ſui curam in eo poſitam eſſe intelligat, ut oratione & ſanctis deſideriis totam Domum velut humeris ſuis ſuſtineat; & quæcumque in iis, quibus præeſt, ad ipſorum aliorumque ædificationem, juxta inſtituti noſtri rationem, optare debet, priùs in ſeipſo præſtare ſtudeat.

Vitet particularia in omnibus.

3. Communes regulas ipſe ſervet, & particularia in cibo, indumentis & aliarum rerum uſu, quantum fieri poteſt, vitet; & familiaritate atque indulgentiâ cum quibusdam, alios ne offendat.

Quando Chriſtianam doctrinam docebit. P.4. c.10.§.10.& Can.15.Cong.2.

4. Intra annum, poſtquàm officium Præpoſiti primâ vice inierit, quadraginta diebus Chriſtianam doctrinam eo modo, quo in ſecundâ Congregatione de Rectore expoſitum eſt, legat aut doceat: ſed ex causâ per alium id munus cum facultate Provincialis obire poterit.

Conſuetudines approbatæ ſervandæ. Novæ non inducendæ.

5. Conſuetudines receptas, & à Generali vel Provinciali approbatas ſervet, ac ſervari faciat: ſi tamen aliqua alia à præcedenti Præpoſito inducta fuerit, non mutet inconſulto Provinciali: ipſe verò, niſi ſuo Superiore approbante, nullam introducat.

Conſtituendi qui domeſtica obeant miniſteria. P.4.c.10.§.5. & 6. Ibid.lit.E.

6. Eos qui domeſtica obeunt miniſteria (exceptis quibusdam, quorum electio ad Provincialem pertinet) prudenter conſtituat, ſuas cuique regulas tradat, aliquando viſitet, & prout in Domino convenire judicabit, vel in eisdem miniſteriis detineat, vel ab eis removeat. Quia verò officia quædam, ut benè fiant, experientiam requirunt, qui ad id idonei inveniuntur, non facilè mutari debebunt.

7. Vt

7. Vt proſpicere officialibus de ſubſidio, ſi neceſſarium id fuerit, ne labore graventur, debebit; ita cùm tempus vacuum illis fuerit, ut illud utiliter impendant divino ſervitio, curabit. *Officiales juvandi.* P.4.c.10.§.6.

8. Etſi poteſtatem habet deſignandi Confeſſarios ſuis ſubditis, ordinarium tamen Confeſſarium Domus non conſtituet ſine approbatione Provincialis. *Deſignatio Confeſſarii.* P.3.c.1.§.11.

9. Quamvis *in virtute obedientiæ* jubere poſſit, non niſi rariſſimè, & ex gravi ac urgenti causâ id faciat. *Quando* in virtute obedientiæ *jubendum.* P.6.c.5.

10. Ordinarias tantùm pœnitentias imponat, quales ſunt parva menſa, reprehenſio, concluſio in circulo, edere ſub menſâ, oſculari aliorum pedes, orare in refectorio, dicere culpam ſuam, ſubtractio cibi usque ad panem & aquam, ſi res poſtulaverit, diſciplina publica in refectorio, & alia exercitia humilia, & domeſtica. *Quales pœnitentiæ imponendæ.*

11. Sicut ad Præpoſitum pertinet diſpenſare in regulis, & Conſtitutionibus, & Decretis Congregationum Generalium cum particularibus, quando neceſſe erit; ſic &, cùm diſpenſaverit in rebus majoris momenti quæ videntur urgere, & in quibus ſine gravi incommodo Provincialis reſponſum expectari non poteſt, eum primo quoque tempore de hujusmodi diſpenſatione ac ejus causâ admonere. *Quandò diſpenſat in regulis.* P.4.c.10.lit.B.& p.9.c.3.§.8.

12. Nomina eorum, qui vota ſolemnia, vel ſimplicia emiſerunt, in libro ad hoc parato notentur, in Profeſſis quidem & Coadjutoribus formatis cum nominibus admittentium; in reliquis verò poſt biennium cum nominibus celebrantium, adnotato loco & tempore, juxta Conſtitutiones. *Vota ſolemnia & ſimplicia notanda.* P.5.c.3.§.4.& c.4.§.4.

13. Quas habeat facultates partim ex iis quæ ipſi in his regulis conceduntur, partim ex compendio facultatum Societatis intelligat, ut in iis, quas non habet, ſciat ad Superiorem recurrere. *Vnde cognoſcet ſuas facultates.*

De iis quæ Præpoſitum ad bonam adminiſtrationem juvabunt.

CAPVT II.

14. SIT ſollicitus, ne Miniſter & reliqui officiales ſuo deſint officio, omiſſis aliis quæ poſſent impedire. *Ne Miniſter, & alii ſuo deſint officio.* P.4.c.10.§.7. & p.9.c.6.§.14.

15. Sin-

Conſultationes faciendæ. 15. Singulis vel ſaltem alternis hebdomadis cum ſuis Conſultoribus conveniat, (niſi pro re natâ aliquid extraordinariè eſſet conſultandum) deque rebus majoris momenti, quæ pro temporum & negotiorum varietate occurrunt, cum illis agat: quamquàm iis auditis, penes ipſum erit de ſingulis ſtatuendi facultas.

Admonitor, & Conſultores libenter audiendi. P.9.c.4.§.4. 16. Conſultores, aliosque omnes, cùm ei aliquid proponunt, libenter & benignè excipiat, & præcipuè eum, cui Monitoris officium commiſſum eſt: efficiatque ut in ſuâ domo, quæ in formula ſcribendi præſcripta ſunt, ſerventur.

Viſitationes & ordinationes ſcribendæ. 17. Habeat librum, in quo ſcribantur viſitationes Domus à Generali approbatæ; in quo etiam ſcribantur ordinationes aliæ alicujus momenti, quæ à Generali mittuntur: & quæ perpetuæ fuerint, ab iis quæ temporariæ ſunt ſeparatim notentur: alia verò quæ Viſitator, & Provincialis præſcripſerint, in alio libro ſcribantur.

Vnde inſtitutum Societatis cognoſcat. 18. Inſtitutum Societatis cognoſcat ex lectione litterarum Apoſtolicarum, Conſtitutionum & Decretorum generalium Congregationum: magis autem particularia ex lectione regularum tam communium, quàm officii ſui & aliorum, qui ſub ipſius curâ ſunt, ac Provincialis, & compendii facultatum Societatis, atque ex obſervatione conſuetudinum receptarum, ac demum ex recurſu ad Superiorem in iis de quibus dubitabit.

Quæ in libellum referenda. 19. Libellum habeat, in quem referat quæcumque ſibi ad bonum Domus ſtatum ſubinde occurrent, ne memoriâ excidant, præcipuè illa, de quibus ad Generalem vel Provincialem ſcribendum putat.

Miſſas applicare poteſt. P.2.c.3.§.2.& p.7.c.2.lit.M.& c.4.§.3.& 4.p.10.lit.B. 20. Pro occurrentibus neceſſitatibus communibus, & privatis, Miſſas & orationes ſuorum (moderatè tamen) juxta conſuetudinem Societatis applicare poterit.

De

De curâ noſtrorum in ſpiritu.

CAPVT III.

21. CVRET ut cuique in ſuo officio integram obedientiam ceteri præſtent, & officiales Miniſtro, & ſibi etiam omnes: ſtudeatque eisdem exemplo obedientiæ præire, quam ipſe ſuis Superioribus, quos Chriſti loco habet, præſtare debet. *Obedientia in omnibus curanda.* P.4.c.10.§ 8.

22. Det operam, ut Conſtitutiones & regulæ obſerventur: omnibus domeſticis cum omni ſollicitudine invigilet, eosdemque ab iis quæ nocere poſſint domi & foris defendat, tum præveniendo, tum etiam ſi quid mali acciderit, remedium adhibendo. *Obſervantia Regularum.* P.4.cap.10. §.5. & p.6.§.1. & p.10.§.ult.

23. Efficiat, ut ſibi vel aliis ab ipſo deputatis ſtatis temporibus ratio conſcientiæ reddatur, juxta modum, qui in officio Provincialis præſcribitur, & inſtructionem, ad reddendam conſcientiæ rationem, à Profeſſis quidem & Coadjutoribus formatis ſemel in anno, ab aliis verò bis: & aliquos præterea maturiores Patres aſſignet, qui eorum confeſſiones generales excipiant, niſi Provincialis tunc adſit. *Ratio conſcientiæ.* In Exa c.4. §.36. 38 & p.6.c.1. §.2.

24. Meminerit, ut Scholaſtici, ſi qui erunt, & Coadjutores non formati, bis ſingulis annis circa feſta Circumciſionis Domini noſtri, & Apoſtolorum Petri & Pauli, vota ſua renovent, præmiſſis iis quæ fieri ſolent. *Renovatio votorum quando.* P.4.c.4.§.5.& p.5 c.4.§.6.& Can. 14. Congr. 2.

25. Singulis, vel alternis diebus Veneris exhortationem noſtris vel ipſe faciat, vel aliquis alius, qui rationem noſtri inſtituti benè teneat; in quâ agatur de obſervatione Conſtitutionum & Regularum, de fraternâ caritate, humilitate, patientiâ, mortificatione, & aliis virtutibus, præſertim de obedientiâ: tametſi exhortationis loco, ſpiritualis collatio eisdem de rebus aliquando haberi poteſt. *Exhortatio quando, & quibus de rebus habenda.* P.3.c.1. §. 28.

26. Crebrò, & magnâ caritatis ſignificatione, alloquatur ſubditos, eorumque neceſſitatibus non corporis tantùm, ſed multò etiam magis animæ, paterno affectu proſpiciat. Si quem verò intelligat aliquâ tentatione pulſari, præſertim gravi, ejus peculiarem curam & ſollicitudinem non ſolùm per ſe, ſed etiam, ſi neceſſe fuerit, per alios gerat; nec remedium longiùs differendo, difficiliorem morbi curationem reddat. *Crebrò ſubditos alloquatur, eorumque neceſſitatibus tempeſtivè proſpiciat.*

Ratio in pœnitentiis habenda. P.3.c.1.§.15.

27. In correctionibus & pœnitentiis injungendis rationem habebit diſpoſitionis perſonarum, & ædificationis univerſalis & particularis earum, ad gloriam Dei.

Modus in correctionibus ſervandus. P.3.c.1. lit. N.

28. Niſi prudentia rebus particularibus adhibita aliter procedendum dictaverit, illud in correctionibus obſervet, ut ii qui peccant, primò in caritate & dulcedine admoneantur: ſecundò in caritate quidem, ſed eo tamen modo, ut eis confuſio & rubor injiciatur: tertiò amori ea quæ timorem incutiant, ſi opus erit, adjiciantur.

Publica pœnitentia. P.3.c.1 lit.N.

29. De publicis defectibus publica debet eſſe pœnitentia, iis tantùm, quæ ad omnium ædificationem faciunt, declaratis.

Mortificationes publicæ.

30. Poterit mittere interdum aliquem ex ſuis, ut oſtiatim petat eleemoſynam, aut comitetur emptorem, aut ut inſerviat hoſpitali, aut in plateis concionetur, Chriſtianamve doctrinam doceat, prout magis in Domino expedire videbitur; habitâ ratione ædificationis, & ſpiritualis utilitatis noſtrorum.

Pœnitentiarum approbatio. In Ex.c.1. lit.C.

31. Delegare poterit Confeſſario vel aliis vices ſuas, ut eas pœnitentias approbent vel improbent, quas ad majorem ſui ſpiritus profectum aſſumere quiſque volet: & ut noſtris qui Sacerdotes non ſunt, facultatem dare poſſint frequentiùs quàm octavo quoque die communicandi, quos ea ratione magis in ſpiritu juvari in Domino judicaverint.

Menſura in pœnitentiis ne excedatur. In 1.Cong. tit.6. dec.17 & in Exa. c 1.§.6.

32. In dandâ facultate jejunandi, ſicut & in aliis pœnitentiis concedendis, videat ne menſuram rectæ rationis excedat; detque operam, ut omnes intelligant, ad ſingularitatem non pertinere, ſi quis jejunet aliis non jejunantibus, dummodò ordinaria conſuetudo jejunandi, quæ juxta Conſtitutiones non ſit, non introducatur.

Noſtrorum curet unionem. P.3.c.1.§.18. Ibid.lit.P.

33. Vnio & conformitas mutua diligentiſſimè curanda eſt, nec ferenda inter ullos domeſticorum perturbatio vel ira mutua: ſi quid autem hujuſmodi accideret, curet ut ſtatim cum ſatisfactione debitâ in gratiam invicem redeant.

Officia domeſtica à Sacerdotibus obeunda. P.3.c.1.§.19.

34. Tam ipſe quàm omnes alii Sacerdotes, qui ei videbuntur, juxta Conſtitutiones, aliquando intra annum officium vel officia eorum, qui Domi inſerviunt, ad tempus aliquod obibunt.

Litteræ dandæ. In Exa.c.4.§ 6. & p.3.c.1.lit.E.

35. Videat ſcripta & litteras omnes, quæ ſcribuntur ad domeſticos, & quas ipſi aliis ſcribunt; aut aliquem virum fidelem & qui donum diſcretionis habeat, Domi conſtituat, qui eas lectas reddat aut non reddat, prout

in

in Domino magis expedire judicabit: ſibique referat, ſi quid invenerit, quod tanti momenti ſit, ut de eo Superior monendus videatur. Res autem vanas aut quæ aliâ ratione offendere poſſint, neminem ſcribere permittat: nec ſigillum quemquam habere ſinat ſine Provincialis facultate.

Arma, inſtrumenta muſica, & libri laſcivi, &c.

36. Non ſint Domi arma, nec inſtrumenta muſica, nec libri laſcivi aut vani, nec novæ ullæ recreationes introducantur.

P.3.c.1.§.14.& lit.M.

De auxilio animarum.

CAPVT IV.

Inſtituti perfectio in Domibus profeſſis.

in Exa.c.1.§.2.& par.4.in Proœ.

37. MEMINERIT hoc pertinere ad ſcopum totius Societatis, ut ad animarum ſalutem & perfectionem cum Divinâ gratiâ promovendam incumbat; & noſtri inſtituti puritatem in Domibus Profeſſis præcipuè eluceſcere debere, quæ non tam circa media ad hunc finem præparanda (quemadmodùm Collegia) quàm circa finem ipſum, & uſum mediorum ad eum conferentium verſantur.

Zelus animarum.

38. Videat, an noſtri zelum habeant animarum, & an ſtrenuè ac diligenter earum ſalutem procurent, ut ii ſolent quos ſanctus Dei amor impellit: nec ſolùm immoderatos pro ratione virium labores ſuſcipi non ſinat, ſed multò etiam minus in proximis juvandis negligentiam toleret.

Aſſiduè in eccleſiâ prædicandum.

P.4 c.8.§.3 & 6. & p.7.c.4.§.6. & 7.& Can.21. Cong.1. & Can. 20.Cong.2. Can.14. Congreg.1.

39. Proponatur populo aſſiduè in eccleſiâ verbum Dei in prædicationibus, & ſacræ Scripturæ vel doctrinæ Chriſtianæ lectionibus, quod etiam in aliis eccleſiis, plateis, & locis præſtari poteſt, quando ad majorem Dei gloriam conferre videbitur: nominatim verò puerorum ac rudium perſonarum in Chriſtianiſmo inſtitutionem, tamquàm proprium noſtræ vocationis miniſterium valdè commendatum habeat: intelligatque Chriſtianam doctrinam canendo doceri poſſe, ubi ad majorem ædificationem id fore obſervabitur. Modus autem, ſive id canendo ſive ſecus fiat, pro locorum ratione ad ædificationem & majorem utilitatem exigatur.

Confeſſarii non deſint.

P.4.c.8.§.4.& p. 7.c.4.§.5 & n.9. & in Bullâ noſtri inſtit.Paul.III, & Iul.III.

40. Procuret diligenter ne deſint deſignati Confeſſarii, qui Domi in adminiſtratione ſacramentorum, confeſſione & communionis cum fructu exerceantur: quique extra Domum ægrotorum confeſſiones audire, morientibus opem ferre, & eos qui in carceribus & hoſpitalibus inveniuntur, viſitare & conſolari poſſint, & reliquis pietatis operibus, quæ in litteris Apoſtolicis inſtituti noſtri, & Conſtitutionibus proponuntur, incumbere: ſed hæc omnia ipſe juxta ordinem à Provinciali præſcriptũ exequatur, qui pro ratione

loci, & copiâ Noſtrorum metietur, quantum in hujusmodi rebus operæ ſit ponendum.

Exercitia ſpiritualia à quo tradentur. P.4.c.8.§.5.& p.7.c.4.§.8.

41. Curet, ut noſtri in ſpiritualibus Exercitiis tradendis accuratè exerceantur, poſtquàm ea in ſe fuerint experti: nullus tamen deberet ea tradere, niſi prudentiâ ac rerum ſpiritualium uſu ſatis probatus eſſet.

Ad loca vicina mitti poſſunt noſtri.

42. Si operariorum copia ſuppetet, poterit ſuos mittere ad alia loca vicina, habito conſenſu Provincialis, ut ſimilibus operibus caritatis functi, Domum conſtituto tempore redeant.

Aliqui Domi maneant.

43. Non permittat eodem tempore omnes Sacerdotes abeſſe, ſed ſemper Domi, aut in eccleſiâ aliqui maneant, qui occurrentibus neceſſitatibus proximorum ſatisfacere poſſint.

Operariis proſpiciendum.

44. Cùm quis prædicationi, lectioni ſacræ, aut confeſſionibus audiendis vacat, provideat, ne ſtudii tempus, aliáve neceſſaria illi deſint.

De promovendis ad aliquod munus. P.4.c.8.§.2. & p.7.c.4.§.5.&6.

45. Si quis ad ſacros ordines promovendus, aut in confeſſarium vel concionatorem eſſe eligendus videbitur, Provincialem admoneat.

Quid de iis, qui offendiculo ſunt.

46. Si quem ex iis qui in eccleſiâ noſtrâ aſſiduè ad ſacramenta accedunt, intelligeret vitæ ſuæ exemplo alios offendere, quantum in ipſo eſt, remedium per confeſſarium vel aliquem alium, convenienti ratione adhibere curet.

Religioſarum curam ne ſuſcipiant noſtri. P.6.c.3.§.5.

47. Non permittat, ut noſtri curam mulierum religioſarum, & aliarum quarumcumque ſuſcipiant, ut ordinariè illarum confeſſiones audiant vel ipſas regant: quamvis nihil repugnet aliquando apud eas concionari, aut ſemel unius Monaſterii confeſſiones, ſpeciales ob cauſas, audire; quod tamen non fiet, niſi poſtulent ii qui eis præſunt.

Concionari, & confeſſiones audire poteſt. P.9.c.6.§.1.

48. Etſi proprium Præpoſiti officium eſt, Domum ſibi commiſſam diligenter ac fideliter gubernare, neque is propter aliud quid quàm huic muneri deeſſe debet; ſi quando tamen per officii ſui occupationes licebit, & concionari & confeſſiones audire, & alia Societatis miniſteria exercere poterit ac debebit.

De ordine domeſtico.

CAPVT V.

49. QVOTIDIE poſt orationem matutinam fiat Sacrum, cui interſint omnes, qui Sacerdotes non ſunt; niſi aliquibus propter peculiares cauſas aliud tempus ad Sacrum audiendum conceſſum ſit. *Sacrum quotidie audiendum.*

50. Tempore orationi & examini aſſignato ſit aliquis qui obſervet, num omnes iis vacent, quod & Miniſter ipſe aliquando faciat, & Præpoſitus huic rei diligenter invigilet. *In oratione, & examine viſitandum.*

51. Syndicum Domi conſtituat, ubi Miniſtri aut Subminiſtri operâ ad id non uteretur, cujus officium erit obſervare in omnibus, quod ad honeſtatem & decentiam externam pertinet, Eccleſiam & domum in locis publicis perluſtrando, & ſi quid quod non conveniat annotaverit, Superiori referendo. *Syndici officium.* P.3.c.1.§.16.& p.4.c.10.§.7.

52. A poſteriore prandii ſigno ad cœnam octo, ut minimùm, horæ interſint: aliquid verò ampliùs usque ad refectiunculam diebus Veneris & jejuniorum, juxta morem regionis: à tempore autem quo ſe noſtri cubitum receperunt usque ad ſignum quo excitantur, ſeptem. *Quâ horâ ad cœnam, & cubitum eundum.* P.3 c.2. lit E.

53. Benedictio & gratiarum actio in refectorio juxta uſum Breviarii Romani in primâ mensâ fiant: in ſecundâ verò & privatâ, retineri poſſunt antiqua benedictio & gratiarum actio, quæ à ſingulis ſubmiſsè & ſtando fieri debent. *Benedictio menſæ, & gratiarum actio.* Can.6. Congreg.1.

54. In mensâ Sacerdotes præcedant alios ad eum gradum non promotos, ſed nec inter Sacerdotes, nec inter eos qui Sacerdotes non ſunt, ullus ordo conſtituatur. *Ordo in mensâ ſerbandus.* Can 30.Congreg. 1.

55. Si aliquâ de causâ Præpoſitus primæ menſæ adeſſe non poterit, curet ut Miniſter adſit. *Adſit primæ menſæ Miniſter.*

56. A prandio & à cœnâ hora una, diebus autem Veneris poſt collationem veſpertinam dimidia recreationi religiosè impendatur, idque in uno loco, ſi commodè fieri poterit: ſed neque extra hujusmodi horas labores nimiùm continuati, ſine aliqua conveniente relaxatione, ſinat. *Horæ recreationis.* P.3.c.2.lit.D.

57. Conferentiæ caſuum conſcientiæ bis ſingulis hebdomadis habeantur, quibus Sacerdotes omnes, qui commodè poterunt, intereſſe debent, Præſide docto aliquo, qui ea de quibus agetur, luculentiùs explicare ac definire poſſit. *Conferentia caſuum conſcientiæ.*

De iis quæ pertinent ad res temporales.

CAPVT VI.

Fiducia in Deum.

58. MAGNO & conſtanti animo ſperet à Divinâ bonitate ſuæ Domui ſubſidia temporalia adjicienda, ſi & noſtri ad quærendum Dei regnum ſibi & proximis ſeriò incumbant, & ipſe, ratione indigentiæ, inſtituti noſtri integritatem violari numquàm permittat.

Procurator eleemoſynarum. P.6.c.2.§ 10.

59. Habeat Procuratorem qui eleemoſynas petat, cui alios ad eam rem ſubſtituere poterit, ſi neceſſarium judicabit, ita tamen ut quàm pauciſſimi in mendicando occupentur.

A Procuratore rationem exigat. P.4.c.7.§.5.& p.9 c.3.§.4. lit. C.

60. Singulis menſibus à Procuratore rationem accepti & expenſi, præſente Miniſtro, exigat, ut totius Domus adminiſtrationis ratio ipſi conſtet, eamque reddere poſſit cui & quando per Superiorem conſtituetur; caveat autem, ne Domus alieno ære gravetur.

In victu & veſtitu moderatio. P.6.c.2.§. ult. lit. N.

61. In iis qui ad rationem victus, & aliarum rerum vitæ neceſſariarum aut convenientium ſpectant, quamvis curandum eſt, ut communis illa ſit, & valetudini noſtrorum accommodata; habenda tamen ſemper eſt ratio humilitatis, paupertatis, ac ſpiritualis ædificationis in Domino.

Qui in vineâ Domini ſublevandi ſunt.

62. Vt curare debet ne ii, qui in vineâ Domini magno cum proximorum fructu ſe exercent, neceſſario ſubſidio privati majora bona relinquere cogantur, néve morbo aut ætate debiles miniſterio fraternæ caritatis deſtituantur; ita iis, qui neutrâ ratione aliorum indigent operà, adjutores aſſignare non debet.

Ægrotorum magna habenda cura. P.3.c.2.lit.G.

63. Ægrotorum verò cura habeatur magna, & obſervetur diligenter tam in victus ratione quàm in ceteris, quod medicus præſcripſerit.

Eleemoſynæ in commune diſpenſandæ.

64. Si cui particulari quidpiam ab externo aliquo mittatur, id in communem uſum accipiatur ac diſpenſetur.

Collegiorum reditibus non utantur.

65. Caveat, ne Domus ipſa aliquiſve Profeſſorum aut Coadjutorum reditibus Collegiorum, præterquàm in rebus minimis, utatur.

In Exa.c.1.§.4. & p.4.c.2.lit F. & p.6.c.2.§.3. *Stabilia ſtatim vendenda.* P.6,c.2. lit.E.

66. Si quid ſtabile donatum legatúmve Domui fuerit, Provincialem admoneat, ut quàm primùm vendatur, & pretium in uſus neceſſarios juxta illius judicium expendatur: temporis tamen opportunitas ad vendendum non eſt excludenda.

67. Li-

67. Lites forenſes fugiat, nec ullum inconſulto Provinciali intentet, nec intentæ reſpondeat niſi cogatur. *Lites fugiendæ.* Can.26.Cong.2.

68. Si bona alicujus ex noſtris diſtribuenda eſſent, ſi ineundi contractus, ſi fabrica alicujus momenti, & expenſæ extraordinariæ faciendæ, aut ſi bona offerantur cum aliquâ obligatione, rem ad Provincialem deferat. *Expenſæ extraordinariæ.* P.3.c.1.§.7.& 9. &Can.3.Cong.2.

69. Depoſitum pecuniæ nullum prorſus admittat; aliarum verò rerum non niſi cautiſſimè, dummodò ſint eorum quibus multum debeamus, aut alioqui id officii ſine magnâ offenſione denegari non poſſit. *Depoſita non admittantur.*

70. Neminem ex noſtris in cauſis civilibus, nedum criminalibus, examinari (niſi qui ad peccatum obligare poteſt, compelleret) permittat absque licentiâ; quam minimè dabit, niſi in cauſis, quæ ad religionem Catholicam pertinent, aut alioqui piæ ſint, & ita uni faveant ut non in alterius detrimentum cedant. *Examinatio noſtrorum in civilibus.* P.6.c 3.§.8.

71. Nullum domi jumentum equitandi causâ ad uſum alicujus de ipsâ Societate ordinariè habeatur, niſi aut propter continenter infirmam alicujus valetudinem, aut propter publica negotia, id neceſſarium & urgens judicaret Generalis. *Quomodò jumento domi utendum.* P.6.c.2.§.14. Ibid. lit. K.

De communicatione cum externis, & gratitudine erga fundatores & benefactores.

CAPUT VII.

72. MULIERES inviſere, aut ad eas ſcribere niſi in neceſſitate, aut cum ſpe magni fructus, noſtros non ſinat: nec hoc quidem permittat niſi viris valdè probatis & prudentibus. *Mulierum viſitatio, & ad eas litteræ.*

73. Non permittat feminas domum noſtram ingredi. *Domum non ingrediantur mulieres.* P.3.c.1.§.14.

74. Curet, ne primarios viros inviſere noſtri conſueſcant, niſi ſancto ſtudio piorum operum ducerentur, vel quando intimâ benevolentiâ in Domino conjuncti eſſent. *Magni viri quando inviſendi.* P.6.c.2.§.9.

75. Non ſinat offerri munuſcula, quæ magnatibus ob res majores obtinendas offerri ſolent. *Munuſculæ.* P.6.c.2.§.9.

76. Non permittat, ut noſtri cibum capiant apud externos, aut ab eis, cùm ægrotant, viſitentur, niſi cauſa non levis momenti ad id concedendum moveret; quam eamdem eſſe oportebit, ſi quando externus aliquis ad menſam, præſertim Refectorii, invitandus videretur. *Noſtri non capiant cibum apud externos, nec ab eis viſitentur cum ægrotant.*

77. Ami-

Amici conſervandi, inimici reconciliandi. P.1 lit.B.

77. Amicos conſervare, & eos qui malè erga nos affecti ſunt, præcipuè ſi homines ſint non vulgaris auctoritatis, orationibus & rationibus convenientibus in amicitiam revocare, aut ſaltem ne adverſarii ſint efficere ſtudeat.

Gratitudo erga fundatores, & benefactores P.4.c.1.

78. Obſervet, quæ erga fundatores & benefactores, tam vivos quàm mortuos, obſervanda ſunt, eisque gratitudinem exhibeat; & ſi quam aliam obligationem Domus habet, ei ſatisfieri curet.

De iis qui admitti petunt, ad Domum divertunt, aut foras mittuntur.

CAPUT VIII.

In Societatem neminem admittat. P.1.c.1 §.2.

79. IN Societatem neminem admittat, niſi à Generali vel Provinciali id ipſi committatur: ſed de iis, qui admitti petunt, ad Provincialem referat, vel ſcribat, quales illi ſint, & quibus donis Dei præditi.

Quid cum valdè idoneis agendum. P.1.c.1.lit.A.

80. Si is qui admitti petit, ad inſtitutum Societatis valdè idoneus videbitur, & neceſſitas urgeret, poterit eum tamquàm hoſpitem Domi recipere, donec reſponſum à Provinciali accipiat, vel ad eumdem mittere, ſi expedire judicaverit.

Quid cum veniente ſine licentia. P.2.c.4.§.1. & lit. A.

81. Recedentem ſine licentiâ ab alio loco Societatis, vel ab eâ dimiſſum non admittat: ſed ſi expedire videretur ad Provincialem de eo ſcribat, & ejus ordinationem expectet; illo domi ut hoſpite, vel in alio pio loco, ſi videbitur, detento.

Caritas erga alios per domos tranſeuntes. P.4.c.2.lit F.& p.6 c.2.lit.D.

82. Caritatem magnam exhibeat erga alios de Societate per domum tranſeuntes, eosque amanter hoſpitio excipiat, ac meminerit ſe aliquo viatico aut eleemoſynâ eos, ſi indigerent, juvare poſſe: curet item diligenter dirigere ac juvare expeditiones hoſpitum qui negotiorum causâ domi verſantur.

Externi quando domi pernoctabunt.

83. Externi ne accipiantur hoſpitio, ut Domi pernoctent, niſi ii ſint quibus multum debeatur, aut id officii ſine magnâ offenſione prætermitti non poſſit: quâ in re habeatur præcipua ratio religioſorum, cùm neceſſitatis causâ ad nos divertunt.

Cum ſocio Domo egrediendum. P.4.c.1. §.3.

84. Cùm quis Domo egredietur, det ei ſocium convenientem: ſi quando autem aliquis ſolus foras mittitur, is ſit cui meritò poſſit confidere.

85. Ne-

85. Neminem ex ſuâ Domo in alium locum mittat ſine litteris paten-tibus. *Non ſine patentibus mittendi.*

86. Si quis experimento comperiretur ferre non poſſe Domus cælum, & malè habere continenter cerneretur, vel aliâ ratione videretur mutandus; Provincialem admoneat, an aliò mitti debeat. P.7.c.2.lit.M. *Quid de malè habentibus.*

87. Profecturi ad alia loca, eâ quam ſottanam vocant, & aliis interioribus indumentis, quibus utuntur, privari non debent, niſi fortè ratio temporis, aut alioqui caritas ſuaderet melioribus eſſe commutanda. Reliqua verò omnia, quæ ad iter neceſſaria erunt, magnâ caritatis ſignificatione ab eo loco, unde mittuntur, ſubminiſtrentur, ſumptibus tamen eorum, quorum erit expenſas itineris ſolvere. P.3.c.2.lit.G. *Quid eunt profecturis aliò.*

REGULÆ

RECTORIS.

De iis quæ ad ejus perſonam, & totius Collegii adminiſtrationem pertinent.

CAPUT I.

1.

OMNI ſtudio enitatur, ut talis ſit qualis optatur in noſtris Conſtitutionibus, primamque officii ſui curam in eo poſitam eſſe intelligat, ut oratione & ſanctis deſideriis totum Collegium, velut humeris ſuis, ſuſtineat. *Oratione Collegium ſuſtineat.* P 4.c.10.§.4.& 5.

2. Communes regulas ipſe ſervet, & particularia in cibo, indumentis, & aliarum rerum uſu, quantum fieri poteſt, vitet: & familiaritate atque indulgentiâ cum quibusdam, alios ne offendat. *Particularia vitet.* P.4.c.10.§.10. & Can.15. Cong. 2.

3. Intra annum, poſtquàm officium Rectoris primâ vice inierit, quadraginta diebus Chriſtianam doctrinam, eo modo quo in ſecundâ Congregatione expoſitum eſt, legat aut doceat: ſed ex causâ per alium id munus cum facultate Provincialis obire poterit. *Doctrinam Chriſtianam doceat.*

4. Conſuetudines receptas, & à Generali vel Provinciali approbatas ſervet, ac ſervari faciat: ſi tamen aliqua alia à præcedenti Rectore inducta fuerit, non mutet inconſulto Provinciali: ipſe verò, niſi ſuo Superiore approbante, nullam introducat. *Conſuetudines ſervet, & nihil immutet.*

Miniſteria domeſtica diſtribuat. P.4 c.10.§.5.&6. Ibid. lit.E.

5. Eos qui domeſtica obeunt miniſteria (exceptis quibusdam, quorum electio ad Provincialem pertinet) prudenter conſtituat, ſuas cuique regulas tradat, aliquando viſitet, & prout in Domino convenire judicabit, vel in eisdem miniſteriis detineat vel ab eis removeat. Quia verò officia quædam, ut benè fiant, experientiam requirunt, qui ad ea idonei invenientur, non facilè mutari debebunt.

Officiales ſublevandi. P.4.c.10. §.6.

6. Vt proſpicere officialibus de ſubſidio, ſi neceſſarium id fuerit, ne labore graventur, debebit; ita cùm tempus vacuum illis fuerit, ut utiliter illud impendant Divino ſervitio curabit.

Deſignatio Confeſſarii.

7. Etſi poteſtatem habeat deſignandi confeſſarios ſuis ſubditis, ordinarium tamen Confeſſarium Collegii non conſtituet ſine approbatione Provincialis.

Quando in præcepto jubendum. P.6.c.5.

8. Quamvis *in virtute obedientiæ* jubere poſſit, non niſi rariſſimè, & ex gravi ac urgenti causâ id faciat.

Quales pœnitentias imponet.

9. Ordinarias tantùm pœnitentias imponat, quales ſunt parva menſa, publica reprehenſio, concluſio in circulo, edere ſub mensâ, oſculari aliorum pedes, orare in Refectorio, dicere culpam ſuam, ſubtractio cibi usque ad panem & aquam, ſi res poſtulaverit, diſciplina publica in Refectorio, & alia exercitia humilia & domeſtica.

Quando in Regulis diſpenſet. P.4. c.10.lit.B.& p.6.c.3.§ 8.

10. Sicut ad Rectorem pertinet diſpenſare in Regulis, Conſtitutionibus, & Decretis Congregationum Generalium cum particularibus, quando neceſſe erit; ſic & cum diſpenſaverit in rebus majoris momenti, quæ videntur urgere, & in quibus ſine gravi incommodo Provincialis reſponſum expectari non poteſt, eum primo quoque tempore de hujusmodi diſpenſatione, ac ejus causâ admonere.

Notentur in libro qui vota emiſerunt. P.5 c.3.§.4. & c.4.§.4.

11. Nomina eorum qui vota ſolemnia, vel ſimplicia emiſerunt, in libro ad hoc parato notentur: in Profeſſis quidem & Coadjutoribus formatis, cum nominibus admittentium; in reliquis verò poſt biennium, cum nominibus celebrantium, adnotato loco & tempore, juxta Conſtitutiones.

Vnde ſuas facultates intelligat.

12. Quas habeat facultates, partim ex iis quæ ipſi in his regulis conceduntur, partim ex compendio facultatum Societatis intelligat, ut in iis, quas non habet, ſciat ad Superiorem recurrere.

De iis quæ Rectorem ad bonam adminiſtrationem juvabunt.

CAPVT II.

13. SIT ſollicitus, ne Miniſter & reliqui officiales ſuo deſint officio, omiſſis aliis quæ poſſent impedire. *Ne deſint officio ſuo officiales.*

14. Singulis, vel ſaltem alternis, hebdomadis cum ſuis Conſultoribus conveniat (niſi pro re natâ aliquid extraordinariè eſſet conſultandum) deque rebus majoris momenti, quæ pro temporum & negotiorum varietate occurrunt, cum illis agat: quamquàm iis auditis penes ipſum erit de ſingulis ſtatuendi facultas. *Singulis hebdomadis conſultandum.* P.4.c.10. §.7. & P.9.c.6 §.14.

15. Conſultores, alioſque omnes, cùm ei aliquid proponunt, libenter ac benignè excipiat, & præcipuè eum, cui Monitoris officium commiſſum eſt: efficiatque ut in ſuo Collegio, quæ in formula ſcribendi præſcripta ſunt, accuratè ſerventur. *Conſultores & Admonitorem benignè audiat.* P.9.c.4. §.1.

16. Habeat librum, in quo ſcribantur viſitationes Collegii à Generali approbatæ; in quo etiam ſcribantur ordinationes aliæ alicujus momenti, quæ à Generali mittuntur: & quæ perpetuæ fuerint, ab iis quæ temporariæ ſunt, ſeparatim notentur: alia verò quæ Viſitator & Provincialis præſcripſerint, in alio libro ſcribantur. *Quæ in libris ſcribenda.*

17. Inſtitutum Societatis cognoſcat ex lectione litterarum Apoſtolicarum, Conſtitutionum, & Decretorum Generalium Congregationum: magis autem particularia ex lectione Regularum tam communium, quàm officii ſui, & aliorum, qui ſub ipſius curâ ſunt, ac Provincialis, & Compendii facultatum Societatis, atque ex obſervatione conſuetudinum receptarum, ac demum ex recurſu ad Superiorem in iis, de quibus dubitabit. *Vnde inſtitutum cognoſcet.*

18. Libellum habeat, in quem referat quæcumque ſibi ad bonum Collegii ſtatum ſubinde occurrent. ne memoriâ excidant, præcipuè illa de quibus ad Generalem vel Provincialem ſcribendum putat. *In libellum referat, quæ ad bonum Collegii occurrunt.*

19. Pro occurrentibus neceſſitatibus, communibus & privatis, Miſſas & orationes ſuorum (moderatè tamen) juxta conſuetudinem Societatis applicare poterit. *Miſſas applicare poteſt.* P.2.c.3.§.2. & p.7.c.2.lit M.& c.4.§.3.& 4 p.c.10.lit.B.

De curâ noſtrorum in ſpiritu.

CAPVT III.

Obedientia in omnibus ſervanda. P.4. c.10. §.8.

20. CVRET, ut cuique in ſuo officio integram obedientiam Collegiales præſtent, & officiales Miniſtro, & ſibi etiam omnes, ſtudeatque eisdem exemplo obedientiæ præire, quam ipſe ſuis Superioribus, quos Chriſti loco habet, præſtare debet.

Conſtitutionum & Regularum obſervantia. P.4.c.10. §.5.& p.6 c.1.§.1.& p.10 §. ult. in proœ decl.

21. Det operam, ut Conſtitutiones & Regulæ obſerventur: omnibus Collegialibus cum omni ſollicitudine invigilet, eosdemque ab iis quæ nocere poſſint, Domi & foris defendat, tum præveniendo, tum etiam ſi quid mali acciderit, remedium adhibendo, ita ut in virtutibus & litteris proficiant.

Conſcientiæ ratio reddenda. In Exa.c.4. §.36. 38.& 41.& p. 6. c.1 §.2.

22. Efficiat, ut ſibi, vel aliis ab ipſo deputatis, ſtatis temporibus ratio conſcientiæ reddatur à ſuis, juxta modum qui in officio Provincialis præſcribitur, & inſtructionem ad reddendam conſcientiæ rationem: & aliquos prætereà maturiores Patres aſſignet, qui eorum confeſſiones generales excipiant, niſi Provincialis tunc adſit.

Vota bis in anno renovanda. P.4 c.4.§. 5. & p.5.c.4.§.6.& Can.14 Cong.2.

23. Meminerit ut Scholaſtici & Coadjutores non formati bis ſingulis annis circa feſta Circumciſionis Domini noſtri, & Apoſtolorum Petri & Pauli vota ſua renovent, præmiſſis iis quæ fieri ſolent.

Quando exhortationes noſtris facienda. P.3 c.1.§. 28.

24. Singulis, vel alternis diebus Veneris exhortationem noſtris vel ipſe faciat, vel aliquis alius, qui rationem noſtri inſtituti benè teneat, in quâ agâtur de obſervatione Conſtitutionum & Regularum, de fraternâ caritate, humilitate, patientiâ, mortificatione,& aliis virtutibus, præſertim de obedientiâ, tametſi exhortationis loco ſpiritualis collatio eisdem de rebus aliquando haberi poteſt.

Subditos cum caritate alloquatur.

25. Crebrò & magnâ caritatis ſignificatione alloquatur ſubditos, eorumque neceſſitatibus non corporis tantùm, ſed multò etiam magis animæ, paterno affectu proſpiciat. Si quem verò intelligat aliquâ tentatione pulſari, præſertim gravi, ejus peculiarem curam & ſollicitudinem, non ſolùm per ſe, ſed etiam,ſi neceſſe fuerit,per alios gerat: nec remedium longiùs differendo, difficiliorem morbi curationem reddat.

26. In correctionibus & pœnitentiis injungendis rationem habebit diſpoſitionis perſonarum, & ædificationis univerſalis & particularis earum, & gloriam Dei. *Modus injungendi pœnitentias.* P.3.c.1.§.15.

27. Niſi prudentia rebus particularibus adhibita aliter procedendum dictaverit, illud in correctionibus obſervet, ut ii qui peccant, primò in caritate & dulcedine admoneantur; ſecundò in caritate quidem, ſed eo tamen modo, ut eis confuſio & rubor injiciatur; tertiò amori ea, quæ timorem incutiant, ſi opus erit, adjiciantur. *Correctio ut facienda.* P.3.c.1.lit. N.

28. De publicis defectibus publica debet eſſe pœnitentia, iis tantùm, quæ ad omnium ædificationem faciunt, declaratis. *Publica pœnitentia.* P.3.c.1.lit. N.

29. Poterit mittere interdum aliquem ex ſuis, ut oſtiatim petat eleemoſynam, aut ut inſerviat hoſpitali, aut comitetur emptorem, aut in plateis concionetur, Chriſtianamve doctrinam doceat, prout magis in Domino expedire videbitur, habitâ ratione ædificationis, & ſpiritualis utilitatis noſtrorum. *Publicæ mortificationes.*

30. Delegare poterit Confeſſario, vel aliis vices ſuas, ut eas pœnitentias approbent vel improbent, quas ad majorem ſui ſpiritus profectum aſſumere quiſque volet. *Pœnitentiarum approbatio.* In Exa.c.1. lit.C.

31. In dandâ facultate jejunandi, ſicut & in aliis pœnitentiis concedendis, videat ne menſuram rectæ rationis excedat, detque operam, ut omnes intelligant ad ſingularitatem non pertinere, ſi quis jejunet aliis non jejunantibus, dummodò ordinaria conſuetudo jejunandi, quæ juxta Conſtitutiones non ſit, non introducatur. *Vt concedenda.* In 1.Congr.tit. 6.dec. 17.

32. Vnio & conformitas mutua diligentiſſimè curanda eſt, nec ferenda inter illos domeſticorum perturbatio, vel ira mutua: ſi quid autem hujuſmodi accideret, curet ut ſtatim cum ſatisfactione debitâ in gratiam invicem redeant. *Vnionem curet.* P.3 c.1. §.18. Ibid. lit.P.

33. Tam ipſe, quàm omnes alii Sacerdotes, qui ei videbuntur, juxta Conſtitutiones, aliquando intra annum officium vel officia eorum qui Domi inſerviunt, ad tempus aliquod obibunt. *Officia domeſtica à Sacerdotibus obeunda.* P.3.c.1.§.19.

34. Non permittat noſtros Scholaſticos frequentiùs, quàm octavo quoque die communicare, niſi particulares ob cauſas, habitâ magis ratione neceſſitatis, quàm devotionis: diebus tamen ſolemnibus in hac re diſpenſare poterit. Coadjutoribus verò, & iis qui litteris non dant operam, longè faciliùs concedi poteſt, ut etiam intra hebdomadam communicent, *Noſtri quando communicabunt.* P.4.c.4. lit.B.

& Præfecto rerum ſpiritualium, aut confeſſario delegari, ut id concedat iis, quos eâ ratione magis in ſpiritu juvari in Domino judicabit.

Litteræ dandæ. In Exa.c.4.§.6.& p.3.c.1.lit.B.

35. Videat ſcripta & litteras omnes quæ ſcribuntur ad domeſticos, & quas ipſi aliis ſcribunt; aut aliquem virum fidelem, qui donum diſcretionis habeat, domi conſtituat, qui eas lectas reddat aut non reddat, prout in Domino magis expedire judicabit, ſibique referat, ſi quid invenerit, quod tanti momenti ſit, ut de eo Superior monendus videatur. Res autem vanas, aut quæ aliâ ratione offendere poſſint, neminem ſcribere permittat: nec ſigillum quemquam habere ſinat ſine Provincialis facultate.

Arma, inſtrumenta muſica, libri laſcivi, &c. P.3 c.1.§.14. & lit.M.

36. Non ſint in Collegio arma, nec inſtrumenta muſica, nec libri laſcivi aut vani, nec novæ ullæ recreationes introducantur.

De litterarum ſtudiis.

CAPUT IV.

Ad ſtudia admittendi. P.4.c.5.§.2. & c.13.§.4.

37. NEMINEM ad inchoanda ſtudia admittat, nec eos qui ad illa ex Provincialis commiſſione admiſſi fuerint, ad aliam facultatem promoveat, absque ejusdem Provincialis approbatione, cui poſt maturam conſiderationem & examen, de unoquoque tempore ſignificabit quid ſentiat.

Scholaſticorum curam geret. P.4.c.6.§.3. p.4.c.4.§.1. Dec.93.§.17. 7. Congr.

38. Impedimenta removeat, quæ à ſtudiis animos ſcholaſticorum avocant, qualia ſunt nimiæ mortificationes vel devotiones, vel externæ occupationes aut colloquia cum externis; quæ quidem rarò & paucis, nec ſine expreſsâ ipſius licentiâ, permitti debent. Et circa illorum valetudinem peculiari cura animadvertat, ut & in laboribus mentis modum ſervent, & in iis quæ ad corpus pertinent, religioſâ commoditate tractentur, ut diutius in ſtudiis perſeverare tam in litteris addiſcendis, quàm in eisdem exercendis ad Dei gloriam poſſint.

Profeſſores ſuo munere fungantur. P.4.c.6.§.15. P.3.c.1.§.18.& lit O.& p.4.c.5.§.5.& p.8.c.1.§.8. lit. K.

39. Videat quomodò profeſſores omnes ſuo munere fungantur, curetque diligenter à Philoſophiæ & Theologiæ Profeſſoribus ea ſervari circa opinionum diverſitatem, quæ in Conſtitutionibus & Ratione ſtudiorum præſcripta ſunt. Intelligat etiam per ſe, vel per alios, quomodò Scholaſtici in ſuis ſtudiis proficiant: quòd ſi animadverteret aliquem in iis inutiliter tempus terere, ad Provincialem referat.

40. Singulis hebdomadis dies unus ſaltem à prandio Scholaſticis ad quietem deſtinatus ſit, in quo eos ad hortum, aut prædium Collegii, vel aliò, exercitii corporis vel recreandi animi gratiâ, mittere poterit: in reliquis autem ſtudiorum intermiſſionibus ſequatur ordinem à Generali vel Provinciali conſtitutum. *Dies vacationis.* P.4.c.13.§.5. & p.6.c.2.lit.D.

41. Etſi præceptorem publicum in ſcholis inſtituere non poteſt absque Provincialis facultate, ad tempus tamen neceſſitatis gratiâ id facere poterit. *Quando præceptores inſtituet.* P.4.c.6 lit F.

42. In actibus promovendorum ad gradus litterarios (ad quos noſtri ſine facultate Generalis promoveri non poſſunt) ſi quâ in re alicujus momenti diſpenſatione opus eſſet, Provincialem admoneat. *De diſpenſatione ad gradus litterarios.* P.4 c.6.§.17.& c.15.§.4.

43. Conſtitutiones, ſive regulæ, quæ ad Scholaſticos Societatis pertinent, publicè in Refectorio bis aut ter ſingulis annis legantur. *Regulæ publicè legendæ.* P.4.c.10.lit.L & Can.16. Cong.2.

44. Sub finem ſtudiorum cujusque, ſuarum eſſe partium Rector intelligat, auditis Conſultoribus Provincialem de uniuscujusque talento admonere; & quantum ſinguli profecerint referre, & num aliqui ad ſacros ordines promovendi ſint, aut in Confeſſarios, aut Concionatores, aut Lectores eligendi, proponere. *De cujusque talentis Provincialem admoneat.* P.4.c.9.§. 3. Ibid.c 6.lit. C & c.8.§.2.p.7.c.4. §.5.

De ordine domeſtico.

CAPVT V.

45. QVOTIDIE poſt orationem matutinam fiat Sacrum, cui interſint omnes qui Sacerdotes non ſunt; niſi aliquibus propter peculiares cauſas aliud tempus ad Sacrum audiendum conceſſum ſit. *Sacrum quotidie audiendum.*

46. Quando noſtri ad ſacram communionem acceſſuri ſunt, præſertim diebus Dominicis, curet in eccleſiâ (ſi commodè fieri poteſt) id faciant; ſeparati tamen ab externis, quantum locus feret. *In eccleſiâ communicandum.* InExa.c.4. §.25. & p.3. c.1.§.11.

47. Tempore orationi & reliquis exercitiis aſſignato ſit aliquis qui obſervet, num omnes iis vacent: quod etiam Miniſter & ipſemet Rector aliquando faciat. *In oratione & examine viſitandum.*

48. Syndicum domi conſtituat, ubi Miniſtri aut Subminiſtri operâ ad id non uteretur; cujus officium erit obſervare in omnibus, quod ad honeſtatem & decentiam externam pertinet, eccleſiam & domum in locis publicis *Syndici officium.* P.3.c.1.§.16.& p.4.c.10. §.7.

Ibid.c.17.§.7. cis perluſtrando, & ſi quid quod non conveniat annotaverit, Superiori referendo. Præter hunc alios particulares Syndicos in claſſibus ſingulis habeat, qui, quantum fieri poterit, ex prudentioribus & maturioribus deligantur.

Corporalis exercitatio. P.3.c.2.§.4. 49. Omnes, præter illos quos ipſe judicaverit excipiendos, horæ quadrantem ante prandium vel cœnam, corporis exercitationi tribuant.

Quâ horâ ad cœnam, & cubitum eundum. P.3.c.2.lit. E. 50. A poſteriore prandii ſigno ad cœnam octo, ut minimùm, horæ interſint: aliquid verò amplius usque ad refectiunculam veſpertinam diebus Veneris & jejuniorum, juxta morem regionis: à tempore autem quo ſe noſtri cubitum receperunt usque ad ſignum quo excitantur, ſeptem.

Benedictio menſæ, & gratiarum actio. Can.6.Congr. 1. 51. Benedictio & gratiarum actio in Refectorio juxta uſum breviarii Romani in primâ menſâ fiant: in ſecundâ verò & privatâ, retineri poſſunt antiqua benedictio & gratiarum actio, quæ à ſingulis ſubmiſsè & ſtando fieri debent.

Ordo in menſâ ſervandus. Cap. 30. Cong. 1. 52. In menſâ Sacerdotes præcedant alios ad eum gradum non promotos; ſed nec inter Sacerdotes, nec inter eos qui Sacerdotes non ſunt, ullus ordo conſtituatur.

Adſit primæ menſæ Miniſter. 53. Si aliquâ de causâ Rector primæ menſæ adeſſe non poterit, curet ut Miniſter adſit.

Quando concionandum in Refectorio. P.3.c.1.§.5.& 21. & in Exa.c.4. §.25. 54. Dominicis diebus & feſtis, ſi commodè fieri poteſt, & aliis etiam, ſi Superiori videatur, ſint aliqui pro multitudine Scholarium à Superiore delecti, qui inter cœnandum pro lectione concionem habeant, quibus ad ſe parandum bidui ferè ſpatium pro Superioris arbitrio dandum erit.

Decr.93.7. Cong.§.6. *Horæ recreationis.* 55. A prandio & à cœnâ hora una, diebus autem Veneris poſt collationem veſpertinam dimidia recreationi religiosè impendatur; idque in uno loco, ſi commodè fieri poterit: ſed neque extra hujusmodi horas labores nimiùm continuari, ſine aliquâ convenienti relaxatione, ſinat.

P.3.c.2.lit D. *Toni quando faciendi.* P.3 c.2 §.21. Decr.93. Congr 7.§.7. Ex Inſtruct.pro Concion. 56. Scholaſtici omnes, ubi aliqua fuerit eorum copia, pro more Societatis (niſi quis eximendus videretur) diebus ſaltem Dominicis ad finem recreationis poſt prandium in tonis, ſeu ratione concionandi, exerceantur, de iis crebrò tractantes, quæ ad ſui abnegationem, & in virtutibus profectum, & fraternam caritatem ſpectant. Vtilitas autem major erit ſi quadrante horæ circiter præmoneantur, qui tonos facturi ſunt, themate illis aſſignato.

De

De iis quæ pertinent ad res temporales.

CAPUT. VI.

57. Singulis menſibus à procuratore rationem accepti & expenſi, præſente Miniſtro, exigat, ut totius Domus adminiſtrationis ratio ipſi conſtet, eamque reddere poſſit cui & quando per Superiorem conſtituetur: caveat autem, ne Collegium ære alieno gravetur. *A procuratore ratio exigenda.* P.4.c.2.§.5. & p.9.c.3.§.4.lit.C.

58. In iis quæ ad victum, veſtitum, & habitationem, & alia corpori neceſſaria pertinent, curet ut quamvis ſit in quo probetur virtus & ſui ipſius abnegatio, non deſit tamen quo ſuſtentetur natura, habitâ convenienti ratione perſonarum in Domino. Cum Scholaſticis verò in iis quæ ad veſtitum attinent, magis quàm cum iis qui probantur, exterioris decentiæ ratio habeatur. *Quæ ratio in victu & veſtitu ſervanda.* P.3.c.2.§.3. P.3.c.2.lit.C.

59. Ægrotorum cura habeatur magna; & obſervetur diligenter tam in victus ratione, quàm in ceteris, quæ medicus præſcripſerit. *Ægrotorum cura.*

60. Si cui particulari quidpiam ab externo aliquo mittatur, id in communem uſum accipiatur ac diſpenſetur. *A ſæcularibus miſſa.*

61. Caveat, ne qua Domus Profeſſorum, aut aliquis eorum, vel Coadjutorum formatorum, reditibus Collegii ſui, præterquàm in rebus minimis utatur, niſi is eidem Collegio neceſſarius ſit, aut conveniens, ut in eo commoretur. *Uſus redituum Collegiorum.* In Exa.c.1.§.4. & p.4.c.2.lit.F, & p.6.c.2.§.3.

62. Lites forenſes fugiat, nec ullam inconſulto Provinciali intentet, nec intentæ reſpondeat, niſi cogatur. *Lites fugiendæ.* Can.26.Congr.

63. Si bona alicujus ex noſtris diſtribuenda eſſent, ſi ineundi contractus, ſi fabrica alicujus momenti, & expenſæ extraordinariæ faciendæ, aut ſi bona offerantur Collegio cum aliquâ obligatione, rem ad Provincialem deferat. *Expenſæ extraordinariæ.* P.3.c.1.§.7.& 9. & Can.3.Cong 2.

64. Depoſitum pecuniæ nullum prorſus admittat; aliarum verò rerum non niſi cautiſſimè, dummodò ſint eorum, quibus multum debeamus, aut alioqui id officii ſine magnâ offenſione denegari non poſſit. *Depoſita non admittantur.*

65. Neminem ex noſtris in cauſis civilibus, nedum criminalibus, examinari (niſi qui ad peccatum obligare poteſt, compelleret) permittat absque licentiâ; quam minimè dabit, niſi in cauſis quæ ad religionem Catholicam pertinent, aut alioqui piæ ſint, & ita uni faveant, ut non in alterius detrimentum cedant. *Quando noſtri in civilibus examinandi.* P.6.c.3.§.8.

De auxilio animarum, communicatione cum externis, & gratitudine erga fundatores & benefactores.

CAPVT VII.

Miniſteria Societatis. P.4.c 8.§.3.& 6. & p.7.c.4.§.6. & 7. Can. 21. Congr.1. & Can. 20. Cong 2.

66. DET operam, ut à noſtris miniſteria Societatis, juxta Provincialis præſcriptum, & cujusque talentum, exerceantur non ſolùm in noſtrâ, ſed etiam in aliis eccleſiis, carceribus, & aliis locis, quantum commodè fieri poterit, nominatimque miniſterium doctrinæ Chriſtianæ commendatum habeat.

Exercitia ſpiritualia à quo tradentur. P.4.c.8. §.5. & p.7.c.4.§.1.

67. Curet, ut noſtri in ſpiritualibus exercitiis tradendis accuratè exerceantur, poſtquàm ea in ſe fuerint experti: nullus tamen deberet ea tradere, niſi prudentiâ ac rerum ſpiritualium uſu ſatis probatus eſſet.

Religioſarum curam ne ſuſcipiant noſtri. P.6.c.3.§.5.

68. Non permittat, ut noſtri curam mulierum religioſarum ſuſcipiant, & aliarum quarumcumque, ut ordinariè illarum confeſſiones audiant vel ipſas regant: quamvis nihil repugnet aliquando apud eas concionari, aut ſemel unius Monaſterii confeſſiones, ſpeciales ob cauſas, rudire; quod tamen non fiet, niſi poſtulent ii qui eis præſunt.

Concionari, & Confeſſiones audire poteſt. P.9.c.6.§.1.

69. Etſi proprium Rectoris officium eſt, Collegium ſibi commiſſum diligenter ac fideliter gubernare, neque is propter aliud quidquam huic muneri deeſſe debet; ſi quando tamen per officii ſui occupationes licebit, & concionari, & confeſſiones audire, & alia Societatis miniſteria exercere poterit.

Mulierum viſitatio & litteræ.

70. Mulieres inviſere, aut ad eas ſcribere, niſi in neceſſitate, aut cum ſpe magni fructus, noſtros non ſinat: neque hoc quidem permittat, niſi viris valdè probatis & prudentibus.

Collegium non ingrediantur feminæ. P.3.c.1.§.14.

71. Non permittat feminas Collegium noſtrum ingredi.

Magni viri quando inviſendi. P.6.c.2.§.9.

72. Curet, ne primarios viros inviſere noſtri conſueſcant, niſi ſancto ſtudio piorum operum ducerentur, vel quando intimâ benevolentiâ in Domino conjuncti eſſent.

Munuſcula. P.6.c.2.§.9.

73. Non ſinat offerri munuſcula, quæ magnatibus ad res majores obtinendas offerri ſolent.

74. Non

74. Non permittat, ut noſtri cibum capiant apud externos, aut ab eis, cùm ægrotant, viſitentur, niſi cauſa non levis momenti ad id concedendum moveret; quam eamdem eſſe oportebit, ſi quando externus aliquis ad menſam, præſertim Refectorii, invitandus videretur. *Noſtri non capiant cibum apud externos, nec ab eis viſitentur cum ægrotant.*

75. Amicos conſervare, & eos qui malè erga nos affecti ſunt, præcipuè ſi homines ſint non vulgaris auctoritatis, orationibus & rationibus convenientibus in amicitiam revocare, vel ſaltem ne adverſarii ſint efficere ſtudeat. *Amici conſervandi, &c.* P.4.c.10.lit.C. & p.10.lit. B.

76. Obſervet, quæ erga fundatores & benefactores, tam vivos quàm mortuos, obſervanda ſunt, eisque gratitudinem exhibeat: & aliis obligationibus, ſi quas Collegium habet, ſatisfieri curet. *Gratitudo erga fundatores, & benefactores.* P.4. c.1.

De iis qui admitti petunt, ad Collegium divertunt, aut foras mittuntur.

CAPUT VIII.

77. In Societatem neminem admittat, niſi à Generali vel Provinciali id ipſi committatur: ſed de iis qui admitti petunt, ad Provincialem referat, vel ſcribat, quales illi ſint, & quibus donis Dei præditi. *In Societatem neminem admittat.* P.1.c.1. §.2.

78. Si is qui admitti petit, ad inſtitutum Societatis valdè idoneus videbitur, & neceſſitas urgeret, poterit eum tamquàm hoſpitem domi recipere, donec reſponſum à Provinciali accipiat, vel ad eumdem mittere, ſi expedire judicaverit. *Quid cum valdè idoneis agendum.* P.1.c. 2. lit. A.

79. Recedendum ſine licentiâ ab alio loco Societatis, vel ab eâ dimiſſum non admittat: ſed ſi expedire videretur ad Provincialem de eo ſcribat, & ejus ordinationem expectet, illo domi ut hoſpite, vel in alio pio loco, ſi videbitur, detento. *Quid cum veniente ſine licentiâ.* P.2 c.4.§.2.lit. A.

80. Caritatem magnam exhibeat erga alios de Societate per Collegium tranſeuntes, eosque amanter hoſpitio excipiat: ac meminerit ſe aliquo viatico, aut eleemoſynâ eos, ſi indigerent, juvare poſſe: curet item diligenter dirigere ac juvare expeditiones hoſpitum, qui negotiorum causâ domi verſantur. *Caritas erga alios per domos tranſeuntes.* P.4.c.2.lit.F.& p.6.c.1.lit.D.

81. Externi ne accipiantur hoſpitio, ut domi pernoctent, niſi ii ſint, quibus multa debeatur, aut id officii ſine magnâ offenſione prætermitti non poſſit: quâ in re habeatur præcipua ratio religioſorum, cum neceſſitatis causâ ad nos divertunt. *Externi quando domi pernoctabunt.*

 82. Cum

Cum ſocio domo egrediendum. P.3.c.1.§.3.

82. Cùm quis domo egredietur, det ei ſocium convenientem: ſi quando autem aliquis ſolus foras mittitur, is ſit cui meritò poſſit confidere.

Non ſine litteris patentibus mittendi. P.7.c.2.lit.M.

83. Neminem ex ſuo Collegio in alium locum mittat ſine litteris patentibus.

Quid de malè habentibus. P.3.c.2.lit.G.

84. Si quis experimento comperiretur ferre non poſſe Collegii cælum, & malè habere continenter cerneretur, vel aliâ ratione videretur mutandus, Provincialem admoneat, an aliò mitti debeat.

Quid cum profecturis aliò.

85. Profecturi ad alia loca, eâ quam ſottanam vocant, & aliis interioribus indumentis quibus utuntur, privari non debent, niſi fortè ratio temporis, aut alioqui caritas ſuaderet melioribus eſſe commutanda. Reliqua verò omnia, quæ ad iter neceſſaria erunt, magnâ caritatis ſignificatione ab eo loco, unde mittuntur, ſubminiſtrentur, ſumptibus tamen eorum quorum erit expenſas itineris ſolvere.

REGVLÆ EXAMINATORIS.

Quæ in Examinatore requirantur, & quid præſtare debeat.

CAPVT I.

1.

Qualis eſſe debeat. P.1.c.1.§.4.

QVI examinat eos qui Societatem ingredi petunt, habeat oportet cognitionem rerum ejuſdem Societatis, ac zelum boni progreſſus ipſius, ut nullâ ratione dimoveri ab eo poſſit, quod magis in Domino convenire judicaverit.

Quales admittendi. P.1.c.1.lit.C.

2. Moderatus admodùm ſit in admittendi deſiderio: nam ut par eſt ſollicitè cooperari vocationi Divinæ, ut augeatur in Societate numerus operariorum vineæ Chriſti; ita diligenter curandum eſt, ne quis admittatur, niſi qui illis Dei donis præditus ſit, quæ ad ipſius gloriam hoc inſtitutum exigit.

Eorum dotes agnoſcat. P.1.c.1.§.3.

3. Quando aliquis Societatem ingredi petit, primus ipſe agat cum eo, ut intelligat, quæ ſint ejus dotes & vocatio: ſi quis autem clarè deprehenderetur

retur ineptus ad inſtitutum Societatis, Superiori ſignificet, & acceptâ ab eo facultate, illum conſilio, & ſi quid aliud caritas ſuggerit, adjutum, ſtatim dimittat: alios verò ad eos mittat, qui à Superiore deſignati fuerint, ut cum illis colloquantur.

Ibid.c.4.§.2.
Eod.c.4.lit.D.

4. Poſtquàm omnes deſignati eum, qui admitti deſiderat, allocuti fuerint, curet Examinator, ut à Superiore vocentur, & referant, quid de eo ſentiant: Superior autem quid facto opus ſit conſtituet.

Superiorem informet.

5. Si ille qui ingredi cupit, nulli fuerit domi ſatis notus, intellecto ejus nomine, & eorum, quibus cognitus eſt, extra domum inquiri poterit, cujusmodi homo ille ſit: juvabit etiam ad hoc ipſum, ſi ad ſacramenta in eccleſiâ noſtrâ frequenter accedat. Quòd ſi adhuc de eo dubitaretur, non parum conferet, ſi in ſpiritualibus exercitiis conſtituatur: quibus peractis, ſi res nondum conſtaret, intelligat à Superiore utrùm differendum reſponſum, aut omnino dimittendus ſit.

Quid cum non admodum notis.
P.1.c.4. lit.D.
Ibid.§.3.lit.C.

Breve examen quo uti debet cum iis qui ingredi petunt.

CAPUT II.

6. In primis qui admitti vult, interrogetur decenter de quinque impedimentis eſſentialibus, prudenter tamen, ut ea impedimenta eſſe quæ à Societate excludunt, ille non intelligat, ne verum occultandi occaſionem accipiat.

De eſſentialibus impedimentis interrogandi.
In Exa.c.2.& p.1.c.1.

7. Si aliquod ex iis impedimentis in quoquam detegeretur, non eſt quod ulteriùs procedatur, ſed, quoad fieri poterit, cum conſolatione dimittatur: ſi tamen in eo dona aliqua Dei illuſtriora cernerentur, priùs oporteret rem omnem cum Superiore conferre.

Quid cùm impedimentum innotuerit.
InExa.c.2.§.7.

8. Si nullum tale impedimentum eſſet, ulteriùs interrogetur, an omnino decrevit ſæculum relinquere, quibus de cauſis, aut quomodò deſideria hæc ei in mentem venerint, & quàm dudum ea habuerit; an in hoc animi ſententiâ remiſſior aliquando factus fuerit, & quatenus.

Quærenda circa vocationem.
In Ex.c.3.§.13.

9. A quo tempore deliberaverit Societatem ingredi, & quid ipſum impulerit, ut hoc potius quàm aliud inſtitutum amplecteretur. An à quoquam, præſertim è noſtris, primùm ad id motus fuerit. Num deliberatum

Tempus vocationis.
InExa.c.3.§.14.

habeat animi propoſitum vivendi & moriendi in Domino in hac Societate. Et an fuerit in eam aliàs admiſſus, & quare ſit egreſſus.

Quæ obligatio. In Exa.c.3.§6. Ibid.§.8. 10. Num habeat æs alienum, aut alias obligationes. Num morbum aliquem occultum, vel manifeſtum, & an hereditarium, vel defectum in aliquâ ſui parte patiatur.

De penuria parentum,&c. In Exa.c.3.§.1. Ibid.§.2. 11. Interrogetur de ætate, patriâ, parentibus, & eorum conditione, an rerum temporalium penuriâ premantur, & an eâ causâ vel quacumque aliâ neceſſariò ipſius operâ indigeant, aut probabiliter indigere poſſint.

De parentum origine. In Exa.c.3.§.2. 12. An ſit ex legitimo matrimonio, num à progenitoribus jam olim Chriſtianis, an à modernis, vel hæreticis deſcendat. An aliquis ex ejus progenitoribus notatus fuerit, vel declaratus ob aliquem errorem contra noſtram Chriſtianam & Catholicam Religionem.

Circa doctrinam & prudentiam. In Exa.c.5.§.1. 13. Si litteris præditus eſt, interrogetur, ubi eis operam dederit, quantùm profecerit: ingenii autem & judicii ſpecimen ex ſermone & aliis conjicere licebit.

Quidà Coadjutoribꝰ petet. P.1.c.2.§2.&3. 14. Si Coadjutor eſt futurus, petatur de ætate ac viribus; an omnino ſorte Marthæ contentus futurus ſit, & num aliquam artem noverit; & obſervetur, an ad virtutem & devotionem propenſus ſit.

Vt inſtitutum intelligant. P.1.c.4.§3. 15. Tandem curandum eſt, ut qui admitti deſiderant, ſummam noſtri inſtituti, probationesque ac difficultates quæ in eo ſunt, benè intelligant. De iis verò, quæ hîc interrogantur, aut de inſtituto explicanda dicuntur, plura aut pauciora, juxta perſonarum qualitatem & cognitionem, inquiri & explicari poterunt.

Reliqua unde petenda. 16. Reliqua quæ ad officium Examinatoris pertinent, ſi quando cum iis, qui in primâ probatione ſunt, vel aliis noſtris illi obeunda erunt, petat ex officio Magiſtri Novitiorum.

Eadem petent Conſultores, &c. 17. Ceteri verò à Superiore deſignati, ut cum illis colloquantur qui admitti petunt, iisdem ferè interrogationibus utentur, exceptis iis, quæ interrogato ruborem injicere poſſunt.

REGV-

REGVLÆ MAGISTRI NOVITIORVM.

De iis quæ ad ejus perſonam & inſtructionem pertinent.

CAPVT I.

1.

REM eſſe magni momenti ſibi commiſſam intelligat, quandoquidem ex primâ Novitiorum inſtitutione pendet majori ex parte eorumdem profectus, & ſpes noſtræ Societatis in Domino: curetque ut in dies per ſtudium propriæ perfectionis, inſtrumentum aptius ad eos juvandos reddatur. *Officii neceſſitas & gravitas.*

2. Amabilem ſe præſtet, & vitæ integritate ac diſcretione ita ſe gerat, ut omnes qui in probatione ſunt, ad eum in ſuis tentationibus confidenter confugiant, eisque ſeipſos confidenter aperiant, & ab eo conſolationem & auxilium in omnibus in Domino ſperent. *Amabilem ſe præbeat.* P.3.c.1.§.12.

3. In Domibus probationis ſeparatis præter has regulas officii ſui, habeat etiam regulas & omnes facultates aliorum Rectorum, exceptis iis quæ Novitiatui non conveniunt. *Habeat etiam Regulas & facultates Rectorum.*

4. Habeat ſocium Sacerdotem fidelem & in rebus ſpiritualibus exercitatum, à Provinciali deſignatum, qui in iis, quæ in Novitiatu agenda ſunt, ſit ejus Coadjutor. Habeat etiam aliquem fratrem ex antiquioribus in virtute probatum & prudentem, qui juxta ordinem obedientiæ ſignificet unicuique exercitia exteriora, in quibus occupandi ſint, & manu ducat illos, cùm opus eſt, ad illa facienda. *Socios habebit.*

5. In Domo Probationis conjuncta Domui profeſſorum, vel Collegio, habitatione tamen diſtinctâ, Magiſter Novitiorum erit ſubordinatus Præpoſito vel Rectori: non tamen erit ſub obedientiâ Miniſtri, ſicut nec ejus ſocius: in eâ autem Domo vel Collegio cœnatio ſit communis, menſâ aliquâ Novitiis & eorum Magiſtro deſignatâ. *In Domo conjunctâ Collegio, &c. cui erit ſubordinatus.*

6. Hic

Quando pœnitentias imponet.

6. Hic Magiſter Novitiorum pœnitentias in Novitiatu tantùm ſuis Novitiis imponere poterit, extra verò, non niſi conſulto Superiore.

Poteſtas ordinaria abſolvendi à reſervatis.

7. Habeat hic idem Magiſter Novitiorum poteſtatem ordinariam abſolvendi à caſibus reſervatis Novitios, qui ſub ipſius curâ degunt; niſi ejus Superiori hæc facultas aliquâ de causâ reſtringenda videretur.

Verſatus ſit in lectione librorum ſpiritualium.

8. Verſatum eſſe oportebit in lectione librorum ſpiritualium, ut deceptiones, quæ in ſpirituali vitâ accidunt, non tantùm experimento, ſed etiam lectione intelligat. Quibus autem utiliter ipſe uti poterit, ii ferè ſunt, qui in ſubjecto Catalogo numerantur. Novitiis verò eos tantùm legendos tradet, qui noſtro inſtituto conveniunt, ne quid ab eo alienum hauriant, aut quacumque ratione quidquam detrimenti capiant.

LIBRI

Ad uſum Magiſtri Novitiorum accommodati.

BASILII Aſcetica, & Regulæ.
Gregorii Moralia.
Auguſtini Confeſſiones, & meditationes
Bernardus.
Bonaventuræ Opuſcula.
Caſſianus.
Homiliæ Dorothei, Macarii, Cæſarii Arelatenſis Epiſcopi.
Opuſcula Ephrem, Nili, Eſaiæ Abbatis.
Diadochus.
Hugo de S. Victore, de Clauſtro animæ.
Richardus de S. Victore.
Humberti Inſtitutiones Spiritualis vitæ.
Innocentius de contemptu mundi.
Thomas de Kempis de imitatione Chriſti, & alia ejus opuſcula.
Vincentii tractatus de vitâ ſpirituali.
Ludovici Bloſii opera.
Dionyſii Carthuſiani opuſcula.

Albertus Magnus de Virtutibus.
Epiſtolæ Catharinæ Senenſis.
Ludolphus de vita Chriſti.

Hiſtorici.

GREGORII Dialogi.
Gregorius Turonenſis de gloria Confeſſorum, & vita S. Martini.
Euſebii hiſtoria Eccleſiaſtica.
Severus Sulpitius de vita S. Martini.
Vitæ Patrum ſelectæ.
Vitæ Sanctorum, Lipomani & Surii.
Petrus Damianus.
Petrus Cluniacenſis de miraculis.
Litteræ Indicæ.
Vita Patris N. IGNATII, & alii ſimiles ad Novitiorum utilitatem accommodati: ex quibus deſumet aliquos pro illorum uſu.

De prima probatione.

CAPUT II.

9. POſtquam in Domino ſtatuetur, ad probationem aliquem admittendum eſſe, in domo vel habitatione ſeparata primæ probationis, hoſpitum more duodecim dies, vel usque ad viginti, & amplius, prout Superiori videbitur, diverſetur: ut eo tempore de iis, quæ pertinent ad Societatem, ipſe certior reddatur, & Societas eumdem plenius in Domino cognoſcat.

Admiſſus quanto tempore hoſpitum more diverſabitur. In Ex.c.1. §.13. & p.1.c.4.§.1.

10. Poſtridie ei declarabitur, quomodo in eo loco ſe gerere debeat, ac nominatim ne verbo aut ſcripto (niſi Superiori aliqua de cauſa non levis momenti aliud videretur) cum externis vel Domeſticis agat, præterquam cum iis, quos ad id Superior deſignaverit.

Et quomodo ſe gerere debeat declarandum. P.1. c.4. §. 4.

11. Librum completum Examinis absque declarationibus, Latinâ linguâ pro iis qui eam intelligunt, & vulgari pro aliis habeat, nec non & eis-

Ad id neceſſarios libros habebit. P.1.c.1. lit. D.

dem linguis Summarium Conſtitutionum, & regulas communes habere debet.

Quando examinabitur accuratius.
In Ex.c.1.§.13.& lit.A.& p.1.c.4.§.5.

12. Elapſis duobus aut tribus diebus examinari accuratius incipiat, & relinquatur ei ſcriptum prædictum Examen, ut ſolus id maturius conſideret, niſi in aliquo particulari aliud examen brevius proponendum eſſe Superior judicaverit.

Conſideret Regulas & litteras Apoſtolicas.
In Ex.c.1.§.13.& p.1.c.4 §.5.

13. Poſtea litteræ Apoſtolicæ Julii III. anno 1550. & Summarium Conſtitutionum, & Regulæ communes eidem oſtendantur, & relinquantur, ut omnia per otium magis conſideret: iis vero qui litteras Apoſtolicas Latinas non intelligerent, ſatis eſſet earum ſummam declarare.

Ordo examinandi.
In Ex.c.1.lit.E.

14. Ordo examinandi eſſe debet, in primis proponere, ac proſequi, quæ quatuor primis capitibus Examinis continentur: deinde ea quæ ſpeciatim ad litteratos pertinent, vel Coadjutores, vel Scholares, aut Indifferentes: quamvis autem omnibus integrum Examen relinquatur, non ſunt tamen omnes particulariter examinandi, niſi de iis, quæ ad unumquemque pertinent: & ſi quid alicujus momenti occurrerit, quod Superiorem ſcire oporteat, ſcripto notabit.

Quæ magis illi explicanda.
Decr 93.§.16. Cong.7.
Ex Decr.66.5. Cong. Gen.

15. In his omnibus proponendis & declarandis paulatim procedatur, ut qui examinantur, res omnes noſtri Inſtituti, juxta ipſorum gradum, bene percipiant, ad ſuam majorum ſatisfactionem & ſtabilitatem: & illa præſertim ſunt magis explicanda, quæ poſtea aliquam difficultatem afferre poſſent, ut de animi promptitudine ad ſerviendum Deo ubique & in re quavis; de manifeſtatione tum ſuorum tum alienorum defectuum juxta Conſtitutiones; de manifeſtatione etiam conſcientiæ ſtatutis temporibus, ~~de~~ indifferentia ad gradus Societatis in ſcholaribus & litteratis; ad quam indifferentiam diſerte intelligant, tum initio cum Societatem ingrediuntur, tum poſtea ſexto quoque menſe, præcipue vero cum vota biennio elapſo emittere debent, Noſtros omnes obligari quarto quodam voto; quod verba illa formulæ votorum ſcholaſticorum continent, ſcilicet (*Promitto eamdem Societatem me ingreſſurum*) ut ſcilicet gradum Coadjutoris formati, vel profeſſi recipiant, prout Generalis Præpoſitus judicaverit.

Quid cum propenſo ad ſtudia & non indifferente.

16. Si quis ad ſtudia majorem propenſionem quam par eſſet & minorem indifferentiam, quam ad alia miniſteria Societatis præ ſe ferret, & vide-

deretur nihilominus ad ea minus aptus, non tantum proponatur ei ſcriptum Examen, ut reliquis; ſed & §.2.cap.7. accurate illi explicetur, interrogeturque an patienter ſe dimitti ſinet à Societate, dummodo ab omni voto ac promiſſione liber maneat.

Quid cum non ſincere reſpondit.

17. Admoneatur, ut vere omnino ac ſincere reſpondeat: nam aliter multa gravia incommoda inde oriri poſſent; & nihilominus admoneri Confeſſarium oportet, ut ſi quis vere non reſpondiſſet, ejus de ea re conſcientiam ſtimulet.

In Ex. c.3. §.1. & lit. A. & c.2. lit. A.

In interrogationibus ſervandum ſecretum.

18. Si quid erit in interrogationibus, quod ſecretum requirat, id obſervabitur, ut par eſt, & interrogato placuerit: declaretur tamen ei, quod juxta Conſtitutiones licebit rem omnem Superiori manifeſtare.

In Ex. c.3. §.1. Ib. c.4. §.8.

Promiſſio abdicandi ſe bonis.

19. Promittat relicturum ſe omnia bona ſua poſt unum annum ab ingreſſu, quandocumque injunctum à Superiore ei fuerit: & declaretur, quod actus hujus promiſſionis, nec votum eſt, nec ſolum propoſitum, ſed promiſſio ſimplex, illa conditione affecta, ſi ipſe perſeveraverit, & Superior ei injunxerit.

In Exa c.4. §.2. & Can.1. Congr.3.

Accurate informetur de inſtituto.

20. Hoc tempore primæ probationis per quinque vel ſex dies accurate informentur prædicto modo de iis quæ ad inſtitutum & ad ipſos pertinent, & lectione alicujus pii libelli, qualis eſſet de imitatione Chriſti, ſubinde recreentur.

P.1.c.4. §.1. & Dec.78. Cong.4.

Coadjutores temporales, quomodo inſtruendi.

21. Coadjutores vero temporales, qui legere non didicerunt, aut qui minus ad hæc tractanda idonei videbuntur, quamvis in propria vocatione, juxta ipſorum captum, plene inſtituendi ſunt; poterunt tamen hoc tempore aliquo exercitio corporali, aut labore manuum, judicio Superiorum, occupari, ſejuncti tamen ab aliis.

Lectiones prælegendæ & exhortatio facienda.

22. Deinde qui litteris operam dederunt, de ſingulis facultatibus, in quibus verſati ſunt, ſingulas prælegant lectiones coram eis qui à Superiore ad eorum talentum cognoſcendum in doctrina & proponendi modo ſunt conſtituti, & poſtea exhortationem unam quiſque faciat.

In Ex. c.5. §.6 & p.1.c.4. §.5. & Dec 78. Cong.4.

Spiritualia Exercitia primum experimentum.

23. Tum ſi quis, antequam fuerit in Societatem admiſſus, ſpiritualia Exercitia non fecerit, hoc primum experimentum (ut ſequenti capite, ubi de experimentis agitur, mox dicetur) juxta 4. c. Ex. §. 10. aggrediatur, & juxta exercitia ſuo tempore generaliter confiteatur; niſi ante ingreſſum fuerit alicui de Societate generaliter confeſſus: tunc enim ſatis erit, ſi ab eo tempore generalem confeſſionem incipiat: & eodem tempore conſcientiam ſuam Superiori, aut ei quem Superior deſignaverit, aperiat, juxta par.1.Conſt.

Dec.78. Cong.4. Exa.c.4. §.4. Exa. c.4. §.36.

c. 4. §. 6. & ſi ab aliqua cenſura virtute noſtrorum privilegiorum abſolutus fuerit, admoneatur, quod ſi non perſeveraverit, in eamdem reincidet. Declaretur etiam illi, ſi quæ vota cum adhuc eſſet in ſæculo emiſit (præterquam religionis determinatæ) in noſtra Societate tamdiu ſuſpenſa eſſe, dum ipſe in Societate manſerit; quod ſi receſſerit, eadem obligatione teneri, qua ante ingreſſum tenebatur. Expleto autem tempore hujus experimenti, ſanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum accipiet, & communem domum habitationis ingrediatur, ubi cum aliis verſari, & in ſecunda probatione diutius exerceri Novitii ſolent.

Can. 22. Cong. 1.

P. 1. c. 4. §. 6.

Quæ cauſa differendi ſpiritualia Exercitia.
Dec. 78. Cong. 4.

24. Si vel cujusquam valetudo, vel aliqua temporis aut perſonæ ratio perſuaſerit, non eſſe tam diu hæc mentalia exercitia continuanda, antequam exercitia aggrediatur, per quatuor vel quinque dies vacare, & ſeparatim recreari poterit; vel ſi Magiſtro Novitiorum videretur, facta confeſſione generali, & peractis exercitiis primæ hebdomadæ. Sed quando hæc relaxatio longius ob valetudinem aut aliam rationem protrahenda Magiſtro Novitiorum viſa fuerit, poterit ſumpta Euchariſtia etiam ad communem convictum admitti; & ubi firmior fuerit, ſua exercitia peraget.

Aſſerventur quæ à Novitiis afferuntur.
In Ex. c. 4. §. 4. & p. 1. c. 4 §. 6.

25. Si Superior judicaverit eum Domi retinendum, curet ut in libro ad id deſignato, quem penes ſe Procurator habere debet, ſcribatur quidquid unusquisque Domum attulerit, cum ſubſcriptione ejus qui examinatus eſt, & ut hæc alicubi ſeparatim aſſerventur, quousque biennio expleto conſueta vota emiſerit.

Notet diem ingreſſus uniuscujusque.
P. 1. c. 4. §. 6.

26. In alio libro, quem apud ſe habebit, notabit diem & annum ingreſſus uniuscujusque, incipiendo à die, quo primum Probationem intravit; & nomen & patriam, & quod contentus ſit obſervare omnia ei propoſita. Quando vero aliqui in Coadjutores temporales & Indifferentes admittentur, ſpeciatim id ſcripto declaretur, quod ut tales examinati & admiſſi fuerint; & hæc, qui examinatus eſt, manu ſua ſubſcribat; & ſi ſcribere neſcit, alius ejus nomine ſcribat.

De

De ſecunda probatione.

CAPVT III.

De experimentis.

27. IN primis diligenter curet, ut Novitii ſex illis experimentis, quæ in Conſtitutionibus traduntur, ſerio & cum deſiderato fructu exerceantur: intelligatque præcipuam Novitiatus partem in his probationibus poſitam eſſe. *Experimenta ſerio capiantur.* In Ex.c.4 §.9.

28. Exercitia ſpiritualia primum ſingulis, eo quo procedunt ordine, præſcripto tempore atque exactè tradantur, ſecundum uniuscujusque diſpoſitionem & captum, juxta Regulas libri Exercitiorum; prætermiſſis tamen his, quæ ad electiones ſpectant; ut inde, præter alia, certam ac noſtro inſtituto conſentaneam mente & voce orandi rationem habeant, quam in poſterum ſervare debeant. *Quomodo Exercitia ſpiritualia tradenda.* In Ex.c.4. §.10. & p.3.c.1 §.20.

29. Quoad ſecundum Experimentum, quo hoſpitalibus per menſem ſervire debent, videbit ipſe, quid magis expediat, an noſtros ibidem cibum capere & dormire, an vero per aliquot horas quotidie miniſterium ægris impendere. *Secundum Experimentum quomodo peragendum.* In Ex.c.4. §.11.

30. In hac probatione advertat, ne noſtri nimio fervore ſuæ valetudini noceant, aut periculo contagionis alicujus morbi ſe exponant: admonebitque, ne ingrediantur partem illam Xenodochii, ubi mulieres habitare ſolent. *Morbos ac mulieres vitent ubi ſunt.*

31. Menſe alio ad peregrinandum ſine pecunia mittantur, oſtiatim pro Chriſti amore mendicando, ut ad incommoditatem comedendi & dormiendi aſſueſcant, & ut omni ſpe abjecta, quam in pecuniis & rebus aliis creatis poſſent conſtituere, eam integrè & verâ cum fiduciâ in Domino conſtituant. *Peregrinationes.* In Exa.c.4. §.12.

32. Advertendum, ne imbecilles aut tenerioris ætatis his peregrinationibus notabile detrimentum patiantur, ne fiant aſperiore hyeme, aut ferventiore æſtate; illisque regulas Peregrinorum, litteras patentes, & cum opus erit, particularem etiam inſtructionem tradet, & ab ultimo loco, ad quem perveniunt, teſtimonium à Superiore Domus vel Collegii Societa- *Quomodo ſubeundæ.* In Exa.c.4. §.20.

cietatis, ſi ibi fuerit, vel ab alio ſi de digno ſecum ferant, quod ſuam devotionem ſecuti ſine ulla cujusquam querela eo pervenerint. Et in ſecundo, quinto, & ſexto experimento, juxta Conſtitutiones idem ſervetur.*

Ibid. §. 19. & 22.

Advertendum in 4. experimento. *Ib. Ex. c. 4. § 13.*

33. In quarto Experimento, quo in officiis abjectis exercentur, advertat, ne nimia corporis fatigatione ſpiritus obruatur: & à Scholaſticis fiat potius ad propriam cujusque abnegationem & humiliationem, quam pro domeſtica aliqua neceſſitate. Dum autem hæc probatio fit in Domo probationis, vacabit qui ita probatur, ab aliis exercitiis aliorum Novitiorum, exceptis conferentiis & exhortatione ordinaria.

Novitiorum cura extra Domum probationis. *In Ex. c. 4. §. 16. P. 3. c. 1. lit. D.*

34. Cum hæc probatio non fit in Domo probationis, ſed in Domibus profeſſis aut Collegiis, ſit aliquis qui Novitiorum peculiarem curam gerat, ubi in recreatione ſeparati ſint, adjunctis aliis, à quibus in Domino adjuvari poſſint.

Doctrinæ Chriſtianæ qualis uſus. *In Ex. c. 4. §. 14.*

35. In docenda doctrina Chriſtiana pueros ac perſonas rudes, publice vel privatim, prout occaſio ſe obtulerit, & in Domino ei commodius viſum fuerit, tamquam in re propria noſtri inſtituti Novitios exercendos curabit, habita perſonarum ratione.

Qui probandi in confeſſionibus & prædicatione. *In Exa. c. 4. §. 15.*

36. In confeſſionibus audiendis, & prædicatione Divini verbi, Domi aut foris, circa finem primi anni probentur, qui ad hujusmodi miniſteria idonei invenientur, & bonæ ædificationis ſpecimen jam dederint; eo tamen modo, ne tamquam operarii ordinarii ad miniſteria hæc exercenda exponantur, ſed brevi tempore, & ad probationem.

Experimentorum permutatio.

37. Tametſi Exercitia ſpiritualia exacte omnibus in principio tradenda ſunt; quo ad reliqua tamen experimenta, ſi quod eorum permutandum, aut multum moderandum judicaret, id ne faciat inconſulto Provinciali: quamquam anteponere aut poſtponere ipſe ea poterit, pro ratione perſonarum, temporum, aut locorum.

Probationes ex intervallo intra annum abſolvantur. *In Ex. c. 2. §. 16.*

38. Advertat, ut hæ probationes inter ſe debitis ſpatiis diſtinguantur, ita ut novitii una peracta, aliquamdiu ad ſolita exercitia Domus probationis redeant; ut corpore & ſpiritu recreati, uberiorem fructum ex præteritis laboribus colligant, ea tamen ratione, ut intra annum omnes abſolvantur. Quod ſi peculiari aliqua de cauſa hæ probationes ad ſecundum annum differendæ viderentur, prius Provincialis conſulatur.

39. Præ-

39. Præter hæc experimenta, alia fieri hoc biennio probationis poſſunt, & hæc eadem ex parte repeti, quando in Domino ita expedire judicaverit: & quidem omnia cum maturitate, & prudentia, & ædificatione etiam externorum, ſunt facienda.

Alia experimenta fieri & hæc repeti poſſunt.
In Ex. c. 4 §. 16. & p. 9 c. 3. §. 8. lit. E.

De inſtitutione & regimine Novitiorum.

40. NE fiant mortificationes publicæ, niſi ordinariæ, juxta Conſtitutiones, ut ſunt præter ſolita experimenta, petere oſtiatim eleemoſynam, comitari emptorem ad conportanda ea quæ emuntur, indui veſtibus vilioribus, quæ tamen religioſos deceant, & alia id genus, ut in officio Rectoris dicitur.

Mortificationes publicæ ordinariæ.

41. Convenit ut qui probantur, veſtitus ratione ad mortificationem & abnegationem ſui, & ad mundum ejusque vanitatem ſub pedibus conculcandam, juventur, & id quidem quantum conſuetudo, officium, & perſonarum circumſtantiæ patientur. Diſcretioni autem ejus relinquitur, habita ratione ædificationis, an cum eisdem veſtibus, quas ex ſæculo tulerunt, incedere ſint permittendi, an vero cùm aliis eas permutari oporteat.

Quando veſtitu humili probentur.
P. 3. c. 2. lit. C. & in Ex. c. 1. §. 13. lit. F.

42. Conferet, ut aliquando occaſionem præbeat iis qui probantur, exercendi obedientiæ & paupertatis virtutem, eosdem tentando ad majorem ipſorum utilitatem ſpiritualem: in hoc tamen menſura juxta uniuscujusque vires obſervetur.

Obedientia, & paupertate exerceantur.
P. 3. c. 1. lit. V.

43. In pœnitentiis & corporis afflictionibus advertat, ne nimius hujusmodi rerum uſus tantopere vires debilitet, ut poſtea ad miniſteria noſtri inſtituti inutiles reddantur: nec contra tanta in illis ſit relaxatio, ut fervore ſpiritus refrigeſcente, humani ac inferiores affectus incaleſcant.

Modus in pœnitentiis.
P. 6. c. 3. §. 10.

44. Lectiones fiant de his quæ ad inſtitutum pertinent, & continentur Litteris Apoſtolicis, Regulis, & Conſtitutionibus; præcipue vero de iis quæ in Examine, & tertia Parte habentur, aut de aliis quæ eo feruntur, mutata interdum materia, ut tædium tollatur: modus vero lectionum facilis ſit & ſimplex, & ad Novitiorum animos, ad inſtituti amorem, & ſolidarum virtutum perfectionem promovendos accommodatus.

Lectiones de rebus Inſtituti.

45. Ex-

DoctrinaChriſtiana & modus in Sacramentis, Miſſa, oratione, lectione tenendus.

45. Explicetur brevi enarratione Doctrina Chriſtiana, ac modus benè & cum fructu confitendi, communicandi, Miſſam audiendi, & eidem decenter miniſtrandi; orandi itidem, meditandi, & libros denique pios legendi pro captu uniuscujusque, tradatur.

P.3 c.2.§.20.
Quibus de rebus Novitii crebro monendi.
P.3.c.1.§.26.
P 10 §.2.
P.6,c.1.§.1.

46. Admoneat crebro Novitios, ut in omnibus rebus Deum quærant, & in ſuis actibus intentionem puram ad Dei beneplacitum dirigant; ut familiares cum Deo in ſpiritualibus devotionis exercitiis eſſe curent; & tandem ita ſint inſtructi Novitii, ut nihil perfectionis, quod divina gratia conſequi poſſint in abſoluta noſtri inſtituti obſervatione, prætermittant.

Omnes perſpectos habeat, & rationem ſuaviter exigat.

47. Omnes perſpectos habeat, ut magis illis prodeſſe poſſit; ad quod juvabit, cum illis frequenter ſigillatim agere, & rationem ab unoquoque rerum ſuarum ſuaviter exigere: in his autem privatis colloquiis magnam utilitatem poſitam eſſe ſciat.

In Regulis modeſtia inſtituat.
P.3.c.1.§.4.

48. Det operam ut Novitii religioſam modeſtiam præſeferant, juxta Conſtitutiones, & regulas, quæ de ea conſcriptæ ſunt; in quibus tempore Novitiatus diligenter inſtituendi erunt.

Rerum ſpiritualium rationem requirat.

49. Cognoſcat, quem procedendi modum in oratione & examine ſervent: & petat interdum, an contra aliquem defectum adhibeant examen particulare, & quando reſiſtunt tentationibus, an propriis remediis utantur: in acquirendis virtutibus quam rationem teneant: & intelligat demum, an in his omnibus præſtent ea quæ ab ipſo acceperunt.

Quando quis mutandus de loco.
P.3,c.1.lit. A.

50. Si aliquis ſollicitetur vel perturbetur ab hominibus, qui in via ſpiritus non bene procedunt, & expediat illum in alium locum transferri, Provincialem tempeſtivè moneat.

Quales in cubiculo ſint.
P.3.c.1 lit. D.

51. Si duo in eodem cubiculo habitent, alter eorum ejusmodi ſit, ut minime dubitetur, quin alter ſit ejus ſocietate profecturus: & eamdem ob cauſam inter cubicula, quæ ſeorſum unicuique juniorem aſſignantur, par eſt aliquos maturos ex antiquioribus intermiſceri.

Quando, & quomodo cum externis loquendum.
P.3.c.1. lit.B.

52. Si aliquando permittendum videretur, ut aliquis cônſanguineos vel amicos, quos in ſæculo habebat, alloqueretur, coram aliquo à Superiore ad id deſignato id fiat, & breviter; niſi particulares ob cauſas aliud ſtatueret Superior totius Domus vel Collegii.

53.No-

53. Novitii non ſunt, ut plurimum, aſſignandi in ſocios noſtris, qui adeunt domos ſæcularium; nec debent habere officia publica, in quibus neceſſarium ſit agere cum externis, ut Emptoris, Ianitoris, & Sacriſtæ. *Officia publica ne habeant.*

54. Videat, num aliqui in ſchedulis Novitiis aſſignandi ſint, ut cum eis loqui poſſint, quorum exemplo & colloquiis proficiant in Domino: & ſi cum aliis ſine facultate egerint, debitam eis pœnitentiam injungat. *Aſſignandi qui cum Novitiis loqui poſſint.* P.3.c.1.§.3. & lit. D.

55. Admoneat eos, ne vota ante biennium emittant ſine Superioris facultate, quam in primo anno novitiatus, ſolus Provincialis re mature conſiderata dare poterit. Horum autem, qui hæc vota ſemel apud ſe ex licentia Superioris, juxta formulam Societatis emiſerint, memoria in libro aliquo aſſervetur, & poſtea tempore novitiatus, bis in anno ſtatutis temporibus, ſeorſum ab aliis, qui biennium expleverunt, ipſi ſimul inter ſe illa renotabunt. *Facultas, & modus emittendi vota ante biennium.* P.3.c.1.lit.T. P.5.c.4.lit.G. Can 9. Cong. 4. Can.1.Cong.2.

56. Diligenter obſervare debet in toto probationis decurſu, an ineptus aliquis, aut inutilis noſtro inſtituto probabiliter futurus ſit: in quo major habenda eſt ratio boni communis Societatis ad gloriam Dei, quam particularis cujusque: quid autem ſentiat in hac re, ad minimum ſexto quoque menſe ad Provincialem ſcribat, ut ipſe provideat. *Quid de ineptis.*

57. De ſingulis etiam ſub finem biennii ad eumdem ſcribat; ut cum illius facultate conſueta vota Societatis emittant, aut diutius probentur: prius autem quam vota emittant, per hebdomadæ ſpatium ſe colligant, & aliqua exercitia ſpiritualia, præter alia quæ præſcripta ſunt, faciant. Curandum autem erit, ut in libro, in quo notantur nomina eorum, qui hujusmodi vota ſimplicia emittunt, poſtquam illa quis emiſerit, ſubſcribat ſe tali die & anno emiſiſſe vota, & clare intellexiſſe vim illius promiſſionis eſſe manere ſe obligatum ob eam indifferentiam, de qua in Regula 15 dictum eſt, in hanc formam. *Vota in fine biennii emittenda.* In Ex.c.1.§ 12.& c.4. §.43. Ibid.c.4.§.41. In Ex.c.4 §.16. Ex.dec.66. 5. Cong.Gen.

Ego (N.) ſtatis temporibus examinatus emiſi vota Scholaſticorum approbatorum, juxta formulam conſuetam Societatis, die tali & anno, celebrante (N.) & clare intellexi illis verbis, Promitto me ingreſſurum, *&c. contineri quartum votum, quo me obligavi ad acceptandum quemcumque gradum* *Formula ſubſcriptionis.*

Coadjutoris formati, ſive Profeſſi, prout Præpoſito Generali ad majus Dei obſequium fore videbitur.

Tertiæ probationis peragendæ modus. In Ex.c.4.§.16. P.5.c.2.§.1.

58. Scholaſtici qui ſtudiis abſolutis tertium probationis annum peragunt, in variis experimentis, & ſpeciatim in nonnullis jam dictis quamvis illis prius jam perfuncti fuerint, probentur. Hujus autem probationis tempore in ſchola affectus ſe exerceant, & in reb us ſpiritualibus, & corporalibus, quæ ad profectum in humilitate, & abnegatione univerſi amoris ſenſualis, voluntatis, & judicii proprii, & ad majorem cognitionem & amorem Dei conferunt, inſiſtant.

Coadjutoris in quibus inſtruendi. P.4.c.4.§.41. In Ex.c.6.§.6.& 7.& P.1.c.2.§.2.

59. Adhibeat diligentiam, ut Coadjutores temporales in modo orandi juxta, Conſtitutiones inſtruantur; eosque myſteria Roſarii doceat, & privatim inſtruat, ut ad ſuæ vocationis miniſteria afficiantur, & ſorte Marthæ contenti ſint.

Exhortationibus omnes interſint. *In conferentiis quinam interrogandi.* Dec.93.§.15. Cong 7.

60. Exhortationibus ordinariis omnes interſint; Coadjutores tamen temporales, & Indifferentes non interrogentur in Conferentiis, niſi cum rerum & perſonarum delectu, nec ad Tonos conveniant: & ii quidem per annum ad minimum in Domo probationis ſint: reliquo autem biennii tempore ſic ſub cura Magiſtri erunt, ut aliis officiis ad inſtar aliorum Coadjutorum vacare poſſint, & tempus ordinarium orationis Domus vel Collegii, ubi agent, habeant: experimenta tamen, ad quæ apti fuerint, intra annum abſolvant.

Lectiones, conferentiæ & toni.

61. Quando erit concio Domi vel in eccleſia, quam Novitii ſint audituri, eo die à Lectionibus, & Conferentiis, & Tonis liberi erunt.

Dies vacationis.

62. Singulis hebdomadis die una à ſolitis exercitiis vacent, in qua aliquid honeſtæ recreationis poterunt ſumere Domi vel foris.

De examine ſemeſtri Novitiorum.

Sexto quoque menſe conſideranda. In Ex.c.1.§.13.& c.4.§.4. P.1.c.1.lit.D.

63. SEXTO quoque menſe per biennium Probationis, litteras Apoſtolicas, & Regulas unusquisque videre & conſiderare debet, & Examen relicto ſecundo & tertio capite, & aliis, quæ ad gradum ſuum non pertinent, ut Regula 12. & 13. dictum eſt. Deinde poſtquam hæc omnia viderit, interrogetur.

64. An

64. An prædictis omnibus contentus ſit, an vero aliquid dubii vel difficultatis circa ea occurrat: quæ experimenta peregerit, & quomodo in illis ſe habuerit.

De quibus eſt præterea interrogandus.

65. An vires ſibi corporales, & ſpirituales ſuppetere ſentiat ad labores perferendos, qui in Societate requiruntur: num deliberatum habeat animi propoſitum vivendi & moriendi in hac Societate IESV Domini Noſtri.

Propoſitum vocationis.
In Ex.c.5.§.4.
Ibid.c.3.§.14.

66. Examen hoc factum eſſe notetur ſcripto, ut conſtet. Quod ſi quid novi occurrat, aut ſi qua mutatio alicujus momenti accidat, Superiorem certiorem reddat.

Examen ſcripto conſtet.

67. Demum qui ſic examinatus eſt, reddet rationem conſcientiæ ſuæ Superiori, aut ei quem Superior delegaverit: & ab ultima confeſſione generali incipiendo generaliter confitebitur Sacerdoti qui fuerit à Superiore deſignatus.

Cui ratio conſcientiæ, & generalis confeſſio facienda.
In Ex c. 4. §.48.
Ibid.§ 41.

De ordine Domus Probationis.

CAPVT IV.

68. NOVITII mane poſt pulſum campanæ, dum ſurgunt, dum ſe induunt, & lectum decenter operiunt, aliquas orationes ad Deum fundant, aut aliquid in Domino meditentur: & reliquo ſemihoræ ſpatio, pia aliqua lectione, aut alia ratione ad orationem ſe præparare poterunt.

Quid mane cum ſurgunt.

69. Poſtea integram horam orationi mentali aut vocali, vel meditationi dent, juxta cujusque captum, & Magiſtri Novitiorum inſtructionem.

Vna hora orabunt.
P.4.c.4.§.3.& 4. lit.B.&C.&Can. 6.Cong.4.

70. Abſoluta oratione, media illis conceditur hora ad lectum & cubiculum componendum, & ad diſpiciendum, quem fructum ex oratione collegerint.

Semihora ad cubiculum componendum.

71. Poſt hæc, Miſſam devote & reverenter audiant: qua abſoluta, interſint lectioni ſeu exhortationi, quæ de rebus ſpiritualibus bis in hebdomada, per dimidiam horam, illis fiet: reliqua autem dimidia ſtatim repetent audita, & conferent inter ſe terni, aut quaterni, ſine ulla diſputatione, ſed cum humilitate & modeſtia.

P. 4..c.4.§.4.
Miſſam audiant.
P.3.c.1.§.11.& 20.

Collationum modus & materia. 72. Sequenti die, iis de rebus, ut melius ad praxim reducantur, eadem hora fient collationes, hac ratione, ut lectione præcedenti breviter per unum aut plures à Magiſtro deſignatos repetita, proponat aliquis quomodo vincatur talis tentatio aut difficultas in re propoſita, aut unde oriatur hoc vel illud impedimentum, & quid remedii poſſit adhiberi, & alia ſimilia: poſtquam autem aliqui dixerint quid ſibi occurrat, Magiſter conſtituet quid tenendum ſit.

In corporalibus ſe exerceant. P.4.c.4 § 3.& 4. P.3.c.1 §.20. 73. Reliquo toto tempore usque ad examen, quod ſemper ante prandium fiet per quartam horæ partem, in ſuis officiis, aut in aliquo exercitio corporali, aut labore manuum à Magiſtro Novitiorum præſcripto occupabuntur: aliquid tamen temporis quotidie, præſertim ante prandium, tribuant Regulis, & Doctrinæ Chriſtianæ, & aliis, quæ judicio Magiſtri Novitiorum cuique convenient, addiſcendis & memoriæ mandandis.

Hora recreationis tranſigenda. P.3.c.2.lit.D. 74. Poſt examen ſequatur prandium, quo abſoluto horam integram recreationi dabunt, tam qui in priore quam qui in poſteriore menſa pranſi erunt. Tempore autem recreationis, poterunt mutuo colloqui, dummodo pauciores quam quatuor non conveniant, niſi aliter Magiſtro videretur. Agent autem de exemplis vitæ Chriſti, vel Sanctorum, aut de his quæ cum ædificatione in Societate fiunt, aut de re aliqua utili in Domino.

Quid poſt expletam recreationem. 75. Expleto recreationis tempore, audito campanæ pulſu, ſeſe ad cubicula recipiant (præter eos, qui in aliquibus officiis occupati erunt) ut aliquid legant, vel ſcribant, vel quid aliud agant, juxta Magiſtri præſcriptum.

Memoriter recitabunt. P.3.c.1. §.20. 76. Poſt finitam horam, omnes cum Magiſtro convenient, & penſum aliquod eorum, quæ antea memoriæ mandaverint, reddent. Poſtea explicabitur illis bis ſingulis hebdomadis, per dimidiam horam Doctrina Chriſtiana: deinde eam recitabunt uno ſtante & interrogante, & aliis reſpondentibus, vel ſeſe invicem interrogantibus: & inſtruantur in modo docendi illam, juxta morem regionis. Vno vero die cujusque hebdomadæ, fiant Toni.

Ad exercitium redibunt. Dec.41. Cong.2. &Can 12.Cong.1. 77. His expletis, ad ſua officia vel ad aliquid legendum, aut alias occupationes ſe conferent. deinde ante ultimam horam quæ cœnam præcedit, per ſemihoram orationi vacabunt: ipſam vero horam ultimam,

ſe-

ſequentem ante cœnam, partim officiis domeſticis, partim corporali exercitationi, vel aliis occupationibus, quas Magiſter præſcripſerit, impendent.

Recreatio poſt cœnam. P.4.c.4. §.3.& 4.

78. Poſt cœnam horam integram recreationi dabunt, reliquo tempore uſque ad examen (quod ſemper fiet antequam cubitum eant, per quartam horæ partem) poterunt aliquid legere, vel alia ratione ſe ad orationem ſequentis diei præparare, vel aliud facere, pro arbitrio Magiſtri Novitiorum.

Silentium quando & quomodo ſervandum. P.3.c.3.lit.D.

79. Novitios inter ſe converſari non convenit: ſed ſilentium invicem, & cum aliis obſervare, niſi in rebus in quibus loqui neceſſe ſit; excepto recreationis tempore, de quo jam ſupra dictum eſt.

De examine eorum qui biennio abſoluto in Scholaſticos approbatos admittuntur.

CAPUT V.

Interrogationes poſt biennium. P.4.c.3.§.3.

80. Poſtquam quis biennium Novitiatus, peractis experimentis, expleverit, & ad interrogationes, quæ ſexto quoque menſe fiunt, reſponderit, antequam vota Scholaſticorum emittat, interrogetur.

Circa ſtudia. In Ex.c.7.§.3.

81. An velit ſe duci ſinere circa ea quibus ſtudere debet, ac ſtudiorum modum & tempus, juxta quod Superiori videbitur.

De indifferentia ad omnia. In Ex.c.7.§.4.

82. An contentus futurus ſit eodem atque alii modo, in Collegio agere, nulliſque privilegiis aut prærogativis minimum omnium qui in eo fuerint anteire, omnem ſui curam Superiori relinquendo.

Circa gradum, & ingreſſum Societatis. In Ex.c.7.§.5.

83. An ſtatuerit omnino apud ſe, ſtudiis abſolutis, ac probationibus peractis, Societatem, ad vivendum in ea & moriendum, ingredi in eo gradu quem Superior conſtituerit, ad majorem DEI gloriam.

Poſt vota non manet liber.

84. Admoneatur, quod votis poſt biennium ab ipſo emiſſis non poterit ſine facultate Generalis à Societate noſtra recedere, nec ad aliam Religionem, excepta Carthuſienſium, tranſire ſub pœna excommunica-

nicationis ipſo facto incurrenda, juxta Bullam Pii Quinti, anno M. D. LXV. expeditam.

De examine Scholaſticorum ſtudiis abſolutis.

CAPVT VI.

An ſint firmi in ſuis votis & deliberatione. In Ex,c.7.§.7.

85. SCHOLASTICI ſtudiis ſuis abſolutis, ſtatim poſtquam ad tertium annum Probationis peragendum miſſi fuerint, generatim interrogandi ſunt, an firmi in ſua deliberatione & votis & promiſſione Deo oblatis, antequam ad ſtudia ſe conferrent, permaneant; ut eorum ſtatus melius cognoſcatur, & ipſi magis in Domino juvari poſſint.

Alia interroganda. In Ex.c.7.§.8.

86. Interrogentur etiam & examinentur particulatim eisdem interrogationibus & examine, quo ſexto quoque menſe, antequam ad ſtudia mitterentur, interrogati fuerunt; ut Superioribus eorum memoria renovetur, & mutatio, ſi aliqua in rebus jam affirmatis accidiſſet, cognoſcatur.

Reddent conſcientiæ rationem. In Ex.c 4. §.39.

87. Poſtremo reddent rationem vitæ ſuæ, inchoando ab eo tempore, quo eam reddiderunt, quando ad ſtudia miſſi ſunt.

REGVLÆ
MODESTIÆ.

Modeſtia, humilitas, & religioſa maturitas. P.3.c.1.§.4.

1. IN converſatione noſtrorum illud in univerſum dici poteſt, ut in omnibus externis actionibus appareat in noſtris modeſtia & humilitas conjuncta cum religioſa maturitate: ſpeciatim autem hæc obſervanda erunt.

Caput leviter non movendum.

2. Caput huc illuc leviter non moveatur, ſed cum gravitate, ubi opus erit: & ſi opus non ſit, teneatur rectum cum moderata inflexione in partem anteriorem, ad neutrum latus deflectendo.

Oculi demiſſi.

3. Oculos demiſſos, ut plurimum, teneant; nec immoderate eos elevando, nec in hanc, aut illam partem circum flectendo.

4. In-

4. Inter loquendum, cum hominibus præſertim alicujus auctoritatis, non defigatur aſpectus in eorum vultus, ſed potius ſub oculos. *Inter loquendum.*

5. Rugæ in fronte, ac multo magis in naſo, evitentur; ut ſerenitas exterius cernatur, quæ interioris ſit indicium. *Rugæ evitentur.*

6. Labia nec nimis compreſſa, nec nimium diducta. *Labia.*

7. Tota facies hilaritatem potius præ ſe ferat, quam triſtitiam, aut alium minus moderatum affectum. *Hilaritas in facie.*

8. Veſtes ſint mundæ, & cum religioſa decentia compoſitæ. *Veſtes compoſitæ.*

9. Manus, ſi non in ſuſtinenda veſte occupentur, decenter quietæ teneantur. *Manus quietæ.*

10. Inceſſus ſit moderatus ſine notabili feſtinatione, niſi neceſſitas urgeret: in qua tamen, quantum poterit, decoris ratio habeatur. *Inceſſus moderatus.*

11. Omnes denique geſtus ac motus ejusmodi ſint, qui apud omnes ædificationem pariant. *Geſtus & motus.*

12. Si plures ſimul erunt, ordinem præſcriptum à Superiore, bini vel terni incedendo, ſervent. *Ordo ſimul incedendi.*

13. Si loquendum fuerit, meminerint modeſtiæ, & ædificationis tum in verbis tum in ratione ac modo loquendi. *Modeſtia in loquendo.*

INSTRVCTIO

Ad reddendam conſcientiæ rationem juxta morem Societatis.

INTELLIGANT ſinguli, dum rationem conſcientiæ ſunt reddituri, quanti momenti Pater Noſter ſanctæ memoriæ IGNATIVS id duxerit, ad majorem Divinæ bonitatis gloriam; ut ſubditi magis in ſpiritu cum gratia uberiori proficiant, ac tanto majore cum diligentia, amore, & ſollicitudine juvari, & a periculis conſervari poſſint, ut quæ in Examine, & Conſtitutionibus toties commendantur, & §. 40. ſummarii Conſtitutionum præſcribuntur de reddenda ratione conſcientiæ, exacte ſerventur. Proinde unusquisque magna cum puritate, ſub ſigillo confeſſionis aut ſecreti, aut quacumque ratione ei placuerit, & ad majorem ipſius conſolationem fuerit, totam animam *Neceſſitas reddendi conſcientiæ rationem.* In Ex. c. 4. §. 34. & ſeq. & p. 4. c. 10. §. 5. & p. 6. c. 1. §. 2.

mam

mam ſuam integre manifeſtam faciat, nullam rem celando, quà Dominum univerſorum offenderit poſt ultimam rationem redditam conſcientiæ: vel certe aperiat eos defectus, qui magis ab eo tempore gravant ipſius animam.

Capita rerum. Capita vero, quibus conſcientiæ ratio reddi debet, hæc fere erunt: ex quibus cum ea retulerint, quæ ad plenam ſui manifeſtationem dicenda putaverint, petant à Superiore, ut eos interrogando juvet, ac ſuppleat, ſi quid eſſe judicet, quod ad majorem Dei gloriam, & ſuorum notitiam ſcire velit.

Circa vocationem. 1. An vivat contentus juxta ſuam vocationem.

Vota ut obſervet. 2. Quomodo ſe habeat circa obedientiam, etiam intellectus, paupertatem, caſtitatem, & uſum aliarum virtutum; & quarum præcipuè ſtudio intentus ſit.

An tentationes ſentiat, & quomodo reſiſtat. 3. An ſentiat aliquas animi perturbationes aut tentationes moleſtas, & de facilitate, ſeu difficultate, & modo eis reſiſtendi; & ad quos affectus, vel peccata ſit magis propenſus & incitatus.

An contra Conſtitutiones. 4. An contra Conſtitutiones, vel Regulam aliquam, vel ordinationem Superiorum firmum judicium habuerit, vel contra eam diſputaverit.

De inſtituto, & zelo animarum. 5. Quid ſentiat de ipſo inſtituto Societatis, & mediis, quibus illa utitur ad ſuum finem conſequendum; & quem experiatur in ſe zelum animarum.

Ut orationi ſit affectus. 6. Quomodo ſpiritualibus rebus ſit affectus, quantum temporis orationi tribuat, & num vocali, an potius mentali juvetur, & utri plus temporis tribuat, & quem modum in orando teneat.

Conſolatio, & deſolatio. 7. Num in uſu rerum ſpiritualium conſolationem & devotionem habeat, an vero contra deſolationem, ariditatem, & vagationem animi patiatur; & quomodo in iis ſe gerat.

Fructus communionis, examinis, &c. 8. De fructu quem ex communione, confeſſione, examine, præſertim particulari, & aliis exercitiis ſpiritualibus percipiat.

De fructu majori vel minori. 9. Num poſt ultimam rationem conſcientiæ, quam reddidit, majorem an minorem fructum fecerit; & quem animum experiatur ad perfectionem conſequendam.

Conſtitutionũ obſervatio. 10. Quomodo obſervet, quæ ex Conſtitutionibus, & Regulis tum communibus, tum officii ſui ad eum pertinent.

11. De mortificationibus, pœnitentiis, & aliis exercitationibus, quæ faciunt ad ſpiritus profectum; & in ſpecie de præparatione ad injurias, & ad alia, quæ ad Chriſti crucem pertinent, ferenda, atque eorum deſiderio. *Mortificationes & pœnitentiæ.*

12. De ſociis, & quomodo ex eorum converſatione proficiat in Domino, & an alicui plus ſit familiaris quam aliis. *De Sociis.*

13. An averſionem animi ſentiat ab aliquo, & an offenſus ſit in aliquo Superioribus, vel officialibus, vel quavis aliâ perſonâ, & quomodo ſit affectus erga Superiores. *De affectu circa Superiores.*

14. An tentationes aliquas ſit paſſus, quas alii intellexerint, præſertim circa vocationem. *An tentationes alii intellexerint.*

REGVLÆ PEREGRINORVM.

1. PERSVADEANT ſibi, peregrinationis finem non tam eſſe corporis defatigationem, & ut multum iter conficiant, quam ut ex eâ fructum aliquem ſpiritualem percipiant: atque ex eo fine, & iter ipſum & ceteros peregrinationis labores moderentur. *Peregrinationis finis.*

2. Litanias ſimul omnes, quotidie in ipſo itineris ingreſſu, vel Itinerarinm dicant; nec orationem, & conſueta examine prætermittant, & alias etiam Regulas obſervent, quantum ratio itineris permittet. *Litaniæ, vel Itinerarium.*

3. Studeant frequenti oratione & meditatione comitem itineris ſibi Chriſtum facere: & Colloquiis interdum piis & religioſis, ac lectione alicujus libri pii moleſtias itineris levare poterunt. Quod ſi cum externis in via aut in hoſpitiis egerint, meminerint pro ratione ſui gradus, habita ratione temporis & perſonarum, ſermones de rebus ſpiritualibus inducere, & fructum aliquem, quoad poterunt, efficere. *In itinere meditatione, & piis colloquiis ſubleventur.*

4. Eleemoſynas ſimpliciter pro Chriſti amore petant; ut omni ſpe illâ abjectâ, quam in pecuniis & rebus creatis habere poſſunt, integrè, vera cum fide, & ardenti amore eam in ſuo Creatore ac Domino conſtituant; memores, a Chriſto Domino Apoſtolos ſine ſacculo & perà miſſos; ipſum etiam Dominum non habuiſſe, ubi caput reclinaret. *Eleemoſynas quomodo petent. In Ex. c. 4. §. 22.*

Indigentiam, penuriam, & injurias patienter ferant. In Ex. c. 4. §. 12. & 26. Ibid. §. 44.

5. Indigentiâ & penuriâ rerum corpori neceſſariarum probari exoptent, ut ad incommoditatem cibi ſomnive capiendi libenter aſſuefiant: injurias vero, illuſiones, & opprobria, quæ in itinere inferri contigerit, patienter cum Dei gratia ferant, gaudeantque, materiam præberi ſibi imitandi aliquo modo Chriſtum Dominum, ejusque veſtibus atque inſignibus ſeipſos induendi.

Debiles ut ſublevandi.

6. Qui majoribus pollent ad viam peragendam viribus, eos qui ſunt infirmiores, ſubſequi & non præcedere debent: & iter cuiusque diei horum debilium infirmitate commenſuretur. Quod ſi quis viribus deſtitueretur, jumento aut alia ratione juvari debet: qua in re non qualitatis perſonarum, ſed neceſſitatis & caritatis fraternæ ratio eſt habenda.

Quid cum in morbum inciderint.

7. Si quis in morbum incideret, ita ut ulterius progredi non poſſet, nec expediret reliquos ibi moram trahere; ſi vicinum eſſet Collegium aut Domus Societatis, eo eſſet æger (ſi modo morbus patiatur) deducendus: alioqui aliquis ex noſtris illi erit ſocius relinquendus, ut conſolationi ei ſit & auxilio: ægro autem viribus reſtituto, cœptum iter ambo proſequentur.

Invitati, verbis & exemplo hoſpites ædificent.

8. Si in via ab honeſto & pio amico invitarentur, poſſet qui præeſt hoſpitalitatis beneficium admittere: tunc autem curare debent verbis & religioſo exemplo hoſpites ædificatos in Domino relinquere.

Sobrietas, modeſtia, & ædificatio.

9. Ejusdem ædificationis & exempli in omnibus hoſpitiis meminiſſe debent; ſobrietatis etiam in menſa, & modeſtiæ in converſatione numquam obliviſcantur.

Bonum exemplum.

10. Cum in itinere ad Collegia vel Domos Societatis divertent, ſtudeant omnes bonum ædificationis odorem, exemplo vitæ ac morum, noſtris relinquere. De rebus vero aut perſonis aliorum Collegiorum aut Domorum nihil loquantur aut tractent, niſi ad ædificationem.

In locis noſtrorum nil ab externis petendum.

11. Si tranſierint per locum ubi Domus aut Collegium Societatis ſit, nihil ab externis, nec pro ſe nec pro aliis, petant aut accipiant, ſine facultate Superioris ejusdem Domus vel Collegii.

11. Omnes alii, qui iter faciunt ex noſtris, equites aut pedites, has regulas peregrinorum ſuo modo, quantum fieri poteſt, etiam ſervent: & tam peregrini, quam reliqui qui iter faciunt, patentes litteras ſui Superioris habere curent. *Iter facientes has regulas ſervent.*

REGULÆ MINISTRI.

1. Ejus officium erit, Præpoſitum vel Rectorem juvare in iis quæ in genere vel in particulari ei commendabit: nec diſpenſandi, aut mutandi, aut quidquam faciendi, niſi ex ejusdem præſcripto, facultatem habebit. *Ejus officium quale.* *P.4. c.10. §.7.*

2. Valde commendatum ſibi exiſtimet quod pertinet ad obſervationem Conſtitutionum, Regularum, Ordinum communium & approbatarum conſuetudinum Domus vel Collegii: ideoque habeat in ſcriptis, & aliquando legat, tam communes omnium, quam particulares Superioris & officialium Regulas: & eosdem officiales ſuas habere, intelligere, atque obſervare curet. *Officialiũ Regulas, &c. legat, & obſervari curet.*

3. Officiales viſitet quoties opus fuerit, obſervando quomodo ſuum officium exequantur: quod ſaltem alternis diebus faciet. Frequenter etiam viſitabit cubicula, & alia loca domus, ut videat quomodo omnia ſe habeant. *Officiales & cubicula viſitet.*

4. Cum quis ab officio aliquo amovetur, curet ut is ſuum ſucceſſorem inſtruat de ratione exercendi illud, juxta regulas & conſuetudines à Superiore approbatas. *Succeſſores in officiis inſtrui curet.*

5. Animadvertat in temporum mutationibus, quomodò in Collegio vel Domo fieri debeat horarum, ciborum, veſtiumque mutatio; & Superiori in memoriam reducat, præſertim bis in anno, ſub initium veris & autumni; obſervet etiam crebro, num aliquid deſit ex neceſſariis aut abundet; eorumque potiſſimum rationem habeat, qui in corporis curâ minorem de ſeipſis ſollicitudinem gerunt; curetque ut adſit cum Medicus ægrotos inviſet. *Mutatio horarum, veſtium, &c. Superiori in memoriam revocanda.*

6. Quotidie horâ ſibi deſignatâ, de rebus omnibus domus rationem Superiori reddat; à quo excipiet in libello ad id parato, quæ ei facienda *Rationem Superiori quotidie reddat.*

 com-

committet: & cùm primùm commodè poterit, eidem referat quæ executus fuerit.

Neceſſaria ei in memoriam redigat. 7. Redigat Superiori in memoriam ea, quæ neceſſaria domui judicabit, ut de coëmendis rebus ad victum & veſtitum neceſſariis, ſuis temporibus, de fratrum nimio aut exiguo labore, de ſanitate, & ſimilibus.

Quæ notabit, & Superiori referet. 8. Notet, ac referat Superiori tam defectus, ſi quos vel Domi aut in Collegio animadverterit, vel aliunde intellexerit, quàm quæcumque alia, quæ ad bonam gubernationem convenientia ei occurrent: tum etiam circa res ſibi commiſſas, & quaſuis alias; ut quomodò ſe noſtri habeant circa obedientiam, orationem, & in omnibus virtutibus profectum, & ſtudium.

Obſervet in omnes communicent. *P.3.c.1.lit.Q.* 9. Curet per æditum, vel aliquem alium deſignatum, obſervari, an omnes die ſtatuto communicaverint: & ſi quis intra tempus deſignatum ad confeſſionem aut communionem non accederet, intelligat à Superiore, num ſubtrahendus ei ſit cibus corporis, donec cibum ſpiritus ſumat.

Domus munda ſit. 10. Peculiarem habeat curam, ut domus munda ſit, & omnia ubique decenter ſuis locis compoſita; ſed præcipuè in iis quæ ab externis videri ſolent.

Portæ domus clauſæ. 11. Noctibus ſingulis portas domus, quibus in publicum exitur, videat, an benè clauſæ ſint.

Deſignet qui curam habeat rerum communium. 12. Deſignet aliquem ex commiſſione Superioris, qui communes lucernas domus opportuno tempore incendat & extinguat: qui item publicas feneſtras ſuo tempore aperiat & claudat: ac pro abluenda facie & manibus in loco deſtinato aquam infundat, & pro iis extergendis mantilia, ab iis quæ in uſum Refectorii ſunt diſtincta, adhibeat: quæ alia Sacerdotibus, alia non Sacerdotibus deſtinata erunt, & bis ſaltem in hebdomada mutabuntur.

Vnionem inter domeſticos curet. 13. Studeat animos Patrum & Fratrum inter ſe per benevolentiam, & præſertim cum Superiore per obedientiam unire. Et ſi quid minus æquo animo aliquis ferret, velit potius in ſe (quoad fieri poteſt) quam in Superiorem, cauſam rejici; veluti in injungendis pœnitentiis, quas ipſe juxta præſcriptum Superioris imponet: & tam in eis, quam in reprehenſionibus, ab animi perturbatione caveat, caritatemque præ ſe feren-

do ſtudeat, ut illi quibus pœnitentias imponet, merito ſibi injungi cognoſcant.

14. Si quando abſente Superiore aliquid acciderit, quod adeò urgeat, ut commode Superior expectari nequeat, id Miniſter, auditis Conſultoribus, exequi poterit; quamvis in ſpecie non ſit ipſi commiſſum, dummodò exiſtimet juxta Superioris mentem id fore: ſtatimque redeunti quod factum fuerit, referat. Quod autem ſibi ordinariè agendum erit, abſente Superiore, ab eo curet intelligere. *Abſente Superiore, quid ſibi agendum ſit.*

15. Si Subminiſtrum habuerit, utatur ejus operâ in iis quæ commodè per ſe facere non poterit, juxta præſcriptum Superioris: ſi verò non habuerit, alternis ſaltem diebus ſingula cubicula viſitet, & alia quæ in officio Subminiſtri continentur, ſuppleat. *Subminiſtro utatur.*

REGVLÆ CONSVLTORVM

INTELLIGANT quanti momenti ſit eorum officium, ut Superiores eorum conſilio & relatione adjuti melius & facilius gubernare poſſint. *Officii gravitas* P.4.c.10 §.7. & p. 9.c.6 §.14.

2. Sint amatores boni communis, illudque in omnibus conſultationibus præ oculis habeant: atque ut Divinæ inſpirationi dent locum, & ſaniora ſint eorum conſilia, in ſuo ſenſu non nimis abundent. *Eorum partes.* P.9.c.5. §.2.

3. In conſultationibus ſinceram intentionem habeant, & à perturbatione liberam, ut fideliter & debitâ cum modeſtiâ, caritatis & obedientiæ memores ſententiam dicant. *Pura intentio.*

4. Sint inter ſe maximè caritate conjuncti, & alter alterum honore præveniat, atque apud alios alter alterius exiſtimationem verbis factiſque tueatur. Si verò contingat aliquem in conſultationibus diverſæ, aut etiam ſingularis eſſe ſententiæ, nemo ullam ab eo alienationem vel habeat vel oſtendat. *Quomodo ſe habeant inter ſe.*

5. Rem, de qua conſultatur, bene intelligant; nec ſint in dicendo præcipites. ſed negotio ſecum conſiderato, & oratione præmiſſâ, præcipuè cum de rebus agitur difficilibus, ſententiam ſuam aperiant. Quod ſi quid ex *Quales ſint in dicenda ſententia.*

tempore diſcutiendum proponeretur, & id ſibi maturiùs conſiderandum judicarent, Superiori ſignificabunt.

Breviter rationes dicant.

6. Explicare breviter debent ſententiæ ſuæ rationes: quod ſi ad rem confirmandam aliorum rationes eſſent diſſolvendæ, id etiam modeſtè faciant.

Quid cum Superior aliquid ſtatuerit.

7. Cum Superior Conſultoribus auditis aliquid ſtatuerit, judicium ipſi ſuum illius judicio ſubmittent: neque extra conſultationem, aut quod ſtatutum fuerit, ſibi diſplicere, aut ſe in alia fuiſſe ſententiâ ſignificabunt: laudent potiùs Superioris conſilium apud alios, atque tueantur. Quod ſi ob rei, de qua agitur, gravitatem, adhuc ſentirent ad alium Superiorem eſſe rem deferendam, quod nihil monitione ſuâ ſe effecturos ſperarent; re prius apud ſe maturius conſideratâ, & oratione præmiſsâ, ad immediatum illius Superiorem, aut ſi is non provideat, ad ſupremum id facere ne prætermittant.

Quando proponere poſſunt.

8. Etiamſi non interrogentur, ſi quid tamen in mentem venerit, quod ad commune bonum vel alicujus perſonæ particularis pertineat, poterunt id Superiori proponere, ut is ſtatuat, num eâ de re ſit deliberandum, nec ne.

Servent ſecretum.

9. Conſultores neque ea quæ quisque in conſultatione ſenſerit, neque ea quæ propoſita ſunt aut definita, aliis ſignificare debent; præcipuè cum res ipſæ ſecretum exigunt. Superioris autem erit ea quæ definientur, promulgare, cum opus eſſe judicabit.

De litteris ad Superiorem mittendis. P. 4. c. 17. § 7.

10. De litteris ad Superiores ſuo tempore mittendis, ſervent diligenter quæ in formula ſcribendi à Conſultoribus exiguntur. Et hæ litteræ ſigillo, quod apud Admonitorem erit, obſignatæ mittantur; nec quisquam eorum ſciat quid alius ſcripſerit.

Poſſunt aliorum litteras ad Generalem mittere.

11. Si quis ex noſtris ad Generalem ſcripſerit, & litteras Admonitori, aut alicui ex Conſultoribus tradere voluerit; is acceptas, cum ſuis aut ſub ſuæ propriæ manus inſcriptione ad Generalem mittendas curabit.

De quibus Superior, & quomodo monendus. P. 8. c. 4. § 2. 3. & 4. & Cap. 34. Congr. 1.

12. Si quid circa victum, veſtitum, labores, & occupationes Superioris, aut circa gubernationem, moderandum, augendum, vel mutandum cenſerent; illum præmiſſa oratione admonendum curent, quod fere per Admonitorem faciant.

Superioris exiſtimatio tuenda.

13. Si quis cum eis de difficultate aliquâ ſuâ aut perturbatione agat; ita

cum

eum ſuis monitis & conſilio juvare ſtudeant, ut ſemper, quantum poſſint, exiſtimationem Superioris tueantur.

14. Ad omnia meliùs obeunda, Superiorum ſuorum & aliorum Officialium Regulas teneant: Conſtitutionesque, & reliqua omnia, quæ ad noſtrum inſtitutum & adminiſtrationem pertinent, familiaria ſibi reddant. *Conſtitutiones & regulas familiares ſibi reddant.*

15. Ita ſuum munus exequantur, ut nullam gubernationis partem ſibi aſſumant, atque eâ ſubmiſſione ſe gerant, ut ceteris Obedientiæ exemplum præbeant. *Quomodo ſuum munus bene obeant.*

REGULÆ

ADMONITORIS.

1. EA modeſtiâ & humilitate officium ſuum obeat, ut ſubditum decet erga Superiorem, quem Chriſti loco habet: niti enim debet, ne hujus muneris occaſione, reverentia atque obedientia interior vel exterior in ipſo debilior reddatur. *Officium ſuum modeſte & humiliter obeat.* *P.9.c.4.§.4.*

2. Animadvertat autem, ne reverentia hæc & obedientia fidelitatem aut neceſſariam libertatem opprimat; quo minùs Superiorem admoneat de iis, quæ, præmiſſa oratione, proponenda in Domino judicabis. *Servet neceſſariam libertatem.*

3. Admoneat Superiorem de iis, quæ maior pars Conſultorum ei dicenda judicaverit: de aliis verò, quæ ſive ipſi in mentem venient, ſive ab aliis ſuggerentur, non facilè eum admonebit; ſed de iis dumtaxat, quæ non levis momenti poſt orationem eſſe cenſuerit, ſive illa ad perſonam, ſive ad officium Superioris pertinebunt, juxta Conſtitutiones & Decreta. *De quibus Superior admonendus.*

4. Ea, quorum Superiorem admonuerit, meminerit tacitus apud ſe ſervare; quamvis interrogatus à Conſultoribus de iis quæ ipſi commiſiſſent dicenda, vel à Superioribus rationem ſui officii eis debebit reddere. *Quali ſecreto teneatur.*

5. Cum Superior cujuſpiam rei admonitus, illi remedium non adhibuerit, Admonitoris erit cum debita ſubmiſſione iterũ & ſæpius eum commonefacere: *Quid ſi Superior admonitus remedium non adhibet.*

cere: quòd ſi emendationem non ſperat; facta prius oratione, id Superiori ſignificet.

Conſultorum litteras mittet. 6. Admonitoris erit, ordinarias epiſtolas Conſultorum ſuis temporibus colligere, atque ad mediatos Superiores mittere; niſi eas illi aliâ viâ mittere voluerint: ſimulque referet eiſdem, utrum illi ſcripſerint, an non.

Subditorum erga Superiores obſervantiam non imminuat. 7. Caveat ne occaſione ſui officii debitam ſubordinationem, & obſervantiam ſubditorum erga ſuos Superiores, aliquâ ex parte imminuat aut debilitet.

Sigillo quomodo & quando utatur. 8. Sigillum apud ſe habeat, quo ſuas, & Conſultorum ac aliorum noſtrorum litteras, ſi ad eum detulerint, qui ad mediatos Superiores ſcribere voluerint, obſignare poſſit. Hoc tamen nulla ratione, ſine facultate Superioris, uti licebit, niſi in iis litteris, quæ ad Superiores mediatos ſcribentur.

FORMVLA SCRIBENDI.

Cauſa ad Superiores ſcribendi. P.8. c. 1. §.9. 1. MAGNOPERE juverit ad animorum unionem in Societate, litterarum ultro citroque miſſarum inter inferiores & Superiores frequens commercium; & crebro alios de aliis certiores fieri, & audire, quæ ex variis locis ad ædificationem, & eorum quæ geruntur cognitionem, afferuntur.

Ad Provincialem qui & quando ſcribent. 2. Superiores Domorum, & Rectores ſcribant ſingulis hebdomadis ad ſuum Provincialem in Europa; in Indiis vero ut ſuis Provincialibus viſum fuerit commodum & opportunum.

De quibus ſcribendum. P.8.c.1. lit. L. & Can.28. Cong.2. 3. Scribant autem ad ſuum Provincialem de ſtatu perſonarum, & rerum omnium, non ſolum quæ inter noſtros, ſed etiam quæ per miniſteria Societatis erga externos in Domibus ſuis vel Collegiis fiunt; & non tantum de his quæ rectè ſe habent, ſed etiam de his quæ ſecus: & quoad fieri poterit, curent, ut omnia tamquam præſentia Provincialis cernat.

Ad quos de obitu noſtrorum & ſuffragiis ſcribendũ. P.6. c. 4. §. 4. 4. Primo quoque tempore ad ſuum Provincialem ſcribant Superiores Domorum & Rectores de obitu eorum, qui in ſuis locis decedunt: Provincialis

ſis verò reliquos de ſua Provincia admonebit, ut quam primum ſolitis ſuffragiis & orationibus eorum animæ juventur: & ſtatim Præpoſitum Generalem & vicinos Provinciales certiores reddat, ut ſimile officium præſtare poſſint. Can. 11. Congr. 3.

5. Miſſi ad fructificandum in agro Domini, ſcribant ad ſuum Provincialem, aut ad eum quem ille deſignaverit, ſingulis hebdomadis, vel quoties ipſis fuerit præſcriptum, ut per crebram litterarum communicationem, quantum fieri poteſt, totum ſucceſſum ſuarum miſſionum illi declarent. *Ex miſſionibus ſcribent.* P. 8. c. 1 lit. L. & Can. 28 Congr. 2. P. 7. c. 2. §. 2.

6. Provinciales Superioribus Domorum & Rectoribus, ac iis qui in miſſionibus verſantur, ſingulis menſibus; privatis autem perſonis, quibus & quando opus erit, ſcribant. *Provinciales quando & ad quos ſcribent.* P. 8. c. 1. lit. L. & Can. 28. Cong. 2.

7. Provinciales omnium Provinciarum Europæ ſcribant ad Generalem ſemel quolibet menſe: Rectores autem & Superiores Domorum & Magiſtri Novitiorum tertio quoque menſe. *Quando Superiores in Europâ ad Generalem.*

8. Provinciales Indiarum ſcribant Præpoſito Generali, quando ſe obtulerit navigationis commoditas; Rectores vero & Superiores Domorum ac Magiſtri Novitiorum ex Indiis ſemel; ex Braſiliâ, & novâ Hiſpaniâ bis in anno, ſi ſe obtulerit occaſio. P. 8. c. 1. lit. L. & Can. 28. Cong. 2. *Quando ex Indiis ſcribent.* Can. 28. Cong. 2.

9. Prædicti omnes extraordinariè ſibi mutuò ſcribant quoties neceſſitas urgebit. *Quando extraordinarie ſcribendum.*

10. Superiores Domorum & Collegiorum, & Magiſtri Novitiorum ſcribant ad Generalem, quæ alicujus momenti fuerint, etiamſi approbante Provinciali fiant. Illa verò potiſſimùm ſcribant, in quibus Provincialis admonitus, vel non providet, vel providere nequit; vel poſtquam Provincialis cum illis tractaverit, ipſi ab ejus judicio diſſentiunt: ſed tunc quidem addant, quid Provincialis reſponderit, & quibus rationibus ipſi ab eo diſſentiant, interim tamen ei per omnia obediant. P. 8. c. 1. lit. L. & Can. 28 Cong. 2. *Et quid ad Generalem ſcribent.*

11. Cum Provinciales ſcribent Generali, curabunt ut ſtatum Domorum & Collegiorum ſuorum, ac totius provinciæ bene explicent; & ſuppleant ſi quid intellexerint, quod Superiores Domorum & Collegiorum minus declaraverint: & in univerſum ita ſcribere debent, ut Generalis omnium rerum, omniumque perſonarum ac Provinciarum ſtatum, quoad ejus fieri poſſit, ante oculos habeat. *Provinciales ad Generalem quid ſcribent.*

Generalis quando ad Superiores. Can. 28. Cong. 2.

12. Generalis ad Provinciales ſcribet ſecundo quoque menſe, ad Rectores vero & Præpoſitos locales ſexto quoque menſe, niſi aliqua neceſſitas prius ad reſpondendum ſuadeat.

Subditorum litteræ ne aperiantur, nec impediatur.

13. Si quis noſtrorum aliquid per litteras cum Præpoſito Generali, aut cum ſuo aliquo alio mediato Superiore tractare velit, ne impediatur, nec ipſorum litteræ ad eos ſcriptæ aperiantur, neque mediatorum Superiorum ad ipſos.

Litteræ negotiorum ad Generalem mittendæ.

14. Litteræ noſtrorum, quæ negotia continent, ſolum ad Præpoſitum Generalem, & non ad alios qui cum ipſo agant, deſtinentur: poterit tamen ad eos ſcribi, ut illa tractari & expediri curent.

Quæ Procuratoris Generalis opera indigent, P. notentur.

15. Litteræ negotiorum, ad quorum expeditionem Procuratoris Generalis opera, aut informatione opus erit, propriis litteris ad Præpoſitum Generalem ſcribantur, adjecta exterius littera P. ſub inſcriptione earum.

Quot exempla ex Indiis mittantur.

16. Negotia majoris momenti, ex utraque India, & Braſilia ternis exemplis ſcribantur, binis autem ex reliquis Provinciis, ſi ſit periculum, ne litteræ intercidant, vel certe in proximis litteris earum ſumma repetatur: & ut inveniantur, cum opus fuerit, quæ ſcripta ſunt ad Generalem, exemplum ejuſmodi litterarum, vel earum ſummam in libro aliquo, qui ſcribunt, apud ſe retineant.

Si quid ſecreti, quomodo adjecto (ſoli) ſcribendum.

17. Si quid ſecreti ſcribendum, vel ſoli Superiori committendum ſit, ſeorſum in propria epiſtola ſcribatur, quæ cum aliis in eodem faſciculo colligata includatur, adjecto exterius *(ſoli)* ſub inſcriptione ejuſdem epiſtolæ: quod ſi ejuſmodi epiſtola ſola mitteretur, alia charta involvatur, quæ abſque *(ſoli)* inſcriptionem habeat.

Vt res ſecretæ ſcribenda.

18. In rebus, quæ ſecretum requirunt, explicandis, his vocabulis utendum erit, ut ea intelligi niſi à Superiore non poſſint: modum autem præſcribet Generalis.

Quando ad Superiorem ex commiſſione ſcribi poſſit.

19. Nullus inferior, niſi morbo impeditus, litteras ad Superiorem ex ſua commiſſione ſcribi faciat.

Conſultores quoties ad Superiores ſcribent.

20. Conſultores Rectorum & Superiorum localium litteras obſignatas ad Provincialem dabunt bis in anno, menſe Januario, & Julio; & ad Generalem ſingulis annis menſe Januario. Conſultores vero Provincialium ad Generalem menſe Januario & Julio, niſi res aliqua ita urgeret, ut de illa etiam extra hæc tempora ſcribendum judicarent.

21. Iis

21. Iis litteris ſincere, & ſine amplificatione, omnique privato aut humano reſpectu ſemoto, ſignificabunt, quid ſibi de Superioribus, quorum ſunt Conſultores, & de eorum adminiſtratione, ac rerum ſtatu, ſcribendum in Domino videatur, oratione tamen præmiſſa, & re prius diligenter conſiderata. *Quæ, & quomodo ſcribenda à Conſultoribus.*

22. Vt Rector Vniverſitatis de omnibus Præceptoribus & aliis de Societate, ita etiam Cancellarius & Conſiliarii Vniverſitatis de ipſo ac aliis ſcribent ſemel ſingulis annis menſe Januario, Præpoſito Generali, & bis in anno menſe Januario & Julio Provinciali. *Rector Vniverſitatis & Cancellarius quid & quando ſcribent.* P.4.c.17. §.7.

23. Hujuſmodi litteræ Conſultorum & horum Officialium Vniverſitatis mittantur obſignatæ, nec quiſquam eorum ſciat, quid alius ſcripſerit. *Eorum litteræ obſignatæ mittantur.* P.4.c.17. lit. L.

24. Quivis Præpoſitus & Rector habeat librum, in quo ſcribantur Viſitationes Domus vel Collegii à Generali approbatæ; in quo etiam ſcribantur ordinationes aliæ alicujus momenti, quæ a Generali mittuntur: & quæ perpetuæ fuerint, ab iis quæ temporariæ ſunt, ſeparatim notentur: alia vero quæ Viſitator & Provincialis præſcripſerint, in alio libro ſcribantur. *Viſitationum, & ordinationum libri.*

25. Si quid ſcribendum eſſet de rebus, quæ externorum aliquem attingerent, ita ſcribatur, ut etiamſi litteræ in ejus manus inciderint, offendi non poſſit. *De rebus externorum quomodo ſcribendum.*

De litteris annuis.

26. SVPERIORES Domorum atque Rectores curent ea obſervari, quæ in dies in eorum Domibus Collegiiſque per noſtros Dominus operari dignatur; quæque ad noſtrorum conſolationem, ac proximorum ædificationem pertinent: ex quibus ſeligant optima quæque, atque in ordinem redacta, ſub finem cujuſque anni ad ſuum Provincialem mittant. Hanc ad rem deſignetur aliquis in quolibet Collegio, ſeu Domo, maturus ac diligens rerum notabilium inveſtigator; qui & ipſe in dies quæ occurrunt ſcripto excipiat, & tertio quoque menſe ſingulos commonefaciat, ac præcipuè Præfectos Eccleſiæ, ſcholarum, rerum ſpiritualium, Congregationum, & alios hujuſmodi, ut cogitent, & ſi quid dignum annuis illo trimeſtri ob- *Res ædificationis notentur.* P.8.c.1. lit.M. Can.12. Cong. 4.

ſervarint, ad Rectorem primo quoque tempore deferant manu ſuâ ſubſcriptum.

Annuæ litteræ quomodo Romam mittendæ.

27. Provinciales ex omnibus Superiorum localium atque Rectorum ſuæ Provinciæ, & eorum qui in Miſſionibus verſantur, epiſtolis (rejectis vel additis iis quæ videbuntur) ſingulis annis menſe Januario, rerum geſtarum capita Latinè collata, ex quibus deinde unæ litteræ annales Romæ conficiantur, manu ipſorum ſubſcripta Romam ad Generalem deſtinent. Cavendum autem ante omnia diligenter, ut quæ ad confeſſionis ſacramentum ſpectanti, nullâ ratione in his capitibus attingantur; omittanturque ſimiliter, quæ aliâ quavis ratione ſecretum poſtulant, & ex quorum narratione jure offendi quiſquam poſſit. Omnium porrò, quæ vel à Superioribus locorum ad Provincialem, vel à Provinciali Romam mittuntur, exempla, horum quidem in Provinciâ, illorum verò in ſingulis domiciliis ſervanda ſunt, donec Annuæ integræ in lucem prodierint.

Ordo ſervandus in eis conſcribendis.

28. In ea compendiaria narratione hic ordo ſervabitur. Recenſebunt initio numerum noſtrorum in univerſum, tum etiam ſingulis Domibus, Collegiis, & Miſſionibus nominatis, quot ſint in iis Sacerdotes, Præceptores, Scholaſtici, & Coadjutores temporales, ſeorſim de ſingulis ac diſtinctè: ita ut ſi qui forte inter Præceptores ac Scholaſticos ſint Sacerdotes, hoc ipſum ſignificent, ne numeri confundantur, aut iidem bis recenſeantur. Itemque quot admiſſi ſint eo anno in Societatem, quotque è vitâ deceſſerint. Mortuorum autem non ſolùm nomen, cognomen, patriam, ætatem, ſtatum, & munera in Societate obita perſcribi oportebit; verum etiam virtutes, ſi quas habuerunt eximias, commemorari: in primis vero, ſi quid ab eis profectum eſt laude præcipua dignum, quod ſingularis alicujus facti narratione confirmari poſſit. Neque deinde neceſſe erit ad ſingula Collegia aut loca redire, niſi aliquid in iis contigerit peculiari narratione dignum.

De profectu noſtrorum, & miniſteriis. P.8.c.1. lit.M.

29. Agent primo de profectu noſtrorum in Domino, & explicabunt, ſi quid in eo genere ad ædificationem facere poſſit; ut ſi profectus in virtute aliqua particulari fuerit eximius, aut ſi ponatur novum aliquod & præclarum medium ad eam conſequendam adhibitum. Viventium etiam illa promulgari poterunt, quæ & ingreſſu contigerunt, & non fuerint propria unius. Deinde de miniſteriis Societatis erga proximos, ut de concionibus, lectionibus

nibus ſacris, doctrina Chriſtiana, & Exercitiis ſpiritualibus, viſitatione carcerum & hoſpitalium, reconciliatione diſſidentium, de pœnitentium frequentia & de aliis noſtri inſtituti piis operibus; ita tamen ut ea tantum commemorentur, quæ ſunt alicujus momenti, non levia quæcumque, & minuta; vel quæ licet alicujus ſint momenti, communia tamen ſunt & quotidiana, ut quæ perpetuo fieri ſolent: quæ ideo cum ordinaria ſint, ſatis erit, niſi inſigne aliquid habeant, breviter perſtringere. Item de Scholis, & diſcipulorum numero, & profectu, præſertim in Vniverſitatibus & Collegiis majoribus, de bona item Societatis exiſtimatione: de contradictionibus autem, & perſecutionibus, ſi quæ fuerint, ea tantum attingant, quæ ædificationi fore videbuntur. Dicent etiam de piorum erga noſtros caritate & eleemoſynis paulo inſignioribus. Non ponantur aliena, aut nobis valdè leviter annexa, ſed vere noſtra. Noſtra enim non ſunt, quæcumque noſtri amici, devoti, fundatoresve geſſerint. Quod ſi hæc etiam ad noſtra pertinere judicentur, indicanda eſt cauſa & connexio, ut referri in annuas poſſint. Si quando autem, quod perrarò accidet, aliquid erit tam grande tamque illuſtre, ut à nobis licet remotum, per nos tamen ab oblivione vindicari conveniat, tum adhibenda præmunitio erit, ne inconſulto factum videatur.

30. Hæc omnia exponent, quam pleniſſime fieri poterit (ſemper tamen vitata nimia prolixitate) adhibitis omnibus circumſtantiis, etiam nominibus eorum, qui eas res geſſerunt, ut ſi opus fuerit, aliquando conſcribi poſſit hiſtoria. Qua etiam de cauſa cum aliquid occurret dignum memoria, quod tamen propter aliquam cauſam non expediat omnibus vulgari, id ſcribent ſeparatim integre & perfectè: in illa autem communi narratione, vel omnino reticebunt, vel ea tantum excerpent, quæ ædificationi eſſe poſſunt. Et quæ ad externos pertinent, ita narrentur, ut in ea ipſâ domo aut civitate, ubi ſcribuntur, ac ubique publice legi citra cujusquam offenſionem poſſint. Vitentur denique exaggerationes rerum, amplificationesque verborum; ut ſimplex & religioſa veritas in omnibus eluceat: & pro miraculis non ponantur, quæ miracula non ſint; nec incerta, quæque diligenti adhibita inquiſitione comperta non ſint.

Circumſtantiæ in ſcribendis.

31. Cum litteræ annuæ Romæ confectæ ad Provincias mittentur, legantur quamprimum in ſingulis Domibus & Collegiis. Et ut Coadjutores no-

Statim legantur.

Coadjutoribus explicantur. In præcipua Domo vel Collegio aſſerventur. noſtri temporales ex Latinis etiam litteris fructum aliquem percipiant; ſit aliquis, qui illarum ſummam, aut interpretationem aliquo modo explicet: neque ultra duas hebdomadas retineri debent, ut ad reliqua loca citius deferantur. Poſtquam vero ubique perlectæ fuerint, in præcipua Domo vel Collegio ejusdem Provinciæ aſſerventur, & ſimul conſuantur.

De Catalogis & Informationibus annuis.

Catalogi quomodo & quando conficiendi. P.8. c.1. lit.N.& p.9.c.6.§.3.& Can.28.Congr.2. *Quid in primo.* 32. AD clariorem omnium noſtrorum cognitionem, Superiores Domorum & Collegiorum duos catalogos conficiant ante id temporis, quo Procuratores Provinciarum ad Generalem veniunt, ita exacte ac ſi numquam miſſi fuiſſent. In primo deſcribantur omnes, qui in ſuis Domibus vel Collegiis, ac miſſionibus ſunt, in quo contineatur uniuscujusque nomen, cognomen, patria, ætas, vires, tempus Societatis; ſtudiorum, & miniſteriorum, quæ exercuit; & gradus in litteris, ſi quos habet, & an Profeſſus, vel Coadjutor ſit, &c. & à quo tempore.

Quid in ſecundo. 33. In ſecundo catalogo dotes & qualitates uniuscujusque deſcribantur, videlicet, ingenium, judicium, prudentia, experientia rerum, profectus in litteris, naturalis complexio, & ad quæ Societatis miniſteria talentum habeat: quæ omnia diligenter, re Deo prius commendata, & mature conſiderata, & omni privato affectu ſemoto, ſincere & breviter perſtringenda erunt. Et utrumque catalogum ad ſuum Provincialem mittant.

Quid in tertio. 34. Sub finem cujusque anni interjecti, tertium etiam alium brevem catalogum ad Provincialem mittant, continentem nomina, & miniſteria, in quibus unusquisque noſtrorum occupatur. Mittant etiam ſupplementum primi & ſecundi catalogi, in quo ea tantum adnotabunt, quæ eo anno de novo occurrerint addenda; ut qui in Societatem interim fuerint admiſſi, aut ab ea defuerint, vel quod mortui ſint, vel alia quavis cauſa.

Quando Romam mittentur. 35. Hunc tertium catalogum, & ſupplementum primi & ſecundi catalogi totius Provinciæ, cum narratione pro annuis litteris, de qua dictum eſt ad Generalem mittet Provincialis menſe Januario: primum vero & ſecundum per Procuratorem Provinciæ, ad eumdem ſigillo ſuo obſignatos

gnatos perferendos curabit. Quod ſi quid ipſi in his catalogis & informationibus notandum, addendumve videretur, id ſeorſum ad Generalem ſcribat.

REGVLÆ PRÆFECTI

RERVM SPIRITVALIVM.

PRÆFECTVS rerum ſpiritualium cognitionem inſtituti Societatis, & zelum boni progreſſus ipſius habeat; & in Obedientiâ & Humilitate exemplum aliis præbeat, & amabilem ſe eis exhibeat, ut ad eum omnes confugiant, confidenterque ſua omnia detegant, & ab eo conſolationem & auxilium ſperent in Domino. *Qualis eſſe debeat.* P.4.c.10.§.7. P.3 c.1.§ 12.

2. Inſtruat noſtros privatim, ſecundum uniuſcujusque captum, quomodo interius & exterius ſe habere debeant, & ad id exhortetur, & in memoriam redigat, & amanter admoneat, præſertim ut puram habeant intentionem Divini ſervitii, & familiaritatem cum Deo in ſpiritualibus devotionis exercitiis, & zelum ſincerum animarum. *De quibus noſtros inſtruat.* P.3.c.1 §. 12. P. 10.§.2.

3. Petat quem procedendi modum in oratione & examine habeant; & ſi contra aliquem defectum examen particulare faciant; & ſi contra inordinatos affectus propria remedia adhibeant; & in ſolidis virtutibus acquirendis, præſertim in Obedientia, quid obſervent; & de Pœnitentiis, & aliis devotionibus. *Quid ab eis petet.*

4. Sicubi in his à rectitudine deflexerint, eos dirigat, juxta modum Societatis; ergo cujus inſtitutum curet ut omnes bene affecti ſint: & det operam, ut orandi & meditandi modos, quos docuit Pater Noſter IGNATIVS in libro Exercitiorum, retineant, & ut illo libro familiariſſime utantur: videatque ne dum noſtri devotionem habere procurant, caput lædant, aut vires corporis nimis debilitent. *Eos in quibus diriget.*

5. Verſatum ipſum eſſe oportebit in lectione librorum ſpiritualium, & unicuique decernat tempus, & modum cum fructu eos legendi, qui ſint faciliores, & noſtro inſtituto magis convenientes. *Lectio librorum ſpiritualium ſit illi familiaris.*

6. Pe-

Curet ſolari afflictos, & tepidos exhortari.

6. Peculiarem habeat curam conſolandi afflictos, & tepidos exhortandi, remedia pro cujusque infirmitate vel neceſſitate adhibendo; qualia ſunt frequentius communicare, plus temporis orationi impendere, Exercitia ſpiritualia facere, plus aliquid pœnitentiæ aſſumere, libros aliquos ſpirituales legere, & ſimilia. Quæ autem ex his ipſe concedere poſſit, & in quibus ad Superiorem recurrendum ſit, ab eo intelligat.

Coadjutores ut inſtruat. Dec. 93. §. 19. Cong. 7. Ex inſtruct. pro Coadjutoribus. P. 1. c. 2. §. 2. P. 3. c. 1. §. 20. lit. R. P. 4. c. 4. lit. C.

7. Parem quoque adhibeat diligentiam circa Coadjutores temporales, frequenter eos alloquendo, novos præſertim & infirmiores, ut quieti ſint, & ſorte Marthæ contenti; & pro eorum captu illos inſtruat, myſteriaque Roſarii doceat, ut majore devotione illud recitare poſſint. Meditationis etiam capita illis ſuggerat, modum & fructum orationis exigat, dirigatque ubi opus fuerit.

Quomodo ad Sacramentum accedendum.

8. Doceat omnes, ut præmiſſa oratione, & cum magna reverentia ad Sacramentum altaris accedant, & poſt ejus perceptionem per aliquod temporis ſpatium orent, & gratias agant.

Singulis menſibus cum unoquoque agat.

9. Præter eos, quos ſatis inſtructos Superior judicaverit, cum unoquoque agere de his ultra menſem ne differat: ſæpe vero conſideret, quem fructum bonorum operum ex oratione, & ex reliquis rebus ſpiritualibus colligant, ut in dies magis in Domino proficiant.

Videat ne ſtudia, & alia impediantur.

10. In his autem omnibus videat, ne ordo unicuique præſcriptus impediatur, ac præſertim ſtudia illorum, qui litteris dant operam, niſi cum Superior aliter judicaverit.

Peculiarem habeat curam Novitiorum.

11. Curam peculiarem habeat Novitiorum, ſi qui Domi, vel in Collegio fuerint, niſi a Superiore aliunde proſpectum ſit: & erga eos obſervare ſtudeat ea, quæ juxta Magiſtri Novitiorum & Examinatoris Regulas obſervari commode poterunt.

RE-

REGVLÆ PRÆFECTI ECCLESIÆ.

1. CVRET, ut Ædituus Regulas ſuas obſervet, quas Præfectus ipſe apud ſe etiam habeat. *Æditui Regulas habeat, & ſervari faciat.*

2. Præbeat illi catalogum ſingulis diebus ſabbathi, quo dies feſti ac jejuniorum proximæ hebdomadæ contineantur, ut eum in Refectorio recitet in cœna diei Dominicæ ſequentis. *Catalogus dierum feſtorum.*

3. Singulis diebus ſabbathi veſperi in Sacriſtia ſcripto proponat, quemadmodum quotidie Sacra ſint facienda ſequenti hebdomada, & quo ordine rem divinam in Altari ſummo facturi ſint, qui ad hoc fuerint deſignati. *Modus faciendi Sacrum aſſignatur.*

4. Detur opera, ne in Altari maximo deſit umquam Sacrum quo tempore celebrari ſolent: habeaturque ratio, ne plura Sacra ſimul inchoëntur, ſed commodè omnia ſuis ſpatiis diſtinguantur. *In Altari maximo non deſit Sacrum, nec plura ſimul inchoëntur.*

5. Curam gerat Miſſarum, & orationum quæ pro defunctis Societatis, & pro Fundatoribus & Benefactoribus, ac pro ipſa Societate fieri debent, quas ex ſubjecto catalogo intelliget; & catalogum earum, quæ ſecundum noſtrum inſtitutum, & ex præſcripto Generalis ordinarie faciendæ ſunt, referat in duas tabellas, quarum alteram appendat in Sacriſtia, alteram in alio convenienti loco; quæ initio cujusque menſis publice in Refectorio legetur. *Miſſæ & orationes pro defunctis, &c.* P.6 c.4. § 3. P.4. c.1 & p. 7. c 4. §.3 & 4. P.10. §.1.

6. Cum Superior aliquid in Sacro Deo commendari, aut Sacra ipſa quæ ab omnibus facienda ſint, applicari ad finem aliquem juſſerit, curet ſcribi in ſchedulâ in Sacriſtiâ affigendâ. *Quæ ſcribi curabit in ſchedula.*

7. Quæcumque autem ex his non ab omnibus facienda erunt, ea Præfectus unicuique privatim ſignificanda curabit. *Quæ cuique ſignificanda curabit.*

8. Librum habeat, ubi mandata Superiorum de his rebus, ſi aliquamdiu duraturæ, aut non ſtatim faciendæ ſint, ſcribantur, ne memoria excidant; & cum fuerint adimpleta, deleantur. *Quæ in libro ſcribet.*

Candelæ Fundatori danda. P.4 c.1.§.3.

9. In Collegiis & Domibus probationum curet juxta ordinem Superioris de candela danda Fundatoribus juxta Conſtitutiones.

Quid cum Sacra fieri externi poſtulant.

10. Si quando externi Sacra aliqua fieri poſtulaverint, ſe Superiorem conſulturum reſpondeat; niſi ejus animum perſpectum jam habeat.

Externos ad Sacrum ut admittat.

11. Externos Sacerdotes ad faciendum Sacrum in noſtro templo, non ſine delectu admittat; ſed eos tantum, qui ædificationi ſint, præſertim notos, idque juxta ordinem Superioris: & intelligat an à ſuo Ordinario legitimam habeant facultatem.

Quid circa Sacerdotes obſervabit. P.4.c 8. §.2.

12. Videat an Sacerdotes Regulas ſuas obſervent, & rium barbam & coronam decenter tonſam habeant.

Promovendi ad Sacerdotiũ. P.7.c.4. §.5.

13. Per ſe, v.l alium à Superiore deſignatum, promovendos ad Sacerdotium inſtrui curet: & videat ut ad Romanæ Eccleſiæ ritum tam ii quam omnes Sacerdotes ſe accommodent, & ne confeſſiones audiant, niſi ſint legitime approbati.

Eleemoſynæ pro miniſteriis nullæ.

14. Animadvertat, ne ullæ pro Sacris faciendis, aut confeſſionibus audiendis eleemoſynæ admittantur.

In Ex. c.1.§.3. & p.6 c.2. §.7.& p. 10.§.5.

15. Nulla ſit in Eccleſiâ arcula, in quam eleemoſynæ conjiciantur, ſive pro nobis, ſive pro aliis.

Nec arcula in Eccleſia. P.6.c.2 §.8.& Can.24. Cong.2.

De ſanctiſſimo Euchariſtiæ Sacramento.

16. Det operam, ut ſanctiſſimum Domini Noſtri Corpus decenter in cuſtodiâ conſervetur, diligenter cavens, ne umquam in ea Sacramentum deſit, habita communicantium ratione; & ut ſaltem decimoquinto quoque die innovetur, & Sacris abſolutis in tabernaculo clavi obſeretur.

Noſtri ſeparatim ab externis communicent.

17. Quando noſtri in templo communicaverint, curet Præfectus, ut id faciant ſeparatim ab externis.

Oleum ſanctũ & reliquiæ ut aſſerventur.

18. Oleum Sanctum, ut oportet, aſſervatum ſingulis annis renovet, & Sanctorum reliquias (quæ quidem mobiles fuerint) in tabernaculo ad id deputato decenter cuſtodiat: ſi quando autem devotionis cauſa oſtendendæ erunt, duo cerei accendantur; atque hujus tabernaculi clavem unam ipſe habeat, & alteram diverſam Præpoſitus aut Rector.

Neceſſaria ad divinum cultum non deſint.

19. Cruces, Calices, ornamenta, & reliqua id genus, ut par eſt cuſtodiantur; nec deſint velamina ad cooperiendos calices, & alia ad divinum cultum & ornatum neceſſaria.

20. Mu-

20. Mutari faciat Altarium & Sacerdotum ornamenta, quod ad colorem attinet, habita temporum & Feſtorum ratione, juxta ritum Romanæ Eccleſiæ. *Quando ornamenta altarium mutanda.*

21. Cum templum ornandum fuerit, nihil ſine facultate Superioris ad eam rem commodato ab externis petat: detque operam, ut quod acceptum fuerit, accurate cuſtodiatur, & dominis quam primum reddatur. *Sine facultate nil mutuetur ab externis ad ornandum templum.*

22. Si templum inſtauratione, aliqua in parte indiguerit, aut aliis ad divinum cultum neceſſariis, provideat, ſicut ipſi a Superiore fuerit præſcriptum. *Illius inſtauratio.*

23. Superiori in memoriam redigat, ut aliquos deſignet, qui de concionibus & modo concionandi judicare poſſint; quorum ſaltem unus concioni interſit, ut Concionatorem, cum opus fuerit & Superiori videbitur, admonere poſſit. *Curet deſignari qui de concionibus judicent.* P.4 c 8.lit.C.

24. Conciones & lectiones templi horæ ſpatium ſuperare non debent: eo vero ordine Miſſæ dicantur, ne impediant, quo minus conciones tempore præfixo inchoëntur. *Concio horam non excedat.*

25. Advertat ne viri in templo mulierum locum occupent; neve ex adverſo earum, quantum fieri poterit, maneant. *Mulierum locus in Templo ſeparatus.*

26. Curet ne domi deſint Confeſſarii, qui neceſſarii in templo noſtro ſunt, & ut confeſſiones veſpere decenti hora abſolvantur. *Confeſſarii non deſint.*

27. Pridie Palmarum Confeſſarios admoneat, ut Conſtitutionem illam obſervent, quæ ad externos ad ſuas Parochias dimittendos Euchariſtiæ ſumendæ gratia pertinet, & ante id tempus, ſi conſuetudo regionis id poſtulaverit. *De communione in Parochia.* P.7 c.4. §.5.& lit D.

28. Officia Hebdomadæ Sanctæ, & veſperæ (ſi hæc dicentur) fiant tono ſimplici, more Societatis, ſine cantu, etiam firmo; niſi ubi Generalis Præpoſitus diſpenſaverit: id autem quod de veſperis dictum eſt, de Benedictione candelarum, & ramorum intelligatur. *Officia, & Veſperæ in hebdomada ſancta.* P 6 c.3.lit.B.& Can.9. Congr. 3.

29. Cum aliquid petendum erit pro eccleſia, aut uſu ſacriſtiæ, intelligat in ea re Superioris voluntatem, eamque exequatur. Cumque pecuniæ alicujus momenti ſumma dabitur, aut colligetur, eam deponat apud Procu- *De pecunia pro eccleſia petenda.*

ratorem in ſcrinio aliquo, cujus clavem unam Superior habeat, & alteram diverſam ipſe Præfectus.

Librum habeat dati & accepti. 30. Librum habeat, in quo eleemoſynarum, quæ Eccleſiæ uſibus dantur, & expenſarum rationes conſtent.

Munditiés in omnibus. 31. Panni omnes linei ſemper mundi ſerventur, & ſeparatim corporalia, atque etiam purificatoria (quæ quatuor cruces in angulis habeant) laventur; & utrorumque ablutio, & cineres eorum, quæ vetuſtate conſumpta comburuntur, in ſacram piſcinam mittantur.

Catalogi rerum Eccleſiæ. 32. Catalogum unum rerum omnium eccleſiæ mobilium, quæ alicujus momenti ſunt, cuſtodiat: in altero vero illa ſcribantur, quæ aut nova ſibi traduntur, cum die, anno, &c. aut veſtutate conſumuntur, ut poſſit, cum exigetur, prioris catalogi rationem reddere: ſæpe etiam res pretioſiores inſpiciet, ne aut lædantur, aut amittantur; arcis in quibus ſervantur, & ſacriſtiæ januis bene clauſis & munitis.

Quæ in defunctis ſervanda. P.6.c.4.lit.B. 33. Cum noſtrorum aliquis extremum diem obierit, ſpatio diei naturalis decenter teneatur, niſi ratione mali odoris, aut ex alia juſta cauſa, anteverti hoc tempus Superiori poſſe videretur.

Quo veſtitu noſtri ſepeliendi. Can.27.Cong.1. 34. Obſervetur circa veſtitum Sacerdotum mortuorum, quod de viventibus dicitur in Conſtitutionibus, ut ſcilicet utamur eo modo, quo Sacerdotes honeſti ejus regionis, in qua verſamur, uti ſolent: fratres vero qui Sacerdotes non ſunt, ſepeliantur eo modo induti, quo alii Clerici honeſti, qui Sacerdotes non ſunt, ſepeliri ſolent.

Funeri neceſſaria curabit. P.6.c.4.§ 3. & Can.27.Cong.1. 35. Curam ſuſcipiet ſepulchri, candelarum, & precum, quæ conſueto more dicuntur, rerumque ceterarum, quæ ad eam rem erunt neceſſariæ.

CA-

CATALOGVS MISSARVM ET ORATIONVM

quæ noſtris præſcribuntur.

SACRA
juxta noſtrum inſtitutum, à Sacerdotibus Societatis ordinariè facienda.

Singulis annis.

1. IN principio cujusque anni unusquisque Sacerdos Miſſam celebret pro noſtra Societate.

2. Singulis annis præſcripto die, in quo memoria fundationis Collegii vel Domus fit, Miſſa cum ſolemnitate pro Fundatore proprii Collegii vel Domus, & benefactoribus vivis & defunctis celebretur: & reliqui Sacerdotes, qui in Collegio vel Domo habi-

ORATIONES
juxta noſtrum inſtitutum, ab iis qui Sacerdotes non ſunt ordinarie faciendæ.

Singulis annis.

ET ſinguli, qui Sacerdotes non ſunt, ad eamdem intentionem integrum Roſarium Dominæ Noſtræ, videlicet centum quinquaginta AVE MARIA, & quindecim Pater Noſter, aut tres coronas recitent. P.10.§.1.

Et ſinguli, qui Sacerdotes non ſunt, ad eamdem intentionem unam coronam, aut tertiam partem Roſarii recitent. P.4.c.1.§.2.& Can.18.Cong.3.

habitaverint, pro eisdem ſua Sacrificia offerant.

Decr. 67. Cong. 7. 3. Die 27. Septembris Patres omnes Sacra eo die peragenda DEO offerent in gratiarum actionem, confirmatæ natæque tunc primum Societatis, proque felici ejusdem ſucceſſu.

Et ſinguli, qui Sacerdotes non ſunt, ad eamdem intentionem offerent Roſaria aliasque preces, & Communionem Sacram.

Singulis menſibus.

P. 10. §. 1. 4. In principio cujusque menſis unusquisque Sacerdos Miſſam celebret pro noſtra Societate.

P. 4. c. 1. §. 2. 5. Initio cujusque menſis omnes Sacerdotes, qui in Collegio vel Domo fuerint, pro Fundatore proprii Collegii vel Domus, & benefactoribus vivis & defunctis ſemel Miſſæ ſacrificium offerant.

Singulis menſibus.

Et ſinguli qui Sacerdotes non ſunt, ad eamdem intentionem tertiam Roſarii partem, aut unam coronam recitent.

Et ſinguli qui Sacerdotes non ſunt, ad eamdem intentionem unam coronam, aut tertiam Roſarii partem recitent.

Singulis hebdomadis.

Can. 11. Congr. 3. 6. Singuli Sacerdotes pro illis de Societate, qui extra Provinciam moriuntur, ſemel in quavis hebdomada Miſſæ ſacrificium offerant.

P. 10. §. 1. 7. Singulis hebdomadis, ubicumque fuerint decem vel pauciores Sacerdotes, pro noſtra Societate una Miſſa à deſignato à Superiore dicetur; duæ vero, ſi fuerint plures, quam decem; tres autem, ſi fuerint plures, quam viginti; & ita deinceps in reliquis decadibus, ſi numerus Sacerdotum fuerit major.

Singulis hebdomadis.

Et ſinguli, qui Sacerdotes non ſunt, ad eamdem intentionem unam coronam, aut tertiam Roſarii partem recitent.

Et ſinguli, qui Sacerdotes non ſunt, in quavis hebdomada ad eamdem intentionem ſeptem Pater noſter, & ſeptem AVE MARIA recitent.

8. Sin-

8. Singulis hebdomadis pro Benefactoribus vivis & defunctis propriæ Domus vel Collegii, præter eas, quæ pro Fundatore dicuntur, una, aut duæ, aut plures Miſſæ, pro numero Sacerdotum, offerantur, ſervando ordinem modo prædicto.

Et ſinguli, qui Sacerdotes non P.7.c.4. §.4.
ſunt, in quavis hebdomada ad eamdem intentionem ſeptem Pater noſter, & ſeptem AVE MARIA recitent.

9. Singulis hebdomadis Miſſa ſemel pro Fundatore proprii Collegii vel Domus, & benefactoribus vivis & defunctis, a deſignato à Superiore celebretur.

Et unus ex iis qui Sacerdotes non P.4.c.1. §.1.
ſunt, à Superiore deſignatus, ad eamdem intentionem unam coronam, aut tertiam partem Roſarii recitet.

10. In Domibus & Collegiis, quæ ſaltem viginti ex noſtris alere poſſunt, etiam ſi non habeant proprium Fundatorem, fiant pro iis vivis & defunctis, qui eorum fundationem notabiliter adjuverunt, eadem Sacra quæ pro Fundatoribus ordinarie fieri ſolent.

Et ſinguli, qui Sacerdotes non P.4.c.1. lit.E.
ſunt, ad eamdem intentionem pro eisdem facere debent eaſdem orationes, quæ pro Fundatoribus ordinarie fieri ſolent.

Sacra ab eisdem extraordinarie facienda.

11. Cum primum Societas in Collegii alicujus poſſeſſionem venerit, quilibet Sacerdos ter Sacrum faciat pro ſuperſtite Fundatore ipſius, ac benefactoribus.

12. Cum ex hac vita idem Fundator exceſſerit, ſinguli Sacerdotes ter Sacrum pro animabus illius & Benefactorum faciant.

13. Idem judicium erit de Communitatibus, vel Rebuſpub. quæ non moriuntur: fient enim tria Sacra pro viventibus, & tria pro defunctis earũ.

Orationes ab eisdem extraordinariè facienda.

Et ſinguli, qui Sacerdotes non P.4. c.1. §. 4.
ſunt, ad eamdem intentionem Roſarium integrum, aut tres coronas recitent.

Et ſinguli, qui Sacerdotes non ſunt, P.8.c.1. §.4.
ad eamdem intentionem Roſarium integrum, aut tres coronas recitent.

Et ſinguli, qui Sacerdotes non ſunt, P.4.c.1.lit.D. & E.
integrum Roſarium aut tres coronas, pro viventibus Communitatibus, & totidem pro defunctis earum

Sic

Sic etiam faciendum, quando plures ſimul fundationem conſtituunt.

recitabunt. Similiter facient, quando plures ſimul fundationem conſtituunt.

Can.18.Cong.3. 14. Cum primum Societas in alicujus Domus profeſſæ poſſeſſionem venerit, quilibet Sacerdos intra illam Provinciam ter Sacrum faciat pro ſuperſtite Fundatore ipſius, ac benefactoribus: & quando vita functus fuerit, alia tria Sacra ab eisdem pro animabus illius & benefactorum fiant.

Et ſinguli ejusdem Provinciæ, qui Sacerdotes non ſunt, integrum Roſarium, aut tres coronas pro ſuperſtite Fundatore ac benefactoribus: & quando vita functus fuerit, alterum Roſarium integrum, aut tres coronas, pro animabus illius ac benefactorum recitent.

P.4.c.1. lit.D. & E. 15. Pro Communitatibus verò, & pluribus, qui ſimul Domus Profeſſæ fundationem conſtituunt, fiant intra eamdem Provinciam, quæ de Collegiis dicta ſunt numero 11. 12. 13.

Et ſinguli ejusdem Provinciæ, qui Sacerdotes non ſunt, ad eamdem intentionem faciant, quæ de Collegiis, eisdem numeris dicta ſunt.

Can.11.Congr.3. 16. In Domo vel Collegio, ubi quis de Societate deceſſerit, ſinguli Sacerdotes pro eo tria Sacra, in aliis vero Provinciæ locis duo Sacra faciant.

Et ſinguli ejusdem Domus, aut Collegii, qui Sacerdotes non ſunt, pro eo tres coronas, aut tres partes Roſarii, pro aliis vero ejusdem Provinciæ duas coronas aut duas partes Roſarii recitent.

Can.11. Cong.3. 17. Cum de obitu cujusque noſtrorum, qui extra Provinciam obiit, ſignificatur, per univerſam Societatem omnes Sacerdotes in Miſſis, illius animam DEO commendent, pro cujusque devotione.

Et ſinguli, qui Sacerdotes non ſunt, in ſuis orationibus illius animam DEO commendent, pro cujusque devotione.

P.7.c.4.§.3.lit.A. 18. Omnes Sacerdotes curent, juxta Conſtitutiones, frequenter orare pro univerſa Eccleſia, ac pro iis præſertim, qui majoris ſunt momenti ad ejus univerſale bonum, cujusmodi ſunt Principes Eccleſiaſtici & ſæculares,

Et omnes, qui Sacerdotes non ſunt, idem juxta Conſtitutiones curare debent.

& alii qui multum prodeſſe vel obeſſe bono animarum poſſunt; & pro amicis & benefactoribus viventibus & vita functis, & pro aliis in quorum auxilium peculiariter ipſi, & reliqui de Societate in variis locis inter fideles & infideles incumbunt; & etiam pro male affectis erga noſtram Societatem. Par. 10. lit. B.

Sacra ex præſcripto P. N. Generalis ab unoquoque Sacerdote Societatis ordinarie facienda.

19. Vnusquisque Sacerdos ſingulis menſibus duo Sacra faciat, alterum pro Indiis & Gentium converſione; alterum pro regionibus Septentrionalibus & hæreticorũ reductione: & in aliis Sacrificiis & orationibus eadem Domino commendabit.

20. Singulis hebdomadis unusquisq; Sacerdos Sacrum unum ad intentionem Reverendi Patris Noſtri Generalis faciat: & in aliis Sacrificiis, & orationibus eamdem Domino commendabit.

Orationes ex præſcripto P. N. Generalis, à ſingulis, qui Sacerdotes non ſunt, ordinarie facienda.

Et ſinguli qui Sacerdotes non ſunt, unam coronam, aut tertiam partem Roſarii, pro Indiis & Gentium converſione; & alteram coronam aut tertiam Roſarii partem pro regionibus ſeptentrionalibus & hæreticorum reductione recitent: & in aliis orationibus eadem Domino commendabunt.

Et ſinguli, qui Sacerdotes non ſunt, ad eamdem intentionem unam coronam aut tertiam Roſarii partem recitent: & in aliis orationibus eamdem Domino commendabunt.

Non intendimus per ea, quæ ſuperius recenſentur, excludi reliqua Sacra & orationes omnes, quæ pro occurrentibus neceſſitatibus à Superioribus imponi ad tempus ſolent.

REGVLÆ SACERDOTVM.

Diſciplina religioſa.

1. QVÆ de diſciplinâ religioſâ in Regulis & inſtituto noſtro ſervanda omnibus propoſita ſunt, ea Sacerdotes, pro ratione ſui gradus, ſibi præcipuè dicta exiſtiment, & obſervent.

Officium divinum, ut recitandum.

2. Divinum Officium nitantur attentè, devotè, & opportuno tempore recitare.

Quoties confitebuntur. In Ex c.4.§.25.

3. Ita vivere ſtudeant, ut quotidie merito celebrare poſſint: ad idque conducet (quamvis ex Conſtitutione octavo, ut minimum, quoque die confiteri teneantur) ſæpius in hebdomada confiteri.

Cerimoniæ in Miſſa ſervandæ. P.4. c.8. §.2.

4. Cærimonias Miſſæ ex uſu Romano accuratè unusquisque obſervet: in eaque celebrandâ pronuntiationem, & quamcunque aliam exteriorem actionem ita moderetur, ut non minus aliorum ædificationi, quam propriæ devotioni ſerviat. Et ideò ſemihoram in faciendo Sacro nec multum excedat, neque ita brevis ſit, ut illam non expleat.

Admoniti ad Sacrum ſtatim ibunt. P.4.c.8 §. 6.& lit.F & Can.21. Cong. 1. & Can. 20. Cong. 2.

5. Qui in ſummo Altari Sacra facturi ſunt, ſimulatque campanæ ſe vocantis pulſum audierint, vel admoniti fuerint, ad veſtes Sacerdotales induendas ſe conferant, ut in tempore exire ex Sacriſtiâ poſſint.

Doctrina Chriſtiana ſit illis curæ.

6. Salutare tradendæ doctrinæ Chriſtianæ miniſterium pueris ac rudibus, quod à ſui origine noſtra Societas tanto affectu complexa eſt, pari omnes ſtudio promovere curent.

Exercitiorum ſpiritualium uſus. P.4.c.8.§.5. & p. 7.c 4. §. 8. & lit. E.

7. Intelligant ſibi ratione peculiari incumbere, ut Exercitiorum ſpiritualium, quæ tantoperè ad Dei obſequium conferre cernuntur, uſum valdè familiarem habeant; quo & alios ad ea ſuſcipienda adducere, & in eo tam utili armorum ſpiritualium genere tractando dexteritatem habere poſſint.

Auditionem confeſſionum magni faciant. P.7.c.4. §.5.

8. Omnes ii, quibus ex Obedientia confeſſiones audiendi ſanctum munus committitur, multum ad id affici ſtudeant, & tamquam noſtri inſtituti valde proprium magni faciant,

9. Ne-

9. Nemo ad confeſſiones audiendas accedat, niſi à Superiore deputatus, & qui ſimul intelligat, quam facultatem ad hoc munus ab eo habeat. *Confeſſiones non niſi deputati audiant.* P.7.c.4.§.5.

10. Modum ea Sacramenta miniſtrandi, quæ Sacerdotes noſtræ Societatis tractare poſſunt, perſpectum omnes habeant, in eoque uniformes ſint, quantum regionum varietas patietur: formam tamen & rationem abſolvendi ab excommunicatione, & aliis cenſuris & peccatis, eamdem omnes ſequantur; attendantque, ne ex modo utendi facultatibus Societatis, Ordinarii & Parochi jure offendi poſſint. *Modum administrandi Sacramenta addiſcant.* P.4.c 8 § 4. & lit. D. P.8.c.1.§ 8. & p. 10.§.9.

11. In caſibus conſcientiæ, iiſque præſertim qui ad cenſuras, caſus reſervatos, reſtitutiones pertinent, ſe ſe diligenter exerceant: earumque rerum Compendia, & brevem interrogandi methodum, ac contra ſingulorum peccatorum ſpecies exempla & dicta Sanctorum, atque alia ſalutaria remedia comparare ſtudeant. *Quæ ad confeſſionem ſpectant.* P.4.c 8.& lit. D.

12. Confeſſarii inter ſeipſos, & in modo procedendi cum pœnitentibus, conformes eſſe curent: & quantum res tulerit, ita aliorum Confeſſariorum exiſtimationi unuſquiſque conſulat, ut omnes intelligant, mutuo caritatis & uniformis doctrinæ vinculo, Societatis Confeſſarios in Chriſto eſſe colligatos. *Caritas & uniformitas doctrinæ.* P.3.c.1.§ 18.& p. 8.c.1.§.8.& p.10. §.9.

13. Vocati ad eccleſiam ad confeſſiones audiendas, ſtatim cum animi alacritate eò ſe conferant: & quo major pœnitentium multitudo futura eſt, eo magis tempeſtive ab aliis occupationibus ſe expediant. *Parati ſint cum vocantur.*

14. In templo confeſſiones, dum concio fit vel ſacra lectio, nemo audiat. *Confeſſiones tempore concionis.*

15. Confeſſarii ita audiant pœnitentes, ut mutuum aſpectum fugiant: ſic enim attentius & liberius audient. Quod ſi locus non erit ejuſmodi, ut tabula Confeſſarium à confitente dividat, manus interpoſita inter faciem propriam & confitentem, qui ad latus eſſe debet, id præſtabit. Mulierum vero Confeſſiones non audiantur niſi ad crates, etiamſi ſint puellulæ. *Modus in confeſſionibus audiendis.* Decr. 93.§ 12. Cong.7. Ex Inſtruct. pro Conf.

16. In audiendis confeſſionibus, feminarum præſertim, ſeveros potius ſe, quam familiares exhibeant: in univerſum tamen paterna quædam & ſpiritualis gravitas in eis eluceat. *Quales cum mulieribus.*

Eas breviter expediant. Decr. 93. §. 13. Cong. 7. Ex Inſtruct. pro Confeſſ.

17. Eos, qui crebrius confitentur, maxime feminas, breviter expediant; nec de rebus ad confeſſionem non pertinentibus in confeſſione loquantur: extra confeſſionem verò, ſi oportebit eas alloqui, id fiat in loci patenti, nec longum ſermonem miſceant, & oculos modeſte demiſſos habeant.

Socii præſentia. P. 3 c. 1. §. 3.

18. Quando quis à Superiore mittetur ad confeſſiones feminarum audiendas, vel alia de cauſa eas adierit; ſocius, quem Superior ipſi deſignabit, quamdiu cum feminis Sacerdos loquetur, eo in loco erit, unde videre eos, ſed non quæ ſecreta eſſe oportet audire poſſit, quantum loci diſpoſitio patietur: quod ſi non pateretur, curet omnino Sacerdos, ne oſtium ſit clauſum, nec locus obſcurus.

Nullius curam ſuſcipiat. P. 6. c. 3. §. 5.

19. Particularem perſonarum, præſertim feminarum, curam nemo ſuſcipiat: & quamvis Confeſſarius pro ſuo munere in vita ſpirituali pœnitentem inſtituat, nullius tamen obedientiam admittat.

Quid ſi alteri confiteri velint.

20. Si quis uni confiteri ſolitus, ab eodem alium Confeſſarium adeundi facultatem petierit, vel ea non petita adierit; id ſibi gratum eſſe Confeſſarius benignè oſtendat.

Tempus audiendi confeſſiones.

21. Vt ſanitatis etiam ratio ad Dei gloriam habeatur, confeſſiones manè ad horam uſque prandii tantum audiant; ita ut cum ſignum primæ menſæ audietur, ſtudeant ſe ita accommodare, ut ad ſecundam accedant: niſi fortè pœnitentium neceſſitas aliud exigat.

Nil inſcio Superiore petant.

22. Nemini aut petere aut accipere quidquam liceat, ſive ab iis quorum confeſſiones audiverit, ſive ab aliis, quod vel in pauperes diſtribuat, vel alteri ſatisfactionis nomine reſtituat; niſi Superior, cum opus eſſet, ſecus faciendum judicaret.

Neminem ad emittenda vota inducant.

23. Etſi vota ad perfectionis ſtatum pertinentia, ut ſancta laudari debent; & circa ea Confeſſarii conſilium, ſed magna cum conſideratione, dare poſſint; quia tamen non humanam, ſed divinam vocationem requirunt, nemo ad ea emittenda quemquam inducat; verum ad orationem tales hortetur, ut à Deo adjuti, vocationem ſuam melius intelligant & exequantur.

Quid cum propenſis ad Religionem.

24. Si quos viderint ad Religionem propenſos, non facile ad unam potius quam ad aliam, ad hoc quam ad illud Monaſterium invitent; ſed liberam illis ſuam electionem relinquant. Poterunt tamen petentibus conſilium,

lium, eas Religiones vel Monaſteria proponere, quæ illis magis commoda in Domino judicaverint.

25. Nullus eis, quorum audit confeſſiones, certum veſtimenti genus, hunc aut illum habitum, vel colorem præſcribat: tametſi omnes ad honeſtum & ſuo ſtatui convenientem veſtitum hortari poſſint. *Nullis habitum certum præſcribat.*

26. Vt pium eſt ad frequenter communicandum fideles exhortari; ita quos ad id propenſos viderint, admonere debent, ne crebrius, quam octavo quoque die accedant; præſertim ſi matrimonio ſint conjuncti. *Communio ſæcularibus quando permittenda.*

27. Admoneat eos qui ſibi confitentur, à Dominicâ Palmarum ad Dominicam in Albis incluſive, eo tempore (niſi aliud conſuetudo loci poſtulaverit) debere ſemel in ſuâ Parochiâ communicare; exceptis peregrinis, & iis qui facultatem haberent, & reliquis, quos jus excipit. *Communio in Paſchate.* P.7.c.4.lit. D.

28. Qui vocantur ad juvandos eos, qui morti vicini ſunt, ea in promptu habeant, quæ eo tempore, in quo tantum eſt momenti, uſui eſſe poſſint; tamdiuque illis adſint, quamdiu ſola neceſſitas poſtulabit. Ceterum etſi cum opus eſt, ægrotos ad condenda teſtamenta hortari conveniat, iis tamen conficiendis non aſſiſtant. *Quomodo cum moribundis ſe gerant.* P.4.c.8. §.7.& lit.G.

REGVLÆ CONCIONATORVM.

1. REGVLÆ quæ Sacerdotibus propoſitæ ſunt, eas ſibi Concionatores in primis commendatas exiſtiment; nec minore curâ, quàm ceteri obſervent. *Sacerdotum Regulas obſervent.*

2. Memores ſint vocatos ſe eſſe ad reducendas animas ſuo Creatori: quod cùm ſit opus omnium difficillimum, ſummo ſtudio media illa adhibeant, quæ inſtrumentum cum Deo conjungunt: ejuſmodi ſunt ſolidæ virtutes, ac præcipuè caritas, pura intentio Divini ſervitii, familiaritas cum Deo in ſpiritualibus devotionis exercitiis, & zelus ſincerus animarum ad gloriam Divinæ Majeſtatis. *Media ſibi conferentia ad id muneris.* P.10.§ 2.

3. Enitantur cum DEI gratiâ eſſe ceteris exemplo: ut non minus vitâ, quam doctrinâ, ad omnem virtutem proximos alliciant. *Sint ceteris exemplo.* P.7.c.4.§.2.

Sacræ Scripturæ & Patribus vacent. P.4. c. 8. lit. B & F.

4. Lectioni ſacræ Scripturæ, ac Patrum præcipuè incumbant. Conferet etiam peculiari ſtudio vidiſſe Evangelia toto anno currentia, & in eis ea, quæ uſui eſſe poſſunt, adnotaſſe : itemque compendium feciſſe explicationis rerum ad fidem & Chriſtianam vitam neceſſariarum; atque in communes locos redegiſſe omnia, quæ ad virtutum commendationem, & peccatorum deteſtationem pertinent.

Quæ ad bene concionandum juvabunt. P.4. c.8. lit. C.

5. Conferet vidiſſe præceptiones, ſi quas de modo concionandi illi tradunt, qui benè hoc munus obierunt; bonos audiſſe Prædicatores, & in concionibus Domi, vel in aliis locis minus frequentibus, ſe exercuiſſe.

Corrigi optent. P.4. c.8. lit. C.

6. Optare debent, ut admoneantur, ſi quid in concione corrigendum videbitur iis, qui à Superiore ad id deputati fuerint; & humili, & grato animo id accipere.

Parati ſint ad pueros & rudes inſtruendos. In 1. Bul. noſtri inſtit. & p.5. c.3. lit. B. & p.7. c.4. §.9.

7. Ita operam ſuam in celebrioribus concionibus libenter impendant, ut non minus ſe ad docendos pueros & alios rudes inſtruendos, faciles & paratos exhibeant.

Alii volenti concionari cedant.

8. Si quando occaſio tulerit, ut alius eodem tempore concionari velit; quantum in ipſis erit, libenter cedant.

Utilitatem auditorum curabunt. P.4. c.8. §.3. lit. B.

9. Ea populo proponant, quæ ad captum, & utilitatem auditorum erunt accommodata; iisque inſiſtant, quæ ad Chriſtianam inſtitutionem, atque ad extirpanda vitia, & virtutes inſerendas valent: & à rerum ſubtilium curioſâ tractatione ſe abſtineant.

Quæ commendare debeant. In ult. reg. libri Exerc. regul. 2. Ib. reg. 7. Ibid. reg. 3. Ibid. reg. 6. Ibid. reg. 10.

10. Commendare debent Confeſſionis & Euchariſtiæ frequentem uſum, in bonis operibus profectum, & perſeverantiam, Eccleſiaſticarum cærimoniarum obſervationem, & cetera, quæ ad cultum Divinum pertinent, eamque obedientiam, quæ Principibus & Prælatis, qui Dei in terris vices gerunt, exhibenda eſt.

11. Commendabunt etiam peculiari ratione pœnitentiæ & miſericordiæ opera, ſanctarum precum & aliarum piarum devotionum exercitia, utilium librorum lectionem, & bonam filiorum educationem.

Neminem in particulari reprehendant.

12. Cum experientia doceat, & ſanctæ memoriæ Pater IGNATIUS ſcriptum reliquerit, nihil utilitatis percipi ex iis concionibus, in quibus Principes & Magiſtratus Reipublicæ, Prælati, & alii Eccleſiaſtici in particulari reprehenduntur; Concionatores noſtri ab hujusmodi reprehenſionibus abſtineant.

13. Ca-

13. Caveant, ne Religioſos aliorum ordinum, quos revereri & obſervare debent, etiam tacitè videantur reprehendere. Et quamvis noſtros ad majores in virtute progreſſus excitare poſſint, præſertim in domeſticis exhortationibus; reprehenſionem tamen alicujus particularis, vel ipſius Societatis, ne attingant. *Nec tacite religioſos, &c.* P.3.c.1.lit.S.

14. Ne rumoribus populi moveantur, ut nova & parum confirmata in publicum afferant; & multo minus ea populo proponant, quæ alioqui dubia & incerta ſunt. *A dubiis & incertis abſtineant.*

15. Curent, ut rationem, & modum, quem obſervare debent in rebus populo denuntiandis, & certis pauperibus, aliisque piis operibus commendandis, à Superiore accipiant. *Modus res denuntiandi, &c.*

16. Caveant omnino, ne facetiis aut inutilium rerum narratione concionem contemptibilem faciant, iisve Auditores ad riſum moveant; vel contra, ut ad fletum excitent, ſpectanda aliqua populo proponant, a communi in Societate concionandi conſuetudine aliena, niſi in aliquo peculiari caſu ad communem ædificationem pertinere Superior, pro ratione loci, judicaret. *Facetias & inutilia fugiant.*

17. Ea quæ dicturi ſunt, diligenti præmeditatione, & peculiari ad Deum recurſu (quatenus per tempus licebit) paranda erunt. *Dicenda præmeditabantur.*

18. Caveant arrogantiam & oſtentationem in concione: humilitatemque, cui ex intimo cordis affectu ſtudere debent, in omni actione præ ſe ferant. Quod ſi aliquid pro ſe, aut Societate cogantur reſpondere, ea modeſtia ſatisfaciant, ut cauſam Chriſti, non ſuam, agere videantur. *Arrogantiam & oſtentationem fugiant.*

19. Modus concionandi (qui a ſcholaſtico diverſus eſſe debet) ita ſit ad docendum comparatus, ut ad animorum motum præcipuè dirigatur. Cumque quæſtio aliqua earum, quæ ad fidem aut mores pertinent, modo aliquo tractanda erit, non ita exacte proponantur argumenta, quibus contraria pars confirmatur, (niſi auditorium id poſtulet) ut ſimpliciores ipſo proponendi modo offendi poſſint; ſed eo pacto res exponatur, ut illi ex data explicatione ſolutionem eorum, quæ ſibi in mentem venerint, aut ab aliis audiverint, facile colligant. *Motus animorum præcipue ſpectandus.* P.4. c.8.§.3.

20. Ne ſint affectati, aut verborum lenocinia ſectentur: nec ſtudio politioris ſermonis eos libros habeant familiares, ex quorum lectione detrimentum in ſpiritu accipiant, & ſæculare aliquid redoleant. *Verborum lenocinia fugiant.*

21. In

Ab exaggerationibus abſtineant.

21. In laudibus & reprehenſionibus à nimiis exaggerationibus, & ab omni ſpecie adulationis abſtineant.

Modeſtia vocis & geſtus.

22. Geſtus corporis ſit modeſtus, & in quo gravitas quædam religioſa præcipuè eluceat: vocemque accommodent ad res, quas tractabunt: proinde eam, ubi non eſt opus, ne præter modum extollant aut deprimant.

Horæ ſpatium ne excedant.

23. In concionibus & lectionibus templi, ſpatium horæ ne excedant.

De iis, qui foris concionantur. Dec.93.§.8. Cong.7.

24. Qui in loca etiam remotiora concionaturi mittuntur, præter equum ſuum & Socii, tertium pro ſarcinis ne addant. Cumque extra Collegia concionantur, victum potius, quam pecuniam pro victu, accipiant; idque apud Eccleſiaſticum, vel alium honeſtum civem, vel convenienti aliquo Religioſis loco. Sit vero victus tenuis & parcus, ut Religioſos decet. Viaticum porrò non niſi neceſſarium pro ſolo itinere admittant.

REGVLÆ EORVM QVI IN MISSIONIBVS VERSANTVR.

Scopus Societatis. In decl. procem. I. 4.p.lit.A.& p. 6. c.3.§.5.

CVm ſcopus, ad quem tendit Societas, ſit varias mundi partes ex obedientiâ Summi Pontificis vel Superioris Societatis peragrando, verbum Dei prædicare, confeſſiones audire, & reliquis quibuscumque poterit mediis uti ad animas, divina aſpirante gratia, juvandas; quicumque in hujusmodi miſſionibus verſantur, ſibi perſuadeant, rem maximi ponderis in Societate ſibi commiſſam eſſe, atque ita ſe comparare ſtudeant, ut apta DEI inſtrumenta ad rem tantam eſſe poſſint.

Indifferentia. P.3.c.2. lit. G. & p.7.c.1.§.1.& c.4. §.1.

2. Quia vocationis noſtræ eſt vitam agere in quavis mundi plaga, ubi majus Dei obſequium, & animarum auxilium ſperatur; unusquisque para-

paratus eſſe debet, ut in eâ vineæ Chriſti parte atque opere ſe exerceat, quod ipſi commiſſum fuerit, ſive per varia loca diſcurrendo, ſive in quibusdam continenter reſidendo.

3. Unusquisque plenam in his ac liberam ſui diſpoſitionem Superiori, qui eum Chriſti loco dirigit, relinquat: poterit tamen motus animi aut cogitationes, quæ in contrarium occurrunt, illi proponere, ſubjiciendo ſuum ſentire & velle ei quod ipſe in Domino judicaverit. *Libera ſui diſpoſitio.* P. 7. c. 2. §. 1. Ibid. lit. K.

4. Ei qui mittendus erit plurimùm conveniet, ut intelligat à Superioribus ſcopum ſuæ miſſionis, & effectum, cujus gratiâ mittitur: id quod in ſcriptis, ſi fieri poteſt, habere curabit. *Finem miſſionis à Superiore intelligat.* P. 7. c. 1. §. 5.

5. Cùm oppidatim miſſi fuerint ad fructificandum in agro Domini, dabunt operam, quoad fieri poterit, ut more pauperum Evangelium prædicent: proinde & pedites, vel in toto vel in parte, iter facient, ſi eos Superior id præſtare poſſe judicaverit; & ex eleemoſynis, vel oblatis vel cum ædificatione emendicatis, vivent; niſi alia ipſis à Superiore ſuſtentationis ratio ſit conſtituta. *Modus ſervandus cùm oppidatim mittuntur.* P. 7. c. 2. lit. G. Can. 12. Cong. 3.

6. Si nullum eis à Superiore deſignatum fuerit hoſpitium, intelligant ſibi ad aliquod hoſpitale, tamquàm ad hoſpitium pauperum, eſſe divertendum: ſi tamen honeſtum id ſit, atque ad exercenda ex eo miniſteria Societatis accommodatum: alioqui convenientius erit, ut in domum pii alicujus & exemplaris Eccleſiaſtici, aliumve ejusmodi locum ſe recipiant, in quo cum ædificatione manere poſſint. *Ad quos divertendum.*

7. Cùm ingreſſi fuerint loca ea in quibus Ordinarii reſident, eos quàm primum adeant, ſuamque operam illis ſubmiſsè offerant, & facultatem ad exercenda Societatis miniſteria modeſtè ac religiosè petant: eosque omnes tam Eccleſiaſticos, præcipuè Parochos, quàm ſæculares, quorum auctoritate aut favore opus habent, benevolos ſibi facere ſtudeant. *Ordinarium primùm adeant.* P. 10. §. 11. & lit. B.

8. Cùm eò pervenerint, ubi diutius immorari debent, prudenter ac maturè operam dabunt, ut notitiam habeant probatorum virorum, & pietate ac rebus agendis inſigniorum, quorum informatione vel auxilio juvari poſſint ad miniſteria Societatis majore cum fructu animarum exercenda. *Agnoſcant qui eos juvare poſſunt.*

9. Qui in Miſſione Superior erit, initio ſuſcipiendorum operum, vel quando major ſubſidii neceſſitas cernitur, (quod res magni momenti ſint, vel difficultates graves incidant) applicabit, curabitque applicari Miſ- *Orationes pro miſſionibus.* P. 7. c. 2. lit. M. & c. 4. §. 3.

ſas & orationes, ut omnia cedant ad majorem Dei gloriam, & proximorum utilitatem.

In quibus ſe exercebunt. P. 7. c. 3. §. 2. Ibid. lit. A.

10. Si iis qui mittuntur, non fuerit injunctum, ut medio aliquo utantur limitato, quale eſſet vel legere vel prædicare, &c. in iis tantùm ſe exercebunt, quibus Societas uti ſolet, juxta Conſtitutiones: conferre tamen illa cum eo Superiore, qui eis propior fuerit, ſemper erit ſecurius.

Quibus mediis ſpiritualibus utentur. P. 4. c. 8. & p. 7. c. 4.

11. Media ſpiritualia, quibus juxta inſtitutum Societatis, & beneplacitum Superioris uti poterunt, ferè ſunt miniſterium verbi Dei in prædicationibus, ſacris lectionibus, privatisve exhortationibus, & colloquiis; Sacramentorum Confeſſionis & Euchariſtiæ adminiſtratio; Exercitiorum ſpiritualium traditio; diſſidentium reconciliatio; caſuum conſcientiæ ad Eccleſiaſticos, eorumque officii magis privata explicatio; & Chriſtianæ doctrinæ ad pueros ac alios rudes publica declaratio.

Corporalibus pietatis operibus vacandum. P. 7. c. 4. §. 9.

12. Corporalibus etiam pietatis operibus, quantùm ſpiritualia permittent & vires patientur, incumbere poterunt, ut infirmos, præcipuè in Xenodochiis, per ſe vel per alios juvando, & pauperes ac in cuſtodiis detentos, quatenus licebit, eodem modo ſublevando.

Ab humilioribus miniſteriis inchoandum.

13. Etſi certus ordo in noſtris miniſteriis exercendis præſcribi non poteſt; plerumque tamen utilius erit & ſecurius ab humilioribus inchoare, ut à doctrinâ Chriſtianâ pueris explicandâ, ab ægrotis hoſpitalium inviſendis, eorumque & aliorum magis indigentium confeſſionibus audiendis.

Divina media præcipuè adhibenda.

14. Quamquàm humana media non ſolum ſpernenda non ſunt, ſed etiam cùm opus eſt, prudenter & religioſe adhibenda; divinis tamen, & noſtri inſtituti magis propriis præcipue utendum eſt, in eiſque magis fidendum, orandusque Deus, ut iis omnibus det eam efficaciam, quæ ſit propoſito fini conſequendo neceſſaria.

Omnibus omnia fiant.

15. Juxta eam caritatis regulam, quâ ſe Apoſtolus omnia omnibus faciebat, ut omnes lucrifaceret, expediet nonnumquàm ut ingenio eorum, cum quibus agent, initio ſe attemperent (quatenus ratio & virtus ferent) ita tamen ut meminerint ad id tandem eos cum Dei gratiâ perducere, quod illis in Domino magis conferre judicabunt.

Animi magnitudo.

16. Eam animi magnitudinem & æquabilitatem retinere ſtudeant, ut & proſperis ſucceſſibus & adverſis ſuperiores ſint; quò nullo eventu fracti, nec religioſæ modeſtiæ, nec ſanctæ libertatis, nec bonæ de ſe conceptæ

exi-

exiſtimationis , quæ ad fructum colligendum neceſſaria eſt , quidquam amittant.

17. Si quos erga ſe , aut ſocietatem male affectos eſſe intellexerint (præſertim non vulgaris auctoritatis homines) aut qui noſtra miniſteria impediant, non ſolùm pro eis orabunt; ſed etiam convenientem aliquam rationem inibunt, ut eos amicos, aut ſaltem non adverſarios faciant. Ad quam rem non parum conferet, ſi datâ occaſione, Inſtituti noſtri rationem illis exponant, nullumque officii genus prætermittant, quo illos, cùm opportunum fuerit, ſincere ac religiose demereri & conciliare poſſint. *Quid cum malè affectis erga Societatem faciendum.* P. 10. lit. B.

18. Si quando Prælatum aliquem in viſitandâ diœceſi comitabuntur, nihil ſe in negotiis ad viſitationem ſpectantibus, aliisve id genus ad juriſdictionem pertinentibus immiſceant: ſed iis tantùm miniſteriis attendant, quæ ſunt noſtri inſtituti propria. *Alienis à noſtro inſtituto ne ſe implicent.* P. 4. c. 11. §. 3.

19. Quamvis optare debent, ut in ſuâ quisque vocatione proficiat, æquumque eſt, ut pro ſuo munere ad eam rem omnes hortentur; nullam tamen reformandi Cleri, aut Monialium, aliorumve Religioſorum curæ partem admittant: ſic enim fiet, ut & munus ſuum ſine impedimento exequi, & populum ad uberiorem fructum ex viſitatione percipiendum ſine offenſione diſponere poſſint. *Nullam reformandi Cleri curam admittant.* P. 6. c. 1. §. 5.

20. Cùm præter id quod eis fuerit peculiari ratione injunctum, res aliqua divini ſervitii ſe obtulerit, in quâ poſſint ſine detrimento ſuæ Miſſionis ſuam operam ponere; opportunitatem, quam Deus ad eam dederit, quantùm in eodem convenire judicabunt, è manibus elabi non ſinent. *Occaſiones divini ſervitii non omittant.* P. 7. c. 1. §. 7.

21. Si in locis deſignatis diutius reſidendum erit, locumque dederint præcipua negotia (quæ numquàm propter alias occaſiones, licet bonas, Divini obſequii poſthabebunt) excurſiones aliquas facere, ſi eas cum fructu fore judicabunt, non erit inconveniens. *Excurſiones facere licebit.* P. 7. c. 1. §. 7.

22. Sine facultate Superioris nulli Confraternitati, Congregationive ſtatuta condent, ſeu vetus illa ſit, ſeu nova inſtituendâ videatur. De novà autem inſtituendâ, & quæ nullibi ſit in uſu, non priùs agent, quàm Superiorem conſulant. *Congregationibus ſtatuta non condent.*

23. Quæ Deo auctore perficient, ea quantùm licebit, ita conſtituant, ut ſtabilia ſint, & diu durare poſſint.. Quod faciliùs obtinebunt, ſi res convenienti ordine diſponant, earumque bonum progreſſum iis commendent, *Quomodò cœpta conſtituant.*

quorum exemplo, auctoritate, ſtudio, & diligentiâ, facile conſervari & promoveri posſint.

Quoties,& ad quem ſcribendum. Can.28.Congr.2. P.7.c.2.§.2. 24. Scribent ad eum, quem deſignaverit ille à quo misſi ſunt, ſingulis hebdomadis, vel quoties ipſis fuerit conſtitutum; &.quantum fieri poteſt, totius ſucceſſus eum certiorem reddant, quemadmodùm perſonæ & negotia exegerint, ut conſilio & aliis auxiliis juvari posſint.

Propriæ perfectionis ſint memores. P.3.c.1.§.20. 25. Cùm propter nullas occupationes intermittendum ſit propriæ perfectionis ſtudium, diligenter animadvertant, ne prætextu procurandæ aliorum ſalutis,propriæ perfectionis obliviſcantur,ipſamque propriam ſalutem ea ratione in diſcrimen adducant: ſed ſæpe illud Domini mente revoluant, Matth. 16,26. *Quid prodeſt homini,ſi univerſum mundúm lucretur, animæ verò ſuæ detrimentum patiatur?* ſibique illud D. Pauli unusquisque dictum exiſtimet; 1.Timoth.4,16. *Attende tibi, & doctrinæ, inſta in illis: hoc enim faciens, & te ipſum ſalvum facies, & eos qui te audiunt.*

Spiritualia in Collegiis conſueta non imminuant. 26. Hanc ob rem caveant, ne conſueta in Collegiis ac Domibus orandi,& examinandæ conſcientiæ exercitia imminuant, niſi ſi quando necesſitas, aut in eventu aliquo caritas aliud faciendum poſtularet. Converſationem cum ſæcularibus nimiam non habeant,aut incautam,aut quæ ſæcularem ſapiat; ſed in omnibus ſe integritatis & gravitatis exemplum præbeant: P.7.c.4.§.2. atque in ſumma Regularum Societatis, ſive earum quæ omnibus communes ſunt, ſive quæ ipſorum officii propriæ,quantùm locus patitur, obſervationem non prætermittant.

Inſtructiones inſuper obſervanda. P.7.c,2.§.2. 27. Præter hæc, ſi pro ratione diverſarum regionum, & Misſionum qualitate, alia quædam à Superioribus conſtituenda videbuntur; ea in peculiaribus inſtructionibus addita,pari diligentiâ obſervanda erunt.

REGULÆ PROCVRATORIS GENERALIS.

Quæ ſibi ſervanda. 1. IN omnium negotiorum tractatione perpetuò memor ſit inſtituti Societatis, quæ Dei omnipotentis gloriam quærens, profectui animarum invigilat. Ipſe igitur verbo & exemplo eos omnes ædificet, quibuscum

cum verſatur: & in his quæ ad officium ſuum ſpectant, fidelitatem, prudentiam, & dexteritatem habere ſtudeat; atque eos ſibi benevolos conſervet, quorum operâ ad negotia peragenda indiget. P. 9. c. 6. §. 12.

2. Ad eum pertinent negotia omnia ad expeditiones, lites, & quoſvis contractus ſibi à Generali commiſſos ineundos ſpectantia, quæ ad univerſæ Societatis Collegia, vel Domos ejus, vel etiam ad particulares perſonas pertinebunt. *Negotia ad eum pertinentia.* P. 9. c. 6. §. 12. & p. 4. c. 2. lit. E.

3. Superintendat non ſolùm iis, quæ à Procuratore & Sollicitatore externo curantur, ſed etiam ſociis, qui illi dabuntur adjutores, quòd ad negotia attinet. Qui licet in iis, quæ ad ſuum officium non pertineat, ſub Vicepræpoſiti & Miniſtri Domus obedientiâ eſſe debent quoad diſciplinam domeſticam, eos tamen poterit cùm ipſius poſtulabit officium, & recreationis etiam causâ foras mittere. Nam ad alia quævis negotia non ad Procuratorem pertinentia ſi ipſis exeundum erit, non niſi de P. Vicepræpoſiti licentiâ facient, ſicut Socii Secretarii: & ſi qui Romæ fuerint Procuratores Societatis rerum particularium, vel etiam Provinciarum, ab ipſo dirigentur, prout Generali videbitur. *Quibus ſuperintendet.* P. 9. c. 6. §. 12. lit. H.

4. Nihil, quod ad expeditiones, lites, aut graviora negotia pertineat, incipiet agere, niſi à Præpoſito Generali per ſe vel per alium approbatum ſit, & ei commiſſum ut exequatur. Quòd ſi Generalis rem conſultatione indigere judicabit, ſollicitet ut maturè de eâ ſtatuatur, præcipuè ſi res feſtinatione egere videatur. Si quid autem ex iis, quæ ſtatuuntur, ipſi videretur non convenire, proponat ſuam ſententiam & rationes quibus movetur. *Quæ inconſulto Generali non inchoabit.* P. 9. c. 3. §. 16.

5. Illud verò præcipuè ante oculos habeat, ut ante quàm litem ullam intendat, res controverſa (ſi fieri poſſit) concordiâ aut compromiſſione componatur: ſi quando tamen ad litem deſcendendum erit, memor ſit ut magnam pacem interiùs exteriusque cuſtodiat, & ſemper ad juſtam concordiam ſe paratum eſſe, contrariæ parti innoteſcat. *Vt lites componat.* Can. 26. Congr. 2.

6. Curet diligenter, ut rectè & ſolidè fiant, quæ expedienda, vel aliâ ratione agenda erunt. Quòd ſi periti juris aut Curiales conſulendi ſint, maximè idonei eligantur: idem de officialibus, per quos res eſt tranſigenda, intelligatur. *Vt negotia expediantur.*

7. Conferat cum Præpoſito Generali, eique reddat rationem eorum quæ facit, & quo in ſtatu ſint negotia; aut illi qui à Præpoſito deſigna- *Generalem de ſtatu negotiorum admoneat.*

 bitur.

bitur. Quòd ſi rerum difficultas extraordinarium favorem aut diligentiam exigere videatur, eidem ſignificet, & auxilia, quæ opportuna viſa erunt, petat.

Eos etiam ad quos pertinent. 8. Rationem quoque reddet ſtatus negotiorum, eorumque proſecutionis vel expeditionis, iis, qui de negotiis ſcribunt: ſuas verò litteras legendas dabit illi Aſſiſtenti, ad cujus Provinciam negotia pertinebunt.

Libros habeat rationum. P. 4. c. 2. §. 5. 9. Rationum libros conficiat, in quibus ſigillatim omnia quæ recepit, ſcribantur, & quas pecunias quibus in rebus expenderit, ut tam clara & diſtincta ratio dati & accepti ſit, ut ipſo etiam abſente ſupputari poſſit, quid ſingulæ Provinciæ, Domus, Collegium, aut particulares perſonæ dederint aut debeant Procuratori, aut quid eis à Procuratore debeatur. Quod ut commodiùs obſervetur, ſingulis ſaltem annis ad Nativitatis Dominicæ feſtum rationum omnium ſummam colliget, & ſcribet, atque ad eos, quorum intererit, mittet. Si quid autem pecuniæ ſupererit, eisdem ſignificabit, ut pro ipſorum arbitrio de eâ diſponatur. Porrò tertio quoque anno rationem reddet accepti & expenſi ei, quem Præpoſitus Generalis deſignarit.

Liber beneficiorum Collegiis unitorum. 10. Librum habeat, in quo ſcribat beneficia omnia Eccleſiaſtica, quæ ſingularum Provinciarum Collegiis ſunt unita: & horum etiam catalogum, ubi tempus in quo fuit facta unaquæque unio & valor etiam annotetur: animadvertatque, ut antequàm adveniat dies præſcriptus ſolvendi quindennia, Rectores Collegiorum, ad quæ hujusmodi uniones pertinent, diligenter admoneat, ut opportuno tempore pecunias Romam mittant.

Vnde neceſſarii ſumptus ſolvantur. P. 4. c. 2. lit. E. 11. Curet ut à Provinciis mittantur pecuniæ, quas contribuere debent ad ſumptus neceſſarios in Procuratores, & cùm opus fuerit, in Advocatos, latores litterarum, & alios ſimiles faciendos; utque Romæ ſint eo tempore, quo illis ſunt ſolvendæ: eademque diligentiâ, quæ ſibi deberi ex libro rationum colliget, ut reddantur curabit.

Quandò litteræ bancariæ mittendæ. 12. Cùm pecunia Procuratori ad negotia conficienda tranſmittetur, ſi tantùm litteræ bancariæ, quæ de credito dicuntur, mittantur, nihil capiat, niſi quantum, & quando pro negotio conficiendo opus erit: ſi verò bancariæ litteræ ad certam aliquam ſummam quæ jam alibi ſoluta eſt, capiendam miſſæ fuerint, & ea ipſa jam jam ad negotia expedienda erit neceſ-

neceſſaria, ne tum quidem à mercatore, præſertim locuplete & ſpectatæ fidei educatur, donec numeranda ſit: ſi verò non tam citò erit neceſſaria, vel de fide mercatoris non tam certò conſtaret, primo quoque tempore ab eo acceptâ pecuniâ, eam ſi alicujus momenti fuerit, reponat in arcâ ſub duplici clavi, quarum alteram ipſe, & alteram diverſam ſocius habeat.

13. Scripturas, bullas, & brevia authentica, quæ in Archivio conſervantur, non niſi exigente neceſſitate accipiet; acceptas verò, quàm primùm commode poterit, reddat: ceteras autem ſcripturas, Procuratoria inſtrumenta, litteras negotia continentes, quamdiu neceſſaria fuerint; & demum quæcumque ad officium ejus pertinent, & quæ nec perpetuo neceſſaria ſunt, nec ſemper ſervanda erunt, ipſe cuſtodiat ordinatè & diſtinctè, facto eorum omnium inventario; cubiculumque ſit clavi obſeratum. *Quas ſcripturas, & quando ex Archivio accipiet.*

14. Informationes ad ſe miſſas in omnibus expeditionibus habeat præ oculis, ut ad eas omnino ſupplicationes conformentur: deinde animadvertat, ut bullæ & brevia, quæ expediuntur, cum ſupplicationibus concordent. *Circa informationes, & ſupplicationes.*

15. In librum referat ſummam omnium negotiorum, quæ ei commendantur: reſque majoris momenti, quæ in eorum progreſſu peragentur, ibidem brevi ac dilucido ordine conſcribat. *Liber negotiorum.*

16. Exempla litterarum, quas ad varias Provincias & loca ſcribit de negotiis, in librum peculiarem referat: & cùm memorialia, informationes, ſupplicationes, vel alia ſcripta alicujus momenti aliis dabit, exemplum eorum apud ſe ſervet. *Habeat regiſtra litterarum, &c.*

17. Regulas Cancellariæ habeat, bullaſque & brevia quæ à Summo Pontifice fiunt, emat: in eiſque animadvertat, quid novi contineatur. Quod ſi in Cœnæ Domini Bullâ aliquid adderetur, aut mutaretur, eam ſtatim ad omnes Provincias tranſmittat: motus etiam proprios univerſales, conſcio tamen Præpoſito Generali, Provincialibus mittet. *Regulas Cancellariæ & bullas novas emat.*

18. Cùm Præpoſitus Generalis adire voluerit creatum novum Pontificem, ut juxta Conſtitutiones Suæ Sanctitati Obedientiam, votumque Societatis declaret; redigat illi Procurator in memoriam, ut videat an expediat ab eo impetrare confirmationem gratiarum & privilegiorum Societatis. *Quid poſt creatum Pontificem, &c.* *P. 7. c. 1. §. 8.*

19. Sub-

In quibus ſubditus erit Rectori Collegii.

19. Subditus ſit Superioribus Collegii, præterquam in iis, quæ ad ſui officii executionem ſpectant.

REGULÆ
PROCVRATORIS
DOMVS PROFESSÆ.

Qualis eſſe debeat.

1. IN omnium negotiorum tractatione perpetuo memor ſit inſtituti Societatis, quæ Dei omnipotentis gloriam quærens, profectui animarum invigilat. Curet igitur ipſe verbo & exemplo, præſertim humilitatis & patientiæ, eos omnes ædificare, quibuscum conſervatur, atque eos ſibi benevolos conſervare, quorum operâ ad negotia peragenda indiget; & cùm oportuerit, de inſtituti noſtri ratione illos informet.

Circa eleemoſynas quærendas. P. 6. c. 2. §. 10.

2. Quærat diligenter eleemoſynas, easque ſimpliciter, & amore Domini petat, nec non & eas augere ac conſervare ſtudeat, opportuneque eos viſitet, à quibus petendæ erunt.

Catalogus facientium eleemoſynas.

3. Habeat catalogum eorum, qui ordinarie & extraordinarie eleemoſynas faciunt, & de his certiorem faciat Superiorem; ac videat ne ſuâ negligentiâ aliquos prætermittat, quorum beneficio Domus juvari poſſit.

Modus eas petendi.

4. Animadvertat, quid, à quibus petere debet, juxta id quod unusquisque faciliùs, & commodiùs ſuo tempore dare poſſit: & caveat ne in petendis eleemoſynis gravis vel moleſtus externis ſit; ita ut ad eos, cùm oportuerit, gratus ſemper pateat aditus noſtrorum.

Officii ſocium. P. 6 c. 2. §. 10.

5. Habeat ſocium à Superiore deſignatum, cujus operâ utatur in his quæ ad ſuum officium pertinent, præter alium (ubi opus erit) qui in virtute & converſatione probatus poſſit eleemoſynas ordinarias per domos colligere.

Eleemoſynas quotidie ſcribat.

6. Procuratoris erit quascumque eleemoſynas recipere, & quæcumque afferuntur domum, in libro quodam ad id deſignato quotidie ſcribere.

Eas non accipiat pro miniſteriis Societatis. In Exa. c. 1. §. 3. & p. 6. c. 2. §. 6. & 7.

7. Videat in quærendis vel admittendis eleemoſynis, ne præjudicium fiat puritati noſtri inſtituti, quod attinet ad ejus miniſteria gratis omnino exercenda.

8. Pe-

8. Pecunia undecumque provenerit, ſi alicujus momenti fuerit, judicio Superioris, in arcâ reponatur ad id deſignatâ. Hujus Præpoſitus clavem unam, & ipſe Procurator alteram diverſam cuſtodiat: in eadem liber aſſervabitur, in quo ſcribetur pecuniæ ſumma, tam ejus quæ infertur, quam ejus quæ effertur. Si quando autem cogente aliquâ neceſſitate pecunia in arcam non inferretur, nihilominùs accepti & expenſi ſumma ſemel in hebdomadâ in eodem libro ſcribatur, ac ſi in eâ reponeretur. *Arca pecuniarum, & liber.*

9. Quoties ex arcâ pecuniam accipiet, ejus ſummam & diem in libro ſuarum rationum adſcribat; in altera verò parte libri, expenſi ratio conſtet. *Scribat pecuniam ex arcâ acceptam.*

10. Procurator in libro ad hoc deſignato, quem penes ſe habere debet, ſcribat omnia quæ unusquiſque Novitiorum Domum attulerit, cum ejuſdem ſubſcriptione; & ea cuſtodi veſtium aſſervanda tradat, niſi ſit pecunia, quam ſeparatim cuſtodiet in arca, ubi pecuniæ domus reponuntur, donec biennio expleto Novitius conſueta vota Societatis emittat. *A novitiis allata, aſſervari debent.* In Exa. c. 4. §. 4. & p. 2. c. 4. §. 6.

11. Singulis menſibus dati & accepti rationem Superiori reddet, & debita etiam indicabit, quo ipſe Domus ſtatum prorſus intelligat. *Superiori rationem reddet.* P. 4. c. 2. §. 5.

12. Diligenti cura aſſervabit in Archivio ad hoc deſignato inſtrumenta originalia, & titulos quibus conſtat de jure eorum, quæ Domus ad uſum & propriam habitationem poſſidet, ſuis locis repoſita, ut facile inveniri poſſint. Archivii autem duæ claves diverſæ erunt, quarum alteram Præpoſitus, alteram ipſe habebit Procurator. *Quæ in archivio Domus aſſervabit, & quot claves.*

13. Item ſeorſum habebit hæc eadem inſtrumenta & titulos manu Notarii publici ſubſcriptos; ut fidem faciant, ſi aliquando in judicio præſentari neceſſe ſit. *Habeat etiam authentica.*

14. Præter hæc Procurator librum habebit, in quo ſumma quædam horum inſtrumentorum & titulorum contineatur. Cùm autem contractus majoris momenti, præſertim rerum perpetuarum fient, redigat in memoriam Præpoſito ad archivium, quod eſt in Urbe penes Præpoſitum Generalem, eorum exempla authentica mittenda eſſe. *Liber Inſtrumentorum, &c.*

15. Cubiculum clavi obſeratum habeat, & aſſervabit ſcripturas, quibus ad Procuratorium munus indigebit; cumque alias ex Archivio accipiet, earum in libro, qui in eodem Archivio erit, annotato die, menſe, & anno, me- *Cubiculum clavi obſeratum habeat.* *Quæ ſcripta apud ſe aſſervabit.*

memoriam relinquet; quas, cùm ſuo tempore reſtituet, ex eodem libro expunget.

Res bonas & opportuno tempore emi curet. 16. Cùm toti domui neceſſaria providere ipſe debeat, juxta Superioris ordinem, curet ut res omnes, præcipuè diù duraturæ, quàm opportunè emantur; ne aut non perinde bonas, aut non æquo pretio cogatur comparare: caveat etiam ne, dum nimiùm pecuniæ parcit, non bonas, aut inſalubres res emat.

Emptori pecunias dabit, ab eo quotidie rationem exiget. 17. Emptori pecunias ad quotidianos ſumptus ſubminiſtrabit, à quo ſingulis diebus expenſarum exiget rationem ex codice; ſummam verò in librum ſuum ipſe referet.

Curabit res emptas conſervari. 18. Videat num ea, quæ empta ſunt, illæſa conſerventur; atque animadvertens aliqua, non ut oportet conſervari, aut expendi, Superiorem vel miniſtrum admoneat.

REGULÆ PROCVRATORIS COLLEGII, ET DOMUS PROBATIONIS.

Qualis eſſe debeat. 1. IN omnium negotiorum tractatione perpetuò memor ſit inſtituti ſocietatis, quæ Dei omnipotentis gloriam quærens, profectui animarum invigilat. Curet igitur ipſe verbo & exemplo eos omnes ædificare, quibuscum converſatur; atque eos ſibi benevolos conſervare, quorum operâ ad negotia peragenda indiget.

Res temporales curet. P. 3. c. 2. §. 7. 2. Procuratoris erit conſervare res temporales ſuæ curæ commiſſas, & eas curare, tamquàm bona propria Domini Noſtri IESV Chriſti. Cùm autem toti Collegio neceſſaria providere ipſe debeat, juxta Superioris ordinem, ad eum pertinebit proventus quoſcumque Collegii, vel Domus Probationis, & eleemoſynas, ubi petendas à Rectore intellexerit, exigere ac reci-

recipere: ſyngraphas verò ſolutionis, quando opus erit, ipſe dabit ſubſcriptas à Rectore, aut à ſe, illius commiſſione.

3. Omnes Collegii proventus, & tempora quibus colligendi ſunt, in peculiari libro ſcribet: & ſeorſum ſummā contractuum, & locationum, quæ ad breve tempus fiunt; ſeorſum etiam quaſcumque res aut pecunias ex fructibus Collegii perceperit, addito à quibus, & quando ea provenerint: eleemoſynæ autem alio in loco ſcribantur. *Quæ in libro ſcribat.*

4. Singulis menſibus dati & accepti rationem Rectori reddet; debitaque, & credita Collegii indicabit, quo ipſe domus ſtatum prorſus intelligat. *Rationem Rectori reddat.* P. 4. c. 2. §. 5.

5. Pecunia, undecumque ea provenerit, ſi alicujus momenti fuerit, judicio Superioris, in arcâ reponetur ad id deſignatâ. Hujus Rector clavem unam, & ipſe Procurator alteram diverſam cuſtodiat: in eadem liber aſſervabitur, in quo ſcribetur pecuniæ ſumma, tam ejus quæ infertur, quàm ejus quæ effertur. Si quando autem cogente aliquâ neceſſitate pecunia in arcam non inferretur, nihilominùs accepti & expenſi ſumma in eodem libro ſtatim ſcribatur, ac ſi in eâ reponeretur. *Arca pecuniarum, & earum liber, & quot claves.*

6. Quoties ex arcâ pecuniam accipiet, ejus ſummam, & diem in libro ſuarum rationum adſcribat; in aliâ verò parte libri, expenſi ratio conſtet. *Ex eâ acceptam pecuniam notet.*

7. Procurator in libro ad hoc deſignato, quem penes ſe habere debet, ſcribat omnia quæ unusquiſque Novitiorum domum attulerit cum ejusdem ſubſcriptione, & ea cuſtodi veſtium aſſervanda tradet; niſi ſit pecunia, quàm ſeparatim cuſtodiet in arcâ, ubi pecuniæ Collegii reponuntur, donec biennio expleto Novitius conſueta vota Societatis emittat. *A Novitiis allata curet ſervari.* In ex. c. 4. §. 4. & p. 1. c. 4. §. 6.

8. Emptori pecunias ad quotidianos ſumptus ſubminiſtrabit, à quo ſingulis diebus expenſarum exiget rationem ex codice; ſummam verò in librum ſuum ipſe referet. *Emptori pecunias dabit, & quotidie rationem exiget.*

9. Curet, ut res omnes, præcipuè diu duraturæ, quàm opportunè emantur, ne has non perinde bonas, aut non æquo pretio cogatur comparare: caveat etiam ne, dum nimiùm pecuniæ parcit, non bonas, aut inſalubres res emat. *Res bonas & quam opportunè emi curabit.*

10. Videat num ea, quæ empta ſunt, illæſa conſerventur; atque animadvertens aliqua non ut oportet conſervari, aut expendi, Superiorem vel Miniſtrum admoneat. *Curabit res emptas conſervari.*

Quæ reparanda, quæ vendenda. 11. Advertat, num ea quæ à Collegio poſſidentur, reparatione indigeant, ſeu domus, ſeu prædia, ſeu quidvis aliud, ut ad Superiorem referat: ſi quid autem vendendum videretur, eodem inconſulto ne faciat.

Sæculares negotiationes vitet. 12. Omnia, quæ ſpeciem habent ſæcularis negotiationis, in colendis videlicet agris, vendendis in foro fructibus, & ſimilibus, intelligat prohibita eſſe noſtris.

Can.27.Congr.2. *Locationes, & ſimilia inconſulto Superiore non faciet.* 13. Nihil, quod ad locationes, contractus, aut debita contrahenda, aut alia alicujus momenti negotia pertineat, niſi ipſi à Superiore commiſſum ſit: ſi quid autem ex iis quæ jubentur, ipſi videretur non expedire, eidem proponat modeſtè ſuam ſententiam & rationes, quibus moveatur.

Circa lites. 14. Excipiet in codicem lites, ſi quæ fortè erunt; & quæ gravioris momenti circa eas fient, continenter ſummatim annotabit.

Publica judicia & tribunalia. 15. In tribunalibus Judicum non compareat, niſi quando aliqua neceſſitas plurimum urgere Superiori videretur; ſed per externos Procuratores noſtra negotia in publicis judiciis peragantur.

Lites componendæ. 16. Illud verò præcipuè ante oculos habeat, ut antequàm litem ullam intendat, res controverſa (ſi fieri poſſit) concordiâ aut compromiſſione, conſulto Superiore, componatur: ſi quando tamen ad litem deſcendendum erit, memor ſit, ut magnam pacem interius exteriusque cuſtodiat, & ſemper ad juſtam concordiam ipſum paratum eſſe, contrariæ parti innoteſcat.

Solidè negotia expediantur. 17. Curet diligenter, ut rectè & ſolidè fiant, quæ expedienda erunt. Quod ſi periti juris conſulendi ſint, maximè idoneos eligat. Idem de ceteris officialibus dictum intelligatur.

Cum Superiore negotia conferat. 18. Conferat cum Superiore, eique reddat rationem eorum, quæ facit, & quo in ſtatu ſint negotia, aut ei quem ille deſignabit: quòd ſi rerum difficultas extraordinarium favorem aut diligentiam exigere videatur, eidem ſignificet, ut auxilia, quæ opportuna viſa erunt, petantur.

Quæ in Archivio aſſervabit, & quot claves. 19. Diligenti curâ aſſervabit in Archivio ad hoc deſignato inſtrumenta originalia & titulos, quibus conſtat de jure eorum, quæ à Collegio poſſidentur, ſuis locis repoſita, & facilè inveniri poſſint. Archivii autem duæ claves diverſæ erunt, quarum alteram Rector, alteram ipſe habebit Procurator.

20. Seor-

20. Seorſum habeat hæc eadem inſtrumenta, & titulos manu Notarii publici ſubſcriptos, ut fidem faciant, ſi aliquando in judicio præſentari neceſſe ſit. *Habeat etiam authentica.*

21. Præter hæc Procurator librum habebit, in quo ſumma quædam horum inſtrumentorum & titulorum contineatur: cùm autem contractus majoris momenti, præſertim rerum perpetuarum fient, redigat in memoriam Rectori, ad Archivium, quod eſt in Vrbe penes Præpoſitum Generalem, eorum exempla authentica mittenda eſſe. *Librum habeat inſtrumentorum.*

22. Cubiculum clavi obſeratum habeat, & aſſervabit ſcripturas, quibus ad Procuratorium munus indigebit: cumque aliquas ex Archivio accipiet, earum in libro qui in eodem Archivio erit, notato die, menſe, & anno, memoriam relinquet; quas cùm ſuo tempore reſtituet, ex eodem libro expunget. *Cubiculum clavi obſeratum, & ſcripta neceſſaria apud ſe habebit.*

23. In libellum referet quæcumque à Superiore ipſi facienda injungentur, ne memoriâ excidant, & effectu fruſtrentur. *Quæ in libello notabit.*

24. Intelligat, qui ſint illi potiſſimùm, qui beneficia magni momenti in Collegium contulerunt, & eorum catalogum habeat, & Superiorem certiorem faciat; ut juxta modum profeſſionis noſtræ, grati in illos eſſe poſſimus. *Circa benefactores.*

REGULÆ PRÆFECTI LECTORUM AD MENSAM.

1. CVRET, ut idonei in lectores menſæ à Superiore deſtinentur, & eos inſtruat, ut altâ, clarâ, & diſtinctâ voce legant. *Idoneos lectores curet, & inſtruat.*

2. Det operam, ut lector prævideat diligenter lectionem, ut benè & emendatè proferat, & in dubiis ad ſe recurrat. *Prævideri faciat lectionem.*

3. Admoneat lectorem: & ſi quid perperàm pronuntiaverit, correctus repetat, & emendate iterum proferat. *Eos in menſâ corrigat.*

Socios habeat. 4. Habeat à Superiore aſſignatos ſibi ſocios, ut in neutra menſâ deſit, qui lectorem corrigat; eoſque juxta has Regulas inſtruat.

Quæ, & quo ordine legi debeant. 5. Initio Lectionis in primâ, atque etiam (niſi noſtrorum paucitas aliud ſuaſerit) in ſecundâ menſâ in prandio & cœnâ legatur caput de Scripturâ ſacrâ novi vel veteris Teſtamenti, cui ſuccedat ſemper aliquis liber pius ac facilis juxta indicem inferiùs præſcriptum: & habeatur peculiaris ratio Coadjutorum, ut pro arbitrio Superiorum aliquid vernaculâ linguâ ad illorum etiam conſolationem legatur.

Quid in feſtis celebrioribus. 6. In celebrioribus feſtis legatur aliquid omiſſo capitulo Scripturæ, ex Patrum homiliis & tractatibus, quod ad hiſtoriam & celebritatem feſti pertineat. Et à Dominicâ in Paſſione uſque ad Paſcha, poſt lectionem Scripturæ de Paſſione Domini, tractatus aliquot de eadem legantur.

Litteræ annuæ. 7. Cùm afferuntur litteræ annuæ, & Indicæ, quàm primùm legantur.

Regulæ. 8. Initio cujusque menſis Summarium Conſtitutionum, Regulæ Communes, & Epiſtola B. P. N. IGNATII de Obedientia legantur.

Martyrologium. 9. Veſperi abſolutâ lectione, ſeu prædicatione, legatur Martyrologium vulgare ſequentis diei: quo verò die fit abſtinentia, caput aliquod ex libro de Imitatione Chriſti, cum Martyrologio: cùm verò jejunatur, nihil legatur veſperi, ſed Martyrologium legatur ad prandium.

LIBRI DIVINÆ SCRIPTVRÆ,

qui in Refectorio legentur.

Libri legendi ex Scripturâ. Ex novo Teſtamento, omnia integrè legentur.
Ex veteri, Pentateuchus, præter Leviticum.
Hiſtoriales omnes, & Sapientiales, præter Cantica.
Prophetales, præter capita aliquot obſcuriora.

L I B R I,

Qui poſt lectionem Scripturæ legi poſſunt.

Hiſtoria Eccleſiaſtica Euſebii Cæſarienſis. *Ex auctoribus.*
Hiſtoria Eccleſiaſtica Nicephori Calliſti.
D. Gregorii Dialogi.
Hiſtoria Eccleſiaſtica Bedæ.
Vitæ Sanctorum Aloyſii Lipomani.
Vitæ Sanctorum Surii.
Severus Sulpitius de B. Martino.
Gregorius Turonenſis de gloriâ Confeſſorum.
Selectæ Epiſtolæ D. Hieronymi.
Chryſoſtomus de Orando Deum, de Providentiâ, & de Sacerdotio.
Ambroſius de Fugâ ſæculi, de Bono mortis.
Auguſtini Sermones, Meditationes, Confeſſiones, & alia ejusdem opuſcula, & tractatus.
D. Bernardi de Interiori domo, & aliquot ſermones & tractatus.
Homiliæ Patrum ſelectæ.
D. Bonaventuræ ſtimulus Divini amoris.
Thomas de Kempis de Imitatione Chriſti, & aliquot ex ejusdem auctoris opuſculis.
Catechiſmus Romanus.
Litteræ Indicæ.

Quinam alii legendi. 10. Præter hos libros poterunt quidem alii legi tum vulgares, tum Latini, ſed examinati & approbati à Provinciali: atque illi eſſe debent, qui & pietatem promoveant, & vocationis propriæ propoſitum confirmare poſſint.

Cum Superiore conferendum. 11. De ſingulis libris ſuo tempore prælegendis in menſâ juxta indicem præſcriptum, priùs conferet cum Superiore, ut ille conſtituat, quid legendum ſit.

Catalogus Concionatorum in Refectorio. 12. Catalogum à Superiore habeat eorum, qui in Refectorio commode concionari poterunt, ex quibus Superior ipſe eligat, qui ſtatis die-

bus

bus concionentur, & eos præſcripto tempore admonebit, quâ de re ſint concionaturi.

REGVLÆ PRÆFECTI SANITATIS.

Quod ejus munus. P. 3. c. 2. §. 6.

1. PRÆFECTI ſanitatis munus, erit ſuperintendere iis, quæ ad corporis bonam valetudinem pertinent, conſervandam in ſanis (in iis præſertim, qui ex ætate aut aliis de cauſis ſunt debiliores) tum reſtituendam in ægrotantibus.

Infirmario præſit. P. 3. c. 2. lit. H.

2. Præſit Infirmario, & ceteris quibus cura ægrotorum commiſſa erit; detque operam, ne deſit Medicus, adſitque eo veniente, præſertim ubi morbi qualitas id poſtulaverit: & quidquid ab eo præſcriptum fuerit, ſtudeat, ut executioni mandetur. Et ubi videret ægrotorum cubicula ſalubria non eſſe, ad Superiorem referat.

Circa nimios labores.

3. Obſervet, num quis ex nimiâ fatigatione corporis aut ſpiritus, plus æquo laboret, vel alia de causâ morbi periculo ſe exponat, & Superiori ſignificet.

Superiorem admoneat de his quæ ſaluti proſunt, &c.

4. Si in cibis, aëre, frigore aut alia quapiam in re aliquid probabili ratione animadvertat, quod communi omnium, vel alicujus ſaluti prodeſſe, vel obeſſe poſſit, Superiorem admoneat.

Infirmarii regulas habeat, & obſervari faciat.

5. Curet ut Infirmarius Regulas ſuas obſervet, quas apud ſe etiam habebit.

REGULÆ PRÆFECTI BIBLIOTHECÆ.

Index librorum prohibitorum.

1. INDICEM librorum prohibitorum in Bibliotheca habeat, & videat ne forte ullus ſit inter eos ex prohibitis, aut aliis, quorum uſus communis eſſe non debet.

2. Bibliotheca clauſa ſit; cujus claves ipſe habeat & illis tradat, qui eas, juxta Superioris judicium, habere debebunt.

Bibliothecam claudat, & quibus clavem dabit, &c. P. 4. c. 6. §. 7.

3. Libri omnes eo ordine in Bibliothecâ collocentur, ut ſingulis facultatibus ſuus certus ſit locus proprio titulo inſcriptus.

Libri quomodò diſponendi.

4. Singuli libri titulis exteriùs inſcribantur, ut facilè cognoſci poſſint.

Exterius inſcribantur tituli.

5. Omnium librorum, qui domi ſunt, catalogum habeat, diverſarum facultatum auctoribus ordine alphabetico in diverſas claſſes diſtributis.

De eorum conficiendis Catalogis.

6. In alio catalogo diviſis etiam per claſſes facultatibus, ii libri ſcribantur, qui in noſtrorum uſum extra Bibliothecam conceſſi ſunt: qui verò intra dies octo reſtituendi extrahuntur, in tabulâ in hunc uſum parieti appenſâ notentur; quibus redditis, quod fuerat ſcriptum deleatur.

Catalogus librorum in uſum noſtrorum, ut ex Bibliothecâ extrahendi.

7. Nullum librum ex Bibliothecâ cuipiam dabit ſine Superioris licentiâ ſpeciali aut generali: & advertat, ne quis librum, etiam cum licentiâ, ſe inſcio accipiat.

Ex Bibliothecâ nullum librum inſcio Superiore dabit.

8. Curet ut Bibliotheca valdè munda & compoſita ſit, quam in hebdomadâ bis verret, & ſemel ex libris pulverem excutiet: cavere etiam debet, ne libri humiditate aut aliâ re lædantur.

Bibliotheca mundanda.

9. Quando intellexerit domi deeſſe aliquos libros neceſſarios, aut aliquos valdè utiles in lucem editos eſſe, certiorem faciat Superiorem, ut ſi illi viſum fuerit emantur: ſi verò domi libri inutiles fuerint, eumdem admoneat, an cum aliis melioribus commutandi ſint.

Novos emendos, & inutiles vendendos curet.

10. In loco publico, præſertim in magnis Collegiis ſint quidam communiores libri, quibus unusquisque pro ratione ſuorum ſtudiorum uti poſſit.

Libri communes.

11. Habeat librum, in quo ea omnia judicio Superioris ſelecta diligenter ſcribantur, quæ in ſuo Collegio publicè exhibentur, ut Comœdiæ, Dialogi, Orationes, & id genus alia. Concluſiones verò ſingulorum annorum, quæ publicè defendentur, ſimul conſutas in Bibliothecâ aſſervet.

Quæ in libro ſcribenda.

12. Si aliqui libri extra domum accommodatò darentur, adhibeat diligentiam, ut recuperentur ſuo tempore; & in aliquo interim libro notabit, quinam illi libri ſint, & quibus eos accommodaverit.

Libri extra domum commodati.

REGULÆ
SCHOLASTICORVM
SOCIETATIS.

Recta intentio. 1. ANIMI puritatem cuſtodire, & rectam in ſtudiis intentionem habere Scholaſtici noſtri conentur; nihil aliud in his, quàm divinam gloriam, & animarum fructum quærentes; ad hunc enim ſcopum ſtudia Societatis diriguntur: & in ſuis orationibus gratiam, ut in doctrinâ proficiant, crebrò petant.

Diligentia. 2. Seriò & conſtanter ad ſtudia animum adjiciant: utque cavendum ſibi putent, ne fervore ſtudiorum intepeſcat ſolidarum virtutum ac religioſæ vitæ amor, ita ſibi viciſſim perſuadeant, nihil gratius ſe Deo facturos in Collegiis, quàm ſi cum eâ intentione, de quâ dictum eſt, ſtudiis ſe diligenter impendant: & licet numquàm ad exercenda ea, quæ didicerint, perveniant; illum tamen ſtudendi laborem ex obedientiâ & caritate, ut par eſt, ſuſceptum, opus eſſe magni meriti in conſpectu Divinæ & ſummæ Majeſtatis apud ſe ſtatuant.

Indifferentia quoad facultates. 3. Iis facultatibus ſinguli operam dabunt, eosque audient Præceptores, quos Superior aſſignabit.

Aſſiduitas. 4. Scholaſtici in audiendis lectionibus ſint aſſidui, & in eis prævidendis diligentes, & poſtquàm eas audierint, repetendis: in quibus repetitionibus ſi quid erit, de quo ipſi dubitent, Magiſtrum adeant.

Adnotanda. 5. Ex lectionibus quæ adnotatu digna erunt in ſcripta referent, & poſteà majori cum ordine digeſta, transferant in libros papyraceos, quæ in poſterum conſervata velint.

Diſputationes publicæ. 6. Interſint Scholaſtici communibus ſcholarum, etiam externarum, ad quas accedunt, diſputationibus; & doctrinæ ſpecimen pariter ac modeſtiæ præbere curent.

Quotidianæ repetitiones. 7. Quotidianis diſputationibus ac repetitionibus omnes interſint; & qui diſputant, ei qui præeſt, religiosè obediant.

Modeſtia eundo ad ſcholas. 8. Cùm ad publicas ſcholas eundum erit, eant & redeant invicem aſſociati

ciati cum eâ modeſtiâ interiori & exteriori, quæ ad ſui & aliorum ædificationem conveniat.

9. Eorum colloquia, qui cum Scholaſticis externis loquendi facultatem habuerint, ſint ſolùm de rebus ad litteras, vel ad profectum ſpiritus pertinentibus, prout ad majorem Dei gloriam omnibus utilius fore judicabitur. *Colloquia cum externis.*

10. Omnes quidem, ſed præcipuè humaniorum litterarum ſtudioſi, Latinè loquantur: & memoriæ quod à ſuis Magiſtris præſcriptum fuerit, commendent: ac ſtylum in compoſitionibus diligenter exerceant. *Latina lingua.* *Memoria & ſtyli exercitatio.*

11. Vltra duas horas nemo, aut legendo aut ſcribendo, labori incumbat, quin ſtudium intermittat aliquantulo temporis intervallo. Præſcriptam verò à Præfecto diviſionem temporis ſervent diligenter univerſi, nec aliis quàm ab eo ſibi traditis utantur libris. *Interruptio ſtudiorum.* *Temporis diviſio.*

12. Horis privato ſtudio attributis, qui ſuperioribus facultatibus vacant, domi relegant quæ ſcripſerint in ſcholis, eaque curent intelligere, & intellecta ſic examinent, ut ipſi ſibi objiciant, & quæ objecerint ſolvant: quæ nequeunt, annotent ad interrogandum vel diſputandum. *Privata ſcriptorum relectio.*

13. Si Magiſtros ſtudiorum causâ convenire debent, horam certam à Superiore deſtinatam habeant; extra quam illorum cubicula ſine peculiari facultate non adeant. *Quando adeundi Magiſtri.* Ex Inſtruct. 6. pro Schol. Dec. 93. §. 18. Cong. 7.

REGULÆ SVBMINISTRI.

1. SUBMINISTER eſt inſtrumentum Miniſtri & aliorum Superiorum, ad res particulares obeundas & executioni mandandas. *Inſtrumentum Superiorum.*

2. Nihil ordinat, ſed tantùm eſt executor & exactor actionum domeſticarum, juxta modum & ordinem ſibi à Superioribus præſcriptum. *Eorumdem executor.*

3 Eſt ejus præcipua cura, ut omnino, quæ attinent ad Culinam, Refectorium, Penum, Cellam vinariam, & aquariam benè, & ordine & tempore ſuo parata ſint & miniſtrentur; videatque ut cubicula ſint decenter compoſita, quæ alternis ſaltem diebus viſitabit. *Ejus cura.*

4. Curet ne noſtri per Domum vel Collegium vagentur, vel intempe- *Curet ne noſtri intempeſtivè loquantur.*

peſtivè colloquantur; ac denique ut unusquisque in ſuo officio verſetur & contineatur.

Quotidie de omnibus referet. 5. Referet de omnibus rebus quotidie ad Miniſtrum; ad Præpoſitum verò vel Rectorem, quoties eis viſum fuerit.

Pœnitentias non injunget. 6. Nullam injunget pœnitentiam, ſed de defectibus domeſticis admoneat Miniſtrum, vel alium Superiorem: poterit tamen impoſitas pœnitentias nomine alicujus Superioris aliis denuntiare.

Erit Superior non Sacerdotum. 7. Erit Superior noſtrorum, qui Sacerdotes non ſunt: Sacerdotibus tamen aliquid injungere poterit nomine alicujus Superioris.

REGVLÆ

Ex deputat. pro Coadjutor.

COADJVTORVM

TEMPORALIVM.

Qualis eorum finis. In Exam. c. 6. §. 7. 1. INTELLIGANT omnes primariam ipſorum intentionem ad inſerviendum Divinæ Majeſtati in Societate eſſe debere, non ſolùm, ut diligentiam omnem in ſpiritualia Exercitia, orationem, ac devotionem ſtatis temporibus impendant; ſed etiam ſe exerceant in domeſticis ſuæ vocationis miniſteriis, quantumvis humilibus & abjectis, cujuscumque generis illa ſint, parati ad vitam omnem in eis exigendam: ſibi perſuadendo ſe in ea re obſequium & laudem præſtare ſuo Creatori ac Domino, ob cujus amorem reverentiamque in iis elaborant.

Quæ eorumdem cura. P. 1. c. 2. §. 2. 2. Præcipua illorum cura ſit, conſcientiæ puritas, ſerioque in earum virtutum ſtudia incumbant, quæ hunc Societatis gradum in primis ornant atque perficiunt, ac ſine quibus ſtatui ſuæ vocationis pro dignitate reſpondere nullô modo poſſent: cujusmodi ſunt devotio, animæ quies, tractabilitas, amor virtutis, deſiderium perfectionis; ut domeſticis & externis ædificationi ſint, ut ſorte Marthæ contenti, activa ſe vita exerceant; peculiari amore Inſtitutum Societatis proſequentes, cujus utilia membra ad Domini gloriam eſſe contendant.

Recreatio, & locus recreationis. 3. In quotidianâ recreatione cum iis potiſſimùm verſentur, à quibus commodè in rebus ſpiritualibus juvari poſſint: neque coëant inter ſe ſoli, aut à communi recreationis loco ſeorſim ſecedant.

4. Poſt-

4. Poſtquàm ſui officii miniſteriis ſatisfecerint, ſi quid vacui temporis ſuperfuerit, id totum in alia exercitia ſpiritualia aut corporalia impendant: ejusque rei cauſa Superiorem adibunt, ut quæ de ea re ſit ejus voluntas, ex ipſo cognoſcant. *Otii fuga.*

5. In comitandis Noſtris, cùm præſertim mulieres inviſunt, non ſolùm illud diligenter ſervare debebunt, quod Sacerdotibus eorum regulis præſcribitur (ut cùm ad confeſſiones feminarum audiendas mittuntur, vel alia de cauſa eas adeunt, ſocius iis à Superiore datus, quamdiu Sacerdos cum feminis loquetur, eo in loco ſit, unde eos videre poſſit, quantum loci natura patietur, non tamen ea, quæ ſecreta eſſe oportet, audire) ſed etiam cùm viros cujuscumque conditionis aut ordinis adibunt, dabunt operam, ut nullo tempore eum ſolum relinquant; tum ob religioſam decentiam, tum ob communem ædificationem; niſi forte qui inviſuntur tantæ auctoritatis ſint, ut ob urbanitatem, aut negotiorum naturam ratio ſuadeat, non eſſe Sacerdotis, aut cujusvis e Noſtris ſocium ad eam tractationem admittendum. *Quos comitantur, ſolos ne deſerant.* Reg. 18. Sacerd.

Illud præterea noverint, debere ſe, cùm domum redierint, ultro Superiorem admonere, etiamſi ab ipſo non rogentur, ſi quid in eo genere contra hanc regulam commiſſum ſit. *Superiorem moneant.*

6. Meminerint non ſolùm ex Regula omnes in animo tamquàm ſibi Superiores ducendos exiſtimare, & exteriùs honorem ac reverentiam, quam exigit cujusque ſtatus, cum ſimplicitate & moderatione religioſa exhibere; ſed etiam peculiari ſtudio curent erga omnes illos e noſtris, qui Coadjutores non ſunt exteriori obſervantia & modo converſandi, eum quem debent reſpectum, humilitatemque præ ſe ferre; idque multò etiam magis erga Sacerdotalem Ordinem. *Obſervantia, erga Sacerdotes præſertim.* Reg. Summ. 29.

7. Quod ad paupertatem attinet, etſi res eſt omnibus communis, tamen ob multas, quas habent, occaſiones variarum adminiſtrationum, caveant diligenter, ne quid ſibi capiant, aliis dent, commodent, mittant, aut quidquam faciant in hoc genere absque expreſſa licentia Superioris: præſertim reliquiaria, cruces, Agnus Dei, lapides Bezuarios, & id genus alia; ſibique perſuadeant, poſſe in iis rebus graviter contra votum peccari. *De paupertate.*

8. Cùm ad ipſorum ſpiritualem inſtructionem ſit hebdomadis ſingulis Christiana doctrina explicanda, prout Superior præſcripſerit, omnes conventui intererunt, & ex ea re fructum percipere conentur. *Doctrina Chriſtiana.*

Ne cum proximis agendo limites excedant. Reg. 24. com.

9. Et quamquàm, ut eſt in regulis communibus, datâ commodâ occaſione eniti debent piis colloquiis proximum ad meliora promovere, & conſilio atque exhortatione ad bona opera, præſertim ad confeſſionem excitare; videbunt tamen ne limites ſibi à regulâ præſcriptos excedant, in quâ illud eſt, *pro ratione ſui gradus*, ne quid in eo peccent.

Quinam libri concedendi.

10. Librum nullum neque retinere, neque legere, cujuscumque generis, iis licebit, ſine Superioris licentiâ; cūjus erit judicium eos illis aſſignare, qui magis ad ipſorum ſpiritualem fructum expedire videbuntur.

Eorum miniſteria. Ex. 1. c. 6. §. 3.

11. Meminerint demùm, quod B. P. N. Ignatius ſcriptum reliquit, quemadmodùm proprium eſt Sacerdotum & Operariorum ſpiritualium, Societatem in confeſſionibus audiendis, in exhortationibus, in Doctrinâ Chriſtianâ, aliisque litteris edocendis juvare; ita proprium illorum eſſe, in miniſteriis omnibus inferioribus & humilioribus, quæ illis injungentur, exerceri: ſibi perſuadentes, quòd Societatem in iis rebus juvando (quò poſſit ipſa expeditiùs animarum ſaluti vacare) eidem omnium Domino ſerviant, ſiquidem propter divinum ipſius amorem & reverentiam id faciunt. Ideò prompti eſſe debebunt cum omni humilitate & charitate, quoad ejus fieri poterit, ad ea officia, quæ eis credita fuerint, exactè obeunda. Quò fiet, ut non ſolùm mercedem integram laborum ſudorumque ſuorum conſequantur, ſed unà etiam participes efficiantur omnium bonorum operum, quæ Deus per univerſam Societatem ad obſequium & laudem ſuam operari dignabitur: quemadmodum & omnium Indulgentiarum & gratiarum, quæ Profeſſis ad ſuarum animarum bonum benignè à Sede Apoſtolicâ conceſſæ fuerint.

REGULÆ
ÆDITUI.

Præfecto obediet.

1. PRÆFECTO Eccleſiæ obediat in omnibus quæ ad templi miniſterium pertinent.

Modeſtiam ſervet.

2. Servet modeſtiam in inceſſu, vultu, ſermoneque, tam in templo

plo, quàm in ſacriſtiâ, iis verò, qui aliquid exigunt, ſatisfacere cum ædificatione ſtudeat per ſe, vel ad Præfectum recurrendo, aut ipſos ad eum remittendo. Si quandò verò neceſſe erit cum mulieribus loqui, id oculis demiſſis, & quàm breviſſimè faciat.

3. Dum Sacris inſervit, attentus ad ſuum miniſterium cum devotione & ædificatione ſit. Nec ante eum qui celebrat, aut ad latus ex æquo, ſed aliquanto poſteriùs maneat: utatur verò tono, qui congruat cum eo, quo Sacerdos utitur: omnia rectè proferat, nec celeriter nimiùm, nec nimis lentè. Denique in iis ſit benè inſtructus; & ceteros, qui Sacerdotibus miniſtrabunt, eadem doceat. *Quomodò Sacris inſerviet.*

4. Curet ut veſtimenta, quæ Sacrum facturus induitur, ſint rectè aptata, ipſumque circumquaque intueatur, antequàm è ſacriſtiâ exeat. *Veſtimenta Sacerdotis componet.*

5. Diligenter det operam, ut Sacerdotes, qui Sacrum facere volunt, quam primùm miniſtros habeant, juxta ordinem ſibi à Superiore præſcriptum: & quotidie unumquemque eorum, qui ordine in ſummo Altari Miſſas dicturi ſunt, opportuno tempore admoneat. *Miniſtros Miſſarum habeat.*

6. Tot habebit appenſa ſudariola in ſacriſtiâ, quot fuerint Domi Sacerdotes, inſcriptis ſingulorum nominibus, & addito uno vel pluribus pro extraordinariis. *Sudariola pro ſingulis apponet.*

7. Dum Sacra fiunt, accendat, ut minimum, candelas duas: & cùm ſanctiſſimum Sacramentum elevatur, facem, aut cereum; quo tempore etiam tintinnabulum pulſet: accendet etiam facem, cùm aliis ſanctiſſimum Sacramentum miniſtrabitur, ipſeque confeſſionem generalem eorum vice recitabit. *Quot candelas accendet.*

8. Curet, ut vinum, quo Sacrificium paratur, ſit bonum & merum ac mundum, eoque ipſo die hauſtum: ſimiliter & aqua, & ampullæ ſint mundæ & decenter coopertæ. *Vinum, & aqua.*

9. Hoſtias faciat, quam fieri poterit, pulchras, eo numero, ut & Miſſis & communionibus ſufficiant. *Hoſtiæ.*

10. Ante Miſſas, conciones, ac lectiones, pulſet campanam, prout ſibi præſcriptum erit: det etiam ſignum ſalutationis B. MARIÆ in aurorâ, in meridie, & veſperi: det etiam ſignum, cum primùm quis ex noſtris vitâ functus fuerit; ut omnes pro cujusque devotione illius animam Deo commendent. *Campanam quando pulſabit in noſtrâ eccleſiâ.*

11. Si quando propter univerſalem aliquam cauſam in reliquis eccle- *Quando in aliis pulſatur.*

eccleſiis campanæ pulſentur, ipſe etiam juxta Superioris præſcriptum pulſabit.

Scamna componat in templo. 12. Pridie quàm ſit habenda concio, diſponat ſcamna in templo, juxta ſolitum morem.

Lumen ante Sacramentum numquam deſit. 13. Det operam, ut nullo modo lumen deſit ante ſanctiſſimum Sacramentum, neque interdiu neque noctu.

Sacerdotes ut vocandi. 14. Ex iis Sacerdotibus, quos habet à Superiore deſignatos, vocet diligenter ad templum, qui nominatim petuntur ad confeſſiones audiendas: quòd ſi nominatim non petuntur, eos juxta ordinem ſibi præſcriptum accerſat, & quantum in ipſo eſt, det operam, ut omnibus, qui confiteri volunt, ſatisfiat.

Quando Miſſæ petantur. 15. Si qui Miſſas aut orationes petant, ad Præfectum recurrat, vel ad eum illos remittat.

Quos ad Ianitorem remittet. 16. Si quis aliquid quæreret, in quo ei à Janitore meliùs ſatisfieret, eum ad portam domus remittat; & eos etiam qui per portam, quâ à templo in domum patet aditus, ingredi vellent; niſi viri eſſent ejusmodi, ut eorum peculiaris eſſet habenda ratio, prout à Superiore fuerit inſtructus: numquàm autem porta ea aperta relinquatur.

Lintea, & aqua ad manus non deſint. 17. Curet ut numquàm illic aqua deſit, ubi lavantur manus, & ſint lintea convenienter munda pro Sacerdotibus, ad manus ſolas ante & poſt Sacrum extergendas.

Aqua benedicta. 18. Provideat, ut aqua benedicta in pilâ non deſit.

Eleemoſynas non admittat. *In ex. c. 1. §. 3. & p. 6. c. 2. §. 7.* 19. Si quando eleemoſynæ, Miſſarum vel Confeſſionum gratiâ, offeruntur, eas non admittat. Si quid tamen alioqui in Altaribus, aut aliis templi locis repererit, aut in uſum templi oblatum fuerit, id Præfecto tradet.

Portæ templi quando aperiendæ, & quando claudendæ. 20. Templi portas mane, ſed non ante auroram aperiat; easdemque veſperi circa ſolis occaſum diligenter obſeret: quod etiam faciet circa meridiem, niſi Superior in caſu aliquo ſecus faciendum judicaret: & quotidie noctu claves eccleſiæ ad Superiorem deferat.

Templi cuſtodia. 21. Quamdiu templum erit apertum, diligenter curet, ne umquam ſine cuſtode relinquatur; ſed ſemper aut ipſe aut alius in eo ſit, vel in ſacriſtiâ, ita ut & videre templum & cuſtodire poſſit.

Ne fiant in eo ſtrepitus. 22. Advertat ne quis in templo deambulet, néve ſtrepitus in eo audiatur: eos verò, qui loquentur altiùs, modeſtè, ut decet, admonebit.

23. Det

23. Det operam diligenter, ut Altaria ſint munda, & benè præparata, & pro ratione temporum ornata, atque ut vaſa ſacra, ornamenta, & cetera omnia, quæ ad divinum cultum pertinent, in ſuis locis aptè & decenter reponantur & conſerventur. *Altaria, & reliqua mundabit.*

24. Videat ut templum ſit mundum, & bis ſingulis hebdomadis, ac ſæpius, ſi neceſſe ſit, præſertim in feſtorum ſolemnium vigiliis, ſcopis mundetur. Canes etiam ex templo abigat. *Quoties templum mundabit.*

REGVLÆ
INFIRMARII.

I.

CVRAM habeat infirmorum, quorum ægritudo ſimul atque ei indicata fuerit, ſi cenſeret rem eſſe alicujus momenti, Præfectum & Superiorem admoneat. *Curet infirmos.* P.3.c.2.lit.G.

2. Cùm quis in morbum incidit, à Superiore intelligat, num ſtatim Medicus vocandus ſit; qui unus ordinariè eſſe debet, niſi ingraveſcente morbo, aut in quibusdam aliis caſibus, alio Medico opus eſſe Superior judicaverit: & quoties Medicus ægrotos inviſet, adſit ipſe. *Quando plures medici vocandi.* P.3.c.2.lit.G.

3. Studeat, ut quæ ægrotanti danda ſunt, & opportunè emantur, & bona ſint, & benè præparata miniſtrentur. *De victu &c. ægrotorum.*

4. Curet ut ægrotorum cubicula ſint valdè munda; lecti concinnè ſternantur, & ramuſculis & hujusmodi aliis decumbentes oblectet. *De cubiculis, & lectis.*

5. Ægrotum conſolari & exhilarare ſtudeat, non ſolùm rebus à medico probatis, ſed verbis etiam ſpiritualibus & lætis: habeat etiam libros, quorum lectione ægroti recreari & juvari in ſpiritu poſſint. *Ægrotos conſoletur.*

6. Intelligat à Superiore, quos ex noſtris ad ægrotos inviſendos ac recreandos accerſere debeat: caveat autem, ne dum infirmis placere ſtudet, aliquid fiat quod eis nocere ullâ ratione poſſit. *Quos vocabit ad eos inviſendos.*

7. Medicinalia & cuncta quæ ægrotantium uſui neceſſaria ſunt, habere ipſe debet, niſi Pharmacopola Domi ſit, & in loco convenienti ea cuſtodire, & ſæpius reviſere, ut incorrupta conſerventur; & quando opus *Medicinalia penes ſe habebit.*

fuerit, ut de novo ſuo tempore conficiantur, curare juxta ordinem Superioris.

A Medico præſcripta ritè ſerbet. P.3 c.2.lit.G.

8. Nihil omnino eorum, quæ à Medico præſcribentur, prætermittat aut mutet: ordinem etiam obſervet temporum præfixorum, quibus prandium, cœnam, ſyrupum, ceteraque medicamenta det, omnia ſcripto excipiens, quæ Medicus præſcripſerit.

Dies ægrotationis, & hora febris.

9. Advertat quo die quis cœperit ægrotare, & quâ horâ febres ægrotum & corripiant & deſerant; tum ut Medicum & Superiorem admoneat, tum ut cibum tempeſtivè præbeat.

Si ſit contagio.

10. Si morbus ſit contagioſus, ſupellex ſeparari debet, ne cuiquam noceat.

Quando è lecto ſurgendum.

11. Convaleſcentes è lecto ſurgere non permittat, priusquàm id medicus conceſſerit; & operam det, ut ea convaleſcentibus præbeantur, quæ medicus præſcripſerit, quoad Superiori ſatis viſum fuerit.

Patientia & caritas erga ægrotos.

12. Patienter & cum caritate cùm ipſe, tum ſocii ejus ferant moleſtias & difficultates, quæ interdum in curandis infirmis accidere ſolent. Quemadmodùm autem diligenter curare debet, ne debita miniſteria ægrotis deſint; ita etiam animadvertere, ne nimiæ vigiliæ, immoderatique labores, aut morbi contagio, vel propriæ ipſius vel ſociorum ſaluti noceant.

De Sacramentis ſuſcipiendis. P.6.c.4.§.1.

13. Cùm gravitas morbi id poſtulaverit, Superiorem certiorem reddat, ut ægrotus, antequàm judicii uſu privetur, omnia Sacramenta accipiat: quòd ſi ægrotus diu, licet ſine periculo, decumbat, curet ut octavo quoque die pro more Societatis communicet; ne hujusmodi ſpirituali fructu & conſolatione privetur, niſi aliqua ratio judicio Superioris impediat.

Quid morbo ingraveſcente. P.6.c.4.§.2.

14. Ingraveſcente morbo Superiorem admoneat, ut orationibus omnium domeſticorum valdè peculiaribus infirmum juvari faciat; atque eò magis, quò morti propinquiorem videret: & ut morienti quò plures poterunt, ex noſtris adſint, qui eum animoſiorem reddant, iisque auxiliis juvent, quæ eo tempore convenient: ac cùm primùm vitâ functus fuerit, Æditũum admoneat.

Defunctorum corpora ut præparet. P.6.c.4.§.3. lit.B.

15. Provideat ut eorum corpora, qui ad meliorem vitam migrarint, ad ſepulturam conſueto regionis more præparentur; & ut ſpatio diei naturalis decenter teneantur: niſi ratione mali odoris anteverti poſſe hoc tempus Superiori videretur.

16. Præ-

16. Præfecto ſanitatis obediat in omnibus, quæ ad hoc officium pertinent: qui ſi nullus fuerit conſtitutus, Præfecti munere ipſe fungatur. *Præfecto ſanitatis obediat.*

REGVLÆ
IANITORIS.

I.

NOMINA omnium domeſticorum prope oſtium Domus in tabulâ ſcripta ſint, ubi notis quibusdam illi deſignabuntur, qui egredientur: neminem verò foras exire permittat, qui facultatem à Superiore generalem aut particularem non habeat; & ab iis, qui egrediuntur, quò eant, intelligat. *Nomina prope oſtium ſcribenda.* *P.3.c.1.ſ.3.*

2. Nihil cuiquam nuntiabit intempeſtivè, ut cùm in mensâ ſedetur, niſi aut res eſſet neceſſaria, aut perſonæ mittentis conditio aliud exigeret. *Nil intempeſtivè nuntiabit.*

3. Litteras omnes & ſchedulas, quæ domeſticis mittuntur, Superiori tradat: ii verò, ad quos dabantur, eas eſſe acceptas ne intelligant: caveat etiam ne alicujus domeſtici litteras, aut quid ſimile externis det injuſſu Superioris. *Litteras Superiori tradat.*

4. Cùm aliqui ex Societate peregrè veniunt, januam ingreſſis dicat, ut illic expectent, dum Superior de adventu eorum fit certior. *Quid cum peregrè venientibus.*

5. Feſtinet ad januam, cùm tintinnabulum pulſari audit, & cùm res patietur, per feneſtellam venientes expediat, portâ non apertâ. *Præſtò ſit ad januam.*

6. Si quis ab externis quæratur, qui domi non ſit, modeſtè intelligat, quis ſit ille qui petit, & quid velit, ut id redeunti, ſi opus ſit, cum facultate Superioris ſignificare poſſit. *Quando aliquis Domi non ſit.*

7. Talem cum omnibus converſandi modum teneat, ut diſcretione, modeſtiâ, & ſpiritualibus verbis ſingulos ædificatos & contentos à ſe dimittere ſtudeat. *Modus converſandi.*

8. Cùm externi aliquem è noſtris alloqui volent, Superiorem adibit, qui ſi ad id facultatem dederit, diligenter eum qui petitur quæret, & ad locum colloquiis deſtinatum eos remittet. *Neminem ſine facultate vocet ad januam.*

De eleemoſynâ. 9. De eleemoſynis, quæ ad januam mittentur, Superioris mentem intelligat, illiusque ordinem ſequatur; & ſi alicujus momenti ſint, Procuratorem certiorem faciat.

Prælati & Magnates. 10. Si quando Prælati aut Magnates domum intrarint, curet ſi commodè poſſit, ut Sacerdos aliquis eos comitetur, dum Superiorem ipſe accerſit.

Cum pauperibus benignè ſe habeat. 11. Cum pauperes eleemoſynæ causâ ad januam accedunt, benignè reſpondeat, & ſedulò quærat quidnam eis erogari poſſit juxta Superioris arbitrium, idque illis cum caritate diſtribuat.

Mulieres ad eccleſiam remittat. 12. Mulieres, ſi quando ad oſtium accedunt, paucis verbis dimittat, aut ſi pluribus opus eſſe videretur, in eccleſiam eas mittat ad Æditũum, ubi reſponderi ipſis poterit.

Janua ſit ſemper obſerata. 13. Obſerata ſemper janua ſit, clavisque in portâ ne relinquatur: loca etiam portæ vicina munda ſervet, & ut juxta januam omnes ſubmiſsâ voce loquantur, curet.

Portas quando claudet. 14. Portas Domus ante noctem claudat, exinde verò eas nullius causâ aperiat, niſi de Præpoſiti vel Rectoris expreſsâ licentiâ: & antequàm cubitum eat, claves eidem tradens, ſi quis foris maneat, illi renuntiabit.

Nil externorum cuſtodiat. 15. Nihil cuſtodiendum à quoquam externo recipiat, absque Superioris juſſu.

Veniente Medico dabit ſignum. 16. Quoties Medicus Domum ingredietur, ſignum dabit campanâ; ut Miniſter & ceteri qui debent, adeſſe poſſint.

Etiam pro initio ſcholarum, & fine. 17. In Collegiis, in quibus Scholæ externis aperiuntur, ſignum campanâ dabit pro initio lectionum, ac fine: & Gymnaſia ſtatis temporibus aperiet, atque claudet; niſi horum cura aliis demandetur.

REGVLÆ
CVSTODIS
VESTIVM.

1.

SERVARE debet omnem ſupellectilem, ſive lineam ſive laneam, & quidquid ad indumenta, & ubi opus fuerit, etiam ad calceamenta, attinet: quæ diligenti curâ, ut rem pauperum Chriſti, cuſtodiet. *Quæ ſervabit.*

2. Inventarium rerum quas ipſe cuſtodit, ſi alicujus momenti ſint, in libro habeat; & ſeorſum ſcribat, quæ de novo fiant, addito die, menſe, & anno; ut cùm à Superiore jubebitur, poſſit ſui muneris rationem reddere. *Inventarium rerum.*

3. Veſtes ordine diſpoſitas ſervet, & novas & integras à vetuſtioribus ſejungat, & ne corrumpantur videat; eas etiam aptandas & reſarciendas curet, ut decet religioſam paupertatem: quas verò non ampliùs uſui noſtrorum futuras judicabit, eas Superiori oſtendat, ut ille quid de eis faciendum ſit ſtatuat. *Cura veſtium.*

4. Quæ ſinguli Novitii domum attulerunt, ea alicubi ſeparatim aſſervabit, inſcripto nomine ejus qui attulit; donec biennio expleto conſueta vota Societatis emittant. *A novitiis allata aſſerventur.* In Ex.c.4.§.4. & p.1.c.4.§ 6.

5. Singulis menſibus omnia Domus viſitabit cubicula, ut ex Superioris arbitrio, ſi quid eis deſit, ſuppleri poſſit; ſi quid etiam ſuperfluum invenerit, veſtes duplices, Inſtrumenta Itineris, & ſimilia, in veſtiariâ officinâ cuſtodiantur. *Singulis menſibus cubicula viſitet.* Dec.93.§.3. Cong. 7.

6. Inſpiciat etiam quinam veſtibus indigeant, ut Superiori dicat, ejuſque ordinem exequatur; eo verò inconſulto nihil cuiquam dabit. Coadjutores autem temporales ſottanis dimidio palmo brevioribus; quàm Sacerdotes, & pallio ſottanis breviori utantur. Ex Inſtr. 1. Spiritus. *Veſtibus indigentes.*

7. Linei panni lotori, ſive externus ille ſit, ſive domeſticus, ſcripto numero dentur & accipiantur. *Linei panni.*

 8. Subu-

Subuculæ ſignentur, &c.

8. Subuculæ ſingulorum, quæ ſtaturæ induentium convenire debent, ſignis particularibus internoſcantur, ne permiſceri contingat.

Pannos lineos pro Refectorio, &c. numeratò det & recipiat.

9. Pannos lineos omnes, quos utendos Refectorii Præfecto, Coquo, aliiſque miniſtris dividet, numeratò det & recipiat.

Quando linea diſtribuet & colliget.

10. Sabbati veſpere linea munda per omnia cubicula diſtribuat: Dominicâ verò die manè ex iiſdem cubiculis immunda colligat; & an omnia quæ dederat recipiat, animadvertat.

Linteamina munda pro lectis quando mutabit.

11. Æſtivo tempore linteamina munda pro lectis decimoquinto quoque die; hiberno verò poſt tres hebdomadas diſtribuat, ubi id fieri poterit.

12. Hæc omnia cuſtos veſtium præſtabit, niſi ejus officium in magno aliquo Collegio aut Domo in plures perſonas diſtribuere neceſſe ſit.

REGULÆ EMPTORIS.

1.

Quomodò emat.

DILIGENS ſit in emendis iis, quæ ad quotidianum uſum, Superioris arbitrio, domum comportanda ſunt, eaque tempeſtivè Diſpenſatori tradat: emat autem res bonas, & quàm commodiſſimo pretio poterit, licet longiùs ſint petendæ.

Pecuniæ acceptæ & expenſæ rationem quotidiè reddat.

2. Adnotet pecuniæ ſummam, quam à Procuratore in dies accipiet, & quas in res eam expendet; & rationem ei quotidie reddat dati & accepti: quid autem ſequenti die empturus ſit, à Miniſtro intelliget.

Curet ædificationem.

3. Curet quantùm poterit, eos quibus cum aget, diſcretione ac modeſtiâ ædificare, & quatenus ejus officium decet, religioſis verbis in ſpiritu juvare.

REGULÆ DISPENSATORIS.

I.

IN rebus diſtribuendis ordinem Superioris ſequatur: & quamvis communiter æqualitatem inter omnes ſervare debet, habeat tamen infirmorum & convaleſcentium rationem, prout ei fuerit præſcriptum. *Quomodò res diſtribuet. Infirmorum curam habeat.*

2. Vinum in menſâ ponendum aquâ temperabit, ubi & quantum Superiori videbitur. *Vinum.*

3. Quæ ex menſis ſuperſunt, diligenter conſervabit, memor paupertatis; ut & domeſticis, & externis pauperibus, juxta ordinem Superioris, uſui eſſe poſſint. *Quæ ſuperſunt ſervet.*

4. Curam habeat conſervandi res ad victum neceſſarias, quæ ipſi committentur, clauſaſque cuſtodiat, advertens ne corrumpantur: quod ſi corruptionis ſit periculum, Superiorem admoneat. Vt autem hæc meliùs obſervet, viſitet ſæpè penum, & alia loca ubi illa reconduntur. *Res ad victum neceſſarias curet.*

5. Tam penum, quàm reliqua omnia quæ in eo ſunt, munda habeat. *Munditiem curet.*

6. Antequàm penitùs abſumantur cibi, qui domi reconduntur, Superiorem admoneat ut alii coëmi tempeſtivè poſſint. *Cibi quando emendi.*

7. Curet concinnanda dolia & purganda, cùm opus eſt, ad novum vinum infundendum: cujus rei cùm tempus impendet, Superiorem admonebit. *Dolia purganda, &c.*

REGULÆ PRÆFECTI REFECTORII.

I.

CVRET refectorium & quæ ejus uſibus ſerviunt, omnino eſſe quàm mundiſſima. *Curet munditiem.*

2. Ne

Aqua, & mantilia, non deſint.

2. Ne aqua manibus abluendis, aut mantilia extergendis deſint, advertat: horum autem (quæ bis in hebdomadâ ſaltem mutabuntur) alia Sacerdotibus, alia non Sacerdotibus deſtinata erunt.

Mantilia, & mappa, quando mutanda.

3. Mantilia ſingulis ſaltem hebdomadis ſemel, mappæ verò, quæ ſingulis ſingulæ ſervient, bis mundæ ponentur: omnia autem lintea numeratò & accipiat & reddat.

Vaſa munda non deſint.

4. Curet ne vaſa & cetera in Refectorio neceſſaria deſint, & ut quàm maximè munda ſint: cultellos autem frequenter acuere faciat.

Parva menſa.

5. Parvam menſam paratam habeat.

Quando ſignum campanâ dabit.

6. Signum campanâ temporibus ſuis dabit conveniendi ad primam, & ſecundam menſam: ſed ante primum pulſum (qui quartâ parte horæ ſecundum præcedat) à coquo intelligat, an ſint omnia parata.

Quæ in primo ſigno, quæ item in ſecundo menſa apponentur.

7. Menſæ rebus neceſſariis paratæ eſſe debent, cùm campanâ ſignum primò dabitur: quæ autem ad potum pertinent, circa ſecundum ſignum apponantur, & aquæ ac vini vaſa ſupra orbes collocentur.

Quæ infirmis parabit.

8. Sit certus locus iis qui curæ Infirmarii ſubſunt, quibus nihil, niſi quod ab eo præſcriptum erit, apponat: ſervet autem cum omnibus æqualitatem, niſi ſecus neceſſitatis causâ eſſet à Superiore monitus: ſine cujus arbitrio, neque jentaculum, neque aliud quidquam ulli concedet.

Ante finem pro ſecunda quæ præparanda.

9. Priusquam è menſâ ſurgatur, inferantur orbes aliquot in menſam, ut quisque locum ſuum mundet: quamprimùm verò pro ſecundâ præparatâ omnia habuerit, ſignum campanâ dabit: providebitque, ne deſint, qui miniſtrare debent.

Quæ ſuperſunt cui tradet.

10. Quæ ex menſis ſuperſunt, colliget, atque illi tradet, ad quem id ex officio pertinet, ſive Coquus is, ſive Diſpenſator ſit.

Notet in tabulâ qui cibum capiunt.

11. Nomina eorum, qui domi tam in Refectorio, quàm extra veſcuntur, in quadam tabulâ habeat, & eos qui cibum cepêre notabit; ut intelligat, quinam ſuperſint; & Coquum, qui portiones diſtribuit, commonefaciet.

Quæ poſt menſam agenda.

12. Menſis expeditis mantilia plicentur, verraturque Refectorium: & ſi quis inter comedendum ſilentium non ſervaverit, aut aliquid minùs modeſtum fecerit, ipſe Superiori ſignificabit.

13. Ha-

13. Habeat à Miniſtro catalogum, in quo ſcriptum ſit, quinam, & quibus diebus in primâ & ſecundâ mensâ miniſtraturi ſint: eumque ordinem ſervet. Intelligat etiam ſabbatho, quinam per hebdomadam ſequentem in Refectorio legere debeant; eosque faciat certiores. *Qui miniſtraturi in mensâ, & qui lecturi.*

14. Catalogum habeat rerum, quæ in Refectorio ſerviunt: ut cum ratio ab eo requiretur in promptu ſit, & in loco ad id deſignato eas cuſtodiat. *Rerum Refectorii catalogum habeat.*

15. Ad finem recreationis, quæ unâ horâ poſt primam menſam, alterâ poſt ſecundam à prandio & à cœnâ durare debet, diſtincta ſigna campanâ dabit. *Signa ad finem recreationis.*

REGVLÆ
COQVI.

I.

IN iis omnibus, quæ ad ſuum munus pertinent, munditiam ſervet ipſe, & ab aliis ſervandam curet; detque operam, ut omnia rectè & opportunè parentur, ea præſertim, quæ ad ægrotos pertinent. *Munditiam in ſe & aliis curet, præſertim in iis quæ ad ægrotos.*

2. Carnes, piſces, & alia quæ ad menſam portanda ſunt, dum ſecat & diſtribuit, digitis minimè contrectet, ſed fuſcinulâ aut cultello ad eam rem utatur. *Epulæ ut tractandæ.*

3. Semihorâ, aut ſaltem quartâ horæ parte, antequàm in mensâ ſit ſedendum, præparati cibi omnes eſſe debent. *Cibi quo tempore parati.*

4. Circa qualitatem, & quantitatem portionum, ordinem à Superiore datum ſequetur. *Portiones.*

5. Coquere, aut aliud quippiam pro aliquo particulari parare, Infirmario tantùm excepto, neminem ſinet, neque ipſe faciet ſine Superioris facultate. *Nemo præter Infirmarium in culinâ præparet.*

6. Scriptum in codice habeat catalogum rerum, quarum eſt uſus in coquinâ, quas ipſe ſervare debet. *Catalogus rerum.*

7. Diligenter advertat, ne plura, quàm neceſſaria ſint, ligna comburantur. Hanc ſimiliter diligentiam in rebus, quas conſumit, adhibebit, ne quid non neceſſarium inſumatur, ut religioſam paupertatem decet. *Paupertatis cura.*

Quæ ſuperſunt ut conſervabit. 8. Quæ ex menſâ ſuperſunt, eique traduntur, conſervabit, memor paupertatis; ut & domeſticis, & externis pauperibus uſui eſſe poſſint, juxta ordinem Superioris.

Adjutores ædificet. 9. Si quem haberet adjutorem, curet ut eum verbo & exemplo ſuo ædificet, præſertim Novitios.

REGVLÆ EXCITATORIS.

I.

Quo tempore cubitum ibit, & alios excitabit. P.3.c.2.§.2. lit. E.& p 4.c.10. §.9. MEDIA ſaltem horæ parte ante ceteros cubitum eat, eodemque temporis ſpatio ante alios manè ſurgat, & horâ conſtitutâ campanam pulſet, ſtatimque ad omnia cubicula lumen deferens, cunctos excitet. Quod ut certiùs & meliùs præſtare poſſit, horologium excitatorium à Superiore habeat.

Quando viſitabit. 2. Quartâ horæ parte ab excitatione elapsâ, cubicula rurſus inviſet, ac ſi quos nondum ſurrexiſſe comperiat, Superiori nuntiet.

Quando pulſabit ad orationem. 3. Poſt aliam quartam horæ partem ad orationem pulſabit, ita ut ab excitatione ad orationis usque initium, ſemihora intercedat: abſoluto verò tempore orationi deputato, finis ſignum dabit.

Adjutores has regulas obſervent. 4. Si quorum operâ indigebit propter multitudinem eorum quos excitare aut viſitare debet, eos à Superiore petet, quos ſervare easdem regulas curabit: ſi qui autem debiles aut valetudinarii erunt, eos juxta ordinem Superioris excitabit.

Minùs decenter dormientes obſervet. 5. Si quem videret communem illam regulam minùs obſervantem, quâ omnes decenter cooperti dormire jubentur, Superiorem monebit.

REGV-

REGVLÆ NOCTV CVBICVLA VISITANTIS.

I.

Hora à Superiore præſcriptâ ad nocturnum conſcientiæ examen pulſabit, transactoque quadrante ſignum dabit ad cubandum. *Quando ad examen pulſabit.*

2. Elapsâ quartâ horæ parte à cubandi ſigno, ſingula cubicula adibit, & an omnes ad lectum ſe receperint, ac lucernas extinxerint, videbit: ſi quos invenerit extra lectum, aut qui lucernas non extinxerint, Superiori renuntiabit. P.4 c.10.§. 9. P.3 c.2.§. 2. *Poſteà cubicula viſitabit.*

EPISTOLA S. P. N. IGNATII DE VIRTVTE OBEDIENTIÆ.

Ignatius Lojola Fratribus Societatis IESV, qui ſunt in Luſitaniâ, gratiam, & amorem Chriſti Domini ſempiternum.

I.

Magnam animi voluptatem capio, Fratres in Chriſto cariſſimi, cùm affertur ad me, quàm acri ſtudio conatuque ad ſummam virtutis, ac Divini obſequii perfectionem enitamini; beneficio illius, qui vos ut ad hoc

vitæ inſtitutum vocavit, ſic in eodem pro ſuâ clementiâ retinet, dirigitque ad beatum finem, ad quem, qui ſunt ab ipſo electi, perveniunt.

2. Atque ego ſanè, cùm vos omnibus donis ornamentisque ſpiritualibus perfectos, tum verò (quod aliàs ex me cognoviſtis) inprimis Obedientiæ virtute præſtantiſſimos eſſe cupio: idque non ſolùm ob eximia quædam ac ſingularia ejus bona, quæ tot, tamque illuſtribus ſacrarum Litterarum teſtimoniis, atque exemplis in Teſtamento æquè novo ac veteri comprobantur; ſed etiam quòd (ut eſt apud Sanctum Gregorium) Obedientia ſola virtus eſt, quæ virtutes ceteras menti inſerit, inſertasque cuſtodit. Hæc dum floruerit, florebunt proculdubiò reliquæ, edentque fructus, quales & ego in animis veſtris exopto, & ſuo jure poſtulat is, qui humanum genus neglectæ Obedientiæ ſcelere afflictum ac perditum, ſalutari ipſemet Obedientiâ reparavit, factus obediens usque ad mortem, mortem autem Crucis.

Lib. 35. Moral. c 10.

Ad Philip. 2.

3. Ab aliis religioſis ordinibus faciliùs patiamur ſuperari nos jejuniis, vigiliis, & ceterâ victus cultusque aſperitate, quam ſuo quique ritu ac diſciplinâ ſanctè ſuſcipiunt: verâ quidem ac perfectâ Obedientiâ, abdicationeque voluntatis atque judicii maximè velim, fratres cariſſimi, eſſe conſpicuos, quicumque in hac Societate Deo Domino noſtro deſerviunt: ejusdemque Societatis veram, germanamque ſobolem hac quaſi notâ diſtingui, qui numquam intueantur perſonam ipſam, cui obediunt, ſed in eâ Chriſtum Dominum, cujus causâ obediunt. Siquidem Superiori, nec ſi prudentiâ, bonitate, ceterisve quibuslibet Divinis donis ornatus inſtructusque ſit, propterea obtemperandum eſt; ſed ob id ſolum, quòd vices gerat Dei, ejusdemque auctoritate fungatur, qui dicit, *Qui vos audit, me audit, & qui vos ſpernit, me ſpernit:* nec contrà, ſive conſilio aut prudentiâ minùs valeat, quidquam idcircò de Obedientiâ remittendum, quatenus ille Superior eſt; quando illius perſonam refert, cujus ſapientia falli non poteſt: ſupplebitque ipſe, quidquid miniſtro defuerit, ſive probitate, aliisque ornamentis careat. Siquidem diſertis verbis Chriſtus Dominus cùm dixiſſet, *Super Cathedram Moyſi ſederunt Scribæ & Phariſæi*, protinus addidit, *Omnia ergo quæcumque dixerint vobis, ſervate & facite; ſecundùm verò opera eorum nolite facere.*

Luc. 10, 16.

Matth. 23, 3.

4. Quocircà ſedulò vos in eam curam, atque exercitationem incumbere cupio, ut Chriſtum Dominum in Superiore quolibet agnoſcere ſtudeatis, in eoque Divinæ Majeſtati reverentiam atque obedientiam ſummâ

mâ cum religione præſtare. Quòd vobis minùs mirum videbitur, ſi animadverteritis præceptum eſſe ab Apoſtolo, ut Superioribus etiam ſæcularibus ethnicisque pareamus, ut Chriſto, ex quo omnis poteſtas benè inſtituta deſcendit: ſic enim ſcribit ille ad Epheſios, *Obedite Dominis carnalibus cum timore & tremore, in ſimplicitate cordis veſtri, ſicut Chriſto: non ad oculum ſervientes, quaſi hominibus placentes, ſed ut ſervi Chriſti, facientes voluntatem Dei ex animo, cum bona voluntate ſervientes, ſicut Domino, & non hominibus.* Atque hinc exiſtimare poteritis ipſi, cùm ſe religioſus quiſpiam regendum ac moderandum alteri tradidit, non ſolùm ut Superiori, ſed etiam nominatim ut Chriſti partes agenti; quo illum loco apud animum ſuum habere, utrum ut hominem, an ut Chriſti Vicarium debeat intueri. Cap.6. v.5.6.7.

5. Jam verò illud etiam vobis clarè compertum eſſe, ac in animis veſtris penitùs inſidere vehementer cupio, infimam & valdè imperfectam eſſe illam obedientiæ formam, quæ mandata dumtaxat opere exequitur, nec virtutis nomine dignam, niſi ad alterum gradum aſcendat, qui voluntatem Superioris ſuam efficit, & cum eâ ita concordet, ut non ſolum in effectu executio appareat, verùm etiam in affectu conſenſio; ſicque idem velit uterque, idem nolit. Atque propterea in ſacris Litteris legimus, *Melior eſt Obedientia, quàm victimæ:* Siquidem (ut S. Gregorius docet) *Per victimas aliena caro, per obedientiam verò voluntas propria mactatur:* quæ quidem pars animi, quoniam eſt adeò præſtans, ſic fit ut ejus oblatio Domino ac Creatori noſtro per obedientiam facta, magni ſit æſtimanda. 1.Reg.15,22. Lib.35. Moral. c.10.

6. Quanto in errore, quamque periculoſo verſantur non ſolùm ii, qui in iis quæ ad carnem & ſanguinem pertinent, ſed illi etiam qui in rebus alioquin admodum ſanctis ac ſpiritualibus, ut jejuniis, precationibus, aliisve quibusvis pietatis operibus fas putant à præſcripto Superioris ac voluntate diſcedere! Audiant quod ſapienter adnotat Caſſianus in Collatione Danielis Abbatis: *Vnum ſanè*, inquit, *atque idem inobedientiæ genus eſt, vel propter operationis inſtantiam, vel propter otii deſiderium, ſenioris violare mandatum: tamque diſpendioſum eſt pro ſomno, quàm pro vigilantiâ, Monaſterii ſtatuta convellere: tantum denique eſt, Abbatis tranſire præceptum ut legas; quantum ſi contemnas, ut dormias.* Sancta fuit actio Marthæ, ſancta contemplatio Magdalenæ, ſancta pœnitentia & lacrymæ, quibus pedes Chriſti Col.4.c.20.

Domini rigabantur: ſed hæc omnia nimirum oportuit fieri in Bethaniâ, quam vocem domum Obedientiæ interpretantur, ut eâ re, quemadmodum ait S. Bern. nobis ſignificare voluiſſe Dominus videatur, *nec ſtudium bonæ actionis, nec otium ſanctæ contemplationis, nec lacrymam pœnitentis, extra Bethaniam illi accepta eſſe* potuiſſe.

In ſerm. ad milit. templ. cap. 13.

7. Quocirca voluntates veſtras, fratres cariſſimi, quoad ejus fieri poteſt, omnino deponite: libertatem Conditori veſtro, quam vobis ipſemet elargitus eſt, in ejus miniſtris liberè tradite ac dicate. Nolite exiguum veſtri liberi arbitrii fructum putare, quòd liceat vobis illud, à quo id accepiſtis, eidem per obedientiam plenè reddere. Quod cùm facitis, non modò non perditis ipſum, verùm etiam augetis atque perficitis; quippe qui veſtras omnes voluntates certiſſimâ rectitudinis regulâ moderamini voluntate divinâ, quam videlicet interpretatur is qui vobis Dei nomine præſidet.

8. Itaque diligenter illud etiam cavendum eſt, ne Superioris ullo unquam tempore voluntatem (quam ducere pro Divinâ debetis) ad veſtram detorquere nitamini: id enim eſſet non veſtram divinæ conformare, ſed divinam veſtræ voluntatis normâ regere velle, ejusdem divinæ ſapientiæ ordinem invertentes. Sanè quàm magnus eſt error, & quidem eorum quos amor ſui obcæcavit, obedientes exiſtimare ſeſe, cùm Superiorem ad id quod ipſimet volunt, aliquâ ratione pertraxerit. S. Bernardum in hac re præclarè exercitatum audite: *Quisquis*, inquit, *vel apertè, vel occultè ſatagit, ut quod habet in voluntate, hoc ei ſpiritualis Pater injungat; ipſe ſe ſeducit, ſi fortè ſibi quaſi de obedientiâ blandiatur. Neque enim in eâ re ipſe Prælato, ſed magis ei Prælatus obedit.* Quæ cùm ita ſint, quisquis ad obedientiæ virtutem velit pervenire, oportet ad hunc ſecundum obedientiæ gradum aſcendat, ut Superioris non ſolùm juſſa exequatur, ſed etiam ejus voluntatem ſuam faciat, ſeu potiùs ſuam exuat, ut divinam à Superiore expoſitam induat.

In ſerm. de trib. ordin. Eccleſiæ.

9. Qui verò ſe totum penitùs immolare vult Deo, præter voluntatem, intelligentiam quoque (qui tertius, & ſummus eſt gradus obedientiæ) offerat neceſſe eſt; ut non ſolùm idem velit, ſed etiam ut idem ſentiat, quod Superior; ejusque judicio ſubjiciat ſuum, quoad poteſt devota voluntas intelligentiam inflectere. Quæ vis animi tametſi non eâ, quâ voluntas pollet, libertate prædita eſt; atque ipsâ naturâ fertur ejus aſſenſus

in

in id, quod ſibi veri ſpeciem præbet; tamen multis in rebus, in quibus videlicet cognitæ veritatis evidentia vim illi non infert, poteſt voluntatis pondere in hanc potiùs, quàm in illam partem inclinari. Quæ res cùm incidunt, debet, quisquis obedientiam profitetur, inclinare ſeſe in ſententiam Superioris. Etenim cùm obedientia ſit quoddam holocauſtum, quo totus homo ſine ullà prorſus imminutione Conditori ſuo ac Domino per manus miniſtrorum in caritatis igne immolatur; cumque ſit eadem renuntiatio quædam integra, per quam omni ſuo jure ſponte decedit religioſus, ut Divinæ providentiæ Superioris ductu gubernandum ac poſſidendum ultrò ſeſe addicat ac mancipet; negari non poteſt, quin Obedientia comprehendat non ſolùm executionem, ut imperata quis faciat, & voluntatem, ut libenter faciat; ſed etiam judicium, ut quæcumque Superior mandat ac ſentit, eadem inferiori & recta & vera eſſe videantur; quatenus, ut dixi, vi ſuâ poteſt voluntas intelligentiam flectere.

10. Vtinam hanc mentis & judicii obedientiam, ita & intelligerent homines & exercerent, ut grata Deo eſt, ac omnibus, qui in religione vivunt, neceſſaria.

Nam ut in corporibus, globisque cæleſtibus, ut alius alium afficiat moveatque, requiritur, ut certâ quadam convenientiâ & ordine inferior orbis ſuperiori ſubjiciatur; ſic in hominibus, cùm alter alterius auctoritate movetur, (quod per Obedientiam fit) oportet ut is, qui ab alterius nutu pendet, ſubſerviat & obſecundet, ut virtus ab imperante ad eum derivetur & influat. Hæc autem obtemperandi obſecundandique ratio conſtare non poteſt, niſi voluntas ac judicium inferioris cum Superioris voluntate ac judicio congruat.

11. Jam verò ſi finis & cauſa obedientiæ ſpectatur, quemadmodùm voluntas, ita & judicium in eo, quod nobis convenit, decipi poteſt. Ergo ſicuti ne voluntas erret, cum Superioris voluntate conjungitur; ſic intelligentia, ne fallatur, ad Superioris intelligentiam conformanda eſt. *Ne innitaris prudentiæ tuæ*, ſacræ Litteræ monent: atque in Prov. 3. 5. rebus etiam humanis cenſent ſapientes, verè prudentis eſſe, ſuâ ipſius prudentiâ minimè fidere; præſertim in rebus ſuis, quarum homines animo perturbato ferè boni judices eſſe non poſſunt. Quòd ſi in rebus noſtris alterius, etiam non Superioris, judicium atque conſilium noſtro ante-

anteponendum eſt, quantò magis ipſius Superioris, cui nos, ut Dei vicem gerenti, ac divinæ voluntatis interpreti moderandos tradidimus? In cauſis verò perſoniſque ſpiritualibus eò major etiam cautio proculdubio eſt neceſſaria, quò gravius eſt ſpiritualis viæ periculum, cùm ſine frenis conſilii, diſcretionisve in eâ decurritur. Quâ de re commodè Caſ-

Col. 2. c. 11. ſianus in Collatione Abbatis Moſi ait, *Nullo alio vitio tam præcipitem diabolus monachum pertrahit, ac perducit ad mortem; quàm cùm eum neglectis conſiliis ſeniorum, ſuo judicio perſuaſerit definitionique confidere.*

12. Præterea, niſi hæc obedientia judicii exiſtat, fieri non poteſt, ut vel conſenſus voluntatis, vel executio talis ſit, qualem eſſe oportet: naturâ enim ita comparatum eſt, ut animi noſtri vires, quæ appetitivæ dicuntur, ſequantur apprehenſivas; & niſi adhibitâ vi, voluntas, judicio repugnante, diu obtemperare non poterit. Quòd ſi fortè quis aliquo temporis ſpatio obediat per communem illam apprehenſionem, quâ cenſetur, perperam etiam præcipienti parendum eſſe; certè id ſtabile ac fixum eſſe non poteſt: atque ita perſeverantia deficit, vel ſaltem obedientiæ perfectio, quæ in promptè & alacriter obediendo conſiſtit: non enim ibi poteſt eſſe alacritas ac diligentia, ubi eſt animorum ſententiarumque diſſenſio. Perit etiam exequendi ſtudium & celeritas, cùm ambigitur, expediat necne facere quod jubemur: perit celebris illa obedientiæ cæcæ ſimplicitas, cùm apud nos ipſos in quæſtionem vocamus, rectene præcipiatur, an ſecus; atque etiam fortaſſe damnamus Superiorem, quòd ea mandet, quæ nobis non ita jucunda ſunt: perit humilitas, quoniam etſi ex alterâ parte paremus, ex alterâ tamen noſmetipſos Superiori præferimus: perit in rebus arduis fortitudo: perit denique (ut ſummatim complectar) virtutis hujus vis omnis ac dignitas. Succedunt autem in eorum locum dolor, moleſtia, tarditas, laſſitudo, obmurmurationes, excuſationes, aliaque vitia non ſanè levia, quibus obedientiæ pretium ac meritum prorſus extinguitur. Itaque Sanctus Bernar-

Serm. 3. de Circumciſione. dus, de iis qui graviter ferunt imperata minùs ſibi ſuavia, ſic ait: *Hæc ſi moleſtè cœperis ſuſtinere, ſi dijudicare Prælatum, ſi murmurare in corde, etiamſi exteriùs impleas quod jubetur, non eſt hæc virtus patientiæ, ſed velamentum malitiæ.* Quòd ſi pax & tranquillitas animi quæritur, certè hac

non

non fruetur is, qui habet intra ſeſe cauſam perturbationis, atque tumultus, diſſenſionem videlicet judicii proprii ab obedientiæ lege.

13. Atque idcircò, tuendæ concordiæ causâ, quæ ſocietatis omnis Rom. 15. 5.
Rerum ſpiritualium & inſtituti cognitionem habeat. Exemplum præbeat, ſeque amabilem exhibeat.p.591.r.1.Præf.rer. ſpir.

Noſtros inſtruat. ibid.r.2.

Quid à noſtris petet.ibid. r. 3.

Eos dirigat in rebus inſtituti & oratione.ibid.r.4.

Quid circa lectionem librorum ſpiritualium curabit.ibid.r.5.

Curet ſolari afflictos, tepidos exhortari, remedia adhibendo ; & qualia hæc ſint : & intelligat quæ ipſe concedere poſſit. p.592. r. 6.

Inſtruat coadjutores. ibid.r.7.

Doceat omnes quomodo ad Sacramentum accedendum.ibid.r.8.

Singulis menſibus cum unoquoque de his agat.ibid.r.9.

Videat ne ſtudia & alia impediantur. ibid.r.10.

Peculiarem habeat curam Novitiorum, niſi aliunde proſpectum ſit.ibid. r.11.

Præfectus ſanitatis.

Ejus munus p.624.r.1.Præf. ſan.

Infirmario præſit, medico adſit, Cubicula ſalubria curet,ibid.r.2.

Videat,ne quis ſe morbi periculo exponat.ibid. r.3.

Superiorem admoneat de iis, quæ saluti proſunt.ibid r.4.

Infirmarii Regulas habeat & obſervari faciat.ibid.r.5.

Præpoſitus.

Qualis eſſe debeat.p.534.r.1.Præp.

Oratione Domum ſuſtineat, & quod in aliis optare debet, in ſe præſtare ſtudeat. ibid.r.2.

Vitet particularia in cibo , &c. & familiaritatem.ibid.r.3.

Doctri-

Doctrinam Chriſtianam 40. diebus docebit. ibidem. r.4.
Conſuetudines approbatas ſervet, novas non introducat. ibid. r.5.
Conſtituat, qui domeſtica obeant miniſteria ibid. r.6.
Idonei non facile mutentur. ibid.
Nec officiales labore graventur: & vacuum illis tempus curet, ut utiliter impendant. p.535. r.7.
Domus Confeſſarium non deſignet. ibid. r.8.
In virtute obedientiæ raro jubeat. ibid. r. 9.
Ordinarias tantum pœnitentias imponat. ibidem, r.10.
Diſpenſare in regulis, & quomodo poſſit. ibidem, r.11.
Intelligat quas habeat facultates. ibid. r. 13.
Sit ſollicitus ne officio ſuo officiales deſint. ibidem, r.14.
Singulis hebdomadis de rebus majoris momenti cum conſultoribus aget. p. 536. r. 15.
Illis auditis, ſuum erit ſtatuere. ibid.
Eos & admonitorem libenter audiat, & curet ſervanda quæ in formula ſcribendi præſcribuntur. ibid. r.16.
Viſitationes & ordinationes in quo libro ſcribentur. ibid, r.17.
Inſtitutum Societatis ex qua lectione cognoſcet. ibid. r.18.
In libellum referat quæ ſibi ad bonum domus ſtatum occurrunt. ibid. r. 19.
Miſſas pro quibus applicare poteſt. ibidem, r.20.
Obedientiam ab omnibus ſervari curet. p.537. r.21.
Et obſervantia regularum, vigilantia ejus erga domeſticos. ibid. r.22.
Conſcientiæ ratio, aſſignet qui audiant confeſſiones generales. ibid. r.23.
Crebro ſubditos alloquatur. ibid. r.26.
In injungendis pœnitentiis quid advertendum. p.538. r 27.
Modus in correctionibus ſervandus. ibid. r.28.
Vnionem noſtrorum curet. ibid. r.33.
De promovendis Provincialem moneat. p.540. r.45.
Procuratorem eleemoſynarum habeat, & ab eo rationem exigat. p.542. r.59. & 60.
Quibus aſſignabit vel non aſſignabit adjutores. ibid. r.62.
De extraordinariis expenſis Provincialem admoneat. p.543. r. 68.
Non permittat noſtros in cauſis civilibus examinari. ibid r.70.
Iumentum equitandi cauſa domi nullum ſit. ibid. r.71.
E Societate dimiſſum, vel ſine licentia venientem, non admittat. p.544. r.81.
De noſtris loco mutandis Provincialem admoneat. p. 545. r.86.

Probatio Prima.

Cum iis, qui in ea ſunt, non loquendum. p.508 r.27. com.
Ad eam admiſſus quanto tempore hoſpitum more diverſabitur. p.561. r. 9. Mag. Nov.
Ei declarandum quomodo ſe gerere debeat. ibid. r.10.
Quos libros & regulas habebit. ibid. r. 11.
Quando & quomodo examinandus. p. 562. r.12.
Regulas, &c. conſideret. ibid. r 13.
Ordo examinandi admiſſum. ibid. r. 14.
Quæ magis illi explicanda. ibid. r. 15.

Pro-

Propenſus ad ſtudia, ſed ineptus & indifferens, de qua re interrogandus. ibid. r. 16.

Sincere reſpondeat, & confeſſarius admonendus ut ejus conſcientiam ſtimulet. p. 563. r. 17.

In interrogationibus ſervetur ſecretum. ibidem, r. 18.

Promittat ſe relicturum omnia bona poſt annum ab ingreſſu, & quomodo. ibid. r. 19.

Accurate informetur de rebus noſtri inſtituti, & pia lectione recreetur. ibidem, r. 20.

Coadjutores temporales in ſua vocatione plene inſtruendi, & aliquo exercitio corporali, ſejuncti ab aliis, occupandi. ibid. r. 21.

Scholaſtici quas lectiones prælegent, & exhortationem faciant. ibidem, r. 22.

Spiritualia etiam exercitia ut primum experimentum. ibid. r. 23.

Admiſſus generaliter confiteatur, & conſcientiam ſuam Superiori aperiat, & quæ deinde ei declarabuntur. ibid.

Poſt SS. Euchariſtiæ Sacramentum ſuſceptum, cum aliis in ſecunda Probatione verſetur. p. 564. ibid.

Habita ratione valetudinis, &c. poterunt exercitia ſpiritualia illi differri. ibid. r. 24.

Quæ affert, Procurator in libro ſcribat. ibidem, r. 25.

Semel egreſſi, iterum admiſſi, probandi. p. 517. r. 46. Prov.

Probatio ſecunda, & Novitii.

Qui in ea ſunt, cum fructu in experimentis exerceantur. p. 565. r. 28. Mag. Novit.

In hoſpitalibus per menſem ſervire debent. ibid. r. 29.

Menſe alio ad peregrinandum mittantur. ibidem, r. 31.

In hoc 2. 5. & 6. experimento, quale & cujus teſtimonium ſecum afferent. ibid. r. 32.

Quomodo conſanguineos, & amicos alloquantur. p. 568. r. 52.

Sexto quoque menſe, litteras Apoſt. regulas, &c. conſiderent. p. 570. r. 63.

Et reddant rationem conſcientiæ, & generaliter confiteantur, & cui. pag. 571. r. 67.

Probatio tertia

Peragenda. p. 520. r. 68. Prov.

Quomodo. p. 570. r. 58. Mag. Nov.

Procurator Collegii, & Domus Probationis.

In negotiis memor ſit inſtituti. p. 618. r. 1.

Quos benevolos conſervabit. ibid.

Res temporales conſervet. ibid. r. 2.

Proventus recipiat. ibid.

Quæ ſcribet in libro. p. 619. r. 3.

Rectori ſingulis menſibus rationem reddet. ibid. r. 4.

Arca pecuniarum, & earum liber. ibid. r. 5.

Ex ea acceptam pecuniam notet. ibid. r. 6.

Notet etiam quæ Novitii afferunt, cum Societatem ingrediuntur. ibid. r. 7.

Emptori pecunias dabit, & ab eo quotidie rationem exiget. ibid. r. 8.

Res bonas & quam opportune emi curabit. ibid. r. 9.

Res illæſæ conſerventur. ibid. r. 10.

Reparanda & vendenda. p. 620. r. 11.

Sæculares negotiationes fugiat. ibid. r. 12.
Locationes, & ſimilia inſcio Superiore non faciet. ibid. r. 13.
Quid circa lites. ibid. r. 14. & 16.
Publica judicia & tribunalia fugiat. ibid. r. 15.
Solide negotia expediat. ibid. r. 17.
Ea cum Superiore conferat. ibid. r. 18.
Quæ in Archivio aſſervabit. ibid. r. 19.
Quæ etiam ſeparatim. p. 621. r. 20.
Librum habeat Inſtrumentorum. ibid. r. 21.
Quæ exempla authentica Romam mitti curabit. ibid.
Cubiculum clavi obſeratum, & ſcripta neceſſaria apud ſe habeat. ibid. r. 22.
Sibi injuncta à Superiore in libellum referat. ibid. r. 23.
Catalogum habeat Benefactorum. ibid. r. 24.

Procurator Domus Profeſſæ.

In negotiis memor ſit Inſtituti. p. 616. r. 1. Proc. dom.
Quos benevolos conſervabit. ibid.
Eleemoſynas diligenter quæret. ibid. r. 2.
Habeat Catalogum eorum, qui eleemoſynas faciunt. ibid. r. 3.
Modus eas petendi. ibid. r. 4.
Officii ſocium habeat. ibid. r. 5.
Eleemoſynas quotidie ſcribat. ibid. r. 6.
Eas non accipiat pro miniſteriis Societatis. ibidem, r. 7.
Arca & liber pecuniarum. p. 617. r. 8.
Scribat pecuniam ex arca acceptam. ibid. r. 9.
Quæ etiam Novitii afferunt, cum Societatem ingrediuntur. ibid. r. 10.
Superiori ſingulis menſibus rationem reddet. ibid. r. 11.
Quæ in Archivio aſſervabit. ibid. r. 12.
Quæ etiam ſeparatim. ibid. r. 13.
Librum habeat inſtrumentorum. ibid. r. 14.
Quæ exempla authentica Romam mitti curabit. ibid.
Cubiculum clavi obſeratum habeat. ibid. r. 15.
Res bonas & opportuno tempore emi curet. p. 618 r. 16.
Emptori pecunias dabit, & ab eo rationem quotidie exiget. ibid. r. 17.
Res illæſæ conſerventur. ibid. r. 18.

Procurator Generalis

In negotiis memor ſit Inſtituti Societatis. p. 612. r. 1. Procur. Gener.
Quos benevolos conſervabit. ibid.
Negotia ad eum pertinentia. p. 613. r. 2.
Quibus ſuperintendet. ibid. r. 3.
Quæ negotia non aget ſine approbatione Generalis. ibid. r. 4.
Lites curet componere. ibid. r. 5.
Solide negotia expediantur. ibid. r. 6.
De ſtatu negotiorum Generalem, & eos, ad quos pertinet, admoneat. ibid. r. 7. & 8.
Libros habeat rationum. p. 614. r. 9.
Quando ſummam rationum colliget. ibid.
In libro ſcribat beneficia Collegiis unita. ibid. r. 10.
Quid circa quindennia. ibid.
Curet ſolvi pecunias ſuo tempore. ibid. r. 11.
Quid aget circa pecuniam ad negotia miſſam ibidem, r. 12.
Quid circa Bullas, brevia, ſupplicationes. p. 615. r. 13. & 14.

Summam

Summam negotiorum in librum referat. ibid. r. 15. & exempla etiam litterarum quas ſcribet. ibid. r. 16.
Quæ emet, quæque ad Provincias mittet. ibid. r. 17.
Quid circa confirmationem privilegiorum curabit. ibid. r. 18.
In quibus ſubditus erit Rectori Collegii. p. 616. r. 19.

Profeſſi

Non poſſunt uti reditibus Collegiorum, niſi in minimis. p. 541. r. 65. Præp. & p. 553. r. 61. Rect.
In Domibus Profeſſis commorentur. p. 521. r. 74. Prov.

Profeſſores.

Litterarum. *Vide.* p. 517. r. 47. Prov.
Philoſophiæ. pag. 518. r. 53. Prov.

Proficiſci.

Nil cum quis proficiſcitur aſportandum. p. 507. r. 25. comm.
Qua facultate proficiſcendum. p. 526. r. 105. Prov.

Promovendi.

Vide p. 540. r. 45. Præp. & p. 519. r. 62. & p. 520. r. 69. & 70. Prov.

Propenſio.

Vide Animus.

Proprietas.

Bonorum quibus permittitur uſus ad propriam utilitatem non conceditur. p. 523. r. 90. Prov.
Nulla re tamquam propria utendum. p. 500. r. 24. ſum.

Provincialis.

Ab eo diligentius ſervanda, quæ in Superiorum Regulis præſcribuntur. p. 510. r. 1. Prov.
Finis ejus officii. ibidem, r. 2.
Chriſtum imitetur, & exemplo magis quam verbo ſubditos promoveat. ibid. r. 3
Severitatem cum manſuetudine ſuo tempore miſceat, Se amabilem reddat. p. 511. r. 4.
Ob ſollicitam gubernationem, non intepeſcat in ſtudio orationis. ibid. r. 5.
Societatis miniſteria quando exercere poſſit. ibid.
Regulas non abbroget, nec novas inducat inſcio Generali. ibid. r. 6.
Cum in Regulis diſpenſaverit, Generalem admoneat. ibid. r. 7.
Provincialis facultates. ibid. r. 8. & 9.
Aliorum Superiorum facultates ab eo ſuſpendi poſſunt. ibid. r. 9.
Quando Viceprovincialem nominare poſſit. ibid. r. 10.
Quot & ubi conſultores habebit. p. 512. r. 11.
Quos alios ad Conſultationes adhibere poterit. ibid. r. 12.
Quas litteras & ordinationes Conſultoribus & Superioribus oſtendet, quaſque in librô ſcribi curabit. ibid. r. 13. & r. 14.
In re conſultanda ſe indifferentem oſtendat. ibid. r. 15.
In re Conſultoribus non proponenda quomodo deliberabit. ibid. r. 16.
Admonitorem audiat, & ſe admonere libenter patiatur. ibid. r. 17.
Decreta, & Regulas, &c. & ordinationes miſſas à Generali, & litteras Apoſtolicas authenticas ſecum habeat, & intelligat, &c. p. 613. r. 18.
Vbi Archiuium habendum, quid in eo aſſervandum, & quomodo ſucceſſori tradendum. ibid. r. 19.
In libellum res agendas referat, ne memoria excidant. ibid. r. 20.
Miſſas & orationes in Provincia indicere poteſt. ibid. r. 21.
Superiorum mutationem poteſt facere, & alium qui vicem gerat nominare, dum Generalem admoneat, & quos officiales deſignare poſſit. ibid. r. 22. 23. & p. 514. r. 25.

Quomodo Confeſſarios, & Prædicatores conſtituet. ibid. r. 26.

Quos Lectores, & officiales in omnibus claſſibus, & Vniverſitatibus deliget. ibid.

Nullas ſcholas aperiat ſine facultate Generalis. ibid. r. 27.

Auctoritatem Superiorum immediatorum quomodo tueri debeat. ibidem. r. 28.

Experimentum ſumat de idoneis ad gubernandum. ibid. r. 29.

Obſervet aptiores ad alia officia, detentos in aliis. ibid. r. 30.

Nullum ab obedientia Superiorum immediatorum eximat, niſi, &c. ibidem, r. 31.

Quos, & quomodo ad Societatem admittet. ibid. r. 32.

Attendat ne noſtri ſint nimii in hominibus ad Societatem alliciendis. p. 515. r. 33.

Obſervare faciat regulas examinatorum de admittendis ibid. r. 34.

Quid aget circa quinque prima impedimenta admittendorum. ibid. r. 35.

Quomodo in aliis diſpenſabit. ibid. r. 36.

Experimenta Novitiorum anteponere, & permutare poteſt, & tempus probationis prorogare. ibidem, r. 37.

Quomodo in ſecundo anno Novitiatus poſſit diſpenſare circa ſtudium, quidquid diſpenſati agere debeant. ibid. r. 38.

Coadjutores temporales quot admittet. ibid. r. 39.

Novitios dimittere, & quomodo poteſt. p. 516. r. 40. & r. 41.

Alios, non niſi in aliquibus caſibus. ibid. r. 41.

Ejus erit judicare de cauſis ſufficientibus ad dimiſſionem, & quomodo. ibidem, r. 42.

Formatos, & Profeſſos nullo modo dimittet. ibid. r. 43.

Quid obſervabit circa modum dimittendi ibid. r. 44.

Semel egreſſos, iterum admiſſos, probari curet. p. 517. r. 46.

Litterarum Profeſſores idoneos, & eruditos conſtituat. ibid. r. 47.

Diligenter curet ut res ad ſcholas pertinentes bene procedant. ibid. r. 48.

Aſſignet unicuique quid addiſcere debeat. ibid. r. 49.

Ineptos à ſtudiis removeat. ibid.

Curet ut noſtri ante ſcientias bene teneant linguam Latinam; & eorum qui eam profitentur curam habeat. Seminaria inſtituet & conſervabit. ibid. r. 50.

Aliarum linguarum ſtudium commendatum habeat; Hebrææ uſum quibus concedet. ibid. r. 51.

Quales ad repetenda ſtudia deſignabit. p. 518. r. 52.

Quomodo Noſtros Philoſophiam explicare, quoſque eos Auctores legere curabit. ibid. r. 53.

Novas opiniones prohibeat, & ſtudiorum rationem obſervari faciat. ibidem, r. 54.

Propenſos ad aliquam facultatem in ea diutius verſari curet. ibid. r. 55.

In facultatibus non proficientes ad conſcientiæ caſus applicet. ibidem, r. 56.

In ſingulis Domibus & Collegiis conſtituat, qui caſuum conſcientiæ difficultatibus ſatisfaciat ibid. r. 57.

Comœdias, & Tragœdias Latinas non niſi rariſſimas & extra eccleſiam permittet, p. 519. r. 58.

Generalem de ſingulorum talentis admoneat. ibidem, r. 59.

Non

Non permittat unius linguæ in alteram libros transferri: nec de novo imprimi ſine Generalis facultate. ibid. r. 60.

Quos ad ordines præſentare poteſt. ibid. r. 61.

In actibus excercitatos non promoveat ad gradus ſine Generalis facultate, ibid. r. 62.

Si cum promovendis in aliquo diſpenſaveri:, admoneat Generalem. ibidem, r. 63.

Curet, ne noſtri nomine Doctoris, vel Magiſtri, ratione gradus utantur, ibid. r. 64.

Quos poſſit ad vota ſimplicia admittere, p. 520 r 65.

Quomodo abſoluto biennio ea emitti curet. ibid. r. 66.

Poteſt applicare indifferentes ad gradum, ibid. r. 67.

Curet ut quiſque, abſolutis ſtudiis, tertium probationis annum peragat, ibid. r. 68.

Quando Generalem de promovendis ad gradum admonebit. ibid. r. 69.

Quæ ſervanda curabit antequam admittat ad gradus, ibid. r. 70

Quæ vota ſimplicia poſt profeſſionem emitti curabit, & ut per 40. dies doctrina Chriſtiana doceatur. p. 521. r. 71.

In librum referat qui vota emittunt. ibid. r. 72.

Mittat Profeſſorum vota ad Generalem. ibid. r. 73.

Profeſſos, &c. in Profeſſis Domibus commorari curet. ibid. r. 74.

Quid circa ædificia curabit. ibid. r. 75.

Quid illi agendum circa reditus, & bona ſtabilia, etiam data Domibus Profeſſis. ibid r. 76.

Quid etiam circa lites. ibid. r. 77.

Exempla authentica contractuum majoris momenti Romam mittat. p. 522. r. 78.

Quid faciet circa computa dati & accepti Collegiorum. ibid. r. 79.

Viſitet bona ſtabilia. ibid. r. 80.

Quid faciet cum fundationes offeruntur. ibid. r. 81.

Æs alienum loca noſtra conflare non ſinat, nec in iis plures habitare quam ali poſſint, ibid. r. 82.

Statuat contributiones ad ſumptus communes. ibid. r. 83.

Quid obſervandum curabit circa veſtitum. p. 523. r. 84.

Res domeſticas inſpiciat, & mobilium Inventarium conferri faciat. ibidem, r. 85.

Quos permittet abdicare ſe poſſeſſione bonorum. ibid. r. 86.

Noſtris non permittat pactiones cum parentibus inire: & quando hæc facient. ibid. r. 87.

De diſpoſitione bonorum à noſtris facienda admoneat Generalem. ibid. r. 88.

Quid curabit cum bona applicantur Societati. ibid. r. 89.

Non ferat noſtros petere à parentibus, &c. ibid. r. 90.

Quomodo ſe geret erga Generalem. p. 524. r. 91.

Curet ut omnes de Superioribus bene ſentiant. ibid.

Omnia ſuæ Provinciæ Generali manifeſtari curet. ibid. r. 92.

Quæ in Congregationibus Provincialibus digna notabit Procuratori, tertio quoque anno ad Generalem venturo tradat. ibidem, r. 93.

Alias Provincias data occaſione juvet, ibidem, r. 94.

Benevolos nobis conſervet: qui adverſantur curet ut reconcilientur. ibid. r. 95.

Superioribus præſcribat eleemoſynas dandas. ibid. r. 96.
Intelligat qui ex noſtris ſe communicare externis debeant. p. 525. r. 97.
Concionandi, & doctrinæ Chriſtianæ docendæ modum obſervet; & quando à concionandi munere amovebit..ibid r. 98.
Curet ut ſint Confeſſarii, & Concionatores in Collegiis: ſtatuat quam frequenter concionandum. Ad juvandos qui peſte laborant, aliquos mittat ibid. r. 99.
Curet ut Confeſſarii maturioris ſint ætatis, & privilegiis moderate utantur. ibid. r. 100.
Quid curabit cum Domus Profeſſorum, & Collegium ſimul fuerint. ibid. r. 101.
Curet ut ornatus in noſtris feſtis moderatus ſit, &c. ibid. r. 102.
Quomodo agendum cum Congregationibus externorum, quæ confraternitates appellantur. ibid. r. 103.
Iudicium de admitttendis externis ad ordines, &c. curet ut Prælatis relinquatur. p. 526. r. 104.
Qua facultate noſtri alio proficiſcentur. ibid. r. 105.
Quæ obſervabit circa miſſiones, ibid. r. 106.
Inſtrui curet qui alio mittuntur, ibid. r. 107.
Eos etiam litteris, & orationibus juvabit. ibid. r. 108.
Optimos & maturiores mittat, & ſi ei videbitur, ſubiiciat alicui Superiori vicinióri. ibid. r. 109.
Quomodo eos revocabit. ibid. r. 110.
De inutiliter in miſſionibus occupatis Generalem admoneat. p. 527. r. 111.
Quid faciet in Miſſionibus, & transmutationibus extra Provinciam. ibid. r. 112.
Cognita morte Generalis, non mittat extra Provinciam qui jus ſuffragii habent. ibid r. 113.
Quid faciet cum ei peregre proficiſcendum eſt. ibid. r. 114.
Curet ut noſtri pedeſtri itinere utantur. ibidem. r. 115.
Itinerum expenſæ à quo ſolvendæ, ibid. r. 116.
Informet Superiorem de eo, qui ad eum mittitur: nullumque ſine litteris patentibus ire permittat. ibidem, r. 117.
Singulis annis, ſingula Provinciæ loca viſitet, &c. p. 528. r. 118.
Vel alium ad hoc ſibi ſubſtituat. ibid. r. 119.
Quid faciet cum ad locum viſitandum pervenerit. ibid. r. 120.
Templi Viſitatio, ibidem, r. 121.
Perſonarum. ibid. r. 122.
Informationem de ſtatu Collegii à quibus, & quomodo petet. ibid. r. 123.
Quomodo à Superioribus. ibid. r. 124.
Singulos ſeorſim vocabit, & interrogabit. p. 529 r. 125.
Hortetur ad veritatem ſincere dicendam. ibid. r. 126.
Admoneat ut ſervent ſecretum. ibid.
Non facile credat, quæ contra alios dicuntur. Caveat ne ſubditos minus obedientes reddat. ibid. r. 127.
Regulas officialium cum illis examinabit. ibid. r. 129.
Quas alias etiam Regulas, & cum quibus. ibid. r. 130.
Conſcientiæ rationem à quibus, & quando exiget. ibid. r. 131.
Quando renovationem votorum præmittere, aut differre poſſit, ibid.
Superior poſtremus omnium viſitandus. pag. 530. r. 132.

Conſide-

Conſideranda poſt viſitationem.ibid.133.
Quæ pertinent ad gubernationem, quibus expendenda tradet, Deoque commendari faciat. ibid. r. 134.
Executioni mandata, ex præteritæ viſitationis memoriali expungat. ibid.r.135.
A Generali approbata, ſua manu ſubſcribat in libro, ibid.
Pertinentia ad gubernationem, quæ & à quibus petet p.531.
Quæ etiam ab omnibus peti poſſunt.p. 532. 16.
Quæ à ſcholaſticis. p. 533. r. 25.
Quæ ab iis, qui in Probatione verſantur. p. ibid r. 30.
Modus accipiendi rationem conſcientiæ. ibid.

Proximus

Quomodo à quoque noſtrum ad bona opera promovendus. p. 509.r.42. com.
Immoderatus labor, & multo magis negligentia in eo adjuvando fugiatur. p. 539. r.38. Præp.

Recreatio.

Ejus tempus, & locus.p.541.r 56 Præp.& pag.551. r. 40. & p.552. r. 55. Rect.

Rector.

Qualis eſſe debeat.p.545. r. 1.Rect.
Oratione Collegium ſuſtineat. ibid.
Particularia in cibo, &c. evitet, & familiaritatem. ibid. r 2.
Doctrinam Chriſtianam per 40. dies prima vice doceat. p. ibid.r. 3.
Conſuetudines approbatas ſervet: novas non inducat.ibid. r.4.
Miniſteria domeſtica diſtribuat. p. 546. r. 5.
Confeſſarium Collegii ordinarium non conſtituat. ibid r.7.
In virtute obedientiæ raro iubeat. ibid. r. 8.
Ordinariis tantum pœnitentias imponat.ibid.r. 9.
Cum diſpenſaverit in rebus majoris momenti, Provincialem admoneat. ibid.r.10.
Intelligat quas habeat facultates. ibid. r. 12.
Sit ſollicitus ne officiales officio ſuo deſint. p. 547. r. 13.
Singulis hebdomadis de rebus majoris momenti cum Conſultoribus agat. ibid. r. 14.
Admonitorem præcipue benigne audiat. ibid. r. 15.
Quæ & quomodo in libro ſcribi faciet. ibid.r.16.
Qua lectione inſtitutum Societatis agnoſcet.ibid.r.17.
In libellum referat, quæ ad bonum Collegii, ei occurrunt. ibid r. 18.
Obedientiam ſervari faciat, & in eâ præire curet. p. 548. r. 20.
Conſtitutionum obſervantia, & vigilantia ejus circa domeſticos.ibid.r.21.
Subditos crebro, & cum caritate alloquatur.ibid. r. 25.
Eos in tentationibus juvet. ibid. r.25.
Ratio habenda in correctionibus, & in injungendis pœnitentiis p.549.r.26.
Quem modum ſervabit in correctionibus.ibid.r. 27.
Aliquos eligere poteſt, qui pœnitentias approbent.ibid. r. 30.
Menſura tamen in illis concedendis non excedatur. ibid. r. 31.
Vnionem in Noſtris curet. ibid. r. 32.
Provincialem admoneat de iis, qui ad ſtudia admittendi ſunt, vel ulterius promovendi. p.550. r. 37.
Impedimenta ſtudiorum removeat. ibid r.38.

Quando

Quando Præceptorem inſtituere poſſit. pag. 551. r. 41.

De diſpenſatione in actibus promovendorum ad gradus litterarios, Provincialem admoneat. ibidem, r. 42.

Sub finem ſtudiorum cujuſque, quid de talentis, &c. ſcribet ad Provincialem. ibid. r. 44.

A Procuratore rationem dati & accepti, & quo præſente exiget. p. 553. r. 57.

De expenſis extraordinariis Provincialem admoneat. ibid. r. 63.

Non permittat noſtros in cauſis civilibus examinari. ibid. r. 65.

Fundatoribus, & Benefactoribus gratitudinem exhibeat. p. 555. r. 76.

Neminem in Societatem admittat. ibid. r. 77.

Valde idoneum tamquam hoſpitem poteſt interim Domi recipere. ibid. r. 78.

Venientes ſine licentiâ non admittat. ibid. r. 79.

Quomodo ſe habeat ergo noſtros tranſeuntes, vel hoſpites. ibid. r. 80.

De male habentibus Provincialem admoneat. p. 556. r. 84.

Rector Univerſitatis.

Vide Cancellarius.

Refectio corporis.

In eâ temperantia & modeſtia ſervanda; ſua etiam animæ refectio præbenda. p. 501. r. 30. ſum.

Refectorium.

Vide Præfectus Refectorii.

Regulæ.

Communes, & particulares intelligendæ, & à quibus, & quo tempore legendæ. p. 510. r. 49. comm.

Diſpenſatio in illis, p. 511. r. 7. Prov. & p. 535. r. 11. Præp. & p. 546. r. 10. Rect.

Diligenter obſerventur. p. 537. r. 22. Præp. & p. 548. r. 21. Rect.

Non abrogentur, &c. nec novæ inducuntur. p. 511. r. 6. Prov.

Reliquiæ.

Vide p. 594. r. 18 Præf. eccleſ.

Reprehendere

Alios non licet, nec illis quidquam jubere. p. 508. r. 31. comm.

Res

Non uſurpanda, nec ab aliis accipienda ſine licentiâ. p. 506. r. 9. comm.

Domeſticæ externis non referendæ. p. 509. r. 38. comm.

Sacerdotes

Officia domeſtica aliquando obire poſſunt. p. 538. r. 34. Præp. & p. 549. r. 33. Rect.

Diſciplina religioſa illis præcipue commendata. p. 602. r. 1. Sacerd.

Officium divinum recitandum. ibid. r. 2.

Quando confitebuntur. ibid. r. 3.

Cærimoniæ, & alia in Miſſâ ſervanda. ibid. r. 4.

Admoniti ad Sacrum faciendum ſtatim eant. ibid. r. 5.

Doctrinam Chriſtianam promoveant. ibid. r. 6.

Exercitiorum ſpiritualium uſum valde familiarem habeant. ibid. r. 7.

Ad ſuum munus Confeſſarii multum affici ſtudeant. ibid. r. 8.

Confeſſiones niſi deputati non audiant. p. 603. r. 9.

Quomodo Sacramenta adminiſtrabunt. ibidem, r. 10.

In caſibus ſe diligenter exerceant, & contra peccata remedia comparent. ibid. r. 11.

Confeſſarii mutuo charitatis, & uniformis

formis doctrinæ vinculo colligati videantur. ibid. r. 12.

Ad audiendas Confeſſiones vocati ſtatim ſe conferant. ibid. r. 13.

Eas dum concio fit nemo audiat. ibid. r. 14.

Mutuum aſpectum fugiant. Qua corporis habitudine Confeſſiones audiendæ. ibid. r. 15.

Non ſe familiares in audiendis feminis exhibeant. ibid. r. 16.

Eas breviter expediant, & quomodo eas extra confeſſionem alloquantur. p. 604. r. 17.

Quando ad earum domos noſtri mittuntur, quid Socius, quid Sacerdos curabit. ibid. r. 18.

Nullius curam quis ſuſcipiat, nec obedientiam admittat. ibid. r. 19.

Quomodo ſe geret Confeſſarius, cum pœnitens alium adire petierit. ibid. r. 20.

Quantum temporis in audiendis Confeſſionibus impendent. ibid. r. 21.

Nil quod in pauperes quis diſtribuat, vel alicui reſtituat, ab aliis petat. ibid. r. 22.

Neminem ad emittenda vota inducant. ibid. r. 23.

Propenſos ad Religionem, ad aliquod particulare Monaſterium non invitent. ib. r. 24.

Nec ad aliquod veſtimenti genus p. 605. r. 25.

Communio ſæcularibus, quam crebro permittenda, ibid. r. 26.

Pœnitentes admoneant quando in Parochiis communicare debent. ibid. r. 27.

Quomodo moribundos juvabunt. ibid. r. 28.

Conficiendis teſtamentis non aſſiſtant. ibid.

Quando vocandi ad Templum. p. 631. r. 14. Æditui.

Sacramenta

Frequentantes in noſtro Templo, ſi ſint malæ ædificationis, admonendi. p. 540. r. 46. Præp.

Quomodo adminiſtranda. p. 603. r. 10. Sacerd.

Sacrum

Quotidiè audiendum. p. 505. r. 2. comm. & p. 541. r. 49. Præp. & p. 551. r. 45. Rect.

Vide Præf. eccl.

Schola

Nulla aperienda ſine facultate Generalis. p. 514. r. 27. Prov.

Res ad Scholas pertinentes bene procedant. p. 517. r. 48. Prov.

Scholaſtici

Non niſi octavo quoque die, & in feſtis ſolemnioribus communicabunt. p. 549. r. 34. Rect.

Aliquod tempus corporali exercitationi tribuant. p. 552. r. 49. Rect.

Eorum examen abſoluto biennio. p. 573. r. 80. Mag. Nov.

Eorum examen ſtudiis abſolutis. p. 574. r. 85.

Eorum Regulæ in Refectorio bis aut ter ſingulis annis legantur. p. 551. r. 43. Rect.

Rectam in ſtudiis habeant intentionem. p. 626. reg. 1.

Studiis ſe diligenter impendant. ibid. r. 2.

Quibus facultatibus, & quomodo operam dabunt. ibid. r. 3. 4. 5. & p. 627. r. 11. 12.

Quomodo in diſputationibus & repetitionibus ſe gerent. p. 626. r. 6. 7.

Ad ſcholas eant aſſociati, & cum modeſtia. ibidem. r. 8.

Eorum colloquia cum externis ſcholaſticis qualia erunt. p. 627. r. 9.

Latine loquantur, & memoriam ac ſtylum exerceant. ibid. r. 10.

Libris utantur quos Magiſter tradiderit. ibidem. r. 11.

Magiſtrum convenire quando poſſint. ibid. r. 13.

Scribere.

Scribendi neceſſitas. p. 584. r. 1. Form. ſcrib.

Ad Provincialem quando Superiores ſcribere debeant. ibid. r. 2.

Et de quibus. ibid. r. 3.

De obitu noſtrorum, & ſuffragiis ſcribendum. ibid. r. 4.

De ſucceſſu miſſionum. p. 585. r. 5.

Provincialis quando & ad quos. ibid. r. 6. 7. & 8.

Superiores quando & quid ad Generalem. ibid. r. 7. 8. 9. & 10.

Provinciales ad Generalem, quomodo ſcribent. Ibid. r. 11.

Generalis quando ad Superiores. p. 586. r. 12.

Noſtri non impediantur ſcribere ad mediatos Superiores, neque ipſorum litteræ aperiantur. ibid. r. 13.

Literæ quæ negotia continent, & quæ opera Procuratoris Generalis indigent, adiecta exterius littera P, ad Generalem mittantur. ibid. r. 14. & 15.

Negotia ex Indiâ, & Braſilia, quomodo ſcribentur. ibid. r. 16.

Si quid ſecreti, quomodo adjecto exterius, *Soli*, ſcribendum. ibid. r. 17.

Et quibus vocabulis. ibid. r. 18.

Quando ad Superiorem ex commiſſione ſcribi poteſt. ibid. r. 19.

Conſultores quando ad Superiores. ibid. r. 20.

Quomodo ſcribent. p. 587. r. 21.

Quando, quid, & ad quos Rector Univerſitatis, & Cancellarius. ibid. r. 22.

Quæ viſitationes & ordinationes à Superiore in libro ſcribendæ. ibid. r. 24.

De rebus externorum quomodo ſcribendum. ibid. r. 25.

Res ædificationis quando ſcribendæ ad Provincialem, & Generalem, ut unæ Annuæ litteræ Romæ conficiantur: & ordo in eis ſcribendis. ibid. r. 26. pag. 588. r. 27. 28. & p. 589. r. 30.

De catalogis & informationibus annuis conſcribendis. vide *Catalogi.*

Sæculum.

Ejus inordinatus affectus exuendus. p. 497. r. 8. ſum.

Sæcularia negotia, & officia fugienda. p. 504. r. 45. ſum.

Sæcularia non ſine fructu narranda. pag. 509. r. 37. com.

Senſus

Cuſtodiendi. p. 501. r. 29. ſum.

Silentium.

In eo pax, & humilitas interna exhibenda. p. 501. r. 29. ſum.

Quomodo obſervandum. p. 507. r. 26. com.

Novitiorum. p. 573. r. 79. Mag. Nov.

Societas Ieſu.

Ejus finis, & ratio vivendi. p. 498. r. 2. 3. & 4. ſum.

Pro ejus miniſteriis nullum ſtipendium. p. 500. r. 27. ſum. & p. 594. r. 14. Præf. eccl. & p 616. r. 7. Proc. Domus prof. & p. 632. r. 19. Æditui.

Spiritualia.

In iis ſuum tempus expendendum. pag. 500. r. 21. ſum. & p. 505. r. 1. comm.

In iis à dæmonis illuſionibus cavendum. p. 500. r. 22. ſum.

Studia.

Impedimenta ad illa amoveantur. p. 550. r. 38. Rect.

Eorum ratio circa opinionum diverſitatem obſervetur. ibid. r. 39.

In iis non proficientes. ibid. p. 550.

In eis diſpenſare. p. 515. r. 38. Prov.

Inepti ad ea, removendi. p. 517. r. 49.

Eorum repetitores, quales. p. 518. r. 52.

Subminiſter

Eſt inſtrumentum Superiorum. p.627. r. 1. Subm.

Nil ordinat, ſed exequi facit. ibid. r. 2.

Curet, ut res domeſticæ ſuo tempore paratæ ſint. ibid. r. 3.

Curet ne noſtri intempeſtive colloquantur. ibid. r.4.

Quibus, & quando de rebus omnibus referet. p. 628. r. 5.

Pœnitentias non injungat, injunctas tamen denuntiare poteſt. ibid. r. 6.

Eſt Superior non Sacerdotum. ibid. r. 7.

Superbia.

Illius nullum ſignum dandum. p.501. r. 29. ſum.

Superior

Loco Chriſti agnoſcendus, & internâ reverentiâ proſequendus. p.501. r.31. ſum.

Ab omnibus ſui, ſuarumque rerum, illi diſpoſitio relinquenda. pag. 501. r. 32. ſum.

Nihil ei clauſum, nec conſcientia quidem, tenendum. ibid.

Ad ejus vocem, & campanæ ſignum littera inchoata relinquenda, p.502. r.34. ſum. & p. 506. r.15. com.

Quæ ab eo agenda ſunt, non exquirenda, nec de aliis loquendum. ibid. r.21. com.

Humiliter, & ſine interpellatione audiendus. p. 507. r.22. com.

Admonendus occurrente in aliqua re commiſſa impedimento. ibid. r.24. com.

Ab eo re denegata, quid cum alio Superiore agendum, ibid. r.23. com.

A quo conſtituendus. pag. 513. r. 22. Prov.

Superiorum facultates à Provinciali ſuſpendi poſſunt. p.511. r.9. Prov.

Eorum auctoritas tuenda. pag. 514. r.28. ejusdem.

Syndicus.

Sit aliquis, qui obſervet res domeſticas, p.541. r.51. Præp. & p.551. r.48. Rect.

Alii in Scholis ſingulis. ibid. p.552.

Tangere.

Nullus neque joco tangendus. p. 508. r. 34. com.

Templum.

Ejus ornatus in feſtis moderatus. p.525. r.102. Prov.

Ejus viſitatio. p. 528. r. 121. ejusdem.

Tentatio.

Antevertendæ tentationes adhibitis contrariis. p.499. r.14. ſum.

Rationes ad illas ſuperandas ſciendæ p. 500. r.21. ſum.

Nulla celanda. p.503. r. 41. ſum.

Cognita in aliquo, Superiori referenda. p.507. r.20. comm.

Teſtamenta.

Eis conficiendis noſtri non aſſiſtant. p. 605. r.28. Sacerd.

Tintinnabulum

Non crebrius pulſandum dum quis egreditur. p.509. r.45. com.

Toni

Die Dominica fient. p.552. r.56. Rect.

Ad illos Coadjutores, & indifferentes non conveniant. p.570. r. 60. Mag. Nov.

Quando non fient. ibid. r.61.

Valetudo.

Ejus moderata cura. p.504. r.46. ſum.

Veſtes

Coadjutorum breviores. pag. 637. r. 6. Cuſt. veſt.

Vide Cuſtos veſtium.

Veſtitus.

In eo, & victu, humilitatis & ædificationis ratio habeatur. p. 542. r.61. Præp. & pag.553. r.58. Rect.

Vide p.523. r.48 Prov.

Virtus.

In virtutum ſolidarum & perfectionis ſtudium incumbendum. p. 499. r. 15. & 16. ſum. & p. 500. r. 22. ſum.

Virtutes aperiendæ. p. 503. r. 41. ſum.

Viſitans cubicula noctu

Ad nocturnum conſcientiæ examen ſignum dabit. p. 643. r. 1.

Poſtea cubicula viſitabit. ibid. r. 2.

Viſitationes

Primariorum virorum quando permittendæ. p. 543. r. 74. Præp. & p. 554. r. 72. Rect.

Vota.

Renovanda ſexto quoque menſe p. 506. r. 4. com. & p. 537. r. 24. Præp. & p. 548. r. 23. Rect.

Qui ea emiſerint in libro notentur. p. 535. r. 12. Præp. & pag. 546. r. 11. Rect. & p. 521. r. 72. Prov.

Quo voto noſtri obligentur ad indifferentiam ad gradus. p. 562. r. 15. Mag. Nov.

Novitiorum ante & poſt biennium. p. 569. r. 55. & 57. Ad ſimplicia poſt biennium admittere. p. 520. r. 65. & r. 66. Prov.

Simplicia poſt profeſſionem. p. 521. r. 71.

Profeſſorum ad Generalem mittenda. ibid. r. 73.

Quomodo vota ſimplicia emittentes, ſubſcribere debeant in libro. p. 569. r. 57. Mag. Nov.

Vnio.

Vnio noſtrorum procuranda. p. 538. r. 33. Præp. & p. 549. r. 32. Rect.

DE-

DECRETA
CONGREGATIONVM GENERALIVM SOCIETATIS IESV.

Juxta editionem excuſam



ANTVERPIÆ
Apud JOANNEM MEVRSIVM.
SVPERIORVM PERMISSV.

AD LECTOREM.

QVoniam ſeptima Congregatio Generalis cenſuit typis eſſe mandanda Decreta Congregationum Generalium, non quidem omnia, ſed pleraque, prætermiſſis videlicet iis, quæ privata tantùm negotia continent; hinc factum eſt, ut duplex ſingulis Decretis adſcriptus ſit numerus: Prior majoribus characteribus deſcriptus, deſignat Decreta omnia, juxta Ordinem, quo ſunt impreſſa: Poſterior verò minoribus exaratus indicat ſeriem cujusque Decreti, prout in Autographo digeruntur. Prioris numeri unicus eſt uſus: nam in Indice Decretorum ipſorum notantur Decreta, prout ſunt typis excuſa. Poſterioris verò uſus eſt multiplex. Nam quoties in Decretis ipſis, vel Canonibus, vel formulis, vel Regulis, vel Ordinationibus, vel Inſtructionibus &c. citantur Decreta, citantur, prout in manuſcripto digeſta ſunt. Ideoque, ut hic numerus, cujus tantus eſt uſus, magis eſſet conſpicuus, & faciliùs oculis quærentium objiceretur, non ad oram aut latus & marginem, ut in aliis editionibus, ſed in fronte cujusque Decreti præfixus eſt in hac editione. Hæc volui neſcius ne eſſes. Romæ 1. Februarii. M. DC. XXV.

VINCENTIVS GVINISIVS
Secretarius Societatis IESV.

DE-

DECRETA

Primæ Congregationis generalis ante electionem.

I. *In* MS. *d.* 1.

Non expectati abſentes.

DIE XIX. Iunii primâ Congregatio facta eſt, in quâ id ſolum ſtatutum eſt, non eſſe alios expectandos præter Viceprovincialem Aragoniæ, qui vicinus erat: ſed inchoandam eſſe Congregationem, quæ legitima & plena futura erat, licèt illi abeſſent, qui evocati juxta Conſtitutiones fuerant: & quòd petenda erat benedictio ſummi Pontificis, & ad id deſignatus eſt ipſe P. Vicarius, cum P. M. Alfonſo Salmerone: & eam obtinuerunt die ſequenti.

Benedictio Pont. petenda.

II. *In* MS. *d.* 2.

Vicarii oratio.

VIgeſimâ primâ Iunii, poſt dictam benedictionem ſummi Pontificis, omnibus congregatis P. Iacobus Laynez Vicarius Generalis narravit quæ tranſacta fuerant poſt migrationem P. N. IGNATII, quod attinebat ad negotium generalis conventus. Et quia non omnino juxta Conſtitutiones ex Provinciis congregari potuerat Societas, in primis acta omnia approbanda proponit Congregationi, ad effectum legitimæ electionis. Et omnes unanimiter ſenſerunt facta approbanda eſſe, & ſupplendum ſi quid deeſſet, ut legitima omnino redderetur Congregatio. & ſic reipsâ approbaverunt, & ſuppleverunt.

Defectus ſuppleti.

III. *In* MS. *d.* 3.

Ante electionem nihil tractandum, quod ad eam non ſpectet.

CVm proponeretur quibus de rebus agendum eſſet, omnium conſenſu ſtatutum eſt, ut nullâ de re ageretur, niſi de his quæ pertinent ad ipſam electionem, donec Præpoſitus Generalis eligeretur, ſed illi poſtquàm electus fuerit, & Congregationi in memoriam redigi poſſe, quæ præterea tractanda viderentur. Vnde ſolos Electores, & non alios admittendos eſſe ad Congregationem usque ad electionem. Viſum eſt proponendas etiam eſſe uno die res digeſtas, & ſententias die ſequenti dicendas: & ſi infor-

Soli Electores admittendi.

informatio major deſideraretur in re aliquâ, à Vicario petendam eſſe. ſi autem poſtridie non conveniret inter omnes, deputandos eſſe Definitores, vel Commiſſarios ad rem conficiendam.

IV. *In* MS. *d.* 4.

CVm examinari cœpiſſent quædam capita ex octavâ parte Conſtitutionum, quæ pertinent ad electionem; in tertio capite ubi dicitur juxta finem, quod pars illa, in quam Præpoſitus Generalis inclinabit, vel ejus Vicarius, paribus aliis ſuffragiis eſſet præferenda, conſtitutum eſt, Vicarium ſolùm habere qualitatem præcedendi ceteris paribus tam ſuffragiis, quam qualitatibus; quodque nulla ſufficiat qualitas ſuffragiorum ad electionem Præpoſiti, ſed numero medietatem omnium ſuffragiorum excedi oportere. *Quale Vicarii ſuffragium.* *Electio fit numero, non qualitate ſuffragiorum.*

V. *In* MS. *d.* 5.

SVper illud III. cap. VIII. P. quod Provinciales convocandi ſint cum aliis duobus Profeſſis, ſtatutum eſt officia data à Præpoſito Generali, ſicuti Provincialium, Rectorum, &c. non expirare per mortem Generalis ipſo facto; ſed uſque ad electionem novi Præpoſiti durare, cujus erit ea conferre aliis, vel in eiſdem confirmare. Sed quod ad Commiſſarios attinet, agendum eſſe aliàs maturiùs. Quicumque tamen officiales extiterint, Vicario ſubeſſe eos debere. *Officia Superiorum non expirant per mortem Generalis.* *Subſunt omnes Vicario.*

VI. *In* MS. *d.* 6.

PRopoſitum fuit, an à ſolis Electoribus capienda eſſet informatio, &c. Et placuit ut modus deſcriberetur informationis, & reliqua eò pertinentia, & in ſcriptis proponerentur, ut conſiderari & tractari poſſent in ſequenti congregatione. In quâ propoſitum fuit, & tandem conſtitutum id quod ſequitur. *Ratio informationis capienda.*

DE RATIONE INFORMATIONIS ad electionem Generalis.

VIdendum eſt, qui debeant informationem petere, à quibus capi, de quibus perſonis, de quibus rebus, & quomodò peti, poſtremò quomodò petenti reſponderi debeat.

Qui debeant petere. Cap. I.

Omnes Electores, nemine excepto, informationem petent.

A quibus peti debeat. Cap. II.

In primis ab Electoribus, qui miſſi ſunt ex provinciis. Videatur tamen an ab omnibus, an à quibusdam ex eis, à quibus quisque judicaverit, meliùs ſe poſſe informari: & hoc ſecundum placuit. Videatur etiam, an ab aliis præterquàm à tribus Electoribus capi debeat, & ſi hoc admittitur, à quibusnam aliis. Viſum fuit, tantùm ab Electoribus capiendam eſſe, & non ante quatriduum, quod præcedit diem incluſionis.

De quibus perſonis peti debeat. Cap. III.

Videatur, an conveniat de his petere informationem, de quibus venit in mentem unicuique, quòd poſſent eſſe idonei ad munus Præpoſiti Generalis obeundum, ſive abſentes, ſive præſentes ſint; inter Profeſſos tamen quatuor votorum id eſt intelligendum. Et reſponſum eſt affirmativè.

De quibus rebus peti debeat. Cap. IV.

In genere loquendo, eis de rebus, ex quibus judicari poteſt, quòd aliquis ſit idoneus ad munus Præpoſiti obeundum, vel contra, juxta Conſtitutiones, & præcipuè II. cap. IX. P. ſed etiam habendam eſſe rationem eorum, quæ in II. & III. cap. Exam. & primis tribus capitibus prædictæ partis dicuntur. Nemo tamen arctandus videtur, quin interrogare poſſit alia, quæ interroganda prætereà judicaverit. Vltimò etiam petet ab eo qui reddit informationem, an aliquid habeat dicendum de perſonâ, de quâ interrogatur, & an de aliâ ſentiat capiendam informationem, & an ab alio quopiam aliquâ in re clariorem, aut certiorem informationem habere poſſit, inter eos à quibus peti debet informatio.

Quomodò peti debeat informatio. Cap. V.

Non petat, an hic vel ille aptus videatur ad hoc munus nec ne: ſed de rebus illis ex quibus judicare poſſit, an ſit idoneus nec ne.

Ejus intentio pura ſit ab affectibus humanis, etiam naturalibus, nedum vitioſis; & tantùm Dei gloriam, & meliorem Societatis gubernationem, quæ ad commune animarum bonum ordinatur, præ oculis habeat, & non propriam utilitatem, quæ illi non conſonet. Nec ſolùm ab omni ambitione pro ſe, & aliis ſit liber; ſed & diligenter obſervare debet, ne voluntatis

pro-

propenſionem ad hunc vel illum excludendum, vel admittendum, quoad ejus fieri poſſit, habeat (donec poſt informationem & orationem, ſuo tempore & loco ſtatuat quam ſententiam ſit dicturus) nec eam præ ſe ferat.

Cùm informationem de aliquo accipit, ſervet alteram aurem aliis, & cor Deo, ut dictum fuit; memor quòd cum juramento eſt electurus, quem aptiſſimum duxerit.

Defectus, qui bonæ gubernationi adverſari poſſunt, & peti, & dici debent, omiſſis aliis, quæ ad bonam electionem Præpoſiti non faciunt.

Si quid tamen intellexerit, quod ſecretum teneri debeat, cum aliis, præterquàm cum Electoribus, in informatione ſilentium ſervet, memor caritatis.

Non exiſtimet quiſquam Electorum, ſe minùs gratum futurum ei, cui non dederit ſuum ſuffragium, & de quo liberè ſecundùm ſuam conſcientiam informaverit; quin potiùs eidem, & univerſæ Societati, & Deo rem gratiſſimam ſe facturum ſciat.

Poſt informationem conſideratio, & diſcurſus neceſſarius eſt, & multò magis oratio, quæ illuſtrationem impetret à Deo ſapientiæ fonte ad bené judicandum, & eligendum eum, qui Deo quàm maximè ſit placiturus: & in hac divinâ gratiâ, potiùs quàm in humanâ diligentiâ, ſpem conſtituat. meminerit tamen, non ſolùm voluntatem, ſed judicium cohibendum eſſe ab ultimâ definitione, ut dictum fuit ſuperiùs, donec in locum incluſionis ingrediatur.

Quomodò reſpondere debeat is, à quo petitur informatio. Cap. VI.

Nemo obtrudat informationem non petenti, & qui obtruſerit deferatur.

Caveat & ipſe affectus humanos, non ſolùm ambitionis, ſed & cujusvis propenſionis, quæ non ducatur ex intentione honoris Dei, communis boni, & bonæ gubernationis Societatis, & ut dictum eſt de petente, ſic de dante informationem intelligatur, ut quoad ejus fieri poterit, nec ad promotionem, nec ad excluſionem ullius incumbat, nec propenſam ad id voluntatem oſtendat; ſed ut de re ſpeculativâ, vel omnino ad ſe non pertinente, quod ſentit præciſe conetur explicare.

Non ſolùm mendacia, ſed amplificationes, & exaggerationes relin-

quantur; nihil temere,ſed conſideratè, & mature,& certa pro certis,opinata pro opinatis referat,ut qui coram Deo agit,& rationem eſt redditurus eorum, quæ in ſuâ informatione dixerit.

INTERROGATORIVM EORVM,

Quæ videntur inquiri debere, ſi alioqui perſpecta non ſunt, circa eos, de quibus venit in mentem, quòd poſſent eſſe idonei ad officium Præpoſiti Generalis.

1. QVid de ejus ſpiritu,& dono devotionis, ac zelo divini honoris intelligatur; & nominatim, an indiſcretis devotionibus fuerit aliquando deditus, aut infirmitati capitis in hac parte,vel illuſionibus dæmonis fuerit obnoxius; vel contrà,an indevotus.

2. Quid de vitæ exemplo, & de virtutibus ejus, ac præſertim de caritate erga Societatem, de zelo animarum, de humilitate & obedientiâ ejus intelligatur. Hic etiam de contrariis peti poterit; & an de ullo vitio notatus fuerit, præſertim poſt ingreſſum Societatis, & cujusmodi illud ſit. Nominatim petendum videtur,an ex impedimentis ſubſtantialibus aliquod habuerit, in quo diſpenſatus fuerit, vel an inciderit poſt ingreſſum in aliquod eorum.

3. De naturali animi magnitudine,& habituali in rebus aggrediendis, & de conſtantiâ in proſequendis,& contrà. & nominatim quomodò in proſperis & adverſis, in contradictionibus & periculis, pro Dei ſervitio, & bono Societatis ſe geſſerit.

4. An liberum ſe à paſſionibus iræ,ambitionis, gulæ & aliis hujusmodi oſtenderit, an contra.

5. De compoſitione hominis exterioris,& decentiâ in moribus,& nominatim in ſermone ad ædificationem & perſuaſionem accommodato, & ſic de aliis Dei donis naturalibus,vel adjunctis,quæ ad propoſitum in Societate finem valent.

6. De ejus intellectu in rebus ad doctrinam pertinentibus,& memoriâ: tum de eruditione,aut ignorantia; ſed nominatim petatur,an aliquando de fide male ſenſerit,licet ante ingreſſum: & an opiniones habuerit aliquas valde fixas differentes à communi doctrina, & approbata in Ec-

cle-

cleſia; & an paratus fuerit in hujusmodi judicium ſuum ſubmittere, nec ne.

7. Petatur de intellectu practico, & ad res gerendas, præſertim ad gubernationem accommodato; & ſic de dono prudentiæ, ac diſcretionis in rebus ſpiritualibus, vel etiam externis. De conſilii facultate in utrisque rebus, & diſcretione ſpirituum: & an exercitatus fuerit in hujusmodi: nominatim, an ſcrupuloſus exiſtimetur, vel plus ſatis liber, aut etiam nimis fixus in proprio ſenſu.

8. An regendi munus umquam obierit, & quale, & quamdiu, & de rectitudine in ejus gubernatione, ſeveritate, benignitate, ac patientia erga ſuos: & an profecerint Noſtri ſub eo; & an veneratione, & dilectione ſint eum proſecuti; & quem ſui odorem domi, & foris reliquerit.

9. De vigilantia, & ſtrenuitate in rebus exequendis, de dexteritate in negotiis conficiendis, & in agendo cum hominibus, & contrà.

10. De integritate, & viribus corporis ad labores, & de ſanitate, & de oppoſitis.

11. De ætate ad experientiam, & auctoritatem accommodata.

12. De ſpecie externa ad decentiam & ædificationem idonea: & in ſpecie videatur, an deformitas aliqua ſit in eo, quæ notatu digna ſit.

13. De externis rebus, quia aliquid conferre vel obeſſe poſſunt ad ædificationem, & ad melius gerendum ſuum officium, ut eſt exiſtimatio, auctoritas, bona fama apud Noſtros & alios, & contra; de iis interrogetur, & præcipue an in externis aliquid ſit, quod deroget ejus auctoritati, & ſi quid hujusmodi in tertio capite Exam. videbitur interrogandum.

14. Quamdiu notus fuerit in Societate, & probatus ante & poſt probationem, & officia in ea geſta.

15. Quam benemeritus de Societate habeatur.

16. Si cetera minus eſſent ad rem, obſervetur certe, an probitas eximia, amor erga Societatem, judicium bonum, quod ſana etiam doctrina comitetur, in eo ſint, quæ deeſſe ei nullo modo debent. Hactenus interrogatorium.

De Interrogatorio hoc ſtatutum eſt, neceſſe non eſſe illo uti, ſed ut 11. cap. 1 x. P. & alia prius dicta loca ex Examine, & ipſis Conſtitutionibus conſiderarentur: & ſic unusquisque interrogaret, prout in Domino videretur expedire.

VII. *In* MS. *d.* 7.

In ambitioſos pœna.

SVper illud VI. cap. P. VIII. quod ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ quisque teneatur manifeſtare, ſi quem ſciret affectaſſe hoc munus: ſtatutum eſt, addendam eſſe cenſuram hanc in eos, qui ambiunt pro aliis; & quod hæc cenſura ſe extendit ad informationem non ſinceram, demum ipſo facto ambitioſos pro ſe, vel aliis, in excommunicationem incidere decretum eſt.

VIII. *In* MS. *d.* 8.

De electione Generalis in loco ipſo decernendum.

CVm peteretur, an præcipiendum eſſet, ne de electione Præpoſiti quis quidquam certum definiat apud ſeipſum, usque ad locum in quo includi debent; decretum eſt, obſervari quidem debere Conſtitutionem in hac parte diligenter; ſed non eſſe addendum præceptum novum in virtute obedientiæ. ſatis fore, ſi res exaggeraretur, ut quæ magni ſit momenti.

IX. *In* MS. *d.* 9.

Vicarii ambitus.

SI Vicarius ipſe notaretur de ambitu, decretum eſt deferendum eſſe ad duos antiquiſſimos Profeſſos, vel ad Provincialem antiquiſſimum, pro deferentis arbitrio.

X. *In* MS. *d.* 10.

Miſſa de Spiritu ſancto.

VBi dicitur eodem cap. *celebret aliquis Miſſam de Spiritu ſancto*; Viſum eſt, ab ipſo Vicario dicendam eſſe, vel ab eo quem ipſe elegerit: & quidem coram omnibus, & in aurora: & poſt ejus communionem ſtatim Electores communicare debere: Miſſam autem in Eccleſia celebrandam eſſe, & ordinem in eundo ad eam, & communicando, & redeundo, & ſedendo ad dicendam ſententiam, vel ſuffragium dandum, talem eſſe debere, ut primo loco ſedeant primi Profeſſi, qui ſuperſtites ſunt ex nominatis in Bulla Inſtitutionis Societatis: ſecundo Commiſſarii Generalis Præpoſiti, (quia tunc nondum erat deciſum, an expiraret cum Præpoſiti morte eorum officium) tertio Præpoſiti Provinciales, quarto Profeſſi quatuor votorum. in ſuis autem ordinibus, ut ſinguli eſſent priores, qui profeſſionem prius emiſiſſent: & in eundo ad Eccleſiam, vel redeundo, ut bini incederent, & ad campanæ domeſticæ pulſum (quæ poſt communionem omnium usque ad incluſionem in locum Congregationis ſonabit) qui ſuffragium haberent ad locum electionis ſe conferrent, cruce præcedente, & Collegialibus interim canentibus, *Veni creator Spiritus* (quem

Ordo eundi & ſedendi.

(quem hymnum poſtea ſubmiſſa voce omnes Electores in ipſo loco Congregationis dicent) & poſt incluſionem Electorum, iiſdem Collegiales in horto, vel eccleſia dicerent Litanias, & continuam orationem, quæ uſque ad electionem duraret, inchoarent.

XI. *In* MS. *d.* 11.

Locus electionis.

QVæſitum eſt de loco electionis, & an lecti ibi parandi eſſent, & quis eſſet ſecundam concionem habiturus, de qua in eodem VI. cap. agitur. Ad primum reſponſum eſt, locum illum ubi P. Ignatius obiit, in quo modo Sacellum eſt privatum, eſſe præferendum ad ſucceſſorem illius creandum. Ad ſecundum, lectos non eſſe neceſſarios. Ad tertium, ſcilicet concionem habendam, Doctor Caniſius deſignatus eſt. Electus eſt præterea Doctor Madridius ad Electores includendos usque ad electionem; & ut liceret ei ſocios eligere, vel Procuratores à Provinciis miſſos, vel quos vellet.

Secunda oratio.
Incluſor.

XII. *In* MS. *d.* 12.

Inſpiratio communis.

STatim poſt incluſionem tentandum eſſe ſcrutinium, decretum eſt. ſed ſi communis inſpiratio præveniſſet ordinem, acceptandam eſſe, modo adeo luculenta & notoria eſſet, ne uno quidem dempto, ut nulla tergiverſatione negari poſſet divinam eſſe inſpirationem.

XIII. *In* MS. *d.* 13.

Incluſis nullæ informationes.

DEclarando locum illum in eodem c. VI. quod ex iis, quæ prius quiſque intellexit, ſtatuere debet quem ſit electurus, & in charta ſcribere nomen perſonæ electæ: ſic conſtitutum eſt, excludi novas informationes, quæ nullæ debent ſumi in eo loco incluſionis; ſed ex præcedentibus, cum gratia tam illuſtrationis divinæ, quam diſcurſus, accepta à Deo, & prius & eodem in loco, electionem eſſe faciendam Præpoſiti Generalis, qui inter abſentes & præſentes (profeſſos tamen quatuor votorum) eligi poſſet. Omnibus autem dandam eſſe formulam ſcriptam, quo citius ſe expedirent, ut nihil eis deeſſet ſcribendum, præter nomen electi, & etiam eligentis: & hoc manu propria ab unoquoque ſcribendum eſſe, ita ut lateret obſignatum nomen eligentis, non manifeſtandum niſi neceſſitas urgeret judicio Congregationis.

XIV. *In* MS. *d.* 14.

Vicarius quorum opera utetur.

QVæſitum eſt, quorum opera uti deberet Vicarius ante quatriduum illud incluſionem præcedens, ad res alias ad electionem ordinatas tractandas. Et viſum fuit, ut pro ſuo arbitratu uteretur opera eorum,

Secretarius & Aſſiſtens.

quos aptos eſſe judicaret,& ut Secretarius & Aſſiſtens,in aliquo ex illis quatuor diebus,ad plura ſuffragia, ex numero trium Electorum de quavis Provincia eligerentur. Et quidem prius Secretarius, deinde Aſſiſtens, ut priùs nominatur in Conſtitutionibus. Vnde in ſedendo, & in aliis ad Congregationem pertinentibus Secretarium præcedere oportere. Fuit autem poſtea,in illo quatriduo ante diem electionis Præpoſiti, in Secretarium electus Magiſter Ioannes de Polanco, & in Aſſiſtentem P. M. Paſchaſius Broët Provincialis Galliæ.

XV. *In* MS *d.* 15.

Iuramentum de ſuffragiis ſincere publicandis.

SVper illud ejusdem capitis, *Exurgens à ſede Vicarius proteſtetur, &c.* ſtatutum eſt, Vicarium, Secretarium, & Aſſiſtentem jurare debere coram Deo,ſe ſincere accepturos, & publicaturos ſuffragia. & tam proteſtationis hujusmodi,quam abſolutionis formula hæc eſt,videlicet : *Teſtem invoco Deum,cujus oculis omnia nuda ſunt : me fideliter accepturum, & publicaturum ſuffragia ; & quæ ad officium meum pertinent,ſincera cum intentione me præſtiturum. Proteſtor etiam in Divinæ majeſtatis conſpectu,& univerſæ Societatis,quam hic repræſentamus,me neminem admittere velle,qui non admittendus, nec excludere qui non excludendus legitime ſit in hac electione.* Et,

Abſolutionis formula.

Auctoritate Dei omnipotentis, mihi licet indignisſimo per Sedem Apoſtolicam conceſſa, abſolvo vos à quavis ſententia excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, & quibusvis aliis ſententiis,cenſuris,& pœnis, & quatenus ſit opus, diſpenſo vobiscum ſuper irregularitate quavis, ad effectum legitimæ electionis, In nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti. Amen.

XVI. *In* MS. *d.* 16.

Ratio ferendi ſuffragium.

SVper illud ejusdem VI. cap. *Ipſimet tres prædicti mutuo ſuffragia ſua alius ab alio petat, & juret, &c.* Viſum fuit hanc formulam tenendam eſſe, ut poſt prædictam proteſtationem & abſolutionem, Secretarius dicat Vicario, *Pater, da tuum ſuffragium in nomine Ieſu.* mox Vicarius ſurgens flectat genua coram Crucifixo,& ſignans ſe cruce,in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, legat juramentum à tergo ſuæ ſchedulæ ſcriptum manu pectori admota hujus tenoris : *Teſtem invoco Ieſum Chriſtum, qui ſapientia eſt æterna, quod eum eligo,& nomino in Præpoſitum Generalem Societatis* IESV, *quem ſentio ad hoc onus ferendum aptisſimum.* Deinde ſurgens, & duobus digitis clauſum ſuffragium ſuum oſtendens,in urnam mittat : & rurſus ſe inclinando coram Crucifixo, redibit ad locum ſuum. &

Iuramentum Electorum.

mox

mox dicet duobus Sociis ſuis, & ceteris, *Omnes ordine ſuo ferant ſua ſuffragia in nomine* IESV. Et ſurget Secretarius, & deinde Aſſiſtens, & reliqui ordine prius dicto, & ſigillatim juramentum facient, & ſua ſuffragia ferent ad exemplum Vicarii. Quod autem jurant omnes ſe eum eligere, quem ſentiunt in Domino ad hoc onus ferendum aptiſſimum, hoc modo declaratum eſt, quod ſi quis duos vel plures pares omnino videret, ſuo judicio integrum ſit ei dare cui voluerit ſuffragium. Quod autem dicitur in manibus Secretarii relinquenda eſſe ſuffragia, intelligendum eſſe, urnam fore in menſa coram Secretario, in quam ſuffragia jacienda ſunt: & ex eadem urna, cum prius mixta fuerint, extrahentur à Secretario ſigillatim, qui nudo capite ſtabit, & extracta ſingula oſtendet P. Vicario. Ille autem viſa, & utrique ſocio oſtenſa, leget publice, vel Secretario legenda reddet. Et in hac promulgatione electus tantum nominetur, obſignato manente nomine eligentis.

Poſt ſingulorum ſuffragiorum publicationem, conferetur numerus, ſi plures nominati fuerint, & qui plusquam mediam partem omnium habuerit, Generalis Præpoſitus erit. Et Vicarius, ſi ipſe electus non fuerit, ſignificet publice, plura eſſe medietate ſuffragia ejus qui eligitur; & poſtmodum formet decretum in hanc formam: *Auctoritate Sedis Apoſtolicæ, & univerſæ Societatis, juxta noſtras Conſtitutiones, eligo N. in Præpoſitum Generalem Societatis Ieſu, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti.* *Decretum electionis.*

Si Vicarius ipſe electus eſſet, ſtatutum eſt, ut ſignificaret, & formaret ejus loco Decretum, antiquiſſimus ex Profeſſis Electoribus; & ut ſcriberetur decretum à Secretario, & ſubſcriberetur ab eo qui format illud, & ſigillo Societatis obſignaretur: & ſtatim omnes ad reverentiam ei exhibendam accederent, incipiente Vicario cum Aſſiſtentibus, niſi aliquis ex ipſis electus eſſet. Poſtremo ſimul omnes ad eccleſiam ſe conferrent, dicentibus Collegii cantoribus Pſalmum, *Benedictus Dominus Deus*, inter eundum, & in ipſa Eccleſia, *Te DEum laudamus*, & unus Sacerdos de choro diceret tres orationes, primam de Trinitate, ſecundam in Actionem gratiarum, tertiam de die: & ut usque ad egreſſum de Eccleſia, Præpoſitus non admitteret oſcula manuum ab aliis quam ab Electoribus, ut eſt dictum.

XVII. *in* MS. *d.*17.

Compromiſſarii quando eligendi.

SVper illud, *Si non fuerit qui amplius quam mediam partem ſuffragiorum habeat, ineatur ratio compromſſionis*; petitum fuit, an tantum unum ſcrutinium ante compromiſſionē tentandum eſſet. Et viſum fuit Congregationi, ſecundum ſcrutinium ante compromiſſionem tentandum eſſe inter eos, qui habuerunt ſuffragium aliquod ad officium Præpoſiti: & ſi ne tunc quidem crearetur Præpoſitus, eodem modo tertium ſcrutinium tentandum eſſe. Si ne tunc quidem Præpoſitus egrederetur, quinque Electores ad plura ſuffragia eligendos eſſe, & ad quem major eorū pars inclinaret, illum fore Præpoſitum; & cetera ut ſupra facienda eſſe. Ad hos Electores eligendos dandam eſſe unam horam, ſi media non ſufficeret; & ſervandā eſſe formulam ſcribendi, jurandi, & publicandi Electores ſimilem illi, quæ ad Generalem eligendum eſt data. Si accideret duos uni, & totidem alii ſuum dare ſuffragium, quintum debere accedere ad alterum ex his duobus, quem in Domino judicaret aptiorem.

Conſtitutum fuit etiam, ut inter eos eligerent hujusmodi Compromiſſarii Præpoſitum Generalem, qui aliqua ſuffragia habuiſſent, ſepoſitis illis qui ad tria ſuffragia non pertingunt, niſi hujusmodi plures eſſent quam duo: & ſi qua difficultas oriretur, tunc à Congregatione ſtatui oportere quid agendum ſit. Si duo vel tres eminenter plura quam alii ſuffragia haberent; viſum eſt convenire, ut illi nec activam vocem, nec paſſivam ad electionem Compromiſſariorum haberent.

XVIII. *in* MS. *d.*18.

Suffragia quando comburenda.

SVffragia poſt electionem ſervanda eſſe à Secretario ſtatutum eſt, donec ſolveretur Congregatio Generalis: & tunc ea eſſe comburenda.

XIX. *in* MS. *d.* 19.

Quatriduo nullus domo egreditur.

FVit etiam ſtatutum, ut quatriduo ante electionem Profeſſi non egrederentur domo ſine licentia P. Vicarii, cui liberum eſſet egredi, ſi quando opus eſſe judicaret: ut domi orationibus, Miſſis quotidie dicendis, jejuniis, & aliis corporis afflictionibus, & informationibus etiam vacarent. Illos autem quatuor dies à vigilia S. Petri inchoandos eſſe, id eſt XXVIII. Junii M.D. LVIII. ſtatutum eſt, ut in die Viſitationis B. Virginis II. Julii electio fie-

fieret: & id ipſum Summus Pontifex, antequam nos eum alloqueremur, faciendum cenſuerat. His autem quatuor diebus, ut ita partirentur Domi & in Collegio jejunia, diſciplinæ, & orationes, ut non ſinguli quotidie omnia, ſed pars illorum tam Domi quam in Collegio omnia hæc facerent.

XX. *in* MS. *d.* 20.

PEtitum fuit, cui reſervanda eſſet excommunicatio latæ ſententiæ ſuperius dicta: & ſtatuit Congregatio P. Vicario, ſi ante electionem incidiſſet; ſi poſt illam, Præpoſito Generali eſſe reſervandam. *Facultas abſolvendi à cenſuris.*

DECRETA

Primæ Congregationis poſt electionem.

QVæ in Congregatione generali acta fuerunt, in hunc ordinem redigentur, ut primo ponantur Decreta, quæ ad rationem ipſius Congregationis pertinent; ſecundo ea, quæ ad Conſtitutiones attinent circa res; tertio, quæ ad easdem circa verba; quarto agetur de quibusdam Conſtitutionibus repertis extra librum Conſtitutionum; quinto, de his quæ ad verſionem & editionem Conſtitutionum pertinent; ſexto, ſequentur quæ de aliis variis rebus decreta ſunt; ſeptimo, de diſſolutione Congregationis.

TITVLVS I.

Circa rationem Congregationis.

I. *in* MS. *Tit.* I. *d.* I.

QVod non expirat poteſtas Provincialium, & aliorum officialium, per mortem Præpoſiti Generalis, nec per electionem novi, donec diſſolvatur Congregatio generalis. Et ita declaratur, quod in Bullis & Conſtitutionibus hac de re habetur; quodque non liceat Præpoſito mutare hujusmodi officiales usque ad diſſolutionem Congregationis, niſi eidem præfatæ Congregationi aliquem eſſe mutandum videretur. *Durante Congregatione Superiores non expirant.*

II. *in* MS. *Tit.* 1. *d.* 2.

Sedent ſuis locis.

QVod Præpoſiti Provinciales, & alii officiales, manere debent in ſuis locis, de quibus ante electionem actum eſt, ad ſententias dicendas.

III. *in* MS. *Tit.* 1. *d.* 3.

Procuratores poſt electionem admittuntur.

PRæterea actum eſt de Procuratoribus Provinciarum, an admittendi eſſent cum ſuffragio in Congregationem. Et viſum eſt admitti debere, & quidem cum ſuffragio, & ſuppleri ſi quid deeſſet, juxta Conſtitutiones, ut legitime intereſſe, & ſuffragium habere poſſent. Fuerunt autem quinque Procuratores, P.Emanuel Goudinus Portugalliæ,P.Georgius Serranus Indiæ, P. Doctor Antonius Cordeſes Aragoniæ, P. Didacus de Guzman Italiæ, P. Didacus de Avellaneda Bæticæ: & ex illo tempore interfuerunt Congregationi.

IV. *in* MS. *Tit.* 1. *d.* 4.

Graviora uno die proponenda, alio conficienda.

QVod uno die proponi, & alio rem confici oportet in rebus gravioribus, cujusmodi ſunt quæ inCongregatione generali neceſſario veniunt tractanda. Si quæ alia proponentur, pro arbitrio Patris Præpoſiti, aut eodem, aut alio die tractabuntur.

V. *in* MS. *Tit.* 1. *d.* 5.

Ordo proponendi & dicendi ſententias.

QVod quæ proponenda ſunt ordine in Declarationibus in VII. caput Conſtitutionum dicto proponi debent, ut poſt Provincialem ſequantur reliqui de eadem Provincia. Sed cum ſententiæ dicendæ ſunt, dici debent eo ordine, quo definitum eſt ſedendum eſſe decreto x. ante electionem.

VI. *in* MS. *Tit.* 1. *d.* 6.

Omnium conſenſus.

QVod dicitur VII. c. Conſt. VIII. P. *ſi rebus agitatis nihil fere omnium conſenſu conſtitueretur*, exponendum eſſe ꝯ *omnium conſenſu*, intelligi de majori parte ſuffragiorum, cui ſtandum eſt, ut etiam aliis in rebus.

VII. *in* MS. *Tit.* 1. *d.* 7.

Definitorum electio.

QVod cum Definitores eligendi ſunt, per ſcrutinium aut majorem partem ſuffragiorum eos eligi oporteat.

VIII *in* MS. *Tit.* 1. *d.* 8.

Generalis ſuffragia.

QVod Præpoſitum Generalem habere duo ſuffragia, & præterea qualitatem præcedendi ceteris paribus, intelligendum eſt in Congregatione ipſa

ipſa generali, & non quando res inter ipſum & quatuor Definitores tranſigendæ ſunt. Tunc enim unum ſuffragium ſolum habebit, cum prærogativa præcedendi in caſu paritatis.

IX. *in* MS. *Tit.* I. *d.* 9.

VT poſt decretum Congregationis plenæ, vel etiam Definitorum cum Præpoſito, concederetur cuivis una interceſſio, id eſt facultas contradicendi in re quavis: in abrogatione autem alicujus veteris Conſtitutionis, vel novæ inſtitutione, & duæ interceſſiones permitterentur. Standum eſſe nihilominus, ſive ſemel, ſive bis intercedatur, illorum definitioni, penes quos eſt facultas definiendi. *Interceſſio.*

X *in* MS. *Tit.* I. *d.* 10.

VTrum ita debeat ſe accingere Congregatio, ut antequam ſolvatur, imponat, quo ad fieri poterit, ultimam manum Conſtitutionibus. Reſponſum eſt affirmative. *Conſtitutiones recognitæ.*

XI. *in* MS. *Tit.* I. *d.* II.

SI placet, ut ita fiat, an præponenda ſint negotia Provincialium, qui non diſceſſuri ſunt ante ſolutam Congregationem, an poſtponenda. Viſum eſt, dum tractarentur quædam dubia circa Conſtitutiones à Congregatione particulari, cui eſt commiſſum, ita tamen ut poſtea referrentur ad generalem; proponenda eſſe quæ à Provinciis afferebantur. ut tamen ordo rerum initio propoſitus ſervetur, poſt decreta pertinentia ad Conſtitutiones hæc ponentur. *Quo ordine res tractatæ.*

XII. *in* MS *Tit.* I. *d.* 12.

AN ſint audienda quæcumque ſinguli Patres annotaverunt in Conſtitutiones, an potius jubendum, ut præcipua quæque primum proponant, ut ſaltem de illis, quæ majus faceſſunt negotium, ſtatuere poſſit Congregatio antequam ſolvatur. Poſterius hoc placuit. *Præcipua prius propoſita,*

XIII. *in* MS. *Tit.* I. *d.* 13.

AN ſint omnia referenda pro cujuslibet arbitrio ad plenam Congregationem; an ſolum quæ in privata conſultatione judicabuntur digna, ut prius ſtatutum fuit. Poſterius placuit. *Proponenda quæ Deputati probarint.*

XIV. *in* MS. *Tit.* I. *d.* 14.

SI aliquis ex deputandis ad privatam conſultationem in materia Conſtitutionum, opponat aliquid Conſtitutionibus, an ipſemet debeat adhiberi in conſultationem ejus rei, ita ut habeat ſuffragium cum ceteris; an ve- *Suffragium habet in deputatione*

ro eo ſemoto ſufficiendus ſit alius ea in re. Reſponſum eſt, non eſſe ſemovendum.

TITVLVS II.

De his, quæ pertinent ad Conſtitutiones circa res ipſas.

XV. *in* MS. *Tit.* 2. *d.* 1.

Conſtitutiones firmæ & ratæ ſervandæ.

PRæpoſitum fuit, an liceret, & etiam an expediret, ex Conſtitutionibus aliquid mutare. Et viſum eſt ac ſtatutum, eas firmas & ratas habendas eſſe, & etiam obſervandas, prout in exemplari originali P. N. Ignatii habentur.

XVI. *in* MS. *Tit.* 2. *d.* 2.

De Conſtitutionibus agere quatenus liceat.

DEinde non ſolum in univerſum non eſſe agendum, ſed nec particulatim, de Conſtitutionibus ſubſtantialibus noſtri Inſtituti. De aliis poſſe quidem tractari; ſed ſine experimento, vel ratione clariſſima nihil poſſe immutari. Licet tamen de omnibus declarationem petere referendo ad Congregationem, ut ipſa cenſeret, qua declaratione opus eſſet.

XVII. *in* MS. *Tit.* 2. *d.* 3.

Deputati ad dubia Conſtitutionum.

STatutum eſt, ut omnia dubia quæ ad Conſtitutiones pertinerent, viderentur à Patribus Hieronymo Natali, & Joanne de Polanco; & ut Congregationi proponerent, ſi quid videretur addendum, vel mutandum in Conſtitutionibus; & alii qui dubia haberent, ut ad hos duos referrent; & ſi eis ſatisfieri non poſſet, ut eorum dubia Congregationi proponerentur. Et ita propoſita fuerunt nonnulla, quæ ſparſim variis ſeſſionibus tractata ſunt; ſed ſimul conjuncta hic ſubdentur: alia cognitioni Superioris ſervata fuerunt nec in generali Congregatione propoſita.

XVIII. *in* MS. *Tit.* 2. *d.* 4.

Deputati ad ſeligendum.

DEinde de modo executionis ad hujusmodi tractanda, viſum eſt, quatuor eſſe deſignandos, qui cum P. Præpoſito, auditis quæ objicerentur, judicarent quid eſſet proponendum Congregationi generali, ſi vel ipſi non ſibi ſatisfacerent, vel objicientibus.

XIX. *in* MS. *Tit.* 2. *d.* 5.

Definitores prò Conſtitutionibus.

CVm propoſitum fuiſſet, an ad res aliquas pertinentes ad Conſtitutiones poſſent aliqui Definitores eligi, quibus ſuam poteſtatem daret Congregatio; Viſum eſt, nullos Definitores eligendos eſſe cum auctoritate ad immutandas Conſtitutiones: ſed ut ipſa Congregatio imponeret ultimam manum, & auctoritatem ipſarum confirmaret, licet confirmata alioqui ſatis eſſent. Et his abſolutis, ut primo quoque tempore diſſolveretur Congregatio, de licentia & cum benedictione Pontificis; non tamen antequam imponeret ultimam manum Conſtitutionibus. Et ideo eſſe jubendum, ut quæcumque ſinguli Patres annotaſſent, quæ præſertim negotium faceſſerent, proponerent Congregationi.

XX. *in* MS. *Tit.* 2. *d.* 6.

AN approbatio noſtri Inſtituti per Paulum IV. eſſet initio Examinis ponenda, quæſitum eſt: & viſum, ſatis eſſe ſi in ſcholio apponatur.

XXI. *in* MS. *Tit.* 2. *d.* 7.

Dubia Conſtitutionum.

FVerunt propoſita quædam loca Conſtitutionum, & inter duas lectiones Declarationis littera D. in cap. I. Exam. prior lectio probatur, quæ eſt illa ipſa, quæ in IV. §. ſuper dictum cap. habetur, & incipit, *Sin eſtas* IV. *maneras*, &c.

Exam. c. I. D.

XXII. *in* MS. *Tt.* 2. *d.* 8.

Exam. c. 3. §. Sea.

IN Declar. ſuper III. cap. Exam. §. *Sea interrogado,* dubitabatur, quænam deberet præferri ex tribus quæ inveniebantur declarationibus de re eadem: & ultima præferenda videbatur, quæ incipiebat, *Electio harum perſonarum*, addendo tamen in ultima parte, aliquid ex ſecunda, hoc ſcilicet quod ſequitur, *Si tamen inferior ſe non ad id accommodaret, quod Superior convenire judicat, oportebit eum extra domum egredi, niſi aliud Superiori videretur.* Reſponſum. Viſum eſt Congregationi generali, tertiam declarationem eſſe probandam ſine additione; poſſe tamen additionem hujusmodi poni in Superioris inſtructione.

XXIII. *in* MS. *Tit.* 2. *d.* 9.

Exam. c. 4. in Declar.

IN Declaratione ſuper cap. IV. Exam. §. *De ſu parte es bien que ſe le liguen,* ubi dicit, *Societas habeat libertatem ad eos dimittendos, quando non faciunt quod debent:* hujus ultimi dicti loco an reponi debeat, *cum non convenit, ut in Societate maneant.*

Re-

Reſponſum. Ad hoc dictum eſt, ut maneret textus antiquus, & ſcholium adderetur, ut referat ad alia loca, in quibus agitur de aliis dimittendis.

XXIV. *in* MS. *Tit.* 2. *d.* 10.

Conſt. P. 2. c. 4. in Decl.

EX Declaratione in IV. cap. ſecundæ partis ſic habebatur, *Qui egrediuntur à Societate ſua ſponte, quamvis judicentur ad eam idonei, ſi aliam Religionem eſſent ingreſſi, & habitum ejus aſſumpſiſſent, non videretur eos Societas recipere debere, nec minus curare ut eos ad ſe reduceret.* Hujus loco an dici debeat quod ſequitur, *nec curare ut eos ad ſe reduceret, ſi quidem ſint Novitii. nam in aliis uti poterit Societas (ſi in aliquo caſu videbitur ad majus Dei ac Domini noſtri obſequium fore) facultatibus à Paulo* III *conceſſis, quandoquidem aliam Religionem ingrediendo, non ideo de jure deſierunt eſſe de Societate noſtra.* Reſponſum fuit, in ſcholio id ponendum eſſe.

XXV. *in* MS. *Tit.* 2 *d.* 11.

Prooem. 4. P. in Decl.

EX Declar. ſuper prooem. IV. P. ubi dicitur ex Hiſpano originali, *videri neceſſarium, vel in primis rationi conſentaneum, eos qui in Societatem ingreſſuri ſunt, viros eſſe,* &c. additum erat, *qui in eam ad profeſſionem, & in Coadjutores ſpirituales formatos ſunt ingreſſuri, viros eſſe,* &c. Reſponſum, tollendum eſſe, quod fuit additum, viſum eſt.

XXVI. *in* MS. *Tit.* 2. *d.* 12.

Bona Collegiorum quæ diſſolvuntur. P. 4. c. 2.

SVper II. cap. IV. P. textus ſic habet, *Et tunc non poteſt Societas, nec ejus Generalis, quod ſic relinquitur, vel ejus partem, ullis extra Societatem hominibus donare; ſed ſi ipſa curam quam habebat, reliquerit, poterunt, qui aliunde poteſtatem habebunt, alicui pio operi quod ſic relictum fuerit applicare.* Dubitabatur, an expediret hoc ita ſtatui, an potius diſtinctione aliqua uti. alia eſt enim ratio Collegiorum, quæ ſine ulla obligatione relinquuntur Societatis arbitrio; alia eorum, quæ cum obligatione aliqua. Rurſus, aliqua poſſent fieri Collegia, vel Domus, ex eleemoſynis, vel ex bonis alicujus de Societate, qui commodum Societatis ipſius præcipue intendit; alia ab alio fundatore externo, quem aliud quidpiam movet. Viſum eſt Congregationi, hanc clauſulam eſſe emendandam, prout in textu originali, & alio approbato à tota Congregatione habetur in dicto paragrapho.

XXVII.

XXVII. *in* MS. *Tit.* 2. *d.* 13.

CAp. VI. Conſt. IV. P. ubi dicitur, defendendam traductionem, quoad ejus fieri poterit; viſum eſt, tollenda eſſe ultima hæc verba, *quoad ejus fieri poterit*: quia ubique poteſt defendi vulgata editio, juxta Conſtitutionem Concilii Tridentini. *Editio Vulgata.* P. 4. c. 6.

XXVIII. *in* MS. *Tit.* 2. *d.* 14.

CAp. IX. Conſt. IV. P. §. *Alii educuntur poſt ſeptem annos*: totus §. ad declarationes transferendus viſus eſt, ſicuti translatus eſt alius cap. III. de quo hic facit mentionem. Conſt P. 4. c 9.

XXIX. *in* MS. *Tit.* 2. *d.* 15.

CAp. XII. IV. P. Conſtit. ubi dicitur, cognitionem litterarum humaniorum neceſſariam eſſe, & linguarum Latinæ & Græcæ, additur, & *Hebraicæ*, & removetur ex inferiori loco ſequenti. Nam Hebræa lingua potius cum Latina & Græca numeranda viſa eſt, quam cum Chaldaica & Arabica. *Lingua Hebraica.* P. 4. c. 12.

XXX. *in* MS. *Tit.* 2. *d.* 16.

SVper XIII. cap. Conſtit. IV. P. ubi dicitur, *Præſideat qui contentionem dirimat*, petebatur an addenda eſſet ſequens declaratio: *Quamvis hoc valde conveniat cum fieri poterit, non eſt intelligendum, quod obligetur Societas ſemper ad dandum hujusmodi Præſidem, qui officiis hujusmodi fungatur. Antiquiſſimus enim Præceptorum qui diſputant, poterit præſtare, quod ex hoc officio juxta Rectoris judicium conveniet.* Reſponſum fuit, talem declarationem in ſcholio ponendam eſſe. *Præſes diſputationum.* P. 4. c. 13.

XXXI. *in* MS. *Tit.* 2. *d.* 17.

SVper XIII. cap. IV. P. Declar. ubi dicitur §. I. *In quodam tractatu*, viſum eſt addendum eſſe, *per Generalem Præpoſitum approbato.* Declar. P. 4. c. 13.

XXXII. *in* MS. *Tit.* 2. *d.* 18.

EOdem cap. §. *Non ſolum*, habebat textus, *non ſolum repetitiones ultimæ lectionis, verum hebdomadæ, menſis & anni fieri oportebit.* hujus loco ſic reponendum viſum eſt, *Non ſolum repetitiones ultimæ lectionis fieri oportebit, verum & hebdomadæ, & longioris temporis, prout expedire judicabitur.* *Repetitiones* ibid. §. Non ſolum.

XXXIII. *in* MS. *Tit.* 2. *d.* 19.

CAp. XIV. Conſt. IV. P. §. ultimo, ubi dicebatur, *in Logica, Philoſophia naturali, & morali*, additum eſt *& Metaphyſica.* Conſt. p. IV. c. 14.

XXXIV. *in* MS. *Tit.* 2. *d.* 20.

Conſt.p.iv.c.15.

SVper XV. cap. IV. P. Conſtitut. ad finem, ubi dicitur, *honore invicem præveniant, & doctiores infima loca procurent*; ſic emendatum eſt, *honore invicem præveniant, nulla obſervata differentia locorum.*

XXXV. *in* MS. *Tit.* 2. *d.* 21.

Corrector. P.4.c.16.

CVm non inveniantur Correctores multis in locis, & in aliis ſuſtentari nequeant, vel nolint Scholaſtici ab illis corrigi, petitum eſt, an Conſtitutio XVI. cap. IV. P. pertinens ad correctionem externorum Scholaſticorum, aliqua declaratione relaxari deberet; an potius manere Conſtitutio ut jacet, licet diſpenſetur alicubi pro re nata.

Reſponſum eſt, Conſtitutionem, ut jacet, eſſe retinendam, & ſervandam. ſicubi tamen neceſſe fuerit, diſpenſare poſſe Præpoſitum Generalem.

XXXVI. *in* MS. *Tit.* 2. *d.* 22.

Ceremoniæ in profeſſione. P.V. c.3.

AN aliquæ ceremoniæ in profeſſionibus emittendis addi deberent ad eas, quæ in Conſtitutionibus habentur III. cap. V. P. Statutum eſt, Conſtitutiones eſſe ſervandas, nec ceremonias addendas.

XXXVII. *in* MS. *Tit.* 2. *d.* 23.

Stipendium pro miniſteriis. P.VI. c.2.

SVper II. cap. VI. P. Declar. §. *Quamvis*, ubi dicitur, *non debet quidquam accipi tamquam ſtipendium*, additum eſt, *vel eleemoſyna pro his, quæ ob ſolum Chriſti obſequium*, &c. *communicantur.*

XXXVIII. *in* MS. *Tit.* 2. *d.* 24.

Ius ſuccedendi. Dec. P.VI.c.2.

ACtum eſt deinde, an expediret quamdam declarationem ſuper II. cap. VI. P. expungi oportere, ut paupertas ſancta magis reſtringeretur, quæ ſic habet: *Cum univerſaliter obſervetur, nec jus ſuccedendi, nec proprium quid Profeſſos habere, nihilominus ſi aliquis ſua devotione, & ſancta cum intentione ad majorem Dei gloriam motus, ante ſuam profeſſionem à Sede Apoſtolica facultatem obtineret, ut vel ipſe, vel Domus in qua profeſſionem emiſit, poſſet jus ſuccedendi in hereditate habere, dum non ad privatum uſum illius, ſed ad pia opera, vel ad quæ alioqui obligaretur, poſſent ea applicari, & omnia Præpoſiti Generalis arbitrio ſubdi, non contra iſtam Conſtitutionem, vel ejus intentionem exiſtimaretur.* Hactenus Conſtitutio.

Viſum eſt ergo Congregationi, hanc declarationem ex ipſo libro Conſtitutionum expungendam eſſe, quo magis puræ & ſanctæ paupertati conſuleretur.

XXXIX. *in* MS. *Tit.* 2. *d.* 25.

CVm Conſtitutiones dicant III. cap. VI. P. Veſperas cantari poſſe, non item Miſſam; an ſit ſtatuendum in univerſum Miſſas cantari poſſe, an non; ſed potius Conſtitutionem teneri, & diſpenſari in aliqua Domo, vel Collegio, ubi ratione Provinciæ judicaretur expedire; ut in India, Bohemia, & aliis locis. *Miſſæ cantus.* P. 6. c. 3.

Reſponſum eſt, ſervandam eſſe Conſtitutionem, & non niſi ex graviſſima cauſſa diſpenſandum eſſe à Præpoſito Generali, ut Miſſa cantetur; & id tantum Dominicis diebus & feſtis.

XL. *in* MS. *Tit.* 2. *d.* 26.

CVm dicatur in Conſtitutionibus eodem capite de cantu Veſperarum, quod ne Gregorianus quidem eſſe debeat, an id immutari oporteat, nec ne, licet aliquo in loco diſpenſetur, ut cum cantu prædicto, vel alio dicantur, cum expedire judicabitur, ut hactenus Romæ factum eſt. *Cantus.* P. 6. c. 3.

Reſponſum eſt, Conſtitutiones obſervandas eſſe in hac parte, nec per Conſtitutionem novam ab illis quid diverſum ſtatuendum eſſe.

XLI. *in* MS. *Tit.* 2. *d.* 27.

SVper I. cap. VIII. Declar. §. *Debet etiam certiorem reddere*, ubi dicit textus, *& ſponte ſua etiam ejus loco ſupplere debet, cum per adverſam corporis valetudinem, vel occupationes, vel aliquam aliam cauſſam ille in re aliqua officio ſuo deeſſet.* Repoſitum eſt ſic, *& ſponte ſua etiam ejus loco id faciat, cum per adverſam corporis valetudinem, vel occupationes, vel aliquam aliam cauſſam ille in hac parte officio ſuo deeſſet.* *Collateralis.* P. 8. c. 1. in Decl.

Cauſſa emendationis eſt, ne videatur in re alia, quam in ſcribendo, debere Collateralem ſupplere vices Rectoris ſponte ſua.

XLII. *in* MS. *Tit.* 2. *d.* 28.

SVper c. VIII. P. Decl. §. I. ubi habetur in originali, *Nihilominus poſſent hujuſmodi officiales ſuffragium activum & paſſivum ad reliqua habere, præterquam ut profeſſis præeſſe poſſint;* ſic emendandum videbatur quibuſdam, *præterquam ut profeſſis quatuor votorum ordinarie præſint.* Et erat ratio emendationis, quia ad tempus qui non eſt profeſſus poſſet præeſſe Collegio vel Provinciæ in qua ſunt profeſſi, ſed non ordinarie his præeſſe debent P. 8. c. 3. in Decl. §. I.

 qui

qui quatuor vota profeſſi ſint, ſecus ſi tria. Congregatio generalis ab hac emendatione ſuſtulit ꝑ *ordinarie*.

XLIII. *in* MS. *Tit.* 2. *d.* 29.

Vicarii electio, & officium. P. 8. c. 4.

DEinde actum fuit, ut magis declararetur quod pertinet ad Officium Vicarii Generalis cap. IV. VIII. P. & ad electionem ejus, & poteſtatem; & nominatim qui reputari debeant vicini, & vocentur ad ejus electionem: & an ſolum ad congregandam Societatem, vel etiam ad gubernandam jus habeat; & ut aliqui deputarentur, qui hæc tractarent, & ad Congregationem referrent.

Reſponſum fuit, aliquibus eſſe committendum hoc negotium, ut officium Vicarii conficerent, ubi & reliqua prædicta tractarentur, & ad Congregationem referrent. Illud tamen declaratum fuit, non tantum ad convocandam Societatem, ſed etiam ad eamdem gubernandam Vicarii officium ſe extendere. Fuerunt ergo deſignati Patres, Magiſter Natalis, Doctor Torres, Ludovicus Gonzalez, cum Magiſtro Joanne de Polanco, ut viderent officium Vicarii Generalis, & referrent ad Congregationem. quod tamen propter temporis anguſtias facere non licuit.

XLIV. *in* MS. *Tit.* 2. *d.* 30.

Tempus Congregationis indicendæ. P. 8. c. 5.

CIrca eamdem VIII. P. cap. V. propoſitum fuit etiam, an Congregatio generalis ad Præpoſiti electionem indicta, poſt prædeceſſoris mortem nuntiatam, ad certum tempus cogi deberet, intra quod ſi non omnes convenirent, reliqui qui præſentes erunt rem tranſigant, & Congregatio generalis plena & legitima habeatur.

Reſponſum eſt, Conſtitutiones, quod ad tempus attinet, eſſe ſervandas; & ſi prorogatio eſſet facienda, per Vicarium fieri debere & Aſſiſtentes, ad plura ſuffragia. ſi tamen exacto termino præſcripto in initio, venerint aliqui deſignati ad Congregationem, ut illi etiam ſuffragium habeant ad prorogationem temporis præſcripti.

XLV. *in* MS. *Tit.* 2. *d.* 31.

Ordo ſedendi, & dicendi ſententias. P. 8. c. 7.

SVper cap. VII. VIII. P. ubi dicitur de ordine ſedendi, & dicendi ſententias in Congregatione generali, tollendus videbatur ille, qui ponitur in prædicto capitulo, & juxta decretum Congregationis factum ante electionem emendandus, prout in originali Hiſpanico aliquot verſus hujus §. primi, VII. cap. deleti ſunt, inde incipiendo, *y por la facilidad.* & quod

quod dicebatur in initio hujus §. *loquentur eodem ordine*, &c. fiat ſcholium, quo declaretur in proponendo hoc intelligi. Placuit.

XLVI. *in* MS. *Tit.* 2. *d.* 32.

SVper VII cap. VIII. P. ubi dicitur eligendos eſſe Definitores, ſi non omnes, vel fere omnes conſenſerint, interpretabatur prius Congregatio de majori parte; ita ut ſi major pars non conſenſiſſet, eligendi eſſent Definitores. Petitum eſt igitur, an juxta iſtam interpretationem Conſtitutiones emendari debeant, nec ne.

Definitores quando eligendi. P. 8. c. 7.

Nihil definiendum eſſe in alterutram partem, dixit Congregatio; & ut ſcholium fieret, in quo diceretur, quatuor fuiſſe ſententias hac de re. Primam, quod pendeat definitio ab omnium, vel pæne omnium ſententia. Secundam, quod à majori parte, quam media. Tertiam, quod à majori parte ſimpliciter. Quarta fuit, quod ille communis conſenſus refertur ad electionem Definitorum; ita ut fiat diſtinctio poſt illa verba, quæ habentur in originali Hiſpanico, *una parte, ò otra*, & communi conſenſu, vel fere omnium eligendi Definitores dicantur.

XLVII. *in* MS. *Tit.* 2. *d.* 33.

VIgeſima quarta Auguſti propoſitum fuit ex parte Summi Pontificis, ut cogitaremus de Præpoſito Generali noſtro, an perpetuus eſſe deberet, ut dicitur in 1. cap. Conſt. IX. P. & ejus Declaratione. Et viſum eſt, nemine diſcrepante, omnino perpetuum eſſe debere: & cum die ſequenti idem proponeretur, idem Congregatio ſenſit.

Perpetuitas Generalis. P. 9. c. 1.

De modo autem loquendi Summo Pontifici, res commiſſa eſt ipſi Præpoſito Generali. Vt autem poſſet ſuæ Sanctitati ſignificare noſtræ Societatis judicium, ſcripta fuit Epiſtola quæ jam ſubdetur, Summo Pontifici, ac omnibus præterquam ab ipſo Præpoſito ſubſcripta:

BEATISSIME PATER,

Memoriale Congregationis ad Pontificem.

CVm Reverendiſſimus Cardinalis Pacechus electioni noſtri Præpoſiti juſſu V. S. interfuit; antequam ea fieret, V. B. mentem de qualitate perſonæ quam eligere deberemus, & animi propenſionem, ut electus perpetuus eſſet, potius quam ad certum & definitum tempus, nobis ſignificavit. Quamquam V. S. pro ſua benignitate id noſtræ Congregationi integrum relinquebat; Nos omnes lætiſſimis animis ſignificationem hanc voluntatis V. B. tamquam à Deo profectam accepimus, qui ut & nos idem ſentiremus & optaremus faciebat. Poſtea ubi V. S. ad

ad pedum oſcula nos admittere, & tanta caritate ad divinum obſequium excitare & inflammare dignata eſt; præter cetera, eaque ſingularia, quæ nobis in Domino liberaliſſime eſt elargita, electionem Præpoſiti, quem nobis perpetuum elegeramus, libentiſſime confirmavit. Qua de re quantas poſſumus Divinæ clementiæ, & V. B. gratias agimus. Ceterùm his diebus Reverendiſſimus Cardinalis Tranenſis nobis ſignificavit, V. S. etiam nunc de perpetuitate Præpoſiti aliquid dubii habere: proinde, ut ea de re cogitaremus, edixit. quod & fecimus, præmiſſis ad Deum orationibus. Et cum in Congregatione ſemel atque iterum id eſſet propoſitum, omnes ſummo conſenſu nemine diſcrepante judicavimus, multo convenientius eſſe noſtræ Societati, ut noſter Præpoſitus, quamdiu vixerit, non mutetur. Quamvis tamen hæc ita ſint, obedientiæ filii ſumus, & quidem paratiſſimi ad ea omnia præſtanda, quæ V. S. imperabit. Quia vero fieri poteſt, ut de noſtro judicio certior fieri V. S. fortaſſe velit, illud hic infra ſubſcripſimus, humiliter, qualecumque id eſt, judicio V. S. ſubjicientes. III. *Kal. Septembr.* M. D. LVIII.

Hanc Epiſtolam XIII. Auguſti omnes Profeſſi ſubſcripſimus, præter duos qui diſceſſerant, P. Caniſium & P. Pelletarium, & ipſummet Præpoſitum, quem non decebat eam ſubſcribere: eidem tamen Epiſtola data eſt, quam tulit ſecum, ſed non dedit Pontifici honeſtas ob cauſas.

XLVIII. *in* MS. *Tit.* 2. *d.* 34.

An ad ſex caſus depoſitionis addendi alii. P. 9. c. 4.

DVbitandum eſt, an præter caſus illos ſex, qui in IV. cap. IX. P. narrantur, aliquis alius addi deberet, propter quem removendus eſſet a gubernatione Præpoſitus; cum ſcilicet incurius vel remiſſius fieret, vel alioqui ineptus ad gubernationem, non ex cauſſa naturali, propter quam Vicarius dicitur eligendus, qui ejus officium gerat, ſed ex voluntaria. Statutum eſt autem, nullos caſus eſſe addendos ad illos ſex, nec quidquam immutandum in Conſtitutionibus, quod attinet ad providentiam Societatis circa Præpoſitum; & ſpeciatim non eſſe explicandum aliquem caſum de remiſſione voluntaria Præpoſiti.

XLIX. *in* MS. *Tit.* 2. *d.* 36.

Pars nona Conſtit.

GEneratim ſtatutum eſt, IX. partem Conſtitutionum ad unguem eſſe obſervandam: ſi quid tamen experimento, vel ratione manifeſta in dubium vocari accideret, id tractari permiſſum eſt, ſicut in univerſum de Conſtitutionibus ſecundo decreto ſtatutum fuerat.

L. *in* MS. *Tit.* 2. *d.* 36.

IN x. P. Conſt. ſub finem, ubi dicitur, Conſtitutiones, quæ ad ſingulos pertinent, eſſe ſingulis menſibus legendas. Viſum eſt conformari debere cum eo, quod dixerat in IV. P. & alibi, & lectione Conſtitutionum & Regularum. Placuit, ſed non videbatur repugnare.

Quæ Conſtitutiones ſingulis menſibus legendæ.

LI. *in* MS. *Tit.* 2. *d.* 37.

CVm dubitaretur adhuc de rebus quibuſdam pertinentibus ad Conſtitutiones, difficultas per ſcholia quædam addenda removeri poſſe viſa eſt: & cum quæreretur ubi ponenda eſſent, & quam auctoritatem ea ſcholia habitura erant;

Scholia Conſtitutionum.

Reſponſum fuit, ſcholia non ad marginem Conſtitutionum, ſed ſeorſum eſſe ponenda, ut numeris quibuſdam reſponderent textui. Auctoritatem autem aliquam eſſe iis tribuendam, ſed non plenam, ut à tota Congregatione, ſed potius ut à Præpoſito Generali, qui eam dabit quam ad Societatis bonum dandam cenſuerit. & præmittendam eſſe præfationem, qua narretur, quomodo res duobus, ſcilicet Patribus Natali & Polanco, commiſſa fuerit; & ab eis propoſita privatæ P. Præpoſiti & aliquorum Patrum Congregationi, in qua de ſcholiis conficiendis ſtatuebatur.

LII. *in* MS. *Tit.* 2. *d.* 38.

QVæſitum eſt, an Breve aliquod impetrandum eſſet à Summo Pontifice, quod præponeretur Conſtitutionibus.

Breve pro Conſtitutionibus.

Viſum eſt, impetrandum eſſe, cum id commode fieri poſſet, ad approbationem Conſtitutionum.

TITVLVS III.

De his quæ pertinent ad Conſtitutiones circa verba.

LIII. *in* MS. *Tit.* 3. *d.* 1.

DE verbis autem quibuſdam Conſtitutionum propoſitum fuit, cum Pater ſanctæ memoriæ Ignatius commiſerit tribus Patribus, quorum duo Congregationi intererant, ut ſalvo ſenſu verba, prout eis videretur, immutarent; an rata ea eſſent habenda, quæ eo vivente mutata fuerant in originali exemplari, quia non conſtabat an ab eodem P. Ignatio recognita fuiſſent.

Dubia circa verba Conſtitutionum.

Viſum

Viſum eſt, deputandos eſſe tres, qui viderent, & expenderent, & referrent ad Congregationem quid de hujusmodi verborum immutationibus ſentirent: & hi fuerunt Doctor Baptiſta de Parma, & Doctor Chriſtophorus Madridius, cum Magiſtro Joanne de Polanco, qui commiſſo ſibi munere functi ſunt.

Actum eſt etiam de aliis verbis, quæ immutanda quibusdam videbantur, quia in quibusdam eorum videbatur error calami irrepſiſſe, & ſigillatim propoſita fuerunt, & ſunt quæ ſequuntur.

Conſtit. P. 1. c. 3. in Declar.

LIV. *in* MS. *Tit.* 3. *d.* 2.

IN Declar. cap. III. I. P. ubi dicitur, *non eſſe ſolum ipſius particulare peccatum, ſed generale*; notatum eſt quod poſitum fuerat pro eo quod habebatur in Hiſpanico textu, *non eſſe peccatum perſonale.* Sic etiam inferius eodem §. ubi dicebatur, *ita ut hæreſis, vel ſchiſma peccatum ſit perſonale*; ſimiliter repoſitum fuerat, *ita ut hæreſis vel ſchiſma peccatum ſit particulare perſonæ, & non generale nationis vel patriæ.*

Placuit Congregationi talis emendatio.

Conſt. P. 2. c. 2. in Declar.

LV. *in* MS. *Tit.* 3. *d.* 3.

IN Declar. ſuper II. c. II. Partis §. *Si entro*, ubi dicitur, *eſperando*, an dici debeat, *eſperandoſe*, ut referatur ad Societatem, non ad illum qui ingreditur, vel imperſonaliter ad utrumque.

Reſponſum affirmativè.

Conſtit. P. 2. c. 4.

LVI. *in* MS. *Tit.* 3. *d.* 4.

IN cap. IV. II. P. Conſtit. ubi dicebatur, *relaxando illis votum*, ut maneant ſine ſcrupulo, an dici debeat, *relaxato illis voto.*

Reſponſum eſt affirmativè.

Conſtit. P. 3. c. I. in Declar.

LVII. *in* MS. *Tit.* 3. *d.* 5.

IN Declar. ſuper I. cap. III. P. ubi dicebat textus Hiſpanicus, *y aſſi meſmo deve*, dicendum, *y aſſi meſmo ſi deve.*

Placuit emendatio.

Proœm. p. 4. in Declar.

LVIII. *in* MS. *Tit.* 3. *d.* 4.

SVper Proœmium Declar. IV. P. verſus finem, ubi dicebat textus Hiſpanicus, *ſe empleara en el*, τὸ *el* non habet ad quod referatur: ſed ſic emendandum videbatur, ut dicatur paullo ante, loco verborum illorum, *que ſu Divina Majeſtad ſera ſervida*, ſic, *quæ ſera para mayor ſervicio de ſu Divina Majeſtad*, & ita τὸ *el* referetur ad ſervitium.

Placuit emendatio.

LIX. *in* MS. *Tit.* 3. *d.* 7.

IN Declar. ſuper II. cap. IV. P. §. *Societas*, ſic habebat textus Hiſpanicus, *Societas ad uſum ſcholarium exercebit adminiſtrationem redituum per Præpoſitum Generalem, vel Provincialem, cui committetur ad defendendum & ſervandum poſſeſſiones & reditus Collegii, etiam in judicio, cum conveniens & neceſſarium erit. ad eumdem pertinebit admittere quod præterea dabitur tali Collegio.* Horum loco, quia putabatur error ſcripturæ, quod ſequitur reponendum videbatur, *Societas in uſum ſcholaſticorum ſuorum, juxta litteras Apoſtolicas, redituum adminiſtrationem exercebit per Præpoſitum Generalem, vel alios quibus ille facultatem ad id communicaverit, quæ ad defendendas & conſervandas poſſeſſiones & reditus Collegiorum etiam in judicio (cum hoc convenire, vel neceſſarium eſſe videretur) ſe extendat. ac ejusdem Præpoſiti erit, & eorum quibus ille facultatem dederit, admittere quidquid præterea Collegiis ad ſuſtentationem, & incrementum eorum in rebus temporalibus donaretur.* Conſt. P. 4. c. 2.

Viſum eſt Congregationi, emendandum eſſe textum Hiſpanicum, prout habetur §. *La Compannia*, & ſic verteretur Latine: *Societas ad uſum ſcholaſticorum ſuorum, prout litteræ Apoſtolicæ dicunt, exercebit adminiſtrationem redituum per Præpoſitum Generalem, vel Provincialem, vel alium cui Generalis id commiſerit, ad defendendum*, &c. Et paulo inferius: *Et erit ejusdem Præpoſiti, vel ejus cui ille commiſerit. admittere quod præterea talibus Collegiis donaretur ad ſuſtentationem, & augmentum eorum in rebus temporalibus.*

LX. *in* MS. *Tit.* 3. *d.* 8.

EOdem cap. §. *Qui probantur*, dicitur ſic, *Illi ſunt, qui in Domibus probationum verſantur, de quibus in* VI. *parte dicetur.* citatio VI. partis omittenda videbatur, quia ibi non agitur ea de re. Ibid. §. qui probantur.

LXI. *in* MS. *Tit.* 3. *d.* 9.

EOdem cap. VIII. §. *Qui negotia*, error erat ibid. ſcriptoris, in originali. dicebatur enim, *res Collegiorum extra ipſa, intelliguntur præcipue Procuratores.* pro eo repoſitum fuit, quod ſequitur: *Qui negotia Collegiorum extra ea gerunt, in primis intelliguntur Procuratores*, &c. Et ſic reſpondet Declaratio Conſtitutioni. Ibid. §. qui negotia.

Placuit emendatio.

LXII. *in* MS. *Tit.* 3. *d.* 10.

SVper VI. cap. IV. P. §. *Nullus de Societate*, dicitur in textu: *Qui tamen talentum ad id ſortiti, & præſertim qui nondum ſtudiis perfuncti ſunt:* er- Conſt. P. 4. c. 4. §. nullus.

ror videbatur ſcriptoris, & negatione ſublata, dicendum: *Qui jam ſtudiis perfuncti ſunt.*

LXIII. *in* MS. *Tit.* 3. *d.* 11.

Conſt. P. 4. c. 4. SVper x. cap. P. IV. §. *Signum dabitur*, habebat textus: *Signum dabitur partim per campanam, quæ pulſabitur, ut ſe recipiant ad ſomnum, & ad prandium.* Tollendum videtur τὸ *partim*, niſi alterum membrum addatur.

Placuit tolli.

LXIV. *in* MS. *Tit.* 3. *d.* 12.

Conſt. P. 4. c. 4. §. Anſi. IN Conſtit. cap. VIII. IV. P. §. *Anſi meſmo*, ubi dicit, *El modo*, deeſt particula *en*, & dicendum, *En el modo.*

LXV. *in* MS. *Tit.* 3. *d.* 13.

Ibid. c. 14. SVper XIV. cap. §. *Prælegetur*, habebat textus: *Prælegetur etiam Magiſter Sententiarum. ſed ſi videretur temporis decurſu aliam Theologiam, huic non contrariam, ſtudentibus utiliorem fore; ut ſi aliqua conficeretur, quæ his noſtris temporibus accommodatior videretur.* Hujus loco ſic reponendum videbatur: *Prælegetur etiam Magiſter Sententiarum. Sed ſi videretur temporis decurſu aliam Auctorem ſtudentibus utiliorem fore, ut ſi aliqua ſumma, vel liber Theologiæ Scholaſticæ conficeretur, quæ his noſtris temporibus accommodatior videretur*, &c.

Placuit emendatio.

LXVI. *in* MS. *Tit.* 3. *d.* 14.

Conſt. P. 5. c. 1. PRimo cap. Conſt. V. P. §. 1. ſic habetur, *Quia Scholaſtici approbati admittuntur alio modo, & quidem magis interno quam qui in prima probatione verſantur*, videbatur illud *prima* tollendum; quia comparatio fit cum aliis qui probantur in toto biennio, & non tantum cum his qui in prima probatione XV. vel XX. diebus verſantur.

Placuit tolli.

LXVII. *in* MS. *Tit.* 3. *d.* 15.

Conſt. P. 5. c. 3. & 4. CAp. III. & IV. Conſt. V. P. in formula votorum, qua Profeſſi & Coadjutores utuntur, ubi dicitur, *Vice-Præpoſiti Generalis*, videbatur addendum *Societatis* IESV.

Placuit addi.

LXVIII. *in* MS. *Tit.* 3. *d.*16.

IN Declar. cap. II. VI. par. §. *Hoc intelligendum,* ubi dicitur in originali, *nec etiam ſi in occurrenti aliqua occaſione, vel neceſſitate, quis veſtibus pretioſioribus, honeſtis tamen indueretur:* reponendum videbatur, *veſtibus melioribus, honeſtis tamen,* &c. Conſt.P.6.c.2 in Decl.

Placuit.

LXIX. *in* MS. *Tit.* 3. *d.* 17.

SVper II. cap. VII. P. in Declar. §. *Los accidentes,* ubi dicit textus Hiſpanicus, *Para mas abreviar, ò acortar,* dicendum videbatur *abreviar, ò alargar,* ut patet ex toto contextu. Conſt.P.7.c.2.in Decl.

Placuit emendatio, nam error calami judicatus fuit.

LXX. *in* MS. *Tit.* 3. *d.* 18.

SVper VI. cap. VII. P. in formula electionis dicitur, *Teſtem invoco Jeſum Chriſtum, qui ſapientia eſt æterna, quod illum eligo,* &c. addendum videbatur, *Ego N. illum eligo,* &c. Conſt.P.8.c.6.

Placuit addi.

LXXI. *in* MS. *Tit.*3.*d.*19.

ALia quædam propoſita fuerunt circa Conſtitutiones, ſed quia viſum eſt nihil eſſe immutandum, non hic ponuntur.

TITVLVS IV.

De quibusdam Conſtitutionibus repertis extra librum Conſtitutionum.

LXXII. *in* MS. *Tit.*4. *d.*1.

CVm quædam Conſtitutiones vel Ordinationes à P. N. Ignatio non recognitæ, quod ſciatur, extra corpus libri Conſtitutionum reperirentur, propoſitum fuit, quid agendum eſſet de illis. & conſtitutum eſt, ut ſuis locis de ſingulis ageretur. Deinde ex eis aliquas approbavit ipſa Congregatio generalis, aliquas commiſit particulari Congregationi P. Præpoſiti, & quatuor Deputatorum, qui fuerunt P. Natalis, D. Torres, P. Ludovicus Gonzalez cum Magiſtro Polanco. & tam illæ, quam quæ circa eas deciſa ſunt, hic ſubdentur. *Conſtitutiones extra corpus libri.*

LXXIII. *in* MS. *Tit.* 4. *d.* 2.

Collegiorum acceptandorum ratio.

CVm experientia nos docuerit, quod in noſtris Collegiis, ubi neceſſarii ſunt duo vel tres Sacerdotes, qui vacent miniſterio Sacramentorum, ac verbi divini; & quatuor vel quinque Præceptores, qui juventutem in litteris & bonis moribus inſtituant; neceſſe eſt etiam alios ibidem verſari, qui eosdem juvare poſſent, vicemque eorumdem ſupplere ſi in morbum inciderent; ne lectionum ſeries interrumpatur; atque etiam, ut Societas aliquid percipiat emolumenti in alendis aliquot Scholaſticis, qui litteras diſcant, quandoquidem tam multi occupati ſunt in obſequio & auxilio communis boni, ſtatuimus, ne per x. annos proxime futuros, incipiendo à 1553, admittatur Collegium ullum, ubi non poſſint XII. ſaltem de Societate ſuſtentari, cum duobus aliis, qui rebus corporalibus inſerviant, ita ut totus numerus ad XIV. perveniat.

Quia etiam videmus quam ſit incommodum, quantumque impediatur divinum obſequium, cum Domus & Eccleſia exercitiis noſtro Inſtituto conſentaneis apta non habetur: cumque Noſtri neceſſe habent occupationes ſpirituales relinquere, ut vacent victui, & rebus temporalibus ad ſtudium neceſſariis quærendis: ſimiliter ſtatuimus, ne ullum mittatur Collegium ad locum aliquem, ubi Domus conveniens ad noſtrorum habitationem, & ad Scholas tenendas, & Eccleſia ad ſpiritualia exercitia in proximorum auxilium tractanda non aſſignetur, ſive proprietatem ejus, ſive uſum liberum relinquant.

Non item mittatur, ſi ſaltem ad unum annum, quæ neceſſaria ſunt ad XIV. perſonarum ſuſtentationem non dabuntur. Elapſo enim anno ſi Communitati Collegium utile non invenietur, poterit nos certiores facere, & inde noſtri alio commigrare poterunt. Si contra, providebit illa etiam de rebus neceſſariis in alterum annum, vel etiam plures, aut de perpetuitate, vel fundatione Collegii aget, prout melius ad DEI gloriam, & communis boni utilitatem judicabitur.

Hæc ordinatio placuit Congregationi generali, ut extra corpus Conſtitutionum, velut edictum ad tempus haberetur.

LXXIV.

LXXIV. *in* MS. *Tit.* 4. *d.* 3.

CVm tam ſit proprium noſtræ profeſſionis, non admittere præmium ullum temporale pro miniſteriis ſpiritualibus, in quibus juxta noſtri Inſtituti rationem in auxilium proximorum occupamur; non convenit dotationem alicujus Collegii admittere, ſi obligemur ad Concionatorem, vel Confeſſarium, vel Lectorem aliquem Theologiæ dandum. Quamvis enim ratio æquitatis & gratitudinis nos moveat, ut majori cum ſollicitudine proximis inſerviamus in hujusmodi exercitiis noſtri Inſtituti propriis, in Collegiis quæ cum majori liberalitate & devotione fundata fuerunt; non eſt tamen agendum de obligationibus, vel pactis, quæ repugnant ſinceritati, cum qua in rebus noſtris ſolemus procedere, gratis dando quod gratis accepimus: quamvis ad ſuſtentationem eorum, qui communi bono Collegiorum inſerviunt, vel ad id litteris dant operam, admittatur ea dotatio, quam fundatorum caritas ad Dei gloriam ſolet aſſignare. *Nulla obligatio pro miniſteriis.*

Placuit Congregationi generali hæc Conſtitutio, & inſerenda IV. P. Conſtitutionum viſa eſt.

LXXV. *in* MS. *Tit.* 4. *d.* 4.

CVm Præpoſitus Generalis, vel Societas Vniverſitatis alicujus curam ſuſciperet, non repugnaret hujus Conſtitutionis intentioni, ſi ſe conſequenter obligaret ad lectiones ordinarias in ea prælegendas, quamvis inter eas aliquæ ad Theologiam pertineant. *Vniverſitatis cura.*

Placuit etiam declaratio.

LXXVI. *in* MS. *Tit.* 4. *d.* 5.

SEquentem Conſtitutionem P. N. Ignatius fieri juſſit, ſed non eam emendavit. Et ſi in Conſtitutionibus poni debet, ad IX. P. pertinere videtur. Videatur tamen, an inter Conſtitutiones, an melius inter documenta Superiorum poni debeat. *Menſa privata pro Superioribus.*

Quoniam ei qui in Congregatione qualibet ſupremam habet curam, ita convenit humanitas & affabilitas cum ſubditis, ut auctoritas ejus retineatur, & ea reverentia eidem exhibeatur, quæ ad ſuos regendos ad majorem Dei gloriam eſt neceſſaria; ut etiam ſubditi minorem habeant perturbationis occaſionem cum eo, quem pro refugio in ſuis perturbationibus habere debent: in Domo, vel Collegio, ubi noſtrorum multitudo ultra XXX. ſe extendit, qui ſupremam habet auctoritatem, non cibum capiat ordinarie cum illis in Refectorio; quamvis ſingulis menſibus, ad ſuam & illorum con-

ſolationem, & ut quomodo res ſe habeant intueatur, id facere debeat: ordinarie tamen, ut eſt dictum, capiat ſeorſum cibum, quamvis ejusdem ſit rationis cum communi, aut magis aut minus parcus, prout Conſultoribus, vel Aſſiſtentibus, qui in hac parte in ipſum auctoritatem habent, expedire magis tum perſonæ Superioris, tum communi bono judicabitur.

Reſponſum eſt, ut maneat inter Regulas, non inter Conſtitutiones.

LXXVII. *in* MS. *Tit.* 4. *d.* 6.

Generalis auctoritas in contractibus.

DE quadam Conſtitutione recognita à P. N. Ignatio ſanctæ mem. circa auctoritatem Præpoſiti Generalis in celebrandis contractibus, fuit tractatum in particulari Congregatione. & viſum fuit declarandum eſſe per Congregationem generalem, quod talis eſt auctoritas Præpoſiti: & ita factum eſt. & generalis Congregatio approbavit hujusmodi Conſtitutionem, & inſerta fuit III. cap. IX. P. quod ſic incipit: *In Præpoſito Generali eſt tota auctoritas celebrandi quosvis contractus*, &c.

TITVLVS V.

De his quæ ad exemplar, ac verſionem, & editionem Conſtitutionum pertinent.

LXXVIII. *in* MS. *Tit.* 5. *d.* I.

Probatur exemplar Conſtitutionum.

DEcima Septemb. M. D. LVIII. cum conveniſſent Patres, in plena Congregatione decreverunt, probatum eſſe quoddam exemplum Examinis, Conſtitutionum, & Declarationum ex autographo P. Ignatii exſcriptum, & cum eo collatum, cum additionibus, & emendationibus, quæ ſunt in margine, auctoritate Congregationis factis. In quorum fidem M. Ioannes de Polanco Secretarius Societatis IESV, ex præſcripto Congregationis, & omnium nomine ſubſcripſit librum illum, & ſigillo Societatis obſignavit.

LXXIX. *in* MS. *Tit.* 5. *d.* 2.

Probatur verſio Latina.

DE Examine & Conſtitutionibus, & Declarationibus ex Hiſpanico idiomate in Latinum verſis quæſitum eſt, an imprimi oporteret, & quam auctoritatem habere deberent. Et primum quidem ſtatutum fuit, aliquos

quos eſſe deputandos, qui cum originali conferrent verſionem : & deputati fuerunt complures ab ipſa Congregatione. & quæ apud ipſos erant dubia in Congregatione privata, cum generali tractabantur. & ſic ad plura ſuffragia complura dubia reſoluta ſunt circa verſionem : & ut haberet auctoritatem verſionis , ſtatutum eſt , id eſt , ut ordinaretur ea utendum eſſe ,nec licere privata auctoritate , & ſine Congregatione aliam edere verſionem ; & impreſſionem ſtatim inchoandam ab Examine prius reviſo à Deputatis.

TITVLVS VI.

Quæ ſequuntur Decreta pertinent ad res varias, de quibus in Congregatione generali actum eſt.

LXXX. *in* MS. *Tit.* 6. *d.* 1.

QVia videbatur agendum de his, quæ pertinent ad perſonam, & officium Præpoſiti Generalis , tractatum eſt de quatuor Aſſiſtentibus eligendis : & tempus aliquod aſſignatum eſt ad informationem capiendam. Cum enim Societas committere debeat Aſſiſtentibus vices ſuas, quod attinet ad ſuam providentiam circa corpus Præpoſiti Generalis, & res externas, & alia quæ in IV. & V. capp. IX. P. continentur : cumque iidem conſiliarii Præpoſiti eſſe , & in rebus ad doctrinam, & ad res gerendas pertinentibus eumdem ſublevare, & alioqui in lectione, prædicatione, & aliis piis operibus juxta Societatis inſtitutum exerceri debeant ; bonos, fideles, Societatis & communis boni amatores, diſcretionis dono præditos , in rebus agendis verſatos, & ad converſationem cum hominibus idoneos eſſe eos oportere viſum eſt ; & eligendos ab iiſdem eſſe electoribus , qui Præpoſitum Generalem elegerant , & quidem inter abſentes , & præſentes, inter profeſſos , vel qui apti eſſent ad profeſſionem emittendam, & ſi fieri poſſet ex variis Provinciis eligi eos debere. Et ita per ſcrutinium primum ad plura ſuffragia quatuor electi ſunt, videlicet M. Hieronymus Natalis, P. Ludovicus Gonzalez, Doctor Chriſtophorus Madridius, & M. Ioannes de Polanco. *Aſſiſtentium electio.*

LXXXI.

LXXXI. *in* MS. *Tit. 6. d. 2.*

Admonitor Generalis.

QVia etiam juxta Conſtitutiones eligendus erat aliquis, cujus hoc eſſet munus, ut ſi animadverteret Præpoſitum in his quæ ad perſonam vel officium ſuum pertinent, minus bene agere; eumdem poſt orationem cum debita modeſtia admoneat: In primo ſcrutinio ad plura ſuffragia electus eſt unus ex Aſſiſtentibus, ſcilicet M. Joannes de Polanco.

Item quædam dubia propoſita fuerunt circa Aſſiſtentes, quæ ſcilicet jam ſequentur.

LXXXII. *in* MS. *Tit. 6. d. 3.*

Auctoritas Aſſiſtentium.

CUm dicatur in IV. cap. IX. P. providentiam Societatis circa Præpoſitum Generalem eſſe, primo circa externa, ſecundo circa corpus, tertio circa animam: quia etiam in viris perfectis, in quibusdam quæ ad perſonam & gubernationem pertinent, accidere aliqua poſſunt, quæ admonitione indigeant: Cumque in V. cap. ſequenti dicatur, quod per Aſſiſtentes exercet Societas hanc providentiam, qui in tribus dictis dicent & facient id quod in Domino judicaverint expedire: quæſitum eſt, quomodo intelligi oporteat illud *dicent & facient*: an ſcilicet in tribus prædictis, & ſingulis eorum, ſcilicet rebus externis, corpore & anima, quod ad perſonam & gubernationem attinet, dicant & faciant quidquid eis videbitur: an ut conjunctim loquatur de tribus prædictis, in quibus dicere & facere debent quod judicaverint expedire juxta præmiſſa in IV. cap. ut ſcilicet moderentur res externas, prohibeant nimiam corporis afflictionem, & admoneant Præpoſitum, ſicubi monendus videbitur, in his quæ ad perſonam, vel gubernationem pertinent; & hoc ultimum per unum aliquem, de quo in IV. cap. præcedente dictum erat.

Statutum eſt ergo, τὸ *dicere & facere* interpretandum ita eſſe, ut conjunctim ad tria referatur: facere quidem & dicere, ad duo priora; dicere tantum, id eſt admonere per perſonam deputatam, ad tertium referendum eſſe, & juxta præmiſſa in cap. IV. præcedenti.

LVIII. *in* MS. *Tit. 6. d. 4.*

Aſſiſtens ſi aliquo mittatur a Generali.

SI mittatur Aſſiſtens à Præpoſito extra locum in quo ipſe reſidet, petitum eſt an obedire debeat abſolute, an ſe excuſare eo quod Aſſiſtens eſt.

Statu-

Statutum fuit, quod ſe non excuſare deberet, ſed obedire: quodque erit ipſius Præpoſiti Conſtitutionum meminiſſe, quæ non eſſe facile ablegandum quemquam Aſſiſtentium ſtatuunt. Propoſita deinde fuerunt quæ ſequuntur.

LXXXIV. *In* MS. *Tit* 6. *d.* 5.

AN propter valetudinem adverſam in aëre Romano poſſet dimittere officium Aſſiſtens. *Aſſiſtens ob adverſam valetudinem quando removendus.*

Reſponſum eſt, ſine conſenſu Societatis non poſſe dimitti officium hoc ab ea datum. Quod ſi per Societatem id liceret, tunc in alio ſubſtituendo Conſtitutionum ordinem eſſe ſervandum; nec eſſe ſubſtituendi poteſtatem penes Aſſiſtentem.

LXXXV. *In* MS. *Tit.* 6. *d.* 6.

SI Præpoſitus Generalis extra Vrbem mitteretur, vel ſponte iret, & non ad tempus breve, an deberent Aſſiſtentes ipſum comitari, an Romæ manere cum Vicario, quem relinqueret Præpoſitus; an partim ipſum comitari, partim manere oporteret. *Aſſiſtentes an in itinere comitaturi Generalem.*

Reſponſum eſt, arbitrio Generalis relinquendum eſſe, an aliquos ex Aſſiſtentibus ſecum habere debeat, nec ne, prout negotia conficienda eſſent plura, vel pauciora; & tamen quod ut ſocium ſemper aliquem eorum apud ſe habere deberet.

LXXXVI. *In* MS. *Tit.* 6. *d.* 7.

SI Pontifex vellet quempiam ex Aſſiſtentibus aliquo mittere, an Generalis debeat eum informare, & curare, ut potius alium mittat, nec ne. *Si Aſſiſtentem aliquo mittere velit Pontifex.*

Reſponſum eſt, diſcretioni Generalis id eſſe committendum: ut plurimum tamen informari ab eo Pontificem oportere.

LXXXVII. *In* MS. *Tit.* 6. *d.* 8.

SI male ſe gereret Aſſiſtens in aliis rebus, vel etiam officio ſuo, adeo ut indignus videatur eo loco, quid agendum eſſet. an ſcilicet informare Provinciales adhibito reliquorum Aſſiſtentium teſtimonio oporteret? *Aſſiſtens ſi male ſe geſſerit.*

Reſponſum eſt, poſſe Aſſiſtentem hujusmodi interim ſuſpendi ab officii executione à Præpoſito Generali: non tamen omnino removeri, niſi de conſenſu Societatis, juxta Conſtitutiones. poſſe tamen alium à Præpoſito conſtitui, prout illæ dicunt, in caſu mortis, & diuturnæ abſentiæ.

LXXXVIII. *In* MS. *Tit.* 6. *d.* 9.

Numerus Aſſiſtentium.

AN propter hominum penuriam minus quam quatuor Aſſiſtentes eligere ſufficeret: vel certe, an aliquis eorum mitti poſſet liberius.

Reſponſum, quatuor eſſe debere Aſſiſtentes; & de miſſionibus procedendum eſſe juxta Conſtitutiones.

LXXXIX. *In* MS. *Tit.* 6. *d.* 10.

An idem eſſe poſſit Secretarius & Aſſiſtens.

AN in unam perſonam coincidere poſſent Secretarius Societatis, & Aſſiſtens.

Reſponſum, melius eſſe diverſis perſonis hæc omnia committi, cum ſingula ſatis ſint ad unum hominem bene occupandum. propter hominum tamen penuriam, poſſe coincidere. & juxta id Præpoſitus Generalis elegit unum ex Aſſiſtentibus in Secretarium, ſcilicet M. Ioannem de Polanco.

XC. *In* MS. *Tit.* 6. *d.* 11.

Aſſiſtentes ſuffragium habent in electione Generalis.

AN Aſſiſtentes Generalis intereſſe, & ſuffragium habere debeant in electione novi Præpoſiti; & ſi habent, quo ordine ſuffragia dicere debeant; quia de eo non fit mentio in Conſtitutionibus.

Aſſiſtentes ſunt etiam Vicarii.

Statutum eſt, Aſſiſtentes ſuffragium habere debere, & eorum officium usque ad electionem Præpoſiti duraturum. Eosdem autem fore Aſſiſtentes Vicarii, vel ſi ex eis eligeretur Vicarius, reliquos ejus Asſiſtentes fore. De ordine autem dicendi, ut ſequerentur antiquitatem profeſſionis.

XCI. *In* MS. *Tit.* 6. *d.* 2.

Commiſſarii officiales extraordinarii.

SVper III. cap. Conſtitut IX. partis actum eſt, an Commiſſarii alicubi conſtitui tamquam officiales ordinarii deberent, ut in Hiſpania, & India, &c. an non: ſed ut ſint officia extraordinaria, pro arbitrio Præpoſiti, & rerum neceſſitate, vel utilitate. Et quocumque modo hoc ſe habeat, an debeant exſpirare cum Præpoſito hujusmodi officia, an manere poſt ejus obitum, ſicut & Provincialium officia: ut etiam extra ordinem ternorum, qui ex quavis Provincia venire debent ad Congregationem, illi veniant.

Expirant per mortem Generalis.

Reſponſum eſt, Commiſſarios non eſſe debere officiales ordinarios; ſed prout viſum erit Præpoſito Generali expedire. Poſt mortem vero Præpoſiti expirare Commiſſariorum poteſtatem, nec eos habere ſuffragium ratione offi-

officii ad electionem ſucceſſoris, niſi alioqui eligerentur inter illos ternos de quavis Provincia.

XCII. *In* MS. *Tit.* 6. *d.* 13.

PEtitum eſt, quomodo poſſint eligi inter ternos ad Congregationem deſtinatos Commiſſarii, cum non ſint potius de hac Provincia, quam de illa. *Commiſſarii in Congregatione provinciæ poſſunt eligi.*

Definitum fuit, quod in Provincia, in qua verſabitur Commiſſarius tempore Congregationis provincialis, ad quam ipſe vocari debebit, eligi poterit, ut veniat ad generalem.

XCIII. *In* MS. *Tit.* 6. *d.* 14.

DE Miſſa etiam & ejus ceremoniis actum eſt, & conſtitutum, ut ſequeremur uſum Romanum ſecundum rationem Conſtitutionum, omiſſo Pſalmo, *Iudica me Deus*, & in fine dicendo Euangelium Lucæ, *Loquente Ieſu ad turbas*; vel, *In principio erat Verbum*, pro uniuscujusque devotione. *Miſſa & ejus ceremoniæ.*

XCIV. *In* MS. *Tit.* 6. *d.* 15.

VNdecima Auguſti propoſitum fuit à quodam ex Procuratoribus Hiſpanienſibus, quomodo occurrendum eſſet illi incommodo, quod ex votis ſimplicibus Coadjutorum & Scholaſticorum naſci poſſet; cum illi, poſtquam admiſſi fuerint in Coadjutores formatos, vel Scholaſticos approbatos, poſſint, licet peccent, uxorem ducere; & matrimonium erit validum. unde quærebatur, an conſultum eſſet, tria vota ſolemnia emittere aliquando hujusmodi fratres. *Vota Scholaſticorum.*

Statutum fuit, nihil immutandum eſſe de Conſtitutionibus, vel de ratione votorum ſimplicium: ſi quid autem incommodi accideret, ut pro re nata provideretur. & ita excluſum fuit quod de profeſſione dicebatur.

XCV. *In* MS. *Tit.* 6. *d.* 16.

QVæſitum etiam fuit de ratione veſtium, & pileorum, quibus Laici noſtri uti deberent. *Coadjutorum veſtitus.*

Nihil eſſe ſtatuendum viſum eſt: ſed eam indumenti rationem probari, qua noſtri Laici à Sacerdotibus noſtris, & ſæcularibus hominibus diſtinguerentur: & ut veſtitus honeſtus eſſet juxta morem patriæ. Et pi-

leorum quidem ratio Provincialium arbitrio relicta eſt. Eos tamen, qui inſerviendi Miſſis officium habent, clericali pileo uti debere viſum fuit. De ſuperpelliceis nihil certi ſtatuendum videbatur. ſed ſi quando expedire judicaretur, ut hujusmodi miniſtri eis uterentur, petendam eſſe facultatem à Generali.

XCVI. *In* MS. *Tit.* 6. *d.* 17.

Adventus & Pœnitentiæ.

PRopoſitum fuit, Noſtros à quibusdam reprehendi, quod jejunia & pœnitentias ordinarias non haberemus: & quærebatur an diebus Veneris jejunandum eſſet, & in Adventu ſaltem die Mercurii & Veneris.

Reſponſum fuit, Conſtitutiones noſtras in hac etiam parte ſervandas eſſe. Placebat tamen fieri declarationem in Scholiis, quod non ad ſingularitatem pertinet, ſi quis jejunet aliis non jejunantibus: & quod danda eſſet facultas volentibus jejunia obſervare, ſecundum menſuram rectæ rationis.

XCVII. *In* MS. *Tit.* 6. *d.* 18.

Tempus orationis.

CIrca orationem dictum fuit, quibusdam plus temporis impendendum videri, quam Conſtitutiones præſcribant.

Reſponſum fuit, ſervandas eſſe Conſtitutiones, & nihil aliud certi præſcribendum in illis. ſed quod ad Novitios attinet, in regula Magiſtri Novitiorum eſſe ſtatuendum, ut orent ultra horam, ut Conſtitutiones innuunt, & ne obligentur ordinarie ad duas horas: poſſe tamen cum particularibus augeri vel minui per Superiorem hoc tempus.

Quod ad Profeſſos attinet, ſi non facerent juxta mentem Conſtitutionum, ut Præpoſiti Domorum eos adjuvent, & tempus orationis, prout videbitur, præſcribant.

De Coadjutoribus temporalibus dictum fuit, curam peculiarem eſſe habendam, licet non ſtatuatur eis certum tempus orationis aliter, quam in Conſtit. IV. P. cap. IV. ſtatuitur. Epieikeja tamen, quæ in Scholaſticis locum habet, ut ſcilicet poſſint Superiores augere, vel minuere, vel commutare orationem, in his omnibus locum habebit.

XCVIII. *In* MS. *Tit.* 6. *d.* 19.

Orare ſimul.

AN ſimul omnes orare aliqua diei vel noctis hora expediat.

Reſponſum eſt, ſimul non eſſe orandum; cum præſertim mens Patris noſtri Ignatii eo tenderet, prout verbis ſignificavit. De ordinaria autem oratio-

oratione ſermo eſt, non de extraordinaria; quæ pro re nata publice ad tempus inſtitui poſſet.

Propoſita etiam fuerunt, quæ ſequuntur.

XCIX. *In.* MS. *Tit.* 6. *d.* 20.

DE benedictione menſæ, & actione gratiarum, conſtitutum eſt, ut ſequeremur uſum Romanum communem; & id in Refectorio. Nam in privata menſa antiquam & conſuetam benedictionem poſſe retineri: & non ſedendo, ſed ſtando benedictionem & actionem gratiarum fieri debere. *Benedictio menſæ.*

C. *In* MS. *Tit.* 6. *d.* 21.

ALia ſesſione propoſitum fuit, an declarari deberet à tota Congregatione, quod Præpoſitus Generalis posſit acceptare donationes, & quosvis contractus celebrare, dummodo non agatur de diſſolutione aut alienatione Collegii, vel Domus jam erectæ; ut ſic demum contra eos, qui difficiliores ſunt, posſit oſtendi, quod ex Conſtitutionibus alioqui habemus de facultate Generalis. *Generalis auctoritas in contractibus.*

Fuit autem facta deciſio, quod poſſet, ut prædictum eſt, quosvis contractus celebrare: & advocatus eſt Notarius publicus, qui inſtrumentum conficeret, quod hic ſubjungitur. & aliud etiam particulare confectum eſt, quo ſignificabatur ratum haberi, quod Præpoſitus Generalis in quodam Parmenſi contractu fecerat.

Inſtrumentum publicum de auctoritate Generalis in Contractibus.

IN NOMINE DOMINI. Amen. *Anno à Nativitate ejusdem* M. D LVIII. *Indictione prima, die vero* XXX *menſis Auguſti, Pontificatus Sanctisſimi D.N. D. Pauli Divina providentia Papæ* IV. *anno quarto. In mei Notarii publici infraſcripti, teſtiumque infraſcriptorum ad hæc ſpecialiter vocatorum & rogatorum præſentia, perſonaliter conſtituti in unum ſimul congregati & coadunati infraſcripti Patres Reverendi. Primo videlicet P. Iacobus Lainez totius Congregationis nominis* IESV *Præpoſitus Generalis, P. Paſchaſius Broët, P. Alfonſus Salmeron, P. Nicolaus Bobadilla, P. Simon Rodericus, P. Hieronymus Natalis, P. Michael de Torres, P. Hieronymus Domenech, P. Baptiſta de Parma, P. Iacobus Miron, P. Ioannes de Polanco, P. Baptiſta Viola, P. Nicolaus Lanoy, P. Everardus Mercuria-*

curianus, P. Ludovicus Gonzalez, P. Gonzalus Vaz, P. Vſmarus Goyſonius, P. Antonius VVinck, P. Ioannes de Plaça, P. Emmanuel Godignus, P. Georgius Serranus, P. Antonius Cordeſes, P. Don Didacus de Guzman, P. Didacus de Avellaneda, totam Congregationem Societatis IESV *repræſentantes, ac plenam Congregationem, ut aſſeruerunt, facientes, ſponte, & non per errorem aliquem, ſed ex eorum, & cujusvis ipſorum certa ſcientia, & ſpontanea voluntate declararunt, & quilibet ipſorum declaravit, facultatem eſſe penes Præpoſitum Generalem, juxta Bullas & Conſtitutiones dictæ Congregationis, ſeu Societatis, ad quosvis contractus, ut emptionum, & venditionum, & ceſſionum quarumlibet rerum temporalium, mobilium vel immobilium celebrandum: & ad vendendum, & redimendum quosvis cenſus ſuper bona ſtabilia Collegiorum Societatis* IESV *ad Collegiorum eorumdem, & quidem in evidentem utilitatem; dummodo erecta Collegia vel Domos alienare vel diſſolvere non poſſit. Declararunt etiam, & quilibet ipſorum declaravit, ſi quid diſpoſitioni Societatis relinqueretur, ſive ſint bona ſtabilia, ut domus, vel poſſeſſio aliqua non applicata alicui Collegio, vel Domui erectæ vel erigendæ; ſive mobilia, ut pecuniæ, frumenta, & alia quævis, eumdem Reverendum P. Præpoſitum poſſe de illis diſponere, illa vendendo, vel retinendo, prout Conſtitutiones permittunt; vel applicare ad unam partem vel aliam, prout ſenſerit ad majorem Dei gloriam fore. Præterea declararunt, & eorum quilibet declaravit, etiam Præpoſitos provinciales, vel particulares, ac Rectores, ac alios quosvis de Societate eum habere dumtaxat ad res prædictas facultatem, quæ à Præpoſito Generali fuerit illis communicata: & non neceſſe eſſe collegialiter ad ſimiles actus congregari. Declaraverunt inſuper, & quilibet eorum declaravit, non opus eſſe collegiales alicujus Collegii congregari ad ſonum campanæ, nec aliter ad Procuratores conſtituendum, vel ad quosvis alios contractus celebrandos; cum poteſtas tota manare debeat à Præpoſito Generali, qui eam communicabit aliis, cum facultate etiam ſubſtituendi, ita ut nullo modo oporteat res hujusmodi collegialiter tractari. Super quibus omnibus & ſingulis præmiſſis petierunt ſibi per Notarium infraſcriptum unum vel plura publicum ſeu publica inſtrumenta fieri atque confici. Actum Romæ in Domo Societatis prædictæ, & Stantia, ſeu Camera ſuperiori ejusdem Domus, in qua fieri ſolent hujusmodi Congregationes; ibidem præſentibus D. Ioanne Corſo Clerico Barcinonenſis Diœceſis, & Franciſco Petrarcha Clerico Neapolitano, teſtibus ad præmiſſa vocatis ſpecialiter atque rogatis.*

Contractus non collegialiter faciendi.

Et

Et quia ego Andreas Gerardus, Clericus Lugdunenſis Diœceſis, publicus auctoritate Apoſtolica, nec non curiæ cauſſarum Cameræ Apoſtolicæ Notarius, præmiſſis interfui, eaque in actis meis annotavi. Ideo præſens Inſtrumentum ſubſcripſi, & publicavi ſignumque meum hic appoſui conſuetum, in fidem præmiſſorum rogatus, & requiſitus. omiſſo ſigillo.

CI. *In* MS. *Tit.* 6. *d.* 22.

PRopoſitum fuit, ut videretur, an ex litteris Apoſtolicis, quibus explicavit Iulius III. & confirmavit inſtitutum noſtræ Societatis, aliquid in melius immutari expediret. *Litteræ Iulii III. de Inſtituto.*

Reſponſum eſt, nihil immutandum videri.

CII. *In* MS. *Tit.* 6. *d.* 23.

DE forma votorum ſimplicium, quæ poſt profesſionem emittenda eſſe in Conſtitutionibus dicuntur; actum eſt, an approbanda videretur, & executioni mandanda. *Simplicia vota Profeſſorum.*

Placuit Congregationi formula, & executio hujusmodi emisſionis votorum indicta eſt in S. Bartholomæi feſtum (quod ad præſentes attinebat) quod Romæ celebratur xxv. Auguſti, ut coram Præpoſito Generali, ſine communione, ne ſacrificio Miſſæ privarentur, vota ſua facerent. & ita prædicto die à prandio in ipſo loco Congregationis omnes Profesſi illa emiſerunt, juxta formulam hic adjunctam.

FORMVLA

VOTORVM SIMPLICIVM,

Quæ Profeſſi emittunt poſt profeſſionem.

1. EGo N. Profeſſus Societatis IESV promitto Deo omnipotenti, coram ejus Virgine Matre, & tota curia cæleſti, & coram R. P. Præpoſito Generali, vel coram N. locum Generalis Præpoſiti tenente, numquam me acturum quacumque ratione, vel conſenſurum, ut quæ ordinata ſunt circa Paupertatem in Conſtitutionibus Societatis immutentur, niſi quando ex cauſſa juſta rerum exigentium videretur Paupertas reſtringenda magis. *Formula votorum ſimplicium Profeſſorum.*

2. Præterea promitto numquam me acturum vel prætenſurum, ne indire-

directe quidem, ut in aliquam prælationem vel dignitatem in Societate eligar vel promovear.

3. Tum ſi quem ſciam id curare vel prætendere, promitto illum, remque totam me manifeſtaturum Societati, vel Præpoſito ejus.

4. Promitto præterea, numquam me curaturum prætenſurumque extra Societatem prælationem aliquam, vel dignitatem, nec conſenſurum in mei electionem, quantum in me fuerit, niſi coactum obedientia ejus, qui mihi præcipere poteſt ſub pœna peccati.

5. Inſuper promitto, ſi quando acciderit, ut hac ratione in Præſidem alicujus Eccleſiæ promovear, pro cura quam de animæ meæ ſalute, ac recta muneris mihi impoſiti adminiſtratione gerere debeo, me eo loco ac numero habiturum Præpoſitum Societatis Generalem, ut numquam conſilium audire detrectem, quod vel ipſe, vel quivis alius de Societate, quem ad id ipſe ſibi ſubſtituerit, dare mihi dignabitur. Conſiliis vero hujusmodi ita me pariturum ſemper eſſe promitto, ſi ea meliora eſſe, quam quæ mihi in mentem venerint, judicabo; omnia intelligendo juxta Societatis IESV Conſtitutiones & Declarationes. In tali loco, tali die, menſe, & anno.

CIII. *In* MS. *Tit.* 6. *d.* 24.

PRopoſita ſunt deinde ſequentia, ſcilicet de ſupraſtantibus Collegiorum & Vniverſitatum; quatenus eos teneri expediat.

De reſervatis caſibus Rectori, vel Præpoſito locali.

An Provinciali vel Commiſſario reſervari oporteat peccata privatorum, vel eorum qui aliis præſunt.

An aliæ facultates, vel privilegia, quæ valde neceſſaria vel utilia Societati videbuntur, curanda ſint; & ea quæ habemus, quibusdam in locis magis declaranda.

An alicui committi debeat cura conſcribendi modum ad Roſarium, vel Coronam bene dicendam, præſertim pro laicis.

De modo loquendi ad ſobrium, & Religioſis dignum honorem dicto vel ſcripto alii de Societate exhibendum, an conſtitui aliquid oporteat.

An expediat exemplum authenticum omnium contractuum majoris momenti, præſertim rerum perpetuarum, quæ ubique in Societate fiunt, ad Archivium, quod erit in Vrbe penes Præpoſitum Generalem, deferri.

Con-

Conſideretur modus mendicitatis in Vrbe, & aliis in locis tenendus, an ſcilicet oſtiatim, ut fit Romæ bis in hebdomada, emendicari oporteat, nec ne, ſed potius per Procuratorem ſint eleemoſynæ petendæ, ut modo fit per Procuratorem Domus noſtræ de Vrbe. Priorem ex his modis quamvis permiſit ad tempus P. N. Ignatius, ſignificavit tamen ſibi non placere.

Videatur, an poſſit iniri ratio, qua minor multitudo Coadjutorum temporalium ſit neceſſaria, cum in Conſtitutionibus paucitas eorum videatur commendari, & praxis aliud oſtendat.

Videatur etiam, quatenus expediat Sacerdotes, cum domi ſunt, vel etiam in miſſionibus, uti Coadjutorum opera: ne quod neceſſitatis gratia, & ut vacare illi poſſint majori communique bono animarum, inductum eſt, vertatur in faſtum, aut ſuperbiam, aut deſidiam Sacerdotum. *Coadjutores non ſingulis dandi.*

An expediat in Eccleſiis noſtris dare devotis perſonis, & de noſtra Societate benemeritis, Capellas, quas illi cenſibus applicatis dotare velint, ut aliquæ Miſſæ dicantur. Et an Societatis Collegia poſſint & debeant ſe obligare ſingulis annis, vel menſibus, vel hebdomadibus, pro fundatoribus Capellarum ad celebrandas aliquas Miſſas. *An Capellæ dotandæ in Eccleſiis noſtris.*

His omnibus unica reſponſio data eſt, ut Præpoſitus Generalis ea videret, & ſtatueret quod facto opus eſſet. De admittendis tamen Capellis alio Decreto ſeorſum tractavit Congregatio.

CIV. *in* MS. *Tit. 6. d.* 25.

PRopoſitum fuit etiam, de Teſtamento Fratris noſtri D. Hieronymi de Coloredo bon. mem. qui bona ſua legaverat ad Collegium Societatis inſtituendum, quid agendum eſſet.

Reſponſum eſt, Patris Præpoſiti Generalis arbitrio id eſſe relinquendum. Inclinabat tamen Congregatio, rationibus auditis, ad non admittendum legatum. & ita P. Præpoſitus declaravit in eadem plena Congregatione, ſe non admittere: & per litteras ſuas patentes id poſtea Reverendiſſ. Epiſcopo Cenetenſi ejus avunculo ſignificavit.

CV. *in* MS. *Tit. 6. d.* 26.

QVæſita deinde fuerunt, quæ ſequuntur. An libros in Societate imprimi & venumdari ſit tolerandum, aut etiam laudandum, propter commune bonum quod inde ſequitur: an potius ſit prohibendum, ne mercaturam exercere videamur. *Impreſſio librorum & venditio.*

Statutum eſt, nihil eſſe in alterutram partem decidendum, ſed arbitrio Præpoſiti Generalis relinquendum. Viſa tamen res eſt conſideratione digna, ne quid fiat, in quo lædatur paupertas, vel Inſtitutum Societatis.

CVI. *in* MS. *Tit.* 6. *d.* 27.

Ordo ſedendi in menſa.

AN aliquis ordo certus ſedendi in menſa, & Congregatione, & aliis in rebus conſtitui deberet.

Reſponſum eſt, in Congregationibus quidem tenendum eſſe ordinem, de quo actum eſt ante electionem. In menſa vero, ut Sacerdotes alios ad eum gradum non promotos præcederent. Inter ipſos autem Sacerdotes, aut Laicos, nullum ordinem videri conſtituendum.

CVII. *in* MS. *Tit.* 6. *d.* 28.

Directoria varia.

AN Directorium exercitiorum tradendorum, confeſſionum audiendarum, prædicationis, doctrinæ Chriſtianæ, orationis, converſationis, juvandi etiam morituros confici oporteat, & uni vel pluribus hoc oneris imponi.

Placuit Congregationi, ut per Præpoſitum Generalem hæc omnia, & modus etiam eis utendi curarentur.

CVIII. *in* MS. *Tit.* 6. *d.* 29.

Provinciarum diviſio.

AN præter approbationem Provinciarum quæ hactenus exſtiterunt, aliquæ eſſent inſtituendæ, ex quibus, & non ex aliis, veniendum eſſet ad electionem Præpoſiti, quamvis aliæ poſtea inſtituerentur, ad evitandam ambitionis occaſionem.

Placuit Congregationi confirmatio Provinciarum, quæ hactenus fuerunt; & ut relinqueretur Præpoſito novarum inſtitutio. Poſtquam autem inſtitutæ fuerint, ut ex illis veniant terni juxta Conſtitutiones, perinde atque ex aliis.

CIX. *in* MS. *Tit.* 6. *d.* 30.

Sepultura Noſtrorum.

PRopoſitum etiam fuit de ratione ſepulturæ Fratrum noſtrorum: & ſtatutum eſt, ut obſervaretur circa veſtitum mortuorum Sacerdotum, quod de viventibus dicitur in Conſtitutionibus. ut ſcilicet utamur eo modo, quo Sacerdotes honeſti ejus regionis uti ſolent. De fratribus autem qui Sacerdotes non ſunt, ut ſepeliantur eodem modo induti quo alii Clerici honeſti, qui Sacerdotes non ſunt, indui ſolent. Serventur autem, quod ad officium pro defunctis attinet, Conſtitutiones, ubi in Eccleſia noſtra funus cele-

celebrabitur, & numerus ſufficiens Noſtrorum erit. Vbi enim alterutrum deeſſet, poſſent externi advocari ad funera Noſtrorum.

CX. *in* MS. *Tit.* 6. *d.* 31.

DE modo etiam concionandi quæſitum fuit, an ſemper in initio ſalutari debeat B. Virgo, & ſtola ferri. *Concionatores.*

Reſponſum eſt, B. Virginem eſſe ſalutandam, ſive prooemium præmittatur, quod nonnulli faciunt, ſive non, pro Concionatoris voluntate. ſuperpelliceo autem utendum eſſe inter concionandum: ſtolam vero, ut juxta patriæ morem adhibeant vel non. In lectionibus ſacræ Scripturæ, etiam ad populum, ſuperpelliceum non eſſe adhibendum.

CXI. *in* MS. *Tit.* 6. *d.* 32.

ACtum eſt deinde de viſitatione Præpoſitorum Provincialium. & viſum eſt committendum id eſſe Præpoſito Generali, qui poterit Provincialibus injungere, ut quotannis viſitent Domos & Collegia ſuarum Provinciarum; vel eorum arbitrio id relinquot. Itaque ipſemet Præpoſitus Generalis Conſtitutiones interpretetur in hac parte. *Provinciales viſitare quotannis an debeant.*

CXII. *in* MS. *Tit.* 6. *d.* 33.

POſtea de his quæ ſubdentur agi cœptum eſt. An Protectores habere in Collegiis, tamquam amicos, & non tamquam habentes jus aliquod in ipſa Collegia, expediret. Probatum eſt, ut haberentur amici, qui protectionem ſuſciperent Collegiorum, ſed nomina juridica, quæ jurisdictionem dicant, vitanda eſſe, ne aliquando plus ſatis ſibi ſumant hujusmodi homines. *Protectores Collegiorum.*

CXIII. *in* MS. *Tit.* 6. *d.* 34.

DEinde de ratione ædificiorum fuit propoſitum, modum eſſe imponendum ædificiis Domorum & Collegiorum, quod in nobis eſt; ne, præter cetera incommoda, fiant aliquando Palatia nobilium; ſed ſint ad habitandum, & officia noſtra exercenda, utilia, ſana, & fortia: in quibus tamen paupertatis memores videamur: unde nec ſumptuoſa ſint, nec curioſa, &c. De Eccleſiis tamen nihil dictum eſt, & hanc rem totam magis conſiderandam eſſe videbatur. *Ædificia.*

CXIV. *in* MS. *Tit.* 6. *d.* 35.

DE barba etiam nutrienda. Et eam non eſſe nutriendam, viſum eſt. *Barba.*

CXV. *in* MS. *Tit.* 6. *d.* 36.

Decreta ante electionem.

AN ea quæ deciſa ſunt in Congregatione ante electionem, rata ſint futura in poſterum, ſi contra Conſtitutiones non fuerint. Statutum eſt, ut non obligent in futurum; ſed ſcribenda eſſe ſeorſum, ut poſſint illis uti, ſi volent. Quæ vero poſt electionem deciſa ſunt, ſcribenda eſſe ſeorſum; & ut auctoritatem haberent, quam illis Conſtitutiones præbent VII. cap. VIII. P.

CXVI. *in* MS. *Tit.* 6. *d.* 37.

Carceres.

DE carceribus etiam in Societate tenendis, Congregationi viſum eſt, jus quidem jam eſſe penes Societatem ex Bullis & Conſtitutionibus: quoad uſum autem nihil eſſe ſtatuendum, ſed eam curam Præpoſito relinquendam.

CXVII. *in* MS. *Tit.* 6. *d.* 38.

Collegia converti in Domos.

PRopoſitum fuit à P. Præpoſito, an expediret aliqua Collegiola in Domos converti, ut non teneamus occupatos tot præceptores, & plures poſſint conficere ſua ſtudia. & poſt multa ultro citroque dicta, viſum eſt rem maturius conſiderandam eſſe.

CXVIII. *in* MS. *Tit.* 6. *d.* 39.

Cathedræ publicæ.

PRopoſita ſunt deinde ſequentia. An eſſent admittendæ Cathedræ publicæ in Vniverſitatibus aut alibi, à Noſtris, cum ea diſceptatione ſuffragiorum & oppoſitione, quæ ſolet fieri.

Et viſum eſt, non eſſe admittendas. ſi tamen ſponte offerantur hujusmodi Cathedræ ab Univerſitatibus, aut Rectoribus earum, & gratis prælegatur, nec quisquam ſe opponat cum quo ſit diſceptandum, admitti poſſent: conſulendus eſt tamen Præpoſitus Generalis, ne ordinaria ea facultas videatur.

CXIX. *in* MS. *Tit.* 6. *d.* 40.

An dimiſſi ad ſcholas noſtras admittendi.

AN in ſcholis noſtris, cum Vniverſitatis curam ſuſcipimus, eos admittere debeamus, qui à Societate defecerunt poſt emiſſa vota conſueta.

Et reſponſum eſt, admitti debere, niſi ex admiſſione grave ſcandalum ſequeretur: de quo quidem ſcandalo judex erit Præpoſitus Provincialis. & ut rectius tunc hujusmodi homines excludi poſſent à ſcholis, impetranda eſt facultas à Fundatoribus ad eos excludendos, qui ſine gravi ſcandalo teneri non poſſunt, ut eſt dictum.

CXX. *in* MS. *Tit.* 6. *d.* 41.

AN poſſent exequiæ ſolemnes celebrari in noſtris Collegiis in morte aliquorum Principum, qui noſtrorum Collegiorum fundatores, vel de eis benemeriti extiterunt: an potius noſtro modo ſimplici faciendæ ſint. *Exequiæ Principum.*

Reſponſum eſt, poſſe celebrari in morte Principum fundatorum, vel de Societate benemeritorum, in noſtris Eccleſiis, quando pro eis hujusmodi exequiæ publice fieri ſolent per Eccleſias civitatum; & id noſtro modo ſimplici, absque pompa feretri cum facibus: nec tamen ut Conſtitutionem hoc deberi obſervari; ſed ubi ſimilis ratio poſceret, poſſet à Præpoſito permitti.

CXXI. *in* MS. *Tit.* 6. *d.* 42.

AN cum vita exceſſerint perſonæ aliquæ de Societate benemeritæ, & in Eccleſiis noſtris ſepeliri voluerint, poſſint à Noſtris ea officia pro eis dici, quæ pro fratribus noſtris dicere conſuevimus. *An benemeriti ſepeliendi in noſtris Eccleſiis?*

Reſponſum fuit, concedendam eſſe ſepulturam in noſtris Eccleſiis his, qui Collegiorum noſtrorum fundatores extiterunt, vel fundationes juverunt. Principibus etiam & Prælatis, qui id voluerunt. aliis autem perſonis, etiam benemeritis, non eſſe id concedendum ſine facultate Præpoſiti Generalis. Quicumque tamen illi fuerint, non videntur pro eis ea officia publice dicenda, quæ pro noſtris fratribus defunctis dicere ſolemus. & obſervandum eſt, ne cuiquam præjudicium fiat in hujusmodi ſepulturis; & nullus Noſtrum ſponte ſe offerat ad eam licentiam petendam: & etiam ne jus ſepulturæ poſteri eorum, qui ibidem ſepeliuntur, acquirant.

CXXII. *in* MS. *Tit.* 6. *d.* 43.

PRopoſitum fuit à Patribus Luſitanis, an reditus quidam eſſent retinendi, qui cuidam Collegio ipſorum proveniunt à petitionibus quibusdam publicis, quæ ſub nomine S. Antonii exiguntur, cum nonnullorum ſcandalo. *Proventus ex collecta publica S. Antonii.*

Reſponſum fuit, ut videret Præpoſitus Generalis, an eſſent ſtatim relinquendi, an retinendi, donec commutentur in alios, qui non præſeferant eam ſpeciem ſcandali.

CXXIII. *in* MS. *Tit.* 6. *d.* 44.

PEtebatur etiam, an eſſent proponenda & danda munuſcula quædam, quæ præmia vocant, Scholaſticis externis, ut ea ratione inflammarentur ad ſtudia litterarum. *Præmia pro ſcholaſticis.*

Placuit proponi, & dari, dummodo ne fratribus noſtris darentur, nec externis noſtro cum ſumptu: & ut ſervaretur modus honeſtus & religioſus.

CXXIV. *in* MS. *Tit. 6. d.* 45.

Parochiæ annexæ Collegio Conimbricenſi.

CVm Collegium Conimbricenſe hucusque poſſederit Monaſteria quædam cum Eccleſiis parochialibus annexis; an ſit diſpenſandum in Conſtitutionibus, quæ oppoſitum videntur ſtatuere; vel quidnam faciendum ſit.

Placuit Congregationi, omnem adhiberi diligentiam, ut quam primum, & quam optimo modo fieri poſſet, liberaretur ab animarum cura prædictum Collegium.

CXXV. *in* MS. *Tit. 6. d.* 46.

Studiorum intermiſſiones Eboræ.

AN in Collegio Eborenſi propter aëris intemperiem, & ſalubritatis defectum, & æſtus graves illius civitatis, concedendæ eſſent noſtris Præceptoribus ſtudiorum intermiſſiones longiores, quam aliis in Collegiis concedi ſoleant.

Reſponſum eſt, intermiſſiones quidem placere: ſed modum, & dierum, quibus vacandum à ſtudiis eſſet, numerum relinquendum eſſe Præpoſiti Provincialis judicio.

CXXVI. *in* MS. *Tit. 6. d.* 47.

Convictores Conimbricæ.

AN expediret, Noſtros curam retinere quorumdam Scholaſticorum externorum, qui convictores vel commenſales dicuntur, quorum cura Noſtris à Rege Luſitaniæ impoſita eſt, non exiguo cum onere, cum novum Collegium illis traderet.

Reſponſum eſt, dandam eſſe operam, ut Domus quædam conſtrueretur extra Collegium novum Conimbricenſe pro habitatione hujusmodi convictorum, ut à noſtrorum Scholaſticorum habitatione omnino ſeparentur. Interim tamen retinendam eſſe eorum curam, quam Societas jam ſuſcepit: & hoc quidem ex diſpenſatione quadam concedi.

CXXVII. *in* MS. *Tit. 6. d.* 48.

Domus probationis.

AN Domus probationis ſint ſejungendæ à noſtris Collegiis.

Reſponſum eſt, rationes utrimque audiendas & expendendas eſſe, quæ multæ ſe offerebant: & tamen potius prope Collegia quam prope Domos profeſſorum tenendæ videbantur. ſed ulterius non eſt actum ea de re.

CXXVIII.

CXXVIII. *in* MS. *Tit. 6. d.* 49.

PEtierunt iidem Patres Luſitani regulas, quas non habebant, & Viſitatoris, & Provincialis, &c.

Reſponſum fuit, faciendas, & eis mittendas.

CXXIX. *in* MS. *Tit. 6. d.* 50.

AN ſæculares, qui emittunt vota in ordine militari vocato Chriſti, poſſint ad Societatem noſtram admitti, licet credatur non emiſſuros profeſſionem apud nos. *Milites Chriſti ad Societ. admitti poſſunt.*

Reſponſum eſt, admitti poſſe.

CXXX. *in* MS. *Tit. 6. d.* 51.

CVm ex Provincia Luſitaniæ plurimi ad Indos, Braſiliam, & alias infidelium regiones mittantur, & hominum penuria ibi laboretur, petierunt Patres Luſitani à Congregatione auxilium. *Miſſiones Indicæ.*

Reſponſum fuit, quoad ejus fieri poſſet, ſubveniendum illis eſſe.

CXXXI. *in* MS. *Tit. 6. d.* 52.

QVæſierunt etiam, an Doctores & Magiſtri de Societate, cum publicis præſident diſputationibus, aut Scholaſticos in Vniverſitatibus examinant, ea inſignia ſerica, quibus alii Doctores vel Magiſtri utuntur, ferre debeant. *Inſignia Doctoratus.*

Reſponſum fuit, deferendam eſſe hujuſmodi cauſam ad Præpoſitum Generalem, ut declaret conſtitutiones Vniverſitatum. Quod ad Conimbricenſe Collegium attinet, viſum fuit petendam eſſe facultatem, ut non obligarentur Noſtri ad hujuſmodi inſignia portanda. Non tamen incommodum videbatur, ſi Noſtri in illis actibus publicis, de quibus quæritur, portarent aliqua inſignia, in pileo præſertim, ut ſunt fila illa ſerica quæ ponuntur in medio pilei.

CXXXII. *in* MS. *Tit. 6. d.* 53.

AN vota quæ Noſtri, cum adhuc in ſæculo eſſent, emiſerunt (quærebatur autem de aliis votis præterquam Religionis determinatæ) cenſeantur ipſo facto commutata in vota ſimplicia noſtræ Societatis, ſimulatque illa emiſerint. quod difficultatem habet, cum illud cap. *Scripturæ, De voto & voti redemptione*, intelligatur à Doctoribus de ingreſſu per profeſſionem. *Vota ſæculi in Societate ſuſpenſa.*

Reſpon-

Reſponſum fuit, in noſtra Societate ſuſpenſa eſſe alia vota, etiamſi per profeſſionem non tollantur, & ſic obligationem eorum ceſſare dum in Societate manent.

CXXXIII. *in* MS. *Tit* 6. *d* 54.

Regulæ particulares.

CVm regulæ Generales, & communes inſtructiones officiorum diligenter obſerventur, & juxta illas qui præſunt ſubditos regant, petitum fuit ut viderentur diligentius, & ſi circa ordinem vel claritatem aut ſtylum aliquid eſſet immutandum, immutaretur.

Reſponſum fuit, ut Præpoſito Generali id faciendum committeretur. Viſum eſt, regulas ex Conſtitutionibus deductas, ſervandas eſſe generaliter; alias videndas eſſe & examinandas: documenta vero, ſive conſilia ſpiritualia, in unum locum redigenda extra regulas.

CXXXIV. *in* MS. *Tit.* 6. *d.* 55.

Capellaniæ in Eccleſiis noſtris non erigendæ.

AN recipi debeant in noſtris Collegiis Capellaniæ, quibus inſerviunt Clerici ſæculares, quos poſſint Noſtri eligere. Nam ex earum cenſibus hujusmodi Collegia augeri poſſe videntur.

Reſponſum fuit, non expedire ut in noſtris Eccleſiis erigantur hujusmodi Capellaniæ.

CXXXV. *in* MS. *Tit.* 6. *d.* 56.

AN ſint admittendi in noſtris Domibus qui aliquod facinus perpetrant, aut bonis cedunt, &c. donec ſuæ ſecuritati conſulant.

Reſponſum fuit, conſulendos eſſe viros peritos: & poſt conſultationem, res eſt commiſſa Præpoſito.

CXXXVI. *in* MS. *Tit.* 6. *d.* 57.

Ius præſentandi.

AN jus illud, quod habet Collegium Gandienſe, præſentandi tres Parochiales Neophytorum ex Agarenis, ſit conſervandum, an potius ſit illi renuntiandum in favorem Ordinarii. Viſum eſt retinendum eſſe jus hoc, ut melius conſultum ſit illorum ſpirituali utilitati.

CXXXVII. *in* MS. *Tit.* 6. *d.* 58.

Doctrina Chriſtiana.

AN expediret Chriſtianam doctrinam docere canendo, cum experientia doceat magis allici eo modo pueros, & majorem ſequi fructum.

Reſponſum fuit, Præpoſito Generali id committendum. Ille autem ſtatuit ut ita fieret, ubi ad majorem ædificationem id fore obſervaretur.

CXXXVIII.

CXXXVIII. *In* MS. *Tit.* 6. *d.* 59.

AN præcipiendum eſſet profeſſis, ut per ſe exequantur aliquando votum quod faciunt de curanda inſtitutione puerorum. Viſum eſt, Præpoſito Generali id committendum eſſe. Ille autem ſtatuit, ut præter id quod ad probationes pertinet, commendaretur valde hoc pium opus profeſſis, qui id exequi deberent juxta litterarum Apoſtolicarum & Conſtitutionum rationem. Pater quidem noſter Ignatius injunxit ſingulis Profeſſorum, ut ſemel per quadraginta dies id facerent. *Votum de erudiendis pueris.*

CXXXIX. *In* MS. *Tit.* 6. *d.* 60.

AN ſit exterminandus à Societate mos ille admittendi beneficia curata, vel ſimplicia, quæ Noſtris ad tempus conferuntur. *Beneficia curata & ſimplicia.*

Commiſſum etiam fuit Præpoſito, qui ſtatuit, ut non admitterentur beneficia ſine licentia Præpoſiti Generalis, quem informare oportebit de ſcandalo, ſi quod fuerit, vel timebitur; & de tota re, ut videat an diſpenſari oporteat.

CXL. *In* MS. *Tit.* 6. *d.* 61.

AN Noſtri qui ante ingreſſum in Societatem habebant beneficia, poſtquam biennium in illa manſerint, ea relinquere debeant. *Beneficia ante ingreſſum.*

Committendum etiam hoc videbatur Præpoſito, qui ſtatuit ut ſervarentur Conſtitutiones, quibus non præcipitur, ut beneficia relinquantur ante profeſſionem, niſi jubente Superiore poſt primum annum. Hunc autem Superiorem ſtatuit fore Generalem, vel Commiſſarium, vel Provincialem.

CXLI. *In* MS. *Tit.* 6. *d.* 63.

AN quilibet Superior in Societate poſſit gratias Societatis cuilibet ſubdito communicare, cum facultate eaſdem aliis communicandi. *Privilegia Societatis.*

Commiſſum id fuit Præpoſito Generali, qui viris peritis conſultis id declararet.

CXLII. *In* MS. *Tit.* 6. *d.* 64.

AN expediret petere à Summo Pontifice, ut Nuntii Apoſtolici non poſſint diſpenſare in votis ſimplicibus Societatis, ſaltem quæ poſt biennium emittuntur. *Nuntii Apoſtolici in votis Societatis ne diſpenſent.*

Reſponſum eſt, petendum videri: uſum tamen ejus gratiæ, ſi obtineatur, penes Præpoſitum fore.

CXLIII. *In* MS. *Tit* 6. *d.* 65.

Regulas condere ſolus poteſt Generalis.

AN expediret, ut Præpoſiti inferiores non poſſint regulas condere, ſine Generalis conſultatione, & particulari conceſſione.

Reſponſum fuit, ſolum Præpoſitum Generalem auctoritatem habere; & alios eam dumtaxat, quam ab ipſo acceperint: & cum ea ſi quid ordinabunt, transmittant Præpoſito, ut id examinet, & ſi videatur expedire confirmet.

CXLIV. *In* MS. *Tit.* 6. *d.* 66.

Contractuum poteſtas penes Generalem.

DE ratione ineundi contractus dictum eſt, & à Congregatione conſtitutum, poteſtatem eſſe penes Præpoſitum Generalem, & ab eo ad alios deſcendere debere, juxta Conſtitutionem quamdam relictam à P. Ignatio ſanctæ mem. extra corpus aliarum, quæ tota approbata eſt, & IX. P. c. III. inſerta. Curandum autem dicebatur, ut Breve Apoſtolicum obtineretur, quo conſtaret evidentius iis, qui cum Societate negotiantur, de hac poteſtate. Interim autem dum Breve obtineretur, ut fiat ſicut hactenus factum eſt: nimirum, ut ſi acquieſcere nobis vellent qui nobiſcum negotiantur, cum Præpoſiti Generalis facultate dumtaxat contractus fiant: ſi noluerint acquieſcere, ut poſſint collegialiter convenire ad eorum ſatisfactionem, non ad contractus neceſſitatem.

TITVLVS VII.

De diſſolutione Congregationis.

CXLV. *In* MS. *Tit.* 7. *d.* 1.

Congregationem ſolvere ſolus Generalis non poteſt.

NOn videri ſolvendam Congregationem pro ſolius Præpoſiti Generalis arbitrio, ſine conſenſu ejuſdem Congregationis, quæ Generali ſuperior eſt.

CXLVI. *In* MS. *Tit.* 7. *d.* 2.

Receſſus aliquorum à Congregatione.

TRigeſima prima Iulii propoſitum eſt de receſſu P. M. Ioannis Pelletarii propter cauſſas quæ videbantur momentum habere, & viſum fuit eum poſſe recedere. Paulo poſt P. Doctor Caniſius, Provincialis Germaniæ, dimittendus fuit cum Summi Pontificis Nuntio ad Regem Poloniæ, cui comes cum alio Theologo, ſcilicet Doctore Theodorico Amſterdamenſi,

ad-

adjunctus eſt. Et ita reliqui XVIII. profeſſi prius nominati cum Procuratoribus, confecerunt quod reliquum fuit in Congregatione generali. Supervenerat tamen XIX. profeſſus M. Baptiſta Violæus, poſt Præpoſiti electionem aliquot dies, & Congregationi uſque ad finem interfuit.

CXLVII. *In MS. Tit. 7. d. 3.*

QVæſitum fuit X. Auguſti, an diſſolvenda eſſet Congregatio. Et viſum fuit, prius illa eſſe abſolvenda, quæ neceſſario à Congregatione generali tractanda erant, ut quæ ad Congregationes pertinent. Et ita tractata fuerunt.

CXLVIII. *In MS. Tit. 7. d. 4.*

POſtmodum X. die Septembris de Congregatione diſſolvenda actum eſt, & omnium conſenſu eſt diſſoluta die X Septembris prædicta.

D E C R E T A

Secundæ Congregationis generalis ante Electionem.

I. *In MS. dec. 1.*

QVia P. Petrus Ribadeneira abſens, & cum ex Provincia Siciliæ jam exceſſiſſet, à provinciali Congregatione electus fuerat ad electionem Generalis; & ſi is non admitteretur, P. Carolus Pharao ſubſtituebatur; prout conſtitit ex lectis litteris Congregationis provincialis Siciliæ; propoſuit P. Vicarius an dictus P. Petrus admittendus eſſet, ſupplendusque defectus electionis ejus, an P. Carolus admitti deberet. Decrevit autem Congregatio pluribus ſuffragiis, P. Petrum eſſe admittendum ex æquitate vel epieikeiâ quadam, ſupplendo defectum electionis, & ne in exemplum aliorum id tranſiret aliqui monuerunt. Pater vero Carolus in Procuratorem admiſſus eſt, prout Congregatio provincialis petebat. Et ſtatim vocatus eſt P. Petrus, & ſuo loco in Congregatione ſedit, & ſententiam dixit. *P. Petrus Ribadeneira.* *P. Carolus Pharao.*

II. *In MS. d. 3.*

PRæterea cum P. Ioannes de Valderavano Provincialis Toletanus elegiſſet P. Michaelem Goviernum, poſtquam P. Ægidius Gonzalez à Congregatione *P. Michael Goviernus.*

provinciali electus in morbum inciderat, ipſaque Congregatio diſſoluta erat, & tempus veniendi ad Congregationem Generalem urgebat; propoſuit idem P. Vicarius, an is admittendus eſſet, ſuppleto defectu talis electionis. Decrevit Congregatio fere omnium ſuffragiis, ex æquitate eſſe admittendum prædictum P. Michaelem Goviernum: licet non eſſet in exemplum trahenda talis diſpenſatio. Et ſtatim evocatus eſt, & ſuo loco ſedit, & ſententiam dixit.

III. *In.* MS *d.* 5.

Profeſſi Romani.

PRopoſitum fuit, an aliqui ex profeſſis qui Romæ verſantur, adhibendi eſſent ad Congregationem generalem; quandoquidem præter Aſſiſtentes, & P. Vicarium, nullus intereſſet adhuc, nec electus eſſet, ut Conſtitutiones jubent ex ſingulis Provinciis eligi debere in Congregatione provinciali. Reſponſum eſt communi conſenſu, modo nihil eſſe innovandum, ſed poſt Præpoſiti electionem agi poſſe ea de re.

IV. *In* MS. *d.* 9.

Acta primæ Congregationis priora.

PRopoſitum fuit de actis primæ generalis Congregationis ante electionem, an eſſent rata habenda, an potius eſſent aliqui deputandi, qui ea conſiderarent, & rebus inter ſe diſcuſſis, proponerent Congregationi quæ viderentur ex illis ad præſentem electionem facere, & quæ mererentur approbationem, quæ non. Decretum eſt pluribus ſuffragiis, omnia eſſe proponenda Congregationi ab aliquo qui ſingulorum redderet rationem; ut ſtatui poſſet ab eadem Congregatione quæ approbanda eſſent, quæ non.

V. *In* MS. *d.* 10.

PRopoſitum fuit ab aliquo, concedente P. Vicario, an præter P. Salmeronem, deberent ex ſingulis nationibus aliqui Provinciales comitari P. Vicarium ad benedictionem petendam à Summo Pontifice. Decretum eſt, ut P. Vicarius iret cum P. Salmerone, ut prius fuerat ſtatutum: ſed quod poſſet ſecum adducere idem P. Vicarius quos præterea vellet ad Pontificem.

VI. *In* MS. *d.* 11.

CVm proponerentur ſigillatim xx. illa decreta ante electionem P. Laynez Generalis Congregationi, viſum eſt omnibus in primo & ſecundo nihil eſſe dubii, nec ad rem noſtram ea facere.

VII.

VII. *In* MS *d.* 12.

CVm tertium Decretum ante electionem legeretur, in primis diſcuſſum fuit diligenter, an de aliis rebus agendum eſſet, quam de pertinentibus ad electionem, antequam eligeretur Præpoſitus Generalis. Et majori parte ſuffragiorum fuit conſtitutum, ut de nulla re ageretur ante electionem præterquam de iis quæ ad ipſam electionem pertinerent. *Ante electionem nihil tractandum quod ad eam non pertineat.*

VIII. *In* MS. *d.* 13.

QVod in eodem tertio Decreto dicitur, uno die res proponendas, alio definiendas eſſe, ſtatutum eſt intelligi debere juxta quartum Decretum Congregationis poſt electionem, ubi dicitur, id fieri debere in rebus gravioribus, cujuſmodi ſunt quæ in Congregatione neceſſario veniunt tractanda: ſi quæ alia proponerentur, pro arbitrio P. Præpoſiti, aut eodem aut alio die tractanda eſſe. *Vno die proponendæ, altero tractandæ res graviores.*

IX. *In* MS. *d.* 14.

VT in eodem tertio Decreto habetur, viſum eſt Procuratores non eſſe admittendos ante electionem unanimi conſenſu. *Procuratores non admittendi ante elect.*

X *In* MS. *d.* 15.

IN eodem tertio decreto ſic habetur: *Si poſtridie inter omnes non conveniret, deputandos eſſe Definitores vel Compromiſſarios.* Declaratum eſt ergo, τὸ *inter omnes* ita accipiendum eſſe, ut in iis quæ ante electionem tractanda erunt, intelligatur τὸ *omnes*, id eſt, de majore parte ſuffragiorum; non ita poſt electionem, quia tunc de Conſtitutionibus & rebus gravioribus erit agendum. *Inter omnes, id eſt, major pars.*

XI. *In* MS. *d.* 16.

PRopoſitum fuit quartum Decretum ante electionem P. Laynez Generalis: & pluribus ſuffragiis prout jacet placuit.

XII. *In* MS. *d.* 17.

COnſequenter quintum Decretum fuit propoſitum. Et quæ de Provincialibus & Commiſſariis habet non ſunt approbata, quia in Decretis poſt electionem ejuſdem Patris exactius de eis definitur. Sed ultima pars omnibus placuit, ut ſcilicet omnes officiales Vicario ſubeſſent.

XIII. *In* MS *d.* 18.

IN Decreto ſexto ante prædictam electionem, omnia capita propoſita fuerunt, & perlecta ſigillatim; & in primis illud, quod omnes Electores petere debeant informationem, nemine excepto. Et pluribus ſuffragiis ſtatutum eſt, omnes petere debere. *Informationes ab omnibus petenda.*

XIV. *In* MS. *d.* 19.

A quibus petendæ informationes.

DE ſecundo capite actum fuit etiam, ſcilicet à quibus peti debeat informatio. & cum multa hinc & inde dicta fuerint, tandem pluribus ſuffragiis eſt conſtitutum, ab omnibus de Societate, qui poſſent bene referre, poſſe capi informationem. ita tamen, ut illi, à quibus caperetur, eamdem legem ſubirent ratione informationis, quam Electores. de qua lege & informandi modo, qui peterit ab aliquo extra numerum Electorum informationem, prius ipſum monere debeant, ut noverint ad quod teneantur.

Placuit autem, ut ante quatriduum, quod præcedit diem electionis, nulla peteretur informatio.

XV. *In* MS. *d.* 20.

De quibus petendæ informationes.

PErlectum fuit etiam in Congregatione tertium caput de ratione informationis, ſcilicet de quibus perſonis peti debeat informatio & quartum, ſcilicet de quibus rebus peti debeat. & pluribus ſuffragiis decretum eſt, utrumque ratum habendum eſſe.

XVI. *In* MS. *d.* 21.

Modus petendi.

PRopoſitum fuit quintum caput ſequens, quomodo ſcilicet peti debeat informatio. & cetera placuerunt: ſed pluribus ſuffragiis duo immutanda viſa ſunt. Alterum, quod initio dicitur, id eſt, *non petat an hic vel ille aptus videatur ad hoc munus, nec ne; ſed de rebus illis, ex quibus judicari poſſit, an ſit idoneus, nec ne.* hoc ergo immutandum viſum eſt, & permiſſum, ut liceret petere, an hunc vel illum aptum quis judicet ad munus Præpoſiti Generalis; non tamen, an aptiſſimum inter omnes. Alterum eſt, quod ubi dicitur, *ſi quid tamen intellexerit, quod ſecretum teneri debeat, cum aliis præterquam cum Electoribus in informatione ſilentium ſervet, memor caritatis:* hic, inquam, pluribus ſuffragiis viſum eſt, ſilentium in virtute obedientiæ eſſe injungendum, in re gravi tamen, non in qualibet.

XVII. *In* MS. *d.* 23.

Modus reſpondendi.

PErlectum fuit ſextum caput, de ratione informationis, in quo agitur de modo quo reſpondere debeat is, à quo petitur informatio.

Et omnibus placuit. Major tamen pars voluit, quæ in eo continentur, non obligare ad peccatum ratione decreti.

XVIII. *In* MS. *d.* 24.

Interrogatorium.

DE quodam interrogatorio inſerto ſexto Decreto prædicto, habetur in ejus fine, ſtatutum eſſe, quod non neceſſe eſſet eo uti: ſed ut conſidera-

rentur

rentur ibi citatæ Conſtitutiones,& ſic unusquisque interrogaret,prout in Domino videretur ei expedire.

Hoc ipſum,quod ibi decernitur de Interrogatorio, toti huic Congregationi placuit.

XIX. *In* MS. *d.* 25.

CVm ageretur de ſeptimo Decreto ante electionem P. Lainez ; placuit fere omnibus admittendum eſſe,ut jacet. Explicuit tamen Congregatio locum illum de excommunicatione latæ ſententiæ,quæ ſe extendit ad informationem non ſinceram ; quod intelligi debeat de informatione,quæ ſtudioſe mendax eſt,id eſt,mala cum intentione,& in re gravi. *Excommunicatio.* *Informatio non ſincera.*

XX. *In* MS. *d.* 26.

PRopoſitum fuit octavum Decretum ſequens, & placuit prout jacet. Nonum etiam omnibus fere, & decimum majori parti,expunctis iis quæ de Commiſſariis dicuntur,de quibus poſt electionem conſtitutum fuit,quod expirarent per mortem Præpoſiti. *Commiſſarii expirant in morte Generalis.*

XXI. *In* MS. *d.* 28.

PRopoſitum fuit præterea XII. & XIII. Decretum ante electionem prædictam ; & utrumque placuit,ut jacet : ſed in XIII. viſum fuit,ſecretum eſſe commendandum in dandis ſuffragiis , & in ſcribendo nomine electi, formam characteris aut manus propriæ mutari poſſe , ſi quis volet, ne à tribus, qui ſuffragium videbunt & legent,agnoſci poſſit. *Formula ſuffragiorum.*

Fuit autem dubitatum ; an expungi deberent ultima illa verba Decreti XIII. ſcilicet, *non manifeſtandum nomen eligentis ; niſi neceſſitas urgeret judicio Congregationis* : & placuit majori parti,ut non expungerentur ; ſed ut hoc adderetur , poſt promulgatum Decretum electionis ſtatim comburenda eſſe ſuffragia. *Comburenda ſuffragia poſt Decretum.*

XXII. *In* MS. *d.* 29.

PErlecto XIV. Decreto ſequenti,placuit illud majori parti mutatis mutandis, ut ad præſentem electionem accommodaretur. Illa tamen verba tollenda eſſe viſa ſunt , ex *numero trium Electorum de qua vis Provincia* , ne excluderentur Electores qui Romæ verſantur,& ex Provinciis non venerunt ; & dicendum ſic eſſe, *ex numero Electorum eligerentur.* *Electio Secretarii & Aſſiſtentis.*

XXIII. *In* MS. *d.* 30.

PRopoſitum fuit XV. Decretum, & in ceteris placuit omnibus : ſed declaratum fuit , ſenſum juramenti, quod facturus eſt P. Vicarius , Secretarius, *Iuramentum.*

& Aſ-

& Aſſiſtens, ſic interpretandum eſſe, ut quadrat ſingulis eorum juxta Conſtitutiones. In forma vero abſolutionis addendam eſſe exceptionem defectuum qui in hac electione accidiſſent, juxta declarationem in VI. cap. VIII. Part. quæ ait, *Abſolvit ab omnibus cenſuris, quas non incurriſſent propter defectus ad hanc electionem pertinentes.* Sic ergo habebit formula; *Abſolvo vos à quovis ſententia excommunicationis, ſuſpenſionis & interdicti, & quibuſvis aliis ſententiis, cenſuris & pœnis; & quatenus ſit opus, diſpenſo vobiſcum ſuper irregularitate quavis (dummodo ſententias & cenſuras, pœnas ac irregularitatem hujusmodi ob defectus ad electionem hanc pertinentes non incurreritis) ad effectum legitimæ electionis, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti. Amen.* Addendum eſſe etiam de abſolutione, quam antiquiſſimus Profeſſus daret Vicario, viſum eſt: quæ ejusdem tenoris erit cum ea qua ipſe alios abſolvit.

Abſolutio à cenſuris.

XXIV. *In MS. d. 31.*

Secretarius an aperto capite.

IN XVI. Decreto cetera placuerunt; ſed tollendum eſſe illud viſum eſt, quod dicitur de Secretario, quod ſtare aperto capite debeat, de quo Conſtitutiones nihil inſinuant.

Decretum electionis.

Formula etiam Decreti electionis, quam tenuimus in præcedenti electione R. P. Iacobi Lainez, approbata eſt, ſcilicet quæ ſequitur: *Cum in plena & legitima Congregatione collato numero omnium ſuffragiorum, pluſquam media pars omnium R. P. N. nominaverit & elegerit, ego N. auctoritate Sedis Apoſtolicæ & univerſæ Societatis, eligo prædictum R. P. N. in Præpoſitum Generalem Societatis* IESV, *in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti. Amen. Romæ.*

XXV. *In MS. d. 32.*

Compromiſſarii.

PRopoſito XVII. Decreto ante electionem prædictam, dubitatum eſt, an expediret declarare, quod antequam ad compromisſionem veniretur, tentarentur plura ſcrutinia quam tria, ſcilicet usque ad ſeptem: vel certe, an dicendum eſſet, quod ſi ne in tertio quidem ſcrutinio egrederetur Generalis, Congregationi integrum eſſet alia tentare ſcrutinia. Et viſum eſt Decretum, ut jacet, amplecti oportere. ſed non eſſe utendum ratione compromisſionis, quæ aſſignatur in prædicto Decreto, ut ſcilicet quintus Compromiſſarius accedat in caſu paritatis ad alterum ex duobus à binis Compromiſſariis electis. ſi autem oblata fuerit talis difficultas, tunc deciditur quid agendum.

Decimumoctavum Decretum ſequens non eſt approbatum; quia ut XXVIII. Decreto eſt dictum, ſtatim comburi debent ſuffragia poſt promulgatum Decretum electionis.

XXVI.

XXVI. *in* MS. *d.* 33.

PRopoſitum fuit Decretum XIX. ſequens: & prima ejus pars, ut quatriduo ante electionem Profeſſi Electores non egrederentur foras ſine licentia P. Vicarii, omnibus placuit. ***Quatriduo nullus domo egrediatur.***

Statutum etiam fuit communi omnium ſententia, ut quatriduum illud inciperet à vigilia S. Petri XXVIII. Iunii, ita ut dies electionis eſſet II. Iulii, ipſo ſcilicet feſto Viſitationis, prout in præcedenti electione fuerat. Et conſequenter viſum eſt Congregationi, non eſſe expectandos abſentes. nam ante id tempus expectabatur P. Everardus inferioris Germaniæ Provincialis; nec de Provinciali Bæticæ cum ſociis ſpes jam erat, quod ad electionem venturi eſſent. ſed ſi accidiſſet, ut incœpto quatriduo aliqui venirent, ut tunc deliberaret Congregatio, an ſuffragium eſſent habituri.

De partitione autem jejuniorum, diſciplinarum, & orationum placuit omnibus, ut P. Vicarius illam pro ſuo arbitrio faceret.

XXVII. *in* MS. *dec.* 34.

PRopoſitum fuit ultimum Decretum ante electionem prædictam, & viſum eſt, clarius debere formari, ad modum ſcilicet ſequentem. Abſolutio excommunicationis latæ ſententiæ prius dictæ, reſervetur Vicario, ſi ante electionem abſolvi ſe petat, qui in eam incidiſſet: ſi poſt electionem peteret, Præpoſito Generali reſervanda erit. Hactenus de actis ante electionem. ***Abſolutio cui reſervata.***

Viſum eſt autem Congregationi, quod hæc XXXIV. Decreta poſſent habere ſinguli Electorum; & quod Provinciales etiam deberent, & ſuæ Provinciæ Electoribus communicarent. ſinguli tenentur habere ſaltem quæ ad informationem & electionem faciunt, ad quam, ut finem, hæc acta diriguntur.

Forma Decreti electionis hæc fuit:

CVm in plena & legitima Congregatione, collato numero omnium ſuffragiorum, plusquam media pars omnium R.P. Franciſcum de Borgia nominaverit & & elegerit: Ego Alfonſus Salmeron auctoritate Sedis Apoſtolicæ, & univerſæ Societatis, eligo prædictum R. P. Franciſcum in Præpoſitum Generalem Societatis IESV, *in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti.*

Romæ in ædibus Soc. IESV, *die* II. *Iulii* M. D. LXV. *Alfonſus Salmeron omnium nomine me ſubſcripſi. Ioannes de Polanco Secretarius Societ* IESV.

DECRETA
Secundæ Congregationis generalis poſt electionem.

I. *in* MS. *dec.* 2.

De Aſſiſtentibus officio defunctis.

DE tribus Aſſiſtentibus, qui jam ſuo officio defuncti fuerant ipſa in electione Præpoſiti Generalis, actum fuit, an cum ſuffragio intereſſe deberent Congregationi: & eos quidem intereſſe debere decretum eſt. Sed quid in poſterum de Aſſiſtentibus, qui expirant, ſit ſentiendum; & an eſſent ſtatim eligendi novi Aſſiſtentes, & Admonitor Generalis, & aliqui ad quos referrent ſinguli ad ea quæ proponenda Congregationi viderentur, & cum qua auctoritate; in diem ſequentem tractatio rejecta eſt.

II. *in* MS. *dec.* 3.

De Procuratoribus Provinciarum.

ACtum fuit de Procuratoribus, an in poſterum ex ſingulis Provinciis venire deberent: & ſi venirent, an duo poſſent venire electi à Congregatione provinciali, vel adducti à Præpoſito provinciali. Et res eſt diu multumque diſputata; non tamen eo die ſatis conſtituta. Unde ſequenti die, ſcilicet quinta Iulii, denuo propoſita fuerunt varia ſuffragia ea de re, & quod ſequitur eſt conſtitutum.

Ad electionem venire tantum debent duo electi cum Provinciali.

Conſtitutiones circa hujuſmodi Procuratores, qui præter duos electos cum Provinciali ad eligendum Generalem Præpoſitum mittuntur à Congregatione Provinciali, vel adducuntur à Præpoſito Provinciali, ſervandas eſſe: ſed Congregatio ſic eas interpretata eſt, ut cum tantum ad electionem vocatur Societas, terni veniant ex ſingulis Provinciis, Provincialis cum duobus electis: nec ulli Procuratores ſunt adducendi, qui ſuffragium habeant.

Ad negotia venire præter illos poſſunt unus & alter, cum vocantur, ſique profeſſi aut Coadj. formati.

Quod ſi Præpoſitus Generalis, qui cogit Congregationem, vel Vicarius Generalis, judicat aliquos eſſe adducendos ad negotia gravia poſt electionem tractanda; cum id ſignificaverit Provincialibus, tunc unus vel duo poſſunt ex ſingulis Provinciis, vel à Congregatione provinciali, vel ab ipſis Præpoſitis Provincialibus electi venire, & quidem cum ſuffragio activo & paſſivo, juxta Conſtitutiones, ſi vel Coadjutores ſpirituales formati, vel Profeſſi trium aut quatuor votorum fuerint, non aliter.

III.

III. *in* MS. *d.* 4.

AGi cœptum fuerat præcedenti die, an in poſterum, qui fuerint Aſſiſtentes, quorumque officium per electionem novi Præpoſiti Generalis expiraverit, intereſſe debeant Congregationi generali, quæ poſt electionem ad alia negotia gravia tractanda celebratur. & decretum eſt, ut auctoritate ab hac Congregatione data, interſint in poſterum cum ſuffragio generalibus Congregationibus, ſive Romana conſtituatur Provincia, ſive non conſtituatur, ſive novi eligantur Aſſiſtentes, ſive non eligantur.

Aſſiſtentes antiqui intereſſe debent Congregationi.

Deinde actum eſt, an Aſſiſtentes ſtatim eligi deberent, & Admonitor Præpoſiti Generalis, an potius id differri in finem Congregationis oporteret: & hoc ipſo die definitum eſt, uſque ad diem feſtum B. Iacobi differendum id eſſe, & quatriduo ante informationes eſſe capiendas, ſecretas tamen, ut tunc ſaltem hac de re ſtatueretur.

Aſſiſtentibus eligendis dies indicta.

IV. *in* MS. *d.* 5.

PRopoſitum fuerat, an aliqui eſſent deputandi, ad quos ſinguli ea referrent, quod ad negotia Provinciarum attinet, quæ Congregationi proponenda viderentur: & cum qua auctoritate. Conſtitutum eſt autem, ut quinque eligerentur ex Provincialium numero, qui variis nationibus præſunt; cum ea facultate, ut unum contextum ex variis quæ ſuggeruntur facerent ordine convenienti. Et ſi quid videretur non pertinere ad Congregationem, ſed potius ad Generalem Præpoſitum, admonerent proponentem: cui ſi perſuaſum non eſſet ut deſiſteret, liceret ei Congregationi proponere quod vellet; ipſa vero vel rejiceret ad Præpoſitum Generalem, vel de eo decerneret.

Deputati v. ex Provincialibus diverſarum nationum.

Eorum facultas.

V. *in* MS. *d.* 8.

PRopoſitum fuit, an deputandi eſſent aliqui, qui officium Vicarii non ſatis in Conſtitutionibus expreſſum conficerent; & Congregationi referrent: & item alii, qui in unum corpus redigerent acta præcedentia Generalis electionem in priori & poſteriori Congregatione: ita ut cuivis liceat in medium adducere, ſi quid habet contra illa: & ſtatuat Congregatio generalis, an confirmari debeant necne, poſtquam omnes audierit. Omnibus autem placuit utraque Deputatio: & demandata eſt P. Præpoſito Generali cura deputandi eos, qui ei in Domino deputandi viderentur. Ipſe vero præſente Congregatione deputavit ad Vicarii officium conficiendum quinq; Patres, ſcilicet Nicolaum Bobadillam, P. Nicolaũ Lanoyum, P. Hieronymum Domenech,

Deputati ad officium Vicarii conficiendum.

Ad acta I. & II. Congreg. ante electionem in unum colligenda.

nech, P. Petrum de Ribadeneira, P. Joannem de Valdermanol. & ad concinnanda acta ante electionem, & de eis referendum, totidem designavit, ſcilicet P. Chriſtophorum Rodriguez, P. Guidonem Roilletum, P. Emmanuelem Lopez, P. Martinum Guttierez, P. Franciſcum Enriquez; & utrique ibidem declarati ſunt.

3 *Ad acta I. Cong poſt electionem examinanda.*

Propoſitum etiam fuit de eiſdem vel aliis deſignandis, ut viderent ſi quid eſſet in actis Congregationis primæ generalis poſt electionem celebratæ, quod non ab hac deberet confirmari. Et quia in Concilio Tridentino ſunt quædam, quæ videntur noſtris Conſtitutionibus aliquo modo adverſari, petitum fuit, ut deſignarentur etiam aliqui, qui adnotarent & expenderent, ac Congregationi proponerent ea, ut conſideraret num remedio vel declaratione aliqua opus eſſet. Placuit etiam Congregationi utrorumque deputatio. Et commiſſa eſt P. Generali, qui deſignavit ad expendenda acta poſt electionem, & referendum de eis, ſeptem ſequentes, ſcilicet P. Alfonſum Roman, P. Gaſparum Loartium, P. Franciſcum Adornum, P. Pontium Cogordanum, P. Paulum Hoffeium, P. Joannem Victoriam, P. Ignatium de Acebedo. Ad expendenda acta Concilii deſignavit ſeptem alios, P. Alfonſum Salmeronem, P. Petrum Caniſium, P. Hieronymum Natalem, P. Michaelem Goviernum, P. Bartholomæum Hernandez, P. Ludovicum à Coudreto, P. Marcum Georgium. Et utrique in eadem Congregatione publicati fuerunt.

4 *Adnotanda ea quæ in Conc. Trid. diſcrepant à Conſtitutionibus.*

VI. *in* MS. *d.* 9.

Subſtantialia non immutanda. Tit. 2. d. 1.

CVm mentio facta fuiſſet de difficultatibus, quæ circa Conſtitutiones occurrebant, placuit omnibus communi conſenſu, ut nihil ad ſubſtantialia Inſtituti noſtri pertinens poſſet immutari, ut in ſecundo Decreto de Conſtitutionibus in præcedenti Congregatione fuerat conſtitutum.

VII. *in* MS. *d.* 10.

Suffragia in rebus decernendis quot requirantur.

CVm propoſitum fuiſſet, & in præcedenti actione agitatum, an major pars omnium ſuffragiorum, id eſt, quæ medietatem excederet, neceſſaria cenſenda eſſet ad aliquid conſtituendum: an ſatis eſſet ad plura ſuffragia decernere de iis quæ proponerentur, ſi non eſſent graviſſima, ut quæ pertinent ad Conſtitutiones, & ipſum Inſtitutum Societatis, vel ad diſſolutionem admiſſorum Collegiorum. Die IX. Iulii omnium fere conſenſu definitum eſt, ſatis fore ad quidvis ex gravioribus decernendum, plusquam mediam partem eorum, qui legitime congregati ſunt in generali Congregatione, dummodo

non

non agatur de iis quæ pertinent ad ſubſtantiam noſtri Inſtituti. De rebus minus gravibus, ad plura ſuffragia definire poſſe Congregationem.

VIII. *in* MS. *d.* 11.

PRopoſitum fuit, an multiplicitas Collegiorum per aliquod tempus moderanda eſſet, & an quædam non ſatis bene conſtituta eſſent diſſolvenda, niſi poſt certum tempus bene fundarentur juxta Conſtitutiones; & an manentibus Collegiis quibusdam, ſcholæ ſaltem eſſent auferendæ. Et cum res per triduum diſputata eſſet, Patribus diligenter ſuas ſententias dicentibus, xii. Julii ſic res conſtituta eſt. Inprimis placuit, in poſterum moderationem adhiberi; & plurimis maximique momenti rationibus in medium adductis, rogaverunt R. P. Generalem Præpoſitum, & ſerio commendaverunt, ut potius applicaret animum ad roboranda, & ad perfectionem adducenda Collegia jam admiſſa, quam ad nova admittenda. & ſi quæ admittenda exiſtimaret ex iis quæ offerrentur, ejusmodi eſſent, & eis in locis, & cum talibus circumſtantiis, ut ad commune bonum Eccleſiæ Dei magnum momentum habitura videantur; & quoad ejus fieri poſſit, ita dotata, vel eam rerum vitæ neceſſariarum commoditatem habentia, ut non tantum operarii ſuſtentari poſſint, ſed & is etiam numerus Scholaſticorum, qui pro ſeminario ſit eidem Collegio futurus, ut ex eo operarii prodire poſſint ad id conſervandum: nec admittatur, licet hæc omnia ſuppeterent, ſi non haberet Societas Rectores ac Magiſtros; ac demum operarios in vita & doctrina idoneos, ut huic muneri poſſe ſatisfacere, auditis Aſſiſtentium ſententiis judicaret, & quidem ſine aliorum Collegiorum detrimento.

Collegiorum multiplicitas & inſufficiens dotatio.

Moderatio in admittendis Collegiis adhibenda.

Quæ in iis admittendis conſideranda.

Quod attinet ad Collegia non bene conſtituta, vel ſcholas in eis diſſolvendas, viſum eſt majori parti Congregationis, audiendos eſſe eos qui ſentirent, vel dubitarent aliquod tale Collegium vel Scholam diſſolvi debere, ut expenſis eorum rationibus, quæ in ſcriptis dari deberent, Congregatio de ſingulis eorum ſtatueret quid facto opus eſſet.

De non bene fundatis deliberandum.

IX. *in* MS. *d.* 13.

PRopoſitum fuit, & diſcuſſum die decima tertia & decima quarta hujus menſis, an deberet fieri ſaltem unum Seminarium Societatis perfectum in qualibet Provincia, ad formandos Profeſſores & alios, qui in Chriſti vinea idonei operarii futuri eſſent in humanioribus litteris, Philoſophia & Theologia, ut poſtea toti Provinciæ ſufficerent. Fuit autem conſtitutum,

Seminaria Noſtrorum in Provinciis.

 Semi-

Seminaria prædicta curanda eſſe, ubi & quando commode fieri poterunt in quavis Provincia. ſed ubi Noſtri docendi munus obituri ſunt, ut paulatim, non præpropere, huic negotio promovendo darent operam.

X. *in ms. d.* 14.

Poteſtas Provincialium.

DE uſu poteſtatis Provincialium in ſuis Provinciis fuit actum & decretum, ut juxta Conſtitutiones noſtras, & rationis dictamen, videatur & declaretur à P. Generali quæ ſit ordinaria, omnibus Provincialibus ex æquo conferenda; quæ autem extraordinaria, & pro ratione loci, temporis & perſonarum, huic potius, quam illi communicandā poteſtas ſit: priorem illam omnibus, poſteriorem hanc iis conferat Præpoſitus Generalis, quibus ad bonam gubernationem in hac vel illa Provincia convenientem fore judicaverit.

XI. *in ms. d.* 15.

Commiſſarii in poſterum ordinarii non ſint.

QVæſitum fuit, an expediret Commiſſarios non fieri, niſi ex neceſſitate, & ad tempus, & ut viſitandi munere tantum fungerentur. Et decrevit Congregatio, Commiſſarios, ad viſitandas Provincias tertio vel quarto quoque anno, vel quando Præpoſito Generali videbitur, & cum qua auctoritate ac jurisdictione videbitur, mittendos eſſe. De aliis qui continuum & quaſi ordinarium officium haberent in Provinciis remotis, cenſuit Congregatio, re bis conſultata, non eſſe illos in poſterum conſtituendos, juxta quod in duodecimo Decreto prioris Congregationis generalis, titulo ſexto definitum fuerat: ſed cum neceſſitas vel utilitas magni momenti, hoc officium judicio Præpoſiti Generalis requiret, pro re nata poſſe hujusmodi Commiſſarios ab eo inſtitui: qui, cum ſatisfactum erit cauſæ, propter quam inſtituti fuerant, pro ejusdem Generalis arbitrio eodem officio defungantur.

XII. *in ms. d.* 16.

Mutationes perſonarum ab uno loco in alium.

PRopoſitum fuit & tractatum aliquot diebus, quid cenſendum & ſtatuendum eſſet de frequenti mutatione perſonarum Societatis ab uno in alium locum; & quæ ratio habenda eſſet pragmaticarum, ſanctionumque Regiarum in hac parte. & XVIII. Iulii conſtitutum fuit; ſuam legitimam poteſtatem ad mutationes perſonarum conſtare debere Præpoſito Generali, cui Conſtitutiones eam tribuunt, ſive ab uno in alium locum ejusdem Provinciæ, ſive diverſæ, mutari conveniat: & etiam Provincialibus intra ſuas Provincias. cum ſæpe mutationes hujusmodi non utiles tantum ipſis

qui

qui mutantur, vel communi bono, ſed neceſſariæ etiam prorſus exiſtimentur. Curandum eſt tamen per Superiorum prudentiam, ut non ſine cauſſa alicujus momenti, nec cum detrimento eorum à quibus aliqui removentur, tales mutationes fiant. Edicta vero Regia hac in re ſervanda eſſe, & alioqui Principum habendam eſſe rationem, ne offendantur: & ſi id timeretur, eorum conſenſum & ſatisfactionem eſſe ad mutationes ejusmodi procurandam.

XIII. *in MS. d.* 17.

CVm Illuſtriſſ. D. Franciſci de Toledo litteræ ac poſtulatio proponeretur, de Collegio in oppido de Oropeſa cum quibusdam conditionibus admittendo, quod hoſpitalis Infirmorum, & domus puerorum in doctrina & vita Chriſtiana inſtituendorum curam eſſet habiturum, quam hactenus tres ex Noſtris in gratiam Illuſtriſſ. Comitis de Oropeſa, de Societate noſtra optimè meriti, aliquo modo præter inſtituti noſtri rationem exercuerant: placuit Congregationi, ut hujusmodi Collegium non admitteretur. Cum enim Societatis noſtræ clariſſima illa domus peculiare gerat patrocinium, gratum eidem fore credebatur, ſi noſtri inſtituti memores, quod ei non conſonat recuſaremus. *Collegium Oropeſanum.*

XIV. *in MS. d.* 19.

PRopoſitum fuerat, & conſideratum aliquot diebus, an expediret in qua vis Provincia Domum aliquam probationis inſtitui, vel conjunctam Collegio, in diſtincta tamen habitatione, vel ſeparatam, in qua Novitii biennio ſuo exercerentur: quo tempore non modo non adigendi eſſent ad vota ſimplicia emittenda, ſed ne admittendi quidem ad ea renovanda cum aliis, licet ſponte emiſiſſent, juxta Conſtitutiones noſtras. Placuit autem Congregationi, ut curaretur hujusmodi Domos in ſingulis Provinciis inſtitui, quam cito fieri commode poſſent. Vtque biennio, & bene probarentur Novitii, non litterarum, ſed mortificationis ac profectus ſpiritualis ſtudio vacando: in ſecundo tamen anno poſſit à Provincialibus, ex commiſſione Generalis, circa ſtudium diſpenſari, habita ratione perſonarum, locorum & temporum, prout in Domino expedire judicabitur. Viſum eſt autem, non modo Novitios ad vota emittenda non inſtigandos eſſe hoc biennio, ſed ſi ſponte emitterent, ut non ſimul cum aliis qui biennium expleverunt, ad ea renovanda admittantur: ſed ſeorſum id facerent. *Domus probationis in ſingulis Provinciis.* *Novitii biennio probandi, ſed in ſecundo anno diſpenſari poteſt circa ſtudia.* *Novitiorum vota.*

De

De ætate admittendorum ad probationem, dubitatum fuit à quibuſdam, & propoſitum: ſed viſum eſt Congregationi, nullum decretum hac de re eſſe faciendum, ſed Conſtitutiones eſſe ſervandas.

XV. *in* MS. *d.* 20.

Pecuniarum extractio.

CVm de pecuniis ex aliqua provincia vel regno extrahendis ageret R. P. Præpoſitus Generalis, & ad majorem ædificationem Principum fore diceret, ſi edicta Regia in hac parte ſervarentur; approbavit Congregatio generalis ejus ſententiam, & ſtatuit circa extractionem pecuniarum edicta hujuſmodi obſervanda eſſe.

XVI. *in* MS. *d.* 21.

Formula ſcribendi nova conficitur.

CVm in ratione ſcribendi, quæ in declarationibus ultimis I. cap. VIII. P. litteris L. M. N. continetur, licet initio Societatis perutilis fuerit, nunc graviſſimæ difficultates inveniantur; propoſitum fuit, an mutari eam oporteret, & formam aliquam confici, quæ Societati pro ſtatu præſenti convenire cenſeretur. Et re diſcuſſa viſum eſt, quædam eſſe in prædicta ratione ſcribendi, quæ modo non bene poſſint obſervari; unde remedium eſſe per aliquam immutationem Conſtitutionum in ea parte adhibendum. Et placuit deſignari tres, vel quatuor, vel quinque, pro arbitrio R. P. Præpoſiti Generalis, cui eligendi eos cura data eſt, qui formulam aliquam ſcribendi conficerent, & Congregationi proponerent, ut ea decerneret quid eſſet agendum. Ipſe autem P. Generalis elegit tres Patres Aſſiſtentes, ſcilicet P. Iacobum Mironum, P. Everardum Mercurianum, P. Benedictum Palmium cum P. Chriſtophoro Madridio, ac P. Ioanne Polanco Secretario, qui eam confecerunt.

XVII. *in* MS. *d* 22.

Cantus Miſſæ & Veſperarum P. Generalis judicio relictus. Tit. 1. d. 25.

CVm de cantu Miſſæ & Veſperarum inducendo in ea loca, in quibus nondum admiſſus eſt, ageretur; tandem Congregationi placuit, ut juxta Conſtitutiones, & Decreta præteritæ Congregationis, & habita ratione finis, quem ipſæ Conſtitutiones intendunt, poſſet Præpoſitus illum inducere, prout expedire in Domino judicabit, in hunc vel illum locum. Vbi autem inductus eſſet cantus tam Miſſæ quam Veſperarum, ſi inutilis ad finem noſtri Inſtituti, & proximorum ædificationem videretur; vel deeſſent qui bene id munus præſtare poſſent, commiſſum eſt P. Præpoſito Generali, ut eum valeat revocare ac prohibere, ſi ita ei viſum fuerit convenire.

XVIII.

XVIII. *in* MS. *d.* 23.

PRopoſitum fuit, an Seminaria Epiſcoporum, de quibus in Concilio Tridentino eſt actum, admittenda à Societate noſtra viderentur, ſi eorum gubernationem Noſtris committere ipſi Epiſcopi vellent. Et re ſatis agitata, conſtituit Congregatio, non admittenda videri. Si tamen fundatio perpetua & inſignis hujuſmodi Seminariorum ita fieret, ut ſimul etiam conjunctum Collegium noſtrum valde promoveretur, & abundaret Societas operariis idoneis, & libera eidem Societati gubernatio committeretur; placuit admitti poſſe ex diſpenſatione Præpoſiti Generalis, & non aliter. Sed ſi quando admitteretur tale munus, conſtituit Congregatio, ut ne Præceptores hujuſmodi Seminariis darentur ſeparati ab iis qui in ſcholis noſtris pro Societatis noſtræ inſtituto prælegunt.

Seminaria Clericorum an admittenda.

XIX. *in* MS. *d.* 24.

CVm ageretur à R. P. Præpoſito de Congregatione generali, an certis & ſtatis temporibus eſſet cogenda; viſum eſt Congregationi, ejus ſententiam ſequi, quæ ſeptimo quoque anno eam celebrandam eſſe cenſuit; hoc addito, quod ſi major pars Provincialium in ſeptimo anno judicaret, res graves non eſſe quæ tractari in Congregatione debeant, differri poſſit in biennium; ita ut nono quoq; anno ad ſummum celebrari debeat. Sed interceſſum eſt, & interceſſio obtinuit, ne ullum certum tempus præſcribatur; ſed tertio quoque anno veniant ſimul ex omnibus provinciis Procuratores, qui profeſſi quatuor votorum, & viri maxime idonei ſint, à Congregatione provinciali electi, & habeant jus ſuffragii ſimul cum Aſſiſtentibus, & ipſo P. Generali, qui duo ſuffragia, & qualitatem præcedendi habebit, ad decernendum, an cogi debeat Congregatio generalis nec ne.

Congregationes generales certis temporibus non cogendæ.

Procuratores tertio quoque anno mittendi.

XX. *in* MS. *d.* 25.

CVm propoſitum fuiſſet, quod ad Aſſiſtentes attinet, an ex quatuor nationibus eos eligi oporteret, ex Italia ſcilicet & Sicilia unum, ex Gallia & Germania alterum, ex Hiſpaniæ Provinciis tertium, ex Portugallia & India quartum. Viſum eſt tandem, Aſſiſtentes idoneos, & iis dotibus præditos, quas Conſtitutiones requirunt, eligendos eſſe: & quidem ex quatuor nationibus, in quantum fieri poſſet, juxta uniuſcujuſque conſcientiam.

Aſſiſtentes ex quibus nationibus eligendi.

De loco autem dicendæ ſententiæ, placuit congregationi, ut antiqui Aſſiſtentes, etiam ſi ſuo munere jam defuncti eſſent per electionem novi Præpoſiti, inter Provinciales haberent locum ſecundùm ordinem & tem-

Aſſiſtentium locus in Congregatione.

pus ſuæ profeſſionis: novi vero Aſſiſtentes, qui creandi eſſent, ſi jam in Congregatione eſſent, ut in ſuis manerent locis, pro ejus Congregationis tempore in qua crearentur: ſtatim tamen ſua poteſtate & munere fungi inciperent in iis, quæ juxta Conſtitutiones eis legitime conveniunt circa P. Præpoſitum. nam quod ad Congregationem ipſam attinet, nihil eos, niſi ſuum ſuffragium ut ceteros habere.

Decr. 4. Quia vero die xxv. B. Iacobo ſacra creari debuerant juxta prædictum Decretum, res dilata eſt usque ad diem xxviii. ut informationi tempus ſuppeteret.

XXI. *in* MS. *d.* 26.

Vniverſitas Valentina.

PRopoſitum fuit Congregationi, quod Civitas Valentina, & alii magnæ auctoritatis viri, offerebant Vniverſitatem ſuam in Hiſpania ſatis celebrem Societati noſtræ, ut cum quibusdam conditionibus ejus curam in ſe ſuſciperet, & fere trium millium aureorum annuum reditum ad Noſtrorum expenſas applicandum curabant. Sed quamvis eorum devotioni, & in Societatem noſtram benevolentiæ, gratiæ habendæ viderentur; id tamen onus minime ſubeundum eſſe, cum talibus præſertim conditionibus, viſum: & ita non eſſe admittendum decretum eſt.

XXII. *in* MS. *d.* 27.

Admonitor quatuor votorum profeſſus. Ejus electioni Procuratores interſunt.

DE Admonitore Præpoſiti Generalis actum eſt in Congregatione, an neceſſario eſſe deberet Profeſſus quatuor votorum; & an ejus electioni intereſſe deberent Procuratores Provinciarum. & placuit fieri ea de re decretum, ut ſcilicet eligeretur ex Profeſſis quatuor votorum, & ejus electioni Procuratores intereſſent.

Aſſiſtentes ad plura medietate ſuffragia eligendi.

Die ergo xxviii. Iulii mane, cum ad plura medietate ſuffragia per ſcrutinium eligendos eſſe Aſſiſtentes decretum eſſet; in primo pro Hiſpaniæ provinciis electus eſt P. Antonius Araoz, qui in illis Commiſſarius fuerat. in ſecundo ſeorſum pro Italiæ & Siciliæ Provinciis, P. Benedictus Palmius Longobardiæ Provincialis. in tertio P. Everardus Mercurianus inferioris Germaniæ Provincialis, pro Galliæ & Germaniæ provinciis. Demum pro Portugalliæ & Indiarum ac Braſiliæ provinciis, P. Iacobus Miron Portugalliæ Provincialis.

Admonitor à prandio.

In Admonitorem autem electus eſt eodem die à prandio, P. Ioannes de Polanco Secretarius Societatis ſimili ſcrutinio.

XXIII.

XXIII. *in* MS. *d.* 28.

CVm ageretur de diſtributione bonorum ex patrimoniis fratrum noſtrorum provenientium, qui ea in ſubſidium Societatis dare cupientes, Præpoſiti Generalis judicio diſpenſationem relinquunt: dixit ſuam ſententiam R. P. Præpoſitus, ſibi videri Conſtitutionem I. cap. III. P. eſſe ſervandam, expreſſe mentione facta illorum verborum, quæ in eadem Provincia diſtributionem faciendam inſinuant. Et viſum eſt Congregationi idipſum, quod P. Generali; ut ſcilicet talis diſtributio juxta prædictam Conſtitutionem, & verba illa, in eadem Provincia fieret. *Bonorum diſtributio intra Provinciam facienda.*

XXX. in MS. d. 29.

Decretum Definitorum de eadem re, quod Congregatio approbavit Decreto LVIII. *& poſt præcedens, quaſi ejus interpretationem, poni juſſit.*

CVm facta eſſet interrogatio de conciliandis & explicandis tribus locis Conſtitutionum, ſic eſt conſtitutum. Ea quæ continentur cap. IV. Examinis de diſpoſitione bonorum, ita intelligenda ſunt, ut inſtructio quædam generalis ſit, & lex, qua Noſtri debeant bona ſua in veros pauperes diſtribuere, pro devotione tamen ſua. Quæ vero in III. p. cap. I. §. 9. continentur, intelliguntur in particulari de illis bonis, quæ fratres in beneficium Societatis, ſive in particulari, ſive in generali, diſtribuere pro ſua devotione volunt: in quo caſu ſi Rectores & Provinciales, juxta declarationem ejusdem loci, illis repræſentent perfectius eſſe, ut bona ſua diſpoſitioni Præpoſiti Generalis relinquant, tunc declaratum eſt, ut hæc bona in eadem Provincia tantum, & non alibi P. Generalis debeat diſtribuere. Et ad hanc legem & intellectum, quæ in IX. p. c. V. n. 6. habentur, interpretanda ſunt, ſi quo pacto de noſtris fratribus intelligi poſſunt. Quod ſi aliquis imperfectionem ſecutus, particulari alicui Societatis noſtræ loco intra Provinciam applicare ſua bona velit, proponendum erit illi, ut diſpoſitioni Præpoſiti Generalis relinquat, qui ea diſtribuet juxta formam ſuperius præſcriptam. alias ea bona à Societate noſtra non admittantur; ſed ea teneatur ipſe in veros Chriſti pauperes extra Societatem diſpenſare. Si vero ea alicui Collegio intra Provinciam aſſignaverit, ſit in manu Præpoſiti Generalis poteſtas probandi eam applicationem, vel improbandi. Atque in hunc quidem modum Conſtitutiones has poſthac conciliandas, intelligendas atque obſervandas eſſe Congregatio decernit. Veneramur enim ſanctam memoriam Patrum noſtrorum. *Conſtitutionum loca de bonorum diſtributione.*

XXIV. *in* MS. *d.* 33.

Publicæ lectionis ſtipendium.

CVm Civitas Peruſina in lectione quadam publica litterarum humaniorum opera cujusdam ex noſtris uſa fuerit, & collegio noſtro Peruſino, loco ſtipendii quod prælectoribus hujusmodi lectionis ſolvi ſolebat, centum aureos ſingulis annis (pro eleemoſyna tamen, non pro ſtipendio) ſolverit; actum fuit, an in poſterum quovis modo vel titulo darentur, eſſent admittendi. Et viſum eſt in Domino expedire, ut nec lectionis hujus munus, nec centum illi aurei in poſterum admitterentur.

XXV. *in* MS. *d.* 35.

Collegiū Venetiarum in Domum profeſſam converſum.

CVm propoſitum fuiſſet de Collegio Venetiarum in Domum Profeſſorum convertendo, quandoquidem expedire videbatur, ut reditus à Sede Apoſtolica ei aſſignati Collegio Patavino applicarentur: & utriusque Fundator Rever. D. Andreas Lippomanus Prior ſanctiſſimæ Trinitatis ejusdem eſſet ſententiæ; placuit Congregationi, ut prædictum Collegium Venetiarum Domus profeſſorum, in qua etiam Novitii probarentur, fieret: & ut convenienti ac juſto modo id fieri poſſet, ut per litteras à Sede Apoſtolica obtentas facultas ad hujusmodi commutationem peteretur.

XXVI. *in* MS. *d.* 37.

Definitores ſex electi.

ACtum eſt etiam, an Definitores eligi deberent ad rès determinandas, quas eis Congregatio commiſiſſet. & placuit ſex numero eligi, & die ſequenti per ſcrutinium ad plura ſuffragia electi fuerunt tres Patres novi Aſſiſtentes, & præterea PP. Alfonſus Salmeron, Hieronymus Natalis, & Michael Torres.

XXVII. *in* MS. *d.* 10.

In Collegiis plures non ſint, quam ali posſint.

CVm tractaretur, an Collegia Societatis plures habere Collegiales deberent, quam poſſent alere: placuit Congregationi fieri Decretum ea de re, & ſtatui, ne plures teneantur quam ali poſſint, ſive ex reditibus, ſive ex eleemoſynis alendi ſint.

XXVIII. *in* MS. *d.* 40.

Regulæ contrahendæ. Admonitiones P. Natalis. Caſ9 reſervati. Deputati ad formam Novitiatus conficiendam.

CVm ageretur de contrahendis regulis in minorem numerum; & de admonitionibus P. Natalis, in Hiſpania & alibi relictis, in manu Provincialium retinendis: de caſibus etiam reſervatis, an ſcilicet tantum mortalia externa ea eſſe deberent: Congregatio id totum Definitoribus commiſit. Ad conficiendam etiam formam, quæ in probationis Domibus tenenda eſſet, deputati fuerunt Patres, Ioannes Plaza Provincialis Bæticæ, Ioannes Suarez

Pro-

Provincialis Caſtellæ, Bartholomæus Buſtamante, D. Ignatius, Franciſcus Coſterus, & Ruiz.

XXIX. *in* MS. *d.* 41.

ACtum fuit, & per aliquot dies diſputatum, de augendo tempore orationis, quod in Conſtitutionibus IV. P. cap. IV. præfigitur. & placuit tandem Congregationi, ut P. Præpoſitus Generalis pro ſua prudentia poſſit id augere, prout expedire in Domino judicaverit, habita ratione perſonarum, regionum, &c.

Tempus orationis augere P. Generali permittitur.

XXX. *in* MS. *d.* 42.

CVm de doctrina Chriſtiana edocenda, & de examinandis beneficiis curatis, quæ Collegiis noſtris paucis in locis unita ſunt, & relinquendis ageretur: res eſt Definitoribus cum P. Generali commiſſa.

Beneficia curata.

Eodem die cum ex cauſſis gravibus Patri Edmundo Provinciali Aquitaniæ cum ſocio P. Claudio recedendum in ſuam Provinciam videretur; placuit Congregationi, id P. Præpoſito Generali committere. Idem de P. Fulvio Androtio Ferrariæ Rectore, & de P. Hieronymo Rubioli Senarum Rectore propoſitum fuit; & ſimilibus ex cauſſis eidem P. Generali commiſſum. Vnde in ſuas Provincias receſſerunt.

Receſſus aliquorum Patrum.

XXXI. *in* MS. *d.* 43.

PRopoſitum fuit Congregationi generali de formula ſcribendi, prout ſuperius Decreto XXI. conſtitutum fuerat. De Collegio etiam artium Conimbricenſi, de Bragantienſi, Portuenſi & Septimacenſi retinendis aut diſſolvendis, rationibus utrimque in ſcripto adductis, actum eſt. Et Congregationi placuit, Definitoribus ea omnia decidenda committi. Tantumdem eſt factum de Officio Vicarii à Deputatis confecto.

Formula ſcribendi ad Definitores rejecta. Item officium Vicarii.

XXXII. *in* MS. *d.* 46.

CVm legerentur Decreta quædam à Definitoribus confecta, dictum fuerat, ſi quis haberet aliquid contra ea, ut ageret apud Definitores: à quibus ſi ei non ſatisfieret poſſet intercedere. Sed XIX. die Auguſti, cum urgeretur tractatio diſſolutionis Congregationis propter varias cauſſas ad commune Societatis bonum pertinentes: tandem placuit ne diſſolveretur usque ad finem menſis hujus: ſed ut infra biduum omnes afferrent quæ proponenda judicarent ad Definitores, ut ſecernerent ea quæ ad P. Generalem pertinent, ab his quæ ad Congregationem: ut quæ ad hanc ſpectarent, ad ipſam referrentur; ut vel per ſe ſtatueret, vel Definitoribus rem committeret.

Interceſſio apud Definitores.

Interceſſio vero, ſive una ſive duæ fierent, ut terminarentur à Congregatione generali in iis quæ attinent ad Conſtitutiones, vel ad magna Collegia diſſolvenda: in aliis vero, à Definitoribus.

XXXIII. *in* MS. *d.* 48.

Bona immobilia in Domibus profeſſis habere non licet, etiam poſt Conc. Trid.

CVm Concilium Tridentinum ſeſſ. xxv. cap. III. de Regularibus, facultatem dederit omnibus Religioſis, exceptis Obſervantibus Minorum & Cappucinis, habendi bona immobilia in communi, non obſtantibus quibuslibet Conſtitutionibus eorum: propoſitum fuit Congregationi, an reſtringendo ſanctam Paupertatem, placeret cedere juri cuicumque ad habenda bona immobilia in Domibus profeſſorum, quod ex Decreto Concilii prædicto nobis eſſet acquiſitum. Et placuit magno conſenſu Patribus, ut cederemus cuicumque juri ex Concilio nobis provenienti: & juxta noſtras Conſtitutiones, & vota quæ poſt profeſſionem emittuntur, paupertatem in Profeſſis, ac ipſorum Domibus retineremus. & ita ceſſerunt totius Societatis nomine.

XXXIV. *in* MS. *d.* 50.

Rejici à Definitoribus poſſunt privato nomine propoſita.

ACtum fuit, an aliqua ex iis quæ ſunt à quibusdam propoſita, non Provinciarum aut Collegiorum, ſed ſuo privato nomine, rejici poſſent à Definitoribus, ſi viderentur rejicienda potius quam tractanda. Et reſponſum eſt, audito proponente rejici poſſe; de iis loquendo quæ ad hanc Congregationem pertinerent.

XXXV. *in* MS. *d.* 51.

Aſſiſtentium & Admonitoris officia durant usque ad novi Generalis electionem.

PRopoſitum eſt etiam, an Aſſiſtentium & Admonitoris officia durare oporteret usque ad Congregationem generalem futuram, an quamdiu Generalis ipſe Præpoſitus viveret. & decrevit Congregatio, prædicta officia usque ad novi Generalis electionem eſſe duratura.

XXXVI. *in* MS. *d.* 52.

Provinciarum inſtitutio ad Generalem ſpectat. Tit. 6. d. 27.

ACtum eſt præterea, an expediret nullo modo multiplicari Provincias ſine Congregatione generali. Et viſum eſt Congregationi, Provinciarum inſtitutionem, juxta Decretum prioris Congregationis generalis Præpoſito Generali relinquendam eſſe: qui tamen non niſi re diligenter conſiderata, & cum Aſſiſtentibus communicata, novas Provincias inſtituere ad commune Societatis bonum deberet.

XXXVII. *in* MS. *dec.* 54.

PRopoſitum fuit, an litteræ quadrimeſtres, quæ juxta Conſtitutiones ſcribi ac mitti deberent, in ſemeſtres, an potius in annuas eſſent convertendæ. & placuit Congregationi, ut in annuas converterentur. *Litteræ quadrimeſtres.*

XXXVIII. *in* MS. *d.* 55.

ACtum fuit de declaratione trium votorum IV. cap. Examinis, & I. cap. III. P. ac III. cap. IX. P. de diſtributione bonorum in uſum Societatis. Et Decretum à Definitoribus factum Congregationi placuit. Sed interceſſit P. Gutierez. *De bonorum diſtributione. Interceſſio.*

XXXIX. *in* MS. *d.* 56.

CVm urgeret ſuperioris Germaniæ Provincialis, ſuo & complurium Provincialium nomine, ut hoc menſe Congregatio generalis diſſolveretur, juxta Decretum XLVI. viſum eſt Congregationi, ut ad III. diem Septembris finiretur, & ſine alio decreto ea de re faciendo diſſoluta Congregatio cenſeretur. Et ſi quæ nondum abſoluta remanerent, dummodo ad Conſtitutionum innovationem vel abrogationem non pertinerent, vel ad magnorum Collegiorum diſſolutionem, ab ipſis Definitoribus intra octo dies conſequentes poſt diſſolutionem Congregationis abſolverentur: apud quos liceret intercedere. *Definitoribus poteſtas etiam poſt Congregationem data.* Vide infra Dec. 63.

XL. *in* MS. *d.* 57.

CVm propoſitum eſſet, an Illuſtriſſimo Cardinali Auguſtano Theologus noſtræ Societatis dari poſſet, qui ejus confeſſiones audiret, & aulam ſequeretur. Viſum eſt Congregationi, nec Principibus, nec Dominis aliis ſæcularibus aut Eccleſiaſticis, aſſignari debere aliquem ex noſtris religioſis, qui aulas eorum ſequeretur, & in eis habitaret, ut Confeſſarii vel Theologi, aut alio quovis munere fungeretur; niſi forte ad perbreve tempus unius vel duorum menſium. *Noſtri aulas, niſi ad breve tempus, ne ſequantur.*

XLI. *in* MS. *d.* 58.

POſt ſecundam interceſſionem circa Decretum de conciliandis tribus locis in cap. IV. Examinis & in primo capite tertiæ partis, & in III. IX. P. de diſtributione bonorum; placuit Decretum quod afferebatur; & ſtatim poſt XXVIII. ponendum eſſe, quaſi ejus interpretationem, viſum eſt. Et cum nova interceſſio fieret, non placuit eam admitti. *Loca Conſtitutionum conciliata de bonorum diſtributione.*

XLII. *in* MS. *d.* 60.

Scholia P. Natalis non obligant.

CVm interceſſiſſet aliquis Patrum circa ſcholia P. Natalis, quod attinet ad auctoritatem aliquam, quæ ipſis tribui debere inſinuabatur: placuit Congregationi, ut prædicta ſcholia prius à R. P. Generali, & à deſignatis ad eorum inſpectionem examinata, amplecteremur pro directione tantum, & ſine ulla obligatione.

XLIII. *in* MS. *d.* 61.

Decreti emendatio.

VErba quædam addita in Decreto poſt XXVIII. ponendo, ubi dicebatur, *Si aliter intellexerunt*, &c. actum eſt, an mutari deberent, & illorum loco dici, *ſi aliter intellexiſſent, vel diſpenſandum cenſuiſſent:* & viſum eſt Congregationi, R. P. Generali committendum eſſe, ut circa illorum verborum immutationem faciat, quod in Domino expedire judicaverit.

XLIV. *in* MS. *d* 62.

Definitorum decretum rejectum.

CVm à Definitoribus Decretum proponeretur Congregationi, quo in futurum conſtituebatur, ut ſtatim poſt electionem Generalis octo Definitores eligerentur, ac deinde Aſſiſtentes & Monitor, interceſſit quidam ex Patribus, & viſum eſt Decretum non eſſe admittendum.

XLV. *in* MS. *d.* 63.

Congregationis diſſolutio.

INterceſſit aliquis ex Patribus circa Decretum LVI. de diſſolutione Congregationis. & viſum eſt, quod hodie, id eſt tertia Septembris, ſimul Congregatio & Definitorum poteſtas deberet expirare. Vnde ſi quid expediendum eſſet, hoc ipſo die expediri oportere, vel ad Generalem Præpoſitum, aut aliam Congregationem rejici.

XLVI. *in* MS. *d.* 64.

Canones II. Congr. approbati. Canones I. Congr. Gen. commiſſi.

LEcti fuerunt & approbati Canones ex Decretis hujus Congregationis extracti: & P. Generali cum Definitoribus fuit commiſſum, ut etiam exactis Prioris Congregationis ſimiliter Canones ad praxim pertinentes extraherentur, eo ordine numerorum, & ea cum diſtinctione, quæ ipſis videretur. Reliqua vero acta utriusque Congregationis bene ſervanda eſſe, quamvis Canones hi communius circumferantur.

XLVII. *in* MS. *d.* 65.

Generalis poteſtati cautum.

QVia de quibusdam Collegiis admittendis actum eſt elapſis diebus, ad quod facultas penes Generalem eſt; placuit Congregationi declarare, quod per hujusmodi Decreta non intendit minuere ullo modo facultatem Generalis Præpoſiti.

XLVIII.

XLVIII. *in* MS. *d.* 66.

LIcet in Conſtitutionibus Declar. litt. N. in I. cap. VIII. P. quarto quoque menſe catalogi mittendi dicantur: viſum eſt Congregationi, ſatis fore, ſi ſemel ſingulis annis ordinarie mitterentur cum informatione. *Catalogi.*

XLIX. *in* MS. *d.* 67.

PRopoſitum eſt, an R. P. Generalis Præpoſitus, hujus Romanæ Domus Præpoſitus particularis eſſe deberet, nec ne: & placuit Congregationi pars affirmativa. *P. Generalis Domus Romanæ eſt Præpoſitus.*

L. *in* MS. *d.* 68.

CVm ageretur de numero eorum qui ad electionem Vicarii Generalis neceſſarii viderentur, conſtitutum eſt, ut minimum ſex eos eſſe debere. *Electores Vicarii minimum ſex.*

LI. *in* MS. *d.* 69.

CVm ex decretis præcedentibus primam & ſecundam electionem unum corpus auctoritate Congregationis confectum eſſet, & quædam emendata: placuit eidem Congregationi, ut ea confirmarentur: ita ſaltem, ut ad primam Congregationem vim haberent. *Decreta I. & II. Congregationis ante electionem.*

LII. *in* MS. *d.* 70.

PEtitum eſt, an deberet R. P. Præpoſitus committere aliquibus, ut conferrent translationem Conſtitutionum Latinarum cum Hiſpanico textu, & juxta illius veritatem emendarent, ubi emendatione opus eſſet. Et placuit Congregationi ut id fieret. *Verſio Latina Conſtitutionum.*

LIII. *in* MS. *d.* 71.

CVm proponeretur, an Congregatio generalis vellet dare Vicario Generali pro tempore futuro, facultatem ineundi contractus, in iis quæ commode non poſſunt electionem Præpoſiti Generalis expectare: placuit facultatem hujusmodi Vicario concedi, niſi cum ageretur de vendendis vel alienandis bonis ſtabilibus ipſius Societatis. *Facultas contractuum penes Vicarium.*

Sequuntur Decreta per Definitores confecta, & à Congregatione generali approbata.

LIV. *in* MS. *d.* 73.

COnſtitutum eſt, ut XII. Canoni adderetur forma ſcribendi, quæ ſequitur. hic XII. Canon ex XXI. Decreto deſumptus eſt. *Formulæ ſcribendi.*

Quædam ſunt in ratione ſcribendi, quæ in Declarationibus primi capitis octavæ partis continentur, quæ modo bene obſervari non poſſunt: unde

unde remedium per aliquam immutationem Conſtitutionum in ea parte adhibendum eſt.

Litteræ ædificationis. Litteræ ad ædificationem ſpiritualem ſcribantur à ſingulis Rectoribus & Præpoſitis localibus ſemel in anno: & illarum tot fiant exempla, quot nationes à R.P. Generali deſignatæ fuerint.

Superiorum localium litteræ ad Provincialem. Rectores & Præpoſiti locales ſcribant ſingulis hebdomadis ad ſuum Provincialem in Europa, juxta Conſtitutiones: in India vero & Braſilia, ut ſuis Provincialibus viſum fuerit commodum & opportunum.

Litteræ eorum qui in Miſſionibus verſantur. Miſſi autem ad fructificandum in agro Domini, ſcribant ad eum quem deſignaverit ille à quo miſſi ſunt, ſingulis hebdomadis, vel quoties ipſis fuerit præſcriptum. Et illis quidem reſcribant ſui Superiores ſemel in menſe, juxta Conſtitutiones: his vero reſpondebitur, quoties judicaverit is qui illos miſit.

Provincialium & Superiorum localium litteræ ad Generalem. Provinciales omnium Provinciarum Europæ ſcribant ordinarie ad P. Generalem ſemel quolibet menſe. Rectores autem & Præpoſiti locales tertio quoque menſe ad eumdem ſcribant. Ita tamen hæc accipiantur, ut extraordinarie poſſint ſcribere quoties neceſſitas urgebit. Provinciales vero Indiæ & Braſiliæ ſcribant Præpoſito Generali, quando ſe obtulerit navigationis commoditas. Rectores autem & Præpoſiti locales ex Indiis ſemel, ex Braſilia vero bis in anno, ſi ſeſe obtulerit occaſio.

Quando ſcribet Generalis. Præpoſitus Generalis ad Provinciales reſcribet ſecundo quoque menſe: ad Rectores vero & Præpoſitos locales ſexto quoque menſe, niſi aliqua neceſſitas prius ad reſpondendum ſuadet.

Reliqua, quæ ſpectant ad res de quibus ſcribendum eſt, & ad modum, & ad quale anni tempus annuas litteras ſcribere debeant, hoc totum P. N. Generali relinquitur, ut ipſe pro ſua prudentia ſtatuat quid facto opus ſit.

Catalogi. Rectores Collegiorum & Præpoſiti locales catalogum Patrum ac Fratrum conficiant, & informationem communem ſemel anno ordinarie, & ad ſuos Provinciales mittant, qui illos ad Præpoſitum Generalem mittent. Materia vero & modus conſcribendi hos catalogos à P. N. Generali præſcribatur.

In reliquis, quæ hic non attinguntur, obſerventur Conſtitutiones, quæ tamen propterea non expungantur, donec id definierit proxima futura generalis Congregatio, etiam ſi executio & praxis juxta Decreta hæc ſit obſervanda.

LV. *in* MS. *d.* 74.

LItes forenſes, pro rebus præſertim temporalibus, fugiant Noſtri omnes, & id curent Provinciales efficere; ac primum compromiſſione rem admitantur componere. quod ſi nulla ratione id poſſint aſſequi, tamen non intendat quisquam è Noſtris litem hujusmodi, nec omnino litem aliquam, absque conſenſu Præpoſiti Generalis, aut ejus cui expreſſe ſuas vices ad hanc rem ille commiſerit. Noſtris autem ſi lis intendatur, curent Provinciales primum, vel à parte, vel à Iudice peti, vel id conſequi per Principem, ut prius poſſit conſuli Generalis Præpoſitus, quam liti reſpondere cogantur. nam fieri poterit, ut Generalis Præpoſitus jubeat cedere Noſtros liti, & potius detrimentum temporale pati, quam litibus dare operam, etiam pro re alioqui debita. *Lites forenſes Noſtris fugiendæ.*

LVI. *in* MS. *d.* 75.

QVamvis autem ex eleemoſynis vivat Societas, & opus bonum ſit eleemoſyna Societati collata, atque ad bona omnia inducere quosvis poſſimus: tamen ad majorem ædificationem, & paupertatis noſtræ ſinceritatem & puritatem; placuit præcipere Noſtris omnibus, ut nulli externo ſuadeant (nam de Noſtris in Conſtitutionibus & Decretis dictum eſt) ut nobis potius, quam aliis pauperibus, dent eleemoſynas: ſed contenti ſimus, ubi petimus quotidianas eleemoſynas, illas ſimpliciter ac plane amore Dei petere. Ad donationes vero quascumque ſive legata, ſimpliciter etiam, & plane poſſimus noſtras neceſſitates tantum explicare; definitionem tamen ejus devotioni relinquamus, à quo petimus has etiam eleemoſynas: ac proponere tantum illi poſſimus ad orationem & alia media ut accurrat, quibus poſſit de donatione vel legato conſtituere, juxta id quod ipſi Dominus inſpiraverit, & ratio recta ſuaſerit. *Eleemoſyna qua moderatione petendæ.*

LVII. *in* MS. *d.* 76.

REgulæ generales, quæ incipiunt *Summa Sapientia*, integræ conſerventur; reliquæ vero & examinentur, & quoad ejus fieri poterit, breviores fiant. verum earum ratio habeatur, quas certo conſtiterit eſſe à R. P. N. Ignatio editas, ſi tempori conſentaneæ, & bono univerſali utiles eſſe cenſebuntur. Præcipue vero regulæ officiorum Provincialis, & Rectoris, aliorum etiam officialium examinentur, & contrahantur. Admonitiones autem P. Natalis ab ipſo expurgatæ, atque in ordinem redactæ, Provincialibus à R. P. Generali *Summarium Conſtit. Regulæ. Admonitiones P. Natalis.*

rali tradantur, ut illis pro ſola directione, nulla interim obligatione obſtricti, utantur.

LVIII. *in* MS. *d.* 77.

Doctrina Chriſtiana iis docenda qui ad gradum promoti.

QVivis profeſſus quatuor vel trium votorum, quivis etiam Coadjutor ſpiritualis formatus, poſt editam profeſſionem, vel vota ſimplicia, intra annum vel quadraginta dies continuos vel interpolatos, doctrinam Chriſtianam pueros atque rudes perſonas docere teneatur. Præterea vero hoc tam ſanctum exercitium viſum eſt admodum R. P. Generali commendandum; ne ullo umquam tempore illius oblivio in noſtros animos irrepat, cum illud in votorum noſtrorum formula complectamur. Curet itaque idem R.P. Generalis, ut Noſtri frequentius, quemadmodum ipſi in Domino expedire viſum fuerit, in hoc tam pio opere exerceantur.

LIX. *in* MS. *d.* 78.

Beneficia curata non admittenda.

QVod ad unionem beneficiorum, quæ curam animarum habent, pertinet, definitum eſt, ut in futurum non admittantur: admiſſa vero, ac unita hujusmodi beneficia, auditis eorum ſententiis, qui de his cum Definitoribus quidquam agere voluerint, examinentur, ut tandem, quod pro majori omnium ædificatione conveniat, decernatur.

LX. *in* MS. *d.* 79.

Caſus reſervati.

CAſus reſervati, qui à R. P. Lainez editi ſunt, retineantur. Viſum tamen eſt, ut ſeptimus, undecimus, & duodecimus explicatius traderentur, ut quod alioqui intelligi neceſſum erat, facilius intelligatur. Declaratio vero caſuum, & ampliatio vel reſtrictio ſpectat ad R. P. N. Generalem. De nono autem caſu, videlicet, *confiteri externo Sacerdoti*, &c. judicium commiſſum eſt P. Generali.

LXI. *in* MS. *d.* 80.

Negotiatio prohibita.

OMnia quæ ſpeciem habent ſæcularis negotiationis, in colendis videlicet agris, vendendis in foro fructibus, & ſimilibus, intelligantur prohibita eſſe noſtris.

LXII. *in* MS. *d.* 81.

Concionatores & Confeſſarii ſint idonei.

CVrabit P. Generalis, ut qui ſunt è Noſtris concionaturi publice, qui etiam confeſſiones audituri, hi ſint ad ea munera obeunda ſufficienter inſtructi. hoc enim ad ejus adminiſtrationem attinet; tum etiam illud, ut communicetur Concionatoribus & Confeſſariis peculiaris inſtructio. Et tamen viſum eſt retinendum eſſe privilegium à Sede Apoſtolica conceſ-

ceſſum, ut Noſtri poſſint concionari, etiamſi non ſint ad ordines promoti.

LXIII. *in* MS. *d.* 82.

DE obligatione Votorum ſimplicium, præſertim caſtitatis, difficultati quæ offerebatur reſponſum eſt, eſſe ſervandum Decretum actorum poſteriorum primæ Congregationis. *Votorum obligatio.* Tit. 6. d. 19.

LXIV. *in* MS. *d.* 85.

QVamvis in Conſtitutione cap. IV. IV. P. deſignentur feſta Paſchæ ac Nativitatis Domini, quibus renovent vota Scholaſtici; tamen cum colligi poſſit ex Declaratione ejus loci, poteſtatem eſſe in Superiore Rectoris immediato, in aliquo particulari caſu mutandi illa feſta; facile interpretari poſſumus in Generali Præpoſito eſſe facultatem in univerſum illa feſta mutandi; quod traditio univerſalis, à tempore ipſius N. P. Ignatii uſu & conſuetudine hactenus corroborata, confirmat. *Renovatio votorum.*

LXV. *in* MS. *d.* 84.

REctores cum teneantur ex Conſtitutione & Declaratione x. cap. IV. P. doctrinam Chriſtianam legere vel docere per quadraginta dies per ſe vel per alium; expoſitum eſt, id debere præſtari intra annum, poſtquam officium Rectoris inierint, continenter quadraginta diebus, vel interpolatim: primo quidem quemadmodum ſolent doceri pueri, deinde etiam per conciones, ſi ita Superior cenſuerit. Præter illum annum, eodem quidem nomine non tenebitur Rector, ſed alio poterit communi, ut in ſuperiori quodam decreto definitum eſt de Profeſſis & Coadjutoribus formatis. *Doctrina Chriſtiana Rectoribus docenda.* Decr. 77.

LXVI. *in* MS. *d.* 85.

EX Declaratione cap. x. §. ultimo IV. P. colligitur, illas intelligi Conſtitutiones eſſe legendas, quæ ſunt propriæ Scholaſticorum noſtrorum: illæ vero cum contineantur in Regulis Scholaſticorum, fit ut illæ regulæ ſint legendæ publice bis aut ter ſingulis annis. eas autem curabit P. Generalis, ſi opus fuerit, emendandas. *Quæ Regulæ publicè legenda.*

LXVII. *in* MS. *d.* 86.

COngregationes Provinciales fiant juxta Conſtitutiones, ad eligendos eos qui ſuffragium ſint habituri in generali Congregatione. fiant præterea juxta decretum hujus Congregationis generalis tertio quoque anno ad Procuratores eligendos, qui deſtinandi ſunt ad P. Generalem, &c. alias cenſemus non eſſe cogendas hujusmodi Provinciales Congregationes. *Congregationes Provinciales quando cogendæ.*

LXVIII. *In* MS. *d.* 87.

Rectoribus non deſignandum triennium ut Provincialib9.

VT triennium deſignatum eſt Provincialibus, quo officium gerant ſuum, ut habetur III. cap. IX. P. Conſt. non videtur ſimiliter agendum in Rectoribus, nec addendum propterea ad Conſtitutiones, quæ de hoc nihil decernunt.

LXIX. *in* MS. *d.* 88.

Breves curſus artium.

VIſum eſt non expedire, ut breves curſus Artium vel Theologiæ inſtituantur: ſed ſi quis in Coadjutorem ſpiritualem inſtituendus fuerit, is humaniorum litterarum ſtudio & compendio Dialectices contentus ſit: quibus ſtudiis inſtructus, caſus conſcientiæ audire poterit.

LXX. *in* MS. *d.* 89.

Ad quas facultates in Vniverſitatibus noſtris licet promovere.

NOn probatur ullum ad aliquam in noſtris Vniverſitatibus facultatem eſſe promovendum, quam Noſtri non profiteantur.

LXXI. *in* MS. *d.* 90.

Collegia non ſufficienter dotata.

SI qua Collegia ſint hactenus abſque ſufficienti dotatione fundata, in quibus Noſtri nec legant, nec ſcholaſticos alant; poterunt tamen illa hac ratione retineri, ſi ex fructibus videlicet eorum, per publicam aliquam perſonam conſervatis, detur opera ut plene fundentur, quemadmodum de Collegio Majoricenſi poteſt dici. Noſtri tamen interim bonis illis non utantur, ſed ex eleemoſynis vivant, ac ſimul dent operam, ut prædicta Collegia ſufficienter etiam aliunde dotentur.

LXXII. *in* MS. *d.* 91.

Examen promovendorum ad ordines & beneficia.

QVemadmodum hactenus factum eſt in quibusdam locis, ut Noſtri ita examinent ad Ordines promovendos, aut curæ animarum, verbo Dei, vel confeſſionibus audiendis præficiendos, ut ſimul judicium ferant de illorum ſufficientia & admiſſione, ita de cetero ne fiat: quandoquidem judicamus, non eſſe conſentaneum noſtro Inſtituto. Quod ſi examinandi miniſterium effugere nulla ratione poſſumus; illud tamen retineamus, ut judicium de admittendis vel non admittendis non feramus, ſed illud omnino Prælatis relinquamus. poſſit tamen diſpenſare R.P. Generalis, ubi hoc utile & expediens eſſe in Domino judicaverit.

LXXIII. *in* MS. *d* 92.

Generalis Præpoſitus Domus Romanæ.

P. Generalis erit Præpoſitus Domus Romanæ, & habebit Miniſtrum & alios officiales, quorum opera utetur ad gubernationem particularem ejusdem Domus.

LXXIV. *in* MS. *d.* 93.

ASſiſtentes vero officio ſibi à Congregatione generali commiſſo incumbant juxta Conſtitutiones, nec aliis occupentur miniſteriis, quibus à ſuo officio avocentur, vel impediantur. *Aſſiſtentes ne diſtrahantur.*

LXXV. *in* MS. *d.* 94.

SI contigerit Procuratores electos ex provinciis Indiæ & Braſiliæ in Europa eſſe, quando fit Congregatio generalis, ad quam venire poſſint; hi interſint Congregationi pro ſuis provinciis. Qui quidem ſi ſint profeſſi quatuor votorum, & non ſolum electi à ſuis Provinciis ut Procuratores, ſed etiam ut ſuffragium hic poſſent habere in electione Generalis Præpoſiti; tunc hi poſſunt etiam admitti, ut in dicta electione habeant ſuffragium. Quod ſi non adfuerint quando fit Congregatio generalis, tunc poteſt eligi unus Procurator tantum pro India & Braſilia à Provincia Luſitaniæ, quemadmodum hactenus factum eſt. *Procuratores Indiæ & Braſiliæ.*

LXXVI. *in* MS. *d.* 95.

PRopter difficultatem quæ ingeri alicui poſſit ex ultima parte I. §. cap. IV. Examinis, ubi conſulendi præſcribuntur aliqui ob bonorum diſtributionem in cognatos, &c. non cenſemus immutandam eſſe illam Conſtitutionem; ſed occurrendum ſcandalis, & ſiniſtris opinionibus, ſi quæ ortæ ſunt, vel oriri poſſint propter rei ignorantiam, vel executionis praxim. Id vero diligenter curabit R.P.N. Præpoſitus Generalis. *Arbitri ad bonorum diſtributionem.*

LXXVII. *in* MS. *d.* 96.

QVod attinet ad ordinationem Noſtrorum qui non ſunt profeſſi, nulli videtur dari cauſſa juſtæ querelæ, quandoquidem nos utimur jure noſtro. Quod ſi Noſtros ordinatos contingat expelli à Societate, tamen non tenebuntur eos Epiſcopi alere, cum qui ordinantur ex Societate noſtra, ceſſerint ſuo juri in ordinatione: ordinantur enim ad titulum voluntariæ paupertatis. *Dimiſſos è Societate Sacerdotes Epiſcopi alere non tenentur.*

LXXVIII. *in* MS. *d.* 97.

OMni cura, labore & diligentia curemus, ne arcula aliqua proponatur in noſtris Eccleſiis ad eleemoſynas accipiendas pro aliis, cum pro nobis tam ſit neceſſarium eas poni non poſſe, ut non rem tantum evitemus, quæ nobis prohibita eſt, ſed rei illius omnem ſpeciem. *Arcula pro eleemoſynis in Eccleſiis.*

LXXIX. *in* MS. *d.* 98.

Liber actorum Congregationis. LIbrum habeat Secretarius Congregationis, in quo quæ confirmata erunt decreta contineantur: & ea quidem ante diſſolutionem Congregationis ſimul leget in plena Congregatione Secretarius, & ſua manu ſubſcribet, & ſigillo Societatis muniet.

LXXX. *in* MS. *d.* 99.

Secretarius electionis & Congregationis. SEcretarium eliget Congregatio ante Generalis electionem, non ſolum qui electioni ipſi ſubſerviat, ſed qui congregationibus & actis, ſi quæ fient ante electionem. Poſt electionem autem, vel eumdem ad illas congregationes & acta confirmabit, vel alium eliget. Horum officium terminabit finis electionis vel Congregationis.

LXXXI. *in* MS. *d.* 100.

Duo Socii Secretarii Congr. ELigendi præterea à Congregatione videntur duo Patres ejusdem Congregationis, ad ſuffragia enumeranda, & conficienda decreta cum Secretario Congregationis.

LXXXII. *in* MS. *d.* 101.

Expenſæ pro Procuratore, Provincialibus, &c. PRocuratorem qui negotia agit cum externis, vel Romæ, vel alibi, alere debent ii quorum negotia agit. Provinciales vero, Commiſſarios, Generalem etiam ipſum alet ea Domus vel Collegium ubi erunt, quibus quando in itinere ſint, expenſas facient ii, quibus erit bono illud iter; ſi tamen pro Societatis gubernatione vel negotiis iter faciant.

LXXXIII. *in* MS. *d.* 102.

Expenſæ pro externis. PRo Societate, pro Advocato, pro Procuratore, & aliis officialibus externis, ſi quid præterea ad actionem vel expeditionem alicujus negotii, vel litterarum Apoſtolicarum, vel Regiarum, & ejusmodi aliarum, expendetur ab aliis, id ſolvere debent ii, in quorum gratiam illud fuerit expenſum.

LXXXIV. *in* MS. *d.* 103.

Tit.6.d.34. *Forma ædificiorum.* AD R. P. Generalem referenda videtur forma ac modus ædificiorum noſtrorum conſtruendorum, ut ille juxta Decretum actorum poſteriorum præteritæ Congregationis, quod ſibi in Domino viſum fuerit, ſtatuat.

LXXXV. *in* MS. *d.* 104.

Don tollatur. DEcretum eſt ut nomen illud honorificum, id eſt *Don*, ubi eſt inſigne nobilitatis ſæcularis, de Societate noſtra omnino tollatur.

LXXXVI.

LXXXVI. *in* MS. *d.* 105.

NOn videtur officium Superintendentis, vel nomen uſurpandum in Societate, niſi ubi pro arbitrio R. P. Generalis neceſſitas, vel magnitudo Collegii utrumque poſtulaverit. neque enim nomen tantum retinendum eſt. ***Superintendentis officium ſublatum.***

LXXXVII. *in* MS. *d.* 106.

PRima generalis Congregatio in actis poſterioribus ſtatuit, ut Patres in Congregatione eo ordine ſederent, qui in actis prioribus fuerat præſcriptus. Eumdem igitur ordinem conſervandum eſſe cenſemus; nec retinendam eſſe partem illam declarationis VII. cap. VIII. P. quæ ab eadem Congregatione abrogata fuerat. ***Ordo ſedendi in Congregatione.*** Tit. I. d. I.

LXXXVIII. *in* MS. *d.* 107.

VBi dicitur in tertio Decreto actorum priorum primæ Congregationis: *Et ſi informatio major deſideraretur in re aliqua, à Vicario petendam eſſe;* decretum eſt eſſe addendum, non à Vicario ſolum, ſed ab aliis etiam Electoribus accipi informationem illam poſſe. ***Informatio de rebus ante electionem.***

LXXXIX. *in* MS. *d.* 108.

QVamvis à Congregatione ſecunda generali in actis prioribus ſit dictum, informationem pro Generalis electione ab omnibus de Societate, qui poſſent bene referre, capi poſſe: viſum tamen eſt, ut non ab omnibus, ſed à ſolis Electoribus & Procuratoribus accipi poſſit informatio, & ea quidem in quatriduo dumtaxat. ***Informatio de perſonis.*** Decr. 19.

XC. *in* MS. *d.* 109.

PErmiſſum fuerat in actis prioribus Congregationis ſecundæ, ut liceret in informatione petere, an hunc vel illum aptum quis judicaret ad munus Generalis Præpoſiti, non an aptiſſimum inter omnes: totum hoc tamen viſum fuit immutandum. Ne igitur de cetero ita interrogare liceat; ſed conſervetur, quod in prioribus actis primæ Congregationis ſtatutum fuerat. ***Non petendum an hic vel ille ſit aptus.*** Decr. 21. Decr. 6.

XCI. *in* MS. *d.* 110.

DE Procuratoribus an ad congregationes, ſi quæ habebuntur ante electionem Generalis Præpoſiti, ſint admittendi cum interrogatio fieret; Viſum eſt, obſervandum Decretum tertium actorum priorum primæ Congregationis, confirmatum in actis item prioribus ſecundæ Congregationis. ***Procuratores ante electionem non admittendi.*** Decr. 14.

XCII. *in* MS. *d.* 111.

Deputati pro detrimentis.

AD pleniorem pro Generalis Præpoſiti electione informationem, decretum eſt, ut Congregatio ante electionem aliquos Patres deputet, qui cum Vicario Generali & Aſſiſtentibus videant, an aliquid ſit, in quo inſigne detrimentum paſſa ſit Societas, vel paſſura eſſe timeatur, quod ſingulari providentia atque induſtria vel reſarciendum vel curandum ſit. de quo, ſi quid fuerit, conficient interrogationem commode, qua interrogatione inquirere Electores poſſint ac debeant, & intelligere quis eſſe aptiſſimus videatur ad officium Generalis Præpoſiti ad majorem Dei gloriam adminiſtrandum. Porro de quibus agent ii deputati, ea ad plura ſuffragia tranſigent; nec duo ſuffragia habebit Vicarius Generalis, ſed ſolum ſuffragii prærogativam.

XCIII. *in* MS. *d.* 112.

CVm aliqua commiſerit exequenda Præpoſito Generali ſuperior Congregatio in actis poſterioribus, ſi qua ex illis non fuerint executioni mandata, id curet facere R.P.N.Præpoſitus Generalis.

DE OFFICIO VICARII.

Quod in II. Congregatione à Deputatis conſcriptum, & à Definitoribus ejusdem Congregationis mandato, recognitum eſt Decret. VIII. *&* XLIII.

VIcarius Generalis propter mortem Generalis Præpoſiti conſtituendus, vel nominatur ab ipſo Præpoſito ante mortem, ut habetur cap. IV. Conſt. & Declar. octavæ part. vel ſi ille non nominaſſet, eligitur à profeſſis qui apud eum fuerint, ut habetur in eadem declaratione. Hujus igitur officium durat usque ad electionem Præpoſiti Generalis, & duplex quidem eſt.

Vicarii officium duplex.

Alterum eſt, Societatem ad electionem Præpoſiti faciendam præſcripto tempore & loco, quo convenire oporteat, convocare, ut habetur Conſt. P. VIII cap. IV. Alterum, Generalis vices gerere in gubernatione Societatis, donec novus Præpoſitus electus fuerit, ut habetur Declar. P. VIII. cap. IV.

Indicare Congregationem.

Vicarius itaque ſimul atque creatus fuerit, curabit funus Præpoſiti Generalis, niſi jam curatum fuerit; dabitque operam, ut Miſſæ & orationes

in

in univerſa Societate pro anima Præpoſiti mortui fiant: deinde ad convocandam Societatem ad novi Præpoſiti electionem, primo quoque tempore diligentiſſime incumbet.

Præpoſitos Provinciales certiores faciat, tempus & locum Congregationis juxta Conſtitutiones præſcribat: Miſſas & orationes pro felici electione Præpoſiti indicat, Congregationes Provinciales ut rite fiant admoneat; & ſi poſt electionem Præpoſiti alia negotia graviora tractanda in Congregatione ſint, ad quæ diſcutienda vel definienda aliorum opera, præterquam duorum Electorum à Provinciali Congregatione, neceſſaria videatur; Provinciales admoneat, qui adducendi erunt, ut eos adducant juxta Conſtitutiones.

Antequam congregata ſit Societas, poteſtatem habeat Vicarius, quâ poſſit ſolus jubere quæ ad convocationem attinent, juxta Conſtitutiones: ſolus tamen non poteſt prorogare tempus Congregationis, ut decretum eſt in actis poſterioribus primæ Congregationis Tit. II. Decr. XXXII. Poſtquam autem ſunt Patres congregati, vel omnes, vel eorum major pars, poſt tempus definitum, ſolus non poterit ea, quæ ad electionem pertinent, definire: ſed ſi quid emerget dubii vel difficultatis, id erit per Congregationem determinandum; executio vero Vicarii erit.

Vbi autem dies conſtitutus & terminus præfixus venerit, ad quem venturi ſunt Patres, eos qui jam convenerunt convocabit, modo excedant duas tertias partes; eisque rationem eorum, quæ facta ſunt poſt mortem Generalis ad Congregationem pertinentia, reddet. Deinde in primis tractet, an habenda ſit pro legitima Congregatio, quod ad perſonas, tempus & modum attinet: & ſi qui ſunt defectus, an ſuppleri debeant: an expectandi ſint abſentes, an benedictio à Summo Pontifice petenda ad electionem juxta noſtras conſtitutiones celebrandam. Denique reliqua omnia, quæ ad rite electionem faciendam pertinere videbuntur Congregationi, curabit; quæ petenda ſunt tum ex Conſtitutionibus, tum ex Decretis ante & poſt electionem. Detque operam Vicarius, ut nihil in Congregatione ante electionem Generalis agatur, niſi quæ ad illam ſpectabunt, & quidem neceſſario, ut quam primum Societas Præpoſitum Generalem habeat.

Alterum officium Vicarii eſt, Societatem univerſam gubernare. Verum ita eſt illam gubernaturus, quaſi Vicarius Præpoſiti demortui, non quaſi 2. *Societatem gubernare.*

quaſi Præpoſitus. quare illam ita gubernabit, ut ſibi tradita eſt. Nullam igitur immutabit gubernationis rationem, nihil propriæ inventionis, nullam novam regulam, nullum ritum, nullam conſuetudinem aut inducet, aut introductam mutabit; ſed ad ſpiritum & ſenſum Generalis demortui ſe componet, illius compertam voluntatem ſequetur, incertam conjectabit. Itaque quoad poterit debebit ſuo miniſterio quaſi vivum ac præſentem Generalem, illiusque gubernationem repræſentare.

Quocirca eisdem Aſſiſtentibus, Secretario, Procuratore, quibus utebatur Præpoſitus Generalis, utetur Vicarius ad gubernandam Societatem; eisdem Præpoſitis, Rectoribus, Præfectis probationum, & aliis Officialibus primariis qui creantur à Generali, quos mutare ei non licet, vel novos creare, niſi forte aliqui illorum morerentur, & alii in eorum locum usque ad electionem Præpoſiti Generalis ſubſtituendi eſſent, vel aliquæ graviſſimæ cauſſæ intercederent, propter quas aliquis illorum ab officii executione tollendus vel ſuſpendendus videretur, jure ſuffragii nihilominus ei relicto; & hoc quidem non ſine conſilio Aſſiſtentium.

Eadem de cauſſa res omnes graves, & majoris momenti, quæ differri usque ad electionem novi Præpoſiti poterunt, quando illa brevi futura eſt, quoad ejus fieri poterit, differet, & ad novum Præpoſitum Generalem remittet.

Quocirca nullam Domum, nullum Collegium, nullam Univerſitatem vel Domum probationis inſtituet. quæ ſi offerantur, ita negotium fundationis tractabit, ut ſi in rem Societatis aperte futura ſint, & omni difficultate careant; eos qui fundatores eſſe volunt, jubeat bene ſperare, & omnem dubitationem ſeponere. ſi quid vero difficile aut dubium ſit, alet ſpe eorum bonam voluntatem, nihil certi promittet, rem totam ad Generalis creationem reſervabit.

Ad profeſſionem admittere, etiam vel deſignatum à præmortuo Præpoſito, vel in his, quæ ad profeſſionem attinent, diſpenſare non poterit Vicarius; neque Profeſſum aliquem, vel Coadjutorem formatum à Societate dimittere.

Circa miſſiones Profeſſorum, ſi quid urgeret, poteſtate Generalis uti poterit conſultis Aſſiſtentibus: eos tamen qui electi ſunt à Congregationibus Provincialibus, vel qui probabiliter eligendi eſſent, ut Congregationi generali interſint, ad ea loca unde ad electionem commode venire non poſſint,

non

non mittet; neque etiam ad infideles, neque ad partes remotas, quæ majorem conſiderationem requirunt.

In univerſum cum Aſſiſtentibus conſultare debet res omnes graviores, non minus, imo magis quam Præpoſitus Generalis: quandoquidem minorem habet auctoritatem, minorem experientiam, minus diuturnum regendæ Societatis munus. Sic enim plus ponderis habebunt apud illam quæ ipſe conſtituit. Quamobrem quæ ſunt à Præpoſito vita functo vel conſtituta vel conceſſa, non temere, neque ſine graviſſima cauſſa vel infirmabit vel revocabit.

Si novi Præpoſiti electio aliquo caſu ultra ſex menſes à Conſtitutionibus præſcriptos, differatur; & aliqua gravia acciderent, quæ usque ad ejus electionem commode differri non poſſent; Vicarius Generalis auditis Aſſiſtentibus id ſtatuat, quod ad majorem Dei gloriam, & Societatis utilitatem magis fore judicabit.

Si Præpoſitus Generalis Vicarium non nominaverit ante mortem, & in eo loco ubi mortuus eſt, non ſunt profeſſi ſaltem ſex (tot enim ad minimum judicatum eſt eſſe oportere) tunc cura adhibenda erit, ut ex vicinioribus locis, utcumque illa diſtent, is numerus convocetur. quod ſi in illa diſtantia æquali plures fuerint quam ſex, omnes erunt ad electionem vocandi: interim tamen Societatis gubernatio erit in ordinariis Superioribus. electioni vero; Romæ quidem præerit Miniſter Domus, ſi fuerit quatuor votorum profeſſus; alibi vero Provincialis, vel antiquiſſimus ex profeſſis quatuor votorum. *Vicarius à quibus eligatur.*

FORMVLA ACCEPTANDORVM Collegiorum.

Data à R. P. N. M. Laines Generali Præpoſito Societatis IESV, *de qua ſit mentio Can.* v. *Congreg.*

CONſideratis operibus & miniſteriis, quibus ad Dei gloriam & animarum profectum Societas noſtra occupatur; & conſiderata etiam obligatione caritatis, qua ex inſtituto tenemur in illis perſeverare; re prius præmeditata, & cum Patribus Aſſiſtentibus ad conſultationem adducta, & Domino commendata; viſum eſt mihi, ut in Collegiis, quæ deinceps Divina majeſtas fundare dignabitur, novæ à nobis obligationes non admittantur. Sed qui divino inſtinctu, & Dei obſequio, quod præſtatur in So-

Fundationes libere & ſine conditione fiant.

cietate, ac utilitate qua Dei gratia proximi juvantur, commotus, Collegium aliquod fundare voluerit; pure & libere, absque conditione vel modo, donationem faciat dotationis, quam Domino Deo noſtro offerre vult. Societas vero non ex nova obligatione, ſed ex ſua illa antiqua, quam, ut diximus, habet, curet ut ſecundum numerum eorum, qui ex tali fundatione ſuſtentari poterunt, in tali Collegio numerus operariorum conſtituatur, qui quidem in illo juxta noſtrum Inſtitutum ſe exerceant in vinea Domini. De cujus Divina bonitate ſperamus, ſi Chriſtiana hac ſimplicitate, quæ ipſi innititur, progrediamur, Societatem perſeveraturam puriorem; nec deſituram illud præſtare, ad quod ſecundum ſuam vocationem obligatur. Fundatoris etiam intentio ita implebitur, ſimulque tollentur hinc inde cauſſæ inquietudinis, quæ ex humanis cautionibus oriri poſſunt & ſolent: quæ quantumvis caute & circumſpecte tranſigantur, nihilominus ſemper ab humana aſtutia labefactari poſſunt, ut ipſa experientia oſtendit: quæ tam in aliis Religionibus, quam in multis noſtræ Societatis locis nos docet, prædictum modum fundationis partibus omnibus bene cedere ad Divinum obſequium & commune bonum quod optatur.

De variis modis Collegiorum, & perſonarum numero, quæ videntur in ſingulis neceſſaria.

Collegium XX. collegarum.

IN Collegio ubi tres ponuntur Præceptores litterarum humaniorum, quartus etiam eſſe debet, qui illis ſubſtitui poſſit: & tres Sacerdotes, in quibus unus Rector ſit, reliqui duo utilitati ſerviant animarum. Vbi vero tales ſeptem operarii ſunt, convenit totidem ſaltem ibi ſcholares alere, ut illud perpetuum opus eſſe queat; ſuccedentibus his in Sacerdotum ac Præceptorum locum, ubi aut morte, aut ægritudine, aut aliis de cauſſis non poſſent officio ſuo fungi. Eſt etiam præter hos neceſſarius Miniſter unus, cum Coadjutoribus quinque, videlicet Ianitore, Sacriſta, Coquo, Emptore, & quodam alio, qui eos in omnibus adjuvet. Minimum itaque Collegium xx. conſtabit ex Noſtris. Vltra quos providendum erit, unde corrector, qui de Societate non ſit, alatur ad eos caſtigandos pueros, qui ſcholas frequentabunt, prout illi ab ipſis Præceptoribus præſcribetur.

Collegium XXX.

Si Collegium quinque Præceptores habeat, ad humanas litteras Latinas, Græcas, & Rhetoricam profitendum; ſubſtitutos alios duos habeat neceſ-

neceſſe eſt; nec non quatuor quinqueve Sacerdotes; ut præter illos quinque Præceptores ſupradictos, eorum unus lectionem caſuum conſcientiæ poſſit profiteri, ut Sacerdotes illius regionis, qui parum erunt in iis verſati, hac in parte, quæ eis eſt neceſſaria, juvari poſſint, quo ipſi melius officium ſuum faciant ad divinam gloriam. Vbi vero tales undecim aut duodecim Magiſtri ac Sacerdotes conceduntur, totidem ſaltem Scholaſtici inſtituendi erunt ad operis perpetuitatem, ut ſuperius dictum eſt, Miniſter etiam unus cum ſex Coadjutoribus. Itaque minimus numerus complebit xxx. extra correctorem in ſimilibus Collegiis.

Si Collegium, præter ſupradicta, artium liberalium curſus volet ſuſcipere; ultra illum numerum Noſtrorum, xx. addendi erunt partim Præceptores, partim diſcipuli. Ita ut omnes ſimul conficiant numerum quinquagenarium. *Collegium L.*

Si Societas alicujus Vniverſitatis aut Generalis ſtudii curam ſuſceptura eſſet, adjungeretque ſupradictis Scholaſticam Theologiam, & ſacram Scripturam, hujusmodi onus admittere non debebit, niſi commode provideatur, unde LXX. aut iis plures collegæ poſſint ali, ut ſuperiori numero accedant xx. partim præceptores, & partim diſcipuli: & expediret, ut hic numerus adhuc augeretur, quo non tantum opus hujusmodi perpetuo duraret, verum etiam ex eo Collegio inſignes aliqui operarii poſſint excerpi ad commune bonum in his & illis locis promovendum. *Collegium LXX.*

In Collegiis ubi Societas proprias non habet ſcholas, præter ſcholaſticorum numerum ſunt etiam neceſſarii Rector & Miniſter: & ſi magnus numerus inibi eſſet, adhuc ſubminiſter. Coadjutores vero ſecundum numerum collegarum.

In hujusmodi vero Collegiis collocari poterunt operarii ſecundum commoditatem, quam habet Societas, & diſpoſitionem meſſis in populo.

DE-

DECRETA

Tertiæ Congregationis generalis ante electionem.

I. *in* MS. *d.* 3.

P. Leo Enriquez.

CVm auditum eſſet, P. Provincialem Portugalliæ poſt electos illos qui ad Congregationem venturi erant, & diſſolutam Provincialem congregationem, propterea quod adverſa illius valetudo, in quam paullo ante inciderat, augeretur, ſuo loco P. Leonem Enriquez, qui non fuerat à Congregatione nominatus, miſiſſe; agitatum fuit an deberet ad Congregationem admitti. & quibusdam videbatur quod de jure, majori autem ex parte quod ex æquitate, omnibus vero quod admittendus eſſet. & ita revocatus eſt, & Congregationi interfuit.

II. *in* MS. *d.* 5.

Quando Secretarius & Aſſiſtens eligendus.

QVæſitum fuit, an Secretarius, qui acta Congregationis exciperet usque ad Generalis electionem, & Aſſiſtens eligi deberet, tametſi quatriduum illud, quod electionem antecedit, necdum fuiſſet inchoatum. & decretum fuit, ut Secretarius eligeretur; Aſſiſtens vero non niſi intra quatriduum. Porro ad plura ſuffragia P. Laurentius Magius Auſtriæ Provincialis in Secretarium electus fuit.

III. *in* MS. *d.* 6.

Deſignati ad petendam benedictionem.

CVm eſſet propoſitum à P. Vicario, quando & cum quibus benedictionem à Summo Pontifice pro more petere deberet; decretum fuit, ut quamprimum peteretur; & ut P. Vicarius cum P. Salmerone, & iis quos P. Vicarius ex ſingulis nationibus ſecum adducendos eligeret, ad petendam benedictionem Congregationis nomine accederet.

IV. *in* MS. *d.* 7.

Deputati quinque pro detrimentis.

PRopoſitum etiam fuit ab eodem P. Vicario, utrum eligendi eſſent aliquot Patres, ad quos, juxta decretum CXI. ſecundæ Congregationis, alii Patres referrent, num quid detrimenti paſſa ſit hactenus, aut deinceps paſſura Societas timeatur, & ii quot eſſe & ex quibus nationibus deberent. Et decretum fuit, ut eligerentur quinque Patres ex quinque nationibus, Germanica, Italica, Gallica, Hiſpanica, Luſitanica, qui cum P. Vicario & qua-

quatuor Aſſiſtentibus, & duobus primis Patribus Salmerone & Bobadilla, iſta exciperent & cognoſcerent. & horum electio in diem ſequentem dilata fuit; ſimulque declaratum ex illa natione eos eſſe cenſendos, qui ab ea ad generalem Congregationem miſſi fuerunt, etiamſi genere alterius eſſent nationis; dummodo ad proprietatem nationum, quoad ejus fieri poſſet, accederetur, juxta Decretum de Aſſiſtentibus. Decr. 28 II. Congr.

V. *in* MS. *d.* 10.

PRopoſitum fuit, à quibus capienda ſit hujuſmodi informatio, quæ prædictis Deputatis exhiberi debet: & pluribus ſuffragiis decretum fuit, ut à ſolis Electoribus & Procuratoribus peteretur: & quidem de rebus tantum, non item de perſonis; neque etiam de rebus quæ ad particulares perſonas referri poſſint. Si qui vero alii præterea, cordati præſertim & probati, ad Deputatos aliquid deferre vellent, ut non impedirentur: verum non requirerentur, & eorum informatio non niſi ſcripta, & ab ipſis ſubſcripta admitteretur. *A quibus capienda informatio detrimenti.*

INTERROGATORIVM.

INterrogatorium à ſupradictis Deputatis ex acceptis informationibus confectum, quo Electores inquirere poſſint ac debeant, & intelligere quis eſſe aptiſſimus videatur ad officium Generalis Præpoſiti. quod interrogatorium judicatum fuit non oportere ut publice in Congregatione legeretur, ſed ſatis eſſe, ſi ſingulis Electoribus ante incœptum quatriduum communicaretur: neceſſe tamen eſſe, ne Deputati ab Electoribus interrogati circa intelligentiam vel explicationem ejus, eos informarent de ſtatu Societatis in hujuſmodi rebus, & de iis quæ Societas paſſa eſt, vel paſſura timeatur, quatenus ad bonam electionem futuri Generalis utile erit.

Præter ea quæ interrogari debent ex III. cap. Exam. I. II. & III. cap. I. P. II. cap. IX. vel ex interrogatorio ex eis confecto, quæ ſequuntur interrogari oportet, propter quædam particularia incommoda quæ paſſa eſt, vel timeri poſſint in Societate.

1. An credatur N. gubernaturus Societatem ſpiritu paterno & non deſpotico, ut verbis P. N. Lainez ſanctæ mem. utamur, ut ſubditi facilem aditum habeant, eique læti in Domino, ac confidenter cor ſuum aperire aveant.

2. An ſperetur illius caritatis & unionis futurus ſtudioſus, quam Conſtitutiones noſtræ tantopere commendant; quamque homines ſemper in Societate noſtra ſunt admirati, ut amputatis omnibus diſſenſionum occaſionibus, huc ſerio incumbat, ut univerſæ Societati priſtinam illam & laudabilem unionem reſtituat.

3. An credatur obſervaturus Conſtitutiones noſtras, quoad admiſſiones, dimiſſiones, profeſſiones, probationes, paupertatis & puritatis integritatem, mortificationes paſſionum & propriæ voluntatis, extirpationem affectus honoris, & morbi ambitionis, carniſque ac ſanguinis, abſolutamque rationem obedientiæ, &c. non quidem ex proprio ſpiritu, ſed juxta ſpiritum & praxim P. N. Ignatii, ſemoto omni peregrino & à noſtro Inſtituto alieno ſpiritu.

4. An credatur ſeriò daturus operam, ut liberet Societatem à multis quæ non conveniunt noſtro Inſtituto; noſque ita gravant, ut cogamur relinquere quæ ſunt noſtri Inſtituti propria, ejuſmodi ſunt Seminaria, Domus Convictorum, Collegium pœnitentiariorum, intereſſe Inquiſitionis congregationibus ad judicandum, & ſignaturæ pœnitentiariæ, & miniſterio examinandi contra formam noſtri Decreti.

5. An timeatur propenſus ad admittenda nova Collegia, cum jam adeo videatur Societas gravata & oppreſſa multitudine Collegiorum, ut ſatisfacere oneribus ſuſceptis non poſſit.

6. An credatur diligenter curaturus, ut idonei operarii mittantur ad ſublevandas Collegiorum neceſſitates, maximè transmarinas, ubi Societas graviter laborat in obſervatione Inſtituti, & aliis rebus, ob inopiam bonorum Superiorum & operariorum: ne, quod ſæpe contigiſſe Provinciæ conqueruntur, qui minime idonei & ſufficientes ſunt, pro hujuſmodi mittantur.

7. An in modo procedendi cum aliis, & in gubernatione, ſi quam forte in Societate exercuit, veritatem cum animi candore, ac religioſa ſimplicitate, ita colere ſtuduerit, ut ab omni humanæ artis ſuſpicione ſit penitus liber.

8. An communiter omnibus amabilem ſe præbuerit tam domi, quam foris, & in amando æqualitatem erga omnes ita ſervaverit, ut non ſit deprehenſus in ſuſpicione acceptionis perſonarum, nec in agendo viſus ſit ſequi

aut

aut proprias paſſiones, aut illos reſpectus, qui vulgo humani mundanive appellantur.

9. An ea humilitate animi prædìtus cognoſcatur, ut aliquorum defectuum admonitus, ſtudio eos corrigendi alios potius ædificaverit, quam aliqua auctoritate cum offenſione ſuorum eoſdem tegere velle ſolitus ſit; & an credatur futurus ſtrenuus, & vigilans, ac vacaturus gubernationi.

10. An in rebus tractandis propenſus ſit, & habeatur, ad quærendum & ſequendum conſilia meliora Aſſiſtentium ſibi à Congregatione aſſignatorum: an vero tenacior ſit proprii judicii, quam conveniat & deceat ad provocandos Aſſiſtentes, ut libere dicant quod ſentiunt; & ad dandam illis ſpem, quod pondus rationum locum apud ipſum inveniet. Item, an curaturus videatur, ne Aſſiſtentes à ſe dimittantur.

11. Interrogare debent de iis quæ numero 2. cap. III. Exam. continentur, quatenus id facit ad auctoritatem Præpoſiti Generalis retinendam, & ad bonum delectum admittendorum.

12. An ſit plenus zelo perfectionis Noſtrorum, & magis addictus officio veri Paſtoris, quam induſtrius & practicus in exercendis per ſe, aut alios, litibus ac negotiis temporalibus, & in exigendis pecuniis, & ex aliis Provinciis in alias transferendis, cum ob eam cauſſam ubique Societati noſtræ apud Principes utriuſque ſtatus nota inuratur, & periculum ſchiſmatis idcirco Societati extitiſſe compertum ſit.

Forma Decreti electionis hæc fuit:

CUm in plena & legitima Congregatione, collato numero omnium ſuffragiorum, pluſquam media pars omnium R. P. Everardum Mercurianum nominaverit, & elegerit, ego Ioannes de Polanco, Vicarius, auctoritate Sedis Apoſtolicæ, & univerſæ Societatis, eligo prædictum R.P. Everardum in Præpoſitum Generalem Societatis IESV. *In nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti. Romæ in ædibus Societatis* IESV, *die* XXII. *Aprilis,* M. D. LXXIII. *Decretum electionis.*

Ioannes de Polanco.

DECRETA
Tertiæ Congregationis generalis poſt electionem.

I. *in* MS. *d.* 2.

Procuratores poſt electionem vocati.

PRopoſitum fuit, an Procuratores qui venerant ad negotia tractanda poſt electionem, vocandi eſſent, & quo ordine ſedere debeant. Et declaratum eſt, eos debere vocari. & vocati ſunt P. Ignatius Martinez Procurator Indiæ & Braſiliæ, & P. Richardus Tectorius Procurator Poloniæ, qui ante Congregationem à P. Vicario vocatus fuerat. Præter quos duos nulli alii Procuratores aderant. Et præterea decretum fuit, ut juxta Decretum CVI. Secundæ Congregationis poſt Electionem, P. Ignatius profeſſus quatuor votorum inter Electores ordine antiquitatis ſuæ profeſſionis, & P. Richardus profeſſus trium votorum poſt omnes Electores ſederent. Et ut ſuffragium haberent ad omnia, præterquam ad electionem Aſſiſtentium, quam ad ſolos Præpoſiti Generalis Electores pertinere, docet Conſtitutio V. cap. IX. P. §. 3.

Quo loco ſedeant.

Ad quæ ſuffragium habeant.

II. *in* MS. *d.* 3.

Locus Vicarii in Congregatione poſt electionem.

QVæſitum fuit, an P. Polancus qui Vicariatus officio defunctus fuerat, ad Congregationem vocari, & ubi ſedere deberet. Conſtitutum autem fuit, ut deinceps non ſolum ipſe, ſed quicumque Vicarius Generalis poſt obitum Præpoſiti extitiſſet, poſt electionem novi Generalis Præpoſiti ſequentis ad Congregationem accederet, & locum inter Provinciales juxta antiquitatem ſuæ profeſſionis haberet, quemadmodum etiam de Aſſiſtentibus Decreto IV. Secundæ Congregationis poſt electionem decretum fuit.

III. *in* MS. *d.* 5.

Deputati ad ſecernendum ex quibus eligendi.

QVæſitum eſt, an eſſent deputandi aliqui ad videnda ea quæ afferentur, ut ſecernerent, quæ ad Generalem Præpoſitum eſſent rejicienda, & quæ ipſi Congregationi proponenda. Decretum autem fuit, deputandos eſſe, & quidem numero quinque, & præcipue ex ordine Provincialium & Aſſiſtentium, aliis interim etiam non excluſis; & quidem ex iis, qui ex diverſis nationibus veniſſent; & cum eadem poteſtate, quam illis V. Decretum Secundæ Congregationis poſt electionem tribuit. Ceterum horum electio in ſequentem diem rejecta fuit.

IV.

IV. *in* MS. *d.* 6.

QVæſitum etiam fuit, an eſſent deputandi qui Formulam eligendi Generalem Præpoſitum in actis ſecundæ Congregationis electionem præcedentibus contentam examinarent & emendarent, & ad Congregationem referrent, ſi quæ immutanda judicarent; quandoquidem illa non omnino confirmata fuit, niſi usque ad hanc Congregationem, juxta Decretum LXIX. ſecundæ Congregationis poſt electionem. Et decretum fuit deputandos eſſe quinque, pro judicio & arbitrio R. P. Generalis: qui ad hoc munus P. Iacobum Mironem, P. Plazam, P. Franciſcum Adornum, P. Balduinum, & P. Claudium nominavit.

Deputati pro formula eligendi Generalis ſecunda Congreg.

V. *in* MS. *d.* 8.

PRopoſitum fuit, an P. Petrus Caniſius, qui à Summo Pontifice Romam accerſitus fuerat, ad Congregationem eſſet admittendus, & quo loco collocandus. Decretum autem fuit, ut ex quadam æquitate admitteretur, cum præſertim non parvam utilitatem negotiis tractandis afferre poſſet; & ut ſederet poſt Provinciales juxta ordinem ſuæ profeſſionis. Verum ut hoc factum non traheretur in exemplum, nec ipſe ad electionem Aſſiſtentium ſuffragium haberet, juxta Conſt. IX. P. cap. I. §. 5.

P. Caniſius extra ordinem admiſſus ad Congr.

VI. *in* MS. *d.* 9.

PRopoſitum fuit, an ſtatim Definitores conſtituendi eſſent, ad quos Congregatio rejiceret quæcumque rejicienda judicaret, ut citius negotia omnia expediri poſſent. quot item illi, quales, hoc eſt quibus ex nationibus, & quando conſtitui deberent. Decretum autem fuit, nihil de Definitoribus conſtituendis agendum eſſe, niſi poſtquam rerum tractatio ad id faciendum invitaret vel urgeret.

Definitores non eligendi niſi res urgeat.

VII. *in* MS. *d.* 11.

PRopoſitum fuit, an aliqui eſſent deputandi, qui Officium Vicarii Generalis, formulam Congregationis Provincialis, & rationem conſcribendi annuas litteras examinarent & emendarent. Decretum autem fuit, ut duplex fieret deputatio ad arbitrium P. Generalis: altera quidem ad officium Vicarii, & modum conſcribendarum annuarum; altera vero ad Formulam Congregationis Provincialis examinandam & emendandam: ita ut illi in Congregatione promulgarentur, ut ad eos, quicumque vellent, deferre poſſent quod ad rem hanc pertinere judicaretur: ipſi vero confectum opus Congregationi dijudicandum & approbandum proponerent.

Deputati ad officium Vicarii, & annuas ſcribendas, & ad Formulam Congr. Provincialis.

VIII. *in* MS. *d.* 12.

Deputatio pro iis quæ in Conſtitutionibus diſſident à Concilio Trid.

PRopoſitum etiam fuit de alia deputatione facienda, ad examinandum ſi quid in Concilio Tridentino reperiretur, quod noſtris Conſtitutionibus adverſari videretur, & de quo declaratio, aut etiam diſpenſatio à Summo Pontifice peti deberet. Et placuit, ut iidem quibus in ſecunda generali Congregatione Decr. VIII. hoc munus commendatum fuerat, id etiam nunc expedirent; & quæ tunc annotata fuerant, nec tamen ad Congregationem relata, ea diligenter inſpicerent (adjungendo illis, ſi quos P. Generalis adjungendos eſſe judicaret, in eorum qui deerant locum, aliquos alios) & quæ perfeciſſent Congregationi proponerent.

IX. *in* MS. *d.* 15.

Deputati ad acta I. *&* II. *Congreg.*

Canones trium Congregationum.

PRopoſitum item fuit, an aliqui alii deputandi eſſent ad acta primæ & ſecundæ Congregationis poſt electionem revidenda, & Canones ex actis primæ Congregationis conficiendos. Et placuit ut fieret hujuſmodi deputatio ad arbitrium P. Generalis: & ut ex illis duabus & præſenti Congregationibus Canones, qui ad obſervationem & praxim communem pertinere poſſent, deſumerentur, & ſeorſim imprimerentur, ac ſoli vulgarentur; reliqua vero Congregationum acta & decreta aſſervarentur.

X. *in* MS. *d.* 17.

Aſſiſtens pro Gallia & Flandria poſtulatus.

QVoniam Provincia Aquitaniæ peculiarem Aſſiſtentem à Germaniæ Aſſiſtente diverſum pro Galliarum & Flandriæ provinciis ſibi deſignari poſtulabat: propoſitum fuit an numerus Aſſiſtentium, qui hactenus quatuor fuerunt, uno addito augeri deberet. Et prolatis pro parte affirmante rationibus, res in ſequentem diem dilata fuit.

XI. *in* MS. *d.* 18.

Aſſiſtentium officium.

DEinde cum de officio Aſſiſtentium conficiendo actum eſſet, placuit Congregationi, ut officium hoc ex Conſtitutionibus, Decretis, & praxis obſervatione deſumeretur, & ad illud conficiendum, & de eo Congregationi referendum, aliqui Patres pro judicio R. P. Generalis deputarentur.

XII. *in* MS. *d.* 19.

Aſſiſtentium ſubſtituti.

PRæterea quæſitum fuit, an Subſtituti Aſſiſtentium eligi deberent, quemadmodum in Congregationibus Provincialibus fieri conſuevit: ut ſi contingat aliquem Aſſiſtentem deeſſe, non deſit qui auctoritate Congregatio-

nis

nis quamprimum illi ſubſtituatur. Et reſponſum fuit, nullos eligendos eſſe ſubſtitutos hujusmodi; verum ſervandas eſſe Conſtitutiones & Decreta Congregationum, in quibus abunde proſpectum eſſe videtur omnibus caſibus, qui circa Aſſiſtentes evenire poſſent.

XIII. *in* MS. *d.* 21.

PRopoſitum fuit, an in negotiis agitandis prius deliberationes audiendæ eſſent; & cum primum omnes dixiſſent, tum demum colligerentur ſuffragia. tum an ſuffragiis ſecretis nonnumquam agendum eſſet, tametſi de perſonis non tractaretur. Et reſponſum fuit, nihil eſſe immutandum circa deliberandi modum; verum priſtinam & uſitatam conſuetudinem ſervandam eſſe. *Suffragia ſecreta.*

XIV. *in* MS. *d.* 22.

DE quinto Aſſiſtente Galliarum provinciis deſignando, quod præcedenti Decreto XVII. propoſitum fuerat, cum in utramque partem diligenter agitatum fuiſſet, tandem Congregatio fere omnium conſenſu decrevit, numerum quatuor Aſſiſtentium modo non eſſe augendum. *Aſſiſtens Galliis nondum conceſſus.*

XV. *in* MS. *d.* 25.

QVæſitum præterea fuit, an terminus aliquis præſcribendus eſſet, intra quem Patres afferrent ad Deputatos, de quibus Decreto V. actum fuit, quæcumque vellent. & decretum eſt, dandam eſſe craſtinam diem ad excipienda a Deputatis quæcumque illis offerentur, & ut ex illis contextus quamprimum fieret. Nec ideo tamen rejiciendum eſſe, ſi quid deinceps afferretur. Non enim claudendam januam proponendi durante Congregatione, Patres cenſuerunt. *Tempus deferendi ad Deputatos.*

XVI. *in* MS. *d.* 26.

CVm in proxima præcedenti Congregatione Decr. XXVIII. conſtitutum fuiſſet, quomodo bona ex patrimoniis Fratrum noſtrorum provenientia, qui ea in ſubſidium Societatis dare cupientes, Præpoſiti Generalis judicio diſpenſationem relinquunt, diſtribuenda eſſent; nec tamen incommoda illa, ad quæ antevertenda Decretum illud factum fuerat, ſublata eſſe experientia docuiſſet: quæſitum fuit, ut verba illa I. cap. III. P. Conſtitutionum, *in eadem Provincia,* clarius explicarentur. Et cum res diu multumque agitata fuiſſet, tandem decretum fuit, per eamdem Provinciam intelligendam eſſe Provinciam in qua ſunt ipſa bona, non autem in qua quis in Societatem ingreditur, aut verſatur: ſumpto tamen Provinciæ nomi- *Bonorum diſtributio in Provinciis.*

nomine more Societatis, prout ſcilicet uni Præpoſito Provinciali ſubeſt: & in hujuſmodi Provincia tantum, & non alibi, bona illa diſtribui debere. Quod ſi in eadem Provincia ſint plura dominia diverſis Principibus ſubjecta, adjecit Congregatio, diligenter ſervandam eſſe eamdem Conſtitutionem, ut ſcilicet in transferendis hujuſmodi Fratrum noſtrorum bonis ex uno dominio aliud ejuſdem Provinciæ Societatis, ratio haberetur Regum, Principum ac aliorum Potentatuum, ne in eis cauſa ulla offenſionis detur; ſed ad majorem ædificationem omnium, & ſpiritualem utilitatem animarum, & gloriam Dei omnia cedant. Præter hæc autem ſi quæ aliæ difficultates orirentur, Congregatio declaravit, eas omnino prudentia & auctoritate R. P. Generalis eſſe ſubmovendas.

De iis vero bonis quæ hactenus uni Provinciæ vel loco ex alia Provincia applicata fuerant, necdum tamen extracta, Congregatio judicium & diſpoſitionem illorum, prudentiæ ac arbitrio R. P. Generalis relinquendam eſſe cenſuit, ut ipſe habita ratione majoris ædificationis omnium, & communioris boni, id exequatur, quod ad majorem Dei D. N. gloriam pertinere exiſtimaverit, ſive ut ad eum locum, cui applicata fuerunt, exportentur; ſive ut in eadem Provincia, ubi adhuc reperirentur, vel in noſtræ Societatis uſus, vel externos pauperes diſtribuantur.

XVII. *in MS. d. 42.*

Domus Profeſſa erigenda.

PRopoſitum fuit, an Domus Profeſſorum in magnis civitatibus, quæ Societatem habere deſiderant, erigi deberent: & an curandum eſſet ut plures Domos profeſſas, & pauciora Collegia haberemus. Congregatio autem totum hoc negotium R. P. Generali commiſit: eidem commendandum cenſuit, ut erigendis hujuſmodi Domibus applicaret animum. ipſius tamen prudentiæ tempus, & locum, & modum reliquit, quo id effici deberet. eique interim ſerio commendavit, ut juxta Decr. XI. Congregationis II. poſt electionem, potius applicaret animum ad roboranda, & ad perfectionem adducenda Collegia jam admiſſa, quam ad nova admittenda.

Aſſiſtentes ad plura medietate ſuffragia.

Die IX. Maji mane ad plura medietate ſuffragia per ſcrutinium, juxta Decretum XXVII. Secundæ Congregationis poſt electionem, electi ſunt Aſſiſtentes; in primo pro Germaniæ & Galliæ Provinciis electus eſt P. Oliverius Manaræus, Rector Collegii Pariſini: in ſecundo ſeorſum pro Portugalliæ & Indiæ Orientalis & Braſiliæ Provinciis P. Petrus Fonſeca: in tertio

pro

pro Hiſpaniæ, Peru & novæ Hiſpaniæ Provinciis P. Ægidius Gonzalez, Provincialis Caſtellæ abſens in itinere. Demum pro Italiæ & Siciliæ Provinciis P. Benedictus Palmius, qui R. P. Franciſci Borgiæ piæ memoriæ Aſſiſtens quoque fuerat. In Admonitorem autem electus eſt eadem die à prandio P. Oliverius Manaræus Aſſiſtens, ſimili ſcrutinio ad plura ſuffragia. *Admonitor ad plura.*

XVIII. *in* MS. *d.* 28.

ACtum eſt etiam, an Definitores eligi deberent ad res determinandas, quas eis Congregatio commiſiſſet. Et placuit ſex nunc eligi juxta Decretum XXXVII. ſecundæ Congregationis poſt electionem. Et die ſequente x. Maji per ſcrutinium ad plura ſuffragia electi fuerunt P. Alfonſus Salmeron, Provincialis Neapolitanus, P. Ioannes de Polanco, P. Hieronymus Natalis, P. Benedictus Palmius Aſſiſtens, P. Michael Torres, P. Oliverius Manaræus Aſſiſtens. & quidem cum eadem poteſtate, quam ſuis Definitoribus ſecunda Congregatio generalis Decret. XLVI. tribuit. *Definitores ſex ad plura ſuffragia.*

XIX. *in* MS. *d.* 29.

QVæſitum fuit, quomodo locus ille c. IV. Exam. §. 2. de promiſſione abdicationis bonorum, quæ poſt primum probationis annum fieri debet, intelligendus ſit: cum executio illius Conſtitutionis quibusdam dura eſſe, & quibusdam in locis non obſervari videretur. Declaravit autem Congregatio, actum illum, quo qui in Societatem admittitur, promittit ſe poſt primum annum bona ſua diſtributurum, neque votum eſſe, neque ſolum propoſitum; ſed ſimplicem promiſſionem, conditione illa, ſi ille perſeveravit, & Superior illi injunxerit, affectam. Conſtitutionem vero ipſam nec duram eſſe, nec obſervatu difficilem; ac proinde diligenter ut ſonat obſervandam eſſe. Conſtitutionis autem praxim judicio Præpoſiti Generalis, qui quod ad majus Dei obſequium pertinet intuebitur, relinquendam. *Bonorum abdicatio.*

XX. *in* MS. *d.* 30.

PRopoſitum fuit, an Decreto aliquo multiplicitas Collegiorum deinceps interdicenda eſſet, ſaltem ad aliquod certum tempus: quandoquidem ex multitudine Collegiorum magna incommoda exoriri experientia docuit. Et re diligenter diſputata, ſtatuit Congregatio, nihil novi jam eſſe decernendum, ſed ſerio rogandum eſſe R. P. Generalem, & illi ſtudioſe commen- *Collegiorum multiplicitas.*

dandum, (quemadmodum etiam rogavit, & commendavit) ut Decr. XV. ſecundæ Congregationis poſt electionem deinceps ſervari curet.

XXI. *in* MS. *d.* 31.

Profeſſi quatuor votorum quibus ſubſint

QVæſitum fuit, an Profeſſi trium votorum, ſeu non Profeſſi, Profeſſis quatuor votorum præeſſe poſſint; & hi viciſſim illis obedire teneantur, cum in iis locis verſantur ubi illi Superiores ſunt. Et cum res diligenter fuiſſet diſputata, declaravit Congregatio, tales ſive Profeſſos trium votorum, ſive non Profeſſos, cum Rectores vel Miniſtri ſunt, (Sacerdotes tamen) Profeſſis quatuor votorum, qui apud illos verſantur, ſeu etiam divertant ex itinere, juxta regulæ communis præſcriptum præeſſe poſſe, ac etiam debere; & viciſſim hos ad obedientiam illis præſtandam, ac ſubjectionem, juxta communem locorum, ubi illi præſunt, ordinem ac regulas teneri: quemadmodum & Conſtitutionibus ipſis, quæ ſubordinationem membrorum & unitatem capitis in gubernatione vehementer commendant, conſentaneum eſt, & congruus ordo in omni bene inſtituta Communitate neceſſarius maxime requirit. Hæc autem neque Decreto XXVIII. tit. II. primæ Congregationis, neque Decl. III. cap. VIII. P. §. I. quidquam adverſari. quæ cum decernit, ne profeſſi trium votorum, aut alii non profeſſi, profeſſis quatuor votorum præeſſe poſſint, de præſidentia in Domibus Profeſſis vel integris Provinciis, ubi ſubditos communiter profeſſos eſſe quatuor votorum oportet juxta Conſtitutiones, intelligendum eſt.

Interceſſerunt autem quidam ex Patribus, & admiſſa eſt interceſſio, ut die ſequenti de eadem re de integro tractaretur. Verùm cum res iterum diligenter diſputata fuiſſet bidui ſpatio, tandem idipſum die XXVII. Maji confirmatum fuit: & juxta prædictam explicationem deinceps intelligendam eſſe, ac obſervandam Declarationem illam III. cap. VIII. P. Congregatio decrevit.

XXII. *in* MS. *d.* 32.

Coadjutorum pilei.

CVm quæſtio de pileis Coadjutorum temporalium, de qua in prima Congregatione actum fuerat, iterum propoſita fuiſſet, decretum fuit, ut R. P. N. Generali, qui quod unicuique Provinciæ expedierit, judicabit, totum negotium relinqueretur: ſic tamen ut juxta Decretum XVI. tit. VI. primæ Congregationis, diſtinctio inter ipſos & noſtros Sacerdotes, ac ſæculares etiam homines ſervaretur.

XXIII.

XXIII. *in* MS. *d.* 33.

CVm quidam ex Patribus propoſuiſſent, utrum Conſtitutiones, quæ ratione temporum, vel alias ob cauſſas in praxi non ſunt, expungendæ eſſent; Reſponſum eſt, nulla ratione id faciendum eſſe: ſed potius oportere, ut omnes inviolatæ permaneant, ut quales à ſanctæ mem. R. P. N. Ignatio acceptæ ſunt, tales idemtidem ad poſteros transmittantur: notandum tamen eſſe aliqua ratione, quod non obſervandum eſſe Congregatio judicaret. *Conſtitutiones non delendæ.*

XXIV. *in* MS. *d.* 35.

PRopoſitum fuit, utrum Convictores qui in Collegio Germanico aluntur propriis ſumptibus cum alumnis Germanis, retinendi eſſent deinceps, an potius dimittendi. Decretum autem fuit, hoc totum negotium judicio & arbitrio R. P. N. Generalis relinquendum eſſe, quemadmodum ad ejus etiam gubernationem pertinet: ſic tamen, ut ſi judicaret Societatem ab eo onere liberandam eſſe, Congregationis auctoritate uti ad id poſſit. *Convictores.*

XXV. *in* MS. *d.* 37.

QVæſitum fuit de intelligentia & uſu Conſtitutionis II. cap. IV. P. §. 6. in qua dicitur, nec eleemoſynas, nec dona ulla admittenda eſſe in iis Collegiis, quæ XIII. Scholaſticos, præter Præceptores, ex propriis reditibus alere poſſunt. Et quoniam finis illius Conſtitutionis eſt populi ædificatio, declaravit Congregatio, ad hujus finis normam, tam intelligentiam quam praxim Conſtitutionis exigendam eſſe. judicio autem & arbitrio R. P. Generalis relinquendum, ut habita ratione finis, & Conſtitutionis uſum præſcribere, & interpretari eamdem, & ſi opus eſſet diſpenſare etiam poſſet. *Quæ eleemoſynæ admittendæ in Collegiis.*

XXVI. *in* MS. *d.* 41.

CVm duæ jam extent Latinæ Conſtitutionum editiones, & in multis ab invicem diſcrepent: poſtulatum eſt à quibusdam Patribus, ut ſtatueretur à Congregatione, vel primam, vel certe ſecundam editionem eſſe verum originale Conſtitutionum; ne poſt hac recurrendum ſit ad exemplar Hiſpanicum, quod cum impreſſum non ſit, nec omnibus commune, poſſet fortaſſe ſucceſſu temporis facilius immutari. Decrevit autem Congregatio, ut deputarentur aliquot Patres arbitrio R. P. Generalis, qui has duas verſiones inter ſe, & cum autographo, acceptis ab aliis Patribus, quas *Verſiones Latinæ recognoſcendæ.*

ad eos afferrent obſervationibus, primo quoque tempore diligenter conferrent, & poſteriorem verſionem examinarent, ut illa tamquam vulgata, & qua omnino utendum ſit, à Congregatione probetur. Autographum porro Hiſpanicum conſervandum eſſe; & ad illud, ſi qua in re R. P. Generali vel Congregationi videretur, pro explicatione recurri poſſe, conſtitutum fuit. Deputavit autem R. P. Generalis ſequentes Patres, ſcilicet P. Iacobum Mironem, P. Michaelem Goviernum, P. Petrum Ribadeneira, P. Paulum Hoffæum, P. Dionyſium Vazquez, P. Antonium Poſſevinum.

XXVII. *in* MS. *d.* 42.

Summarium emendandum.

CVm propoſitum fuiſſet, an Regulæ generales, quæ incipiunt, *Summa ſapientia*, examinari & emendari deberent, ſi qua emendatione opus eſſet, ut emendatæ nomine Congregationis ab omnibus obſervandæ promulgarentur. Decretum fuit, ut R. P. Generalis cum ſuis Aſſiſtentibus hoc totum negotium ab univerſa Congregatione commendatum haberet, habita ratione Dec. LXXVI. ſecundæ Congregationis, quoad ejus fieri poſſit, & executioni mandari curaret.

XXVIII. *in* MS. *d.* 43.

Formula celebrandi contractus.

QVoniam formula celebrandi contractus ex Bulla Pii V. deſumpta, in quibusdam locis multas affert difficultates & multa incommoda: quæſitum fuit, ut alia expeditiore & commodiore formula iſtis incommodis occurreretur. & res tota R. P. Generali commiſſa eſt: qui judicabit, an alia ratio ineundi contractus à Sede Apoſtolica peti, & quanta poteſtas Provincialibus ad celebrandos contractus concedi debeat.

XXIX. *in* MS. *d.* 44.

Formula agendi poſt electionem.

PRopoſitum quoque fuit, ut conficeretur Methodus agendi de negotiis poſt electionem, & eligendi Aſſiſtentes, capiendique informationes ad eos eligendos, pro futuris Congregationibus, ut celerius & expeditius omnia tranſigerentur. Commiſſum autem fuit à Congregatione R. P. N. Generali, ut collectis à Patribus Congregatis, ſi quid in ea re annotaſſent, ſuo commodo prædictam Methodum conficiat, futuræ Congregationi proponendam.

XXX. *in* MS. *d.* 45.

Quæ Conſtitutiones repugnent Conc. Trid.

CVm in plena Congregatione legerentur illa, quæ Deputati ex Concilio Tridentino noſtris Conſtitutionibus & privilegiis repugnare annotarant;

tarant; decretum fuit, ut R. P. Generalis primo quoque tempore opportuno relaxationem illarum derogationum curaret.

XXXI. *in* MS. *d.* 46.

CVm fuiſſet lectus ordo Novitiorum in Congregatione, placuit Congregationi, ut tam ordo iſte, quam Magiſtri Novitiorum officium, ad R. P. Generalem rejiceretur; cum utrumque ad regulas & gubernationis rationem pertineat. *Ordo Novitiorum & Magiſtri officium.*

XXXII. *in* MS. *d.* 47.

CVm Provinciales ultramontani, ſuo & ſociorum nomine urgerent ut Congregatio hac hebdomada diſſolveretur; & quæcumque intra illud tempus expediri poſſent, expedirentur; reliqua vero, ſi qua ſupereſſent, ad R. P. Generalem cum Aſſiſtentibus conficienda rejicerentur; viſum eſt Congregationi, ut ad proximum diem Sabbati vel Dominicum, qui erit XIV. Iunii, finiretur (ſic tamen ut intercedi poſſet, ſi neceſſitas alicujus rei gravis ita poſtularet) & ſimul Definitorum poteſtas expiraret, quemadmodum in ſecunda Congregatione Decr. LXIII. factum fuit. Intra hoc vero tempus Patres afferrent, ſi quæ præterea afferenda judicarent, & illa omnia expedirentur, quæ Congregationis auctoritatem neceſſario requirunt: reliqua P. Generali conficienda relinquerentur; ita tamen, ut ſecundum Societatis morem cum Aſſiſtentibus ea tractaret. *Congregatio diſſolvenda.*

XXXIII. *in* MS. *d.* 53.

QVæſitum fuit, quid faciendum eſſet de variis deputationibus ſuperius factis, cum nec dum expeditæ eſſent, nec facile expediri poſſent, niſi Congregatio diu protraheretur. Et decretum eſt, ut quæ pertinent ad conficiendum officium Aſſiſtentium, & formulam ſcribendi emendandam, R. P. Generali relinqueretur, utpote ad regulas pertinentia. Canones quoque ex actis trium Congregationum generalium poſt electionem idem extrahi curaret, nulla facta ſenſus mutatione. In difficultatibus etiam Conſtitutionum declarandis auctoritate tantum ſua ordinaria uteretur. Formula tamen Congregationis Provincialis, & Vicarii officium, & Canones ex actis ante electionem deſumpti, in Congregatione legerentur, & ab ea probarentur. quod & factum eſt. *Deputationes non expeditæ.* *Canones trium Congregationum.* *Formula Congregationis Provincialis.*

XXXIV. *in* MS. *d.* 54.

QVæſitum etiam fuit, quid decernendum eſſet de ſecunda Conſtitutionum editione, de qua Decr. XLI. & decretum fuit, ut hæc ſecunda *Vulgata editio.*

editio, quæ cum exemplari Hiſpanico magis convenire inventa eſt, deinceps pro communi & vulgata haberetur in Societate, ſaltem donec ſequens futura Congregatio aliud ſtatuerit.

Sequuntur Decreta per Definitores confecta, & à Congregatione generali approbata.

XXXV. *in* MS. *d.* 57.

Proceſſiones. DEcretum fuit, ne deinceps proceſſiones à Noſtris fierent; liberam tamen R. P. Generalis haberet facultatem diſpenſandi circa quaſcumque proceſſiones retinendas, & inſtituendas, ubi ad Dei gloriam, & proximorum ædificationem, præſertim ubi uſu receptæ ſunt, & maximæ inter hæreticos, & ubi converſioni infidelium datur opera, expedire videret. Omni autem ſtudio & diligentia privilegium aliquod à Summo Pontifice impetrandum eſſe, quo à publicis Ordinariorum proceſſionibus eximeremur. Quod privilegium ſi obtineri non poſſet, vel quamdiu non obtineretur, & Noſtri ad publicas ſupplicationes procedere cogerentur, ſuperpelliceis utendum eſſe, ſicut in habitu ſequi debemus, ita etiam in hujuſmodi proceſſionibus communem honeſtorum Clericorum morem ſequeremur. De loco tamen & ordine procedendi, relinquendum eſſe eorum, qui Noſtros ad proceſſionem vocarent, arbitrio ac diſpoſitioni, conſtitutum fuit.

Cum autem ſequenti die quidam ex Patribus in Congregatione interceſſiſſent, ne hoc præſenti anno Romana proceſſio abrogaretur: admiſſa fuit interceſſio, ut poſtridie ea de re ageretur: & tunc etiam decretum fuit, ut omnino intermitteretur. Verùm Summus Pontifex hoc audiens, mandavit ne Romæ præteriretur deinceps, nec rationes nomine Congregationis illi XXVII. Maji propoſitas admiſit. Ab obligatione tamen publicarum ſupplicationum ſe nos liberaturum promiſit, ne ſcilicet ab Epiſcopis ad eas cogi poſſemus. Voluit etiam ut Romæ ſacrum cantaretur diebus Dominicis & Feſtis, ſicut hactenus factum eſt; ſervatis tamen in modo & ratione cantus noſtris Conſtitutionibus.

XXXVI. *in* MS. *d.* 58.

Cantus in eccleſiis. CAntus in eccleſiis Societatis inductus talis ſit deinceps, qualem Declar. III. cap. VI. P. §. 4. B. præſcribit; nempe devotus, ſuavis & ſimplex, non figuratus vel firmus; & in iis tantum locis retineatur, ubi per Noſtros, non admiſſis externis, commode exerceri poteſt, & finis quem prædicta Conſtitutio

tutio proponit, & juxta Decr. XXII. ſecundæ Congregationis conſequitur: locum tamen habeat diſpenſatio, præſertim inter hæreticos & infideles, quoad inductionem, retentionem, modum & qualitatem cantus, pro judicio & arbitrio R. P. Generalis.

XXXVII. *in* MS. *d.* 59.

AD Religioſam diſciplinam & paupertatis rationem pertinet, ut in peregrinationibus & profectionibus Noſtri, quos ipſorum Superiores id præſtare poſſe judicaverint, pedeſtri itinere, in toto vel in parte, utantur. & ob eam cauſſam R. P. Generalis eam hac in re moderationem per ſe & ſuos Provinciales adhibebit, quæ Societatis noſtræ Inſtituto conſentanea ſit: curabitque, ut in equitando ſolius neceſſitatis ſive perſonæ, ſive negotiorum (quam Superiores mittentes judicabunt) ratio habeatur. *Iter pedeſtre.*

XXXVIII. *in* MS. *d.* 60.

REgula illa de ſeparata menſa Superiorum, cujus mentio habetur in prima Congregatione tit. IV. Decr. V. de cetero vim non obtineat. Per hoc tamen non judicatur excludendam eſſe antiquam illam conſuetudinem, à Patribus Generalibus cum ratione obſervatam tam in ſua menſa, quam ut etiam cum aliis ex cauſſa diſpenſetur, prout in Domino magis expedire exiſtimaverit ipſe R. P. Generalis. *Menſa privata Superiorum.*

XXXIX. *in* MS. *d.* 61.

LIcet Noſtris, qui de ſuis bonis ſunt diſpoſituri, integrum ſit pactiones cum ſuis parentibus, & quibuscumque aliis de legitima parte, & aliis bonis ad ſe pertinentibus inire: admonendi tamen ſunt illi prius, Societatem ipſam ad ea bona nullum jus habere. Nullæ tamen hujusmodi pactiones deinceps ineantur, niſi prius Generalis Præpoſitus de conditione fratris, de cujus legitima parte vel bonis agitur, & de re tota diligenter informetur; & univerſa hujus rei praxis ex illius judicio & gubernatione exerceatur. *Diſtributiones bonorum non fiant ſine Generali.*

XL. *in* MS. *d.* 62.

IN ſingulis Provinciis ſervetur mos antiquus in ſuffragiis faciendis pro iis qui in Provincia moriuntur, ut ſcilicet in eo loco, ubi quis deceſſerit, ſinguli Sacerdotes tria ſacra, & ſinguli fratres tres coronas; in aliis vero ejusdem Provinciæ locis duo ſacra faciant, & duas coronas recitent. Pro aliis autem qui extra Provinciam obeunt, ſinguli Sacerdotes cujusvis Provinciæ ſemel in quavis hebdomada Miſſæ ſacrificium offerant, & ſinguli fratres unam coronam recitent. Præterea de obitu cujusque, ut hactenus factum eſt, ſignificetur *Suffragia pro Noſtris defunctis.*

ficetur extra Provinciam per univerſam Societatem, ut ubique omnes illius animam Domino Deo commendent, Sacerdotes quidem in Miſſis, vel per collectam, vel alia ratione; alii vero in ſuis precationibus pro uniuscujusque devotione.

XLI. *in* MS. *d.* 63.

Domus Profeſſæ fundator.

DOmus profeſſæ fundatorem habere poſſunt, quemadmodum & Collegia. Fundator autem profeſſæ Domus ille cenſeri debet, qui dat eccleſiam neceſſariis rebus ad cultum Dei ornatam: præterea Domum ſupellectili domeſtica, & libraria ſufficienter inſtructam. Pro hujusmodi autem fundatore ea ſuffragia in ipſa Domo, & Provincia in qua Domus erigitur, exhibebuntur, quæ Conſtitutio IV. P. cap. I. pro Collegiorum fundatoribus in tota Societate exhiberi præſcribit, excepta candelæ traditione.

XLII. *in* MS. *d* 66.

Admonitor ſi foras mittatur.

SI contigerit Admonitorem Præpoſiti Generalis alio mitti, poterit quidem alius illi ab ipſo Generali ſubſtitui, ſi ad breve tempus tantum ſit ille abfuturus. In caſu autem mortis, & diuturnæ abſentiæ, eadem in alio ſubſtituendo ratio ſervetur, quam in Aſſiſtentium ſubſtitutione Conſtitutio IX. P. cap. VI. §. 3. & Decretum VIII. tit. VI. primæ Congregationis ſervandum eſſe præſcribit.

XLIII. *in* MS. *d.* 67.

Collegia non bene fundata.

COllegia, in quibus propria Collegiorum munia non exercentur, vel quia nondum plene conſtituta ſunt, licet ſint inchoata; vel quia ædificandi neceſſitas non patitur Noſtros legere, nec ſcholaſticos noſtros illic ali; R. P. Generalis judicabit an & quamdiu ex eleemoſynis vel ex reditibus vivere debeant, & faciet quod in Domino expedire judicaverit. neque enim hic caſus idem eſt cum illo, qui in Decreto XC. ſecundæ Congregationis continetur.

XLIV. *in* MS. *d.* 68.

Procurator Generalis admittatur ad Congregationem.

PRocurator Generalis Societatis noſtræ, qui Romæ fuerit Congregationis tempore, ad Congregationem Generalem deinceps admittatur poſt electionem Præpoſiti Generalis, utpote qui ad tractanda negotia utilis eſſe poſſit.

XLV. *in* MS. *d.* 69.

Tranſeuntes ad Carthuſiam.

SI qui ex Noſtris ad Carthuſienſium Ordinem tranſirent, & redire ad Societatem denuo vellent, non tenetur Societas eos recipere ex ratione ſui Inſtituti.

XLVI.

XLVI. *in* MS. *d.* 70.

VErba illa, *Tum ſi quem ſciam id curare*, &c. addita ſecundo voto ſimplici, quod Profeſſi emittunt poſt profeſſionem; reponantur poſt ſequentem promiſſionem de non prætendenda prælatione aliqua extra Societatem, in hunc modum: *Tum ſi quem ſciam aliquid prædictorum duorum curare vel prætendere*, &c. ut ita utrumque complectantur, ſcilicet quod de prælatione in Societate & extra Societatem dicitur. *Votum de dignitate.*

XLVII. *in* MS. *d.* 72.

R. P. N. Præpoſitus Generalis commendatum magnopere habeat, ut Præceptores noſtri qui interpretantur Ariſtotelem, non niſi cum magno delectu interpretes eos legant, qui contra Chriſtiana dogmata impie ſcripſerunt, & maxime ad ea impugnanda quæ Chriſtianæ veritati adverſentur: & ita Philoſophiam interpretentur, ut veræ Theologiæ Scholaſticæ, quam nobis commendant Conſtitutiones, ancillari & ſubſervire faciant. *Ariſtotelis interpretes.*

XLVIII. *in* MS. *d.* 73.

SArdiniæ Procurator ſine alia Congregatione provinciali, cui non poteſt intereſſe ut plurimum, poſſit venire ad Generalem, & ad alia jus habere ſuffragii, præterquam ad Generalis & Aſſiſtentium electionem. Simili modo ex Luſitania pro India & Braſilia, & ex Bætica pro Peru & nova Hiſpania, Procuratores mitti poſſent, ſi alii electi non ſufficient ad negotia tractanda judicio Congregationis provincialis Luſitaniæ & Bæticæ. Ex Polonia etiam admittatur Procurator ad Congregationem provincialem Auſtriæ, ſi Viceprovincialis indicaverit ad eam non poſſe venire ſuos Rectores: & ad generalem etiam venire poterit, ut alii ſupradicti, ſi Congregationi Auſtriæ videbitur expedire. Et hæc intelligantur, quamdiu Sardinia & Polonia non fient ſeparatæ Provinciæ. In Polonia autem & Sardinia eligetur Procurator à Viceprovinciali, & Conſultoribus, ac Profeſſis quatuor votorum, qui in eo loco fuerint, ubi Viceprovincialis erit. In Bætica autem & Luſitania ipſa Congregatio provincialis eliget: *Procurator Sardiniæ, & Indiarum.*

Decretum tertiæ Congregationis generalis, quod in Actis non eſt inſertum, ſed in Archivio repoſitum.

CVm die XIV. Iunii ageretur de graviſſimis neceſſitatibus Collegii & Domus Romanæ, ob contracta multa debita, & ſummam difficultatem *De bonis extra Provinciam diſtribuendis, facultas Generali conceditur.*

tem in tanta multitudine alenda, & de modo aliquo adhibendi remedium quæreretur; Decrevit Congregatio, ut R. P. Generalis deputaret aliquos, qui iſta inſpicerent, & de remedio conſultarent, ac in Congregatione referrent. Ipſe vero deputavit Patres Aſſiſtentes, & omnes Provinciales, ut viderent, quænam ratio iniri poſſet, ut Collegium Romanum ære alieno liberaretur, & in futurum provideretur unde ſuſtentari
Decr. 26. poſſet. Convenerunt igitur Patres Deputati, & re diligenter excuſſa, major illorum pars cenſuit, ut Decretum illud de diſtributione bonorum facienda in eadem Provincia in qua ſunt bona, & non in ea ubi quis ingrediatur, integrum maneat: ſed Congregatio generalis relinquat R. P. Generali facultatem in eo diſpenſandi in Collegio Romano, & aliis Seminariis Provinciarum, pro judicio & arbitrio R. P. Generalis, habita ratione neceſſitatis, & communis boni. ita ut cum quis in his locis ad Societatem admittitur, poſſit P. Generalis diſpenſare, ut ejus bona, quæ in alia Provincia fuerint, applicentur illi Seminario. Extra hunc autem caſum, ſemper juxta Decretum applicentur bona Provinciæ in qua ipſa bona ſunt. & hæc diſpenſatio perpetua non ſit: ſed interim locum habeat, dum Dominus alia ratione Seminariis hujusmodi non providerit; vel certe usque ad aliam generalem Congregationem, & modo ſcandalum ſemper in his diſtributionibus vitetur. Viſum eſt pæne omnibus, ut in his Collegiis Noſtrorum numerus minuatur: ita ut deinceps nulla debita contrahantur: ſed nos accommodemus S. Concilii Tridentini decreto, & noſtro. Et huic ſententiæ conſenſit Congregatio die XVI. Iunii MDLXXV. verum ne in Actis inſereretur, ſed in Archivio reponeretur.

FORMVLA ELIGENDI
PRÆPOSITVM GENERALEM,
ſeu
CANONES

Decr. 6. & 57. III. Congr. *Ex actis III. Congregationis generalis ante electionem deſumpti, quibus includuntur ea quæ in prioribus Congregationibus ante electionem obſervanda videbantur; recogniti & confirmati poſt electiones, ut vim habeant in futurum.*

CVm generalis Congregatio indicta fuerit à P. Vicario pro electione novi Præpoſiti Generalis, & ſpatium temporis convocandi ad

ad hoc Societatem juxta Conſtitutiones fuerit elapſum; inchoari poterit Congregatio, ſi jam duæ tertiæ partes Electorum à ſuis provinciis advenerint. Et quidem ſi ex ſingulis provinciis vocati fuerint Procuratores ad tractanda negotia poſt electionem Generalis, non admittentur in Congregationem ante electionem, neque ad acta quæ in illa fiunt. Ordo autem ſedendi in Congregatione, & dicendi ſententias, hujusmodi erit, ut ad dextram P. Vicarii ſedeant Patres, qui ſuperſtites fuerint ex decem primis, deinde ſimul Aſſiſtentes & Provinciales, ordine antiquitatis in ſua profeſſione inter ipſos ſervato: poſtea vero eodem ordine ad ſiniſtram reliqui profeſſi Electores, de quorum legitima vocatione, & jure ſuffragii ad electionem Generalis, P. Vicario & Aſſiſtentibus, ex actis ſingularum Congregationum provincialium, vel ex alio ſufficienti teſtimonio conſtiterit. Si quid vero dubii in aliquibus particularibus invenerint, id totum ad generalem Congregationem quamprimum referent, non admiſſis iis de quibus legitime dubitatur, donec ipſa Congregatio de illis conſtituerit.

2. Decernatur primum à Congregatione, eos, qui adſunt, Congregationem generalem legitimam & plenam conficere. quod ſi P. Vicarius & Aſſiſtentes de aliquorum Electorum legitima electione aut vocatione dubitaverint, id referant, ut paulo antè dictum eſt, ad Congregationem, ut de illis, antequam ad illam admittantur, ſigillatim ipſa ſtatuat quid agendum ſit.

3. Proponatur Congregationi, an ſuppleri debeant omnes defectus, ſi qui forte acciderint, tam in Congregationibus provincialibus, quam aliis quicumque.

4. Secretarium per ſcrutinium ſecretum eliget Congregatio, non ſolum qui Generalis electioni, ſed qui Congregationibus & actis, ſi quæ fient ante electionem, ſubſerviat; cujus officium finis electionis terminabit.

5. Si Romæ habeatur Congregatio, proponatur, quinam cum P. Vicario adire debeant Summum Pontificem, ad petendam ab ipſo benedictionem, & ad electionem Præpoſiti, & ad alia quæ in Congregatione juxta noſtras Conſtitutiones tractanda erunt.

6. Eligatur unus ex Electoribus per ſcrutinium ſecretum, qui ſecundam habiturus ſit orationem, juxta VI. cap. VIII. P. Eligatur etiam

alius extra numerum Electorum, qui curam habeat includendi Electores, cum aliis quatuor, ſive ex Procuratoribus, qui vocati ſunt ex diverſis provinciis, ſi qui tales venerint, ſive ex aliis Patribus de Societate.

7. Deinde Congregatio per ſecreta ſcrutinia eligat, & deputet quinque Patres ex variis nationibus de numero congregatorum, qui cum P. Vicario & Aſſiſtentibus videant, an aliquid ſit in quo inſigne detrimentum paſſa ſit Societas, vel paſſura eſſe timeatur, quod ſingulari providentia atque induſtria, vel reſarciendum vel curandum ſit. de quo, ſi quid fuerit, conficient interrogationem commode, qua interrogatione inquirere Electores poſſint ac debeant, & intelligere, quis eſſe aptiſſimus videatur ad officium Generalis Præpoſiti ad majorem Dei gloriam adminiſtrandum. Porro de quibus agent Deputati, ea ad plura ſuffragia tranſigent, nec duo ſuffragia habebit Vicarius Generalis, ſed ſolum ſuffragii prærogativam.

8. Ad hos autem Deputatos, ſinguli Electores & Procuratores ferent, quæ habent à ſuis Congregationibus provincialibus, vel quæ ipſi notarunt ad hoc negotium pertinentia. Si vero alii ex Noſtris, extra numerum Electorum & Procuratorum, aliquid hujuſmodi Deputatis proponerent, non erunt rejiciendi; tamen non ſunt provocandi ut hoc faciant. verum eorum informatio non niſi ſcripta ab ipſis recipiatur. Interrogatorium autem à Deputatis confectum non oportebit ut publice in Congregatione legatur; ſed ſatis erit ſi ſingulis Electoribus ante inceptum quatriduum communicetur, neceſſe tamen erit, ut Deputati ab Electoribus interrogati circa intelligentiam vel explicationem interrogatorii, eos informent de ſtatu Societatis in hujuſmodi rebus, & de iis quæ ipſa paſſa eſt, vel paſſura timeatur, quatenus ad bonam electionem futuri Generalis utile erit.

9. Si quædam majoris momenti ad electionem ſpectantia Congregationi proponantur, uno die hæc proponi debent, rationibus utrimque adductis, (& ſi in his major informatio deſideraretur, ea à Vicario vel ab aliis Electoribus petenda eſt) & ſequenti die dicantur ſententiæ. Hæc vero & omnia quæ ante electionem tractanda erunt, ad plura ſuffragia decernantur. Si qua autem leviora proponerentur, pro arbitrio P. Vicarii, non contradicente Congregatione, aut eodem aut alio die tractentur. Nihil tamen Congregationi generali ante electionem erit proponendum, quod non ad ipſam electionem pertineat. & quæ proponenda videntur, prius

à P.

à P. Vicario cum Aſſiſtentibus ad plura ſuffragia determinentur. ſi quis vero poſtea non fuerit contentus, licebit illi proponere Congregationi.

10. In actis ante electionem Vicarius habebit ſolum qualitatem præcedendi, ceteris paribus tam ſuffragiis quam qualitatibus: nulla tamen ſufficiet qualitas ſuffragiorum ad electionem Præpoſiti; ſed numero medietatem omnium ſuffragiorum excedi oportebit.

11. Proponatur ante quatriduum, an exſpectandi ſint abſentes ad electionem Præpoſiti faciendam: & ſi decernatur non eſſe expectandos, nihilominus ſuus illis locus ſervandus erit in Congregatione, ſi venerint.

12. Primo die quatridui mane eligatur Aſſiſtens per ſcrutinia ſecreta. poſt cujus electionem P. Vicarius ſuam habebit orationem juxta Conſtitutiones.

13. Quatriduo ante electionem Profeſſi non egrediantur domo ſine licentia P. Vicarii (cui liberum erit egredi, ſi quando opus eſſe judicaret) ut orationibus, Miſſis quotidie dicendis, jejuniis, & aliis corporis afflictionibus, & informationibus etiam vacent. De partitione autem jejuniorum, diſciplinarum & orationum, quæ fieri debebunt in eo loco ubi Congregatio habebitur, P. Vicarius illam pro ſuo arbitrio faciet.

De ratione informationis ad electionem Præpoſiti Generalis.

14. Videndum eſt, qui debeant informationem petere, à quibus ea peti, de quibus perſonis, de quibus rebus, quomodo peti debeat, poſtremo quomodo petenti reſpondendum ſit.

1. *Qui debeant petere.*

Omnes Electores, nemine excepto, informationem petent.

2. *A quibus peti debeat.*

Ab iis ſolis qui ad Congregationem vocati ſunt, ſive ſint Electores, ſive Procuratores, & in quatriduo dumtaxat. Ita tamen, ut Procuratores, à quibus peteretur, teneantur eamdem legem ſubire ratione informationis, quam Electores. de qua lege, & informandi modo Procuratores ipſi per Secretarium prius informari debeant.

3. *De quibus perſonis peti debeat.*

De quibus venit in mentem unicuique, quod poſſent eſſe idonei ad munus Præpoſiti Generalis, ſive abſentes, ſive præſentes ſint, inter profeſſos tamen quatuor votorum.

4. *De quibus rebus peti debeat.*

In genere loquendo, his de rebus, ex quibus judicari poteſt, quod aliquis ſit idoneus ad munus Præpoſiti obeundum, vel contra. Itaque defectus, qui bonæ gubernationi adverſari poſſunt, & peti & dici debent, omiſſis illis quæ ad bonam Præpoſiti electionem non faciunt. & hæc omnia juxta Conſtitutiones, & præcipue II. cap. IX. P. & juxta Interrogatorium, quod à Deputatis conficietur, ut dictum eſt. Sed & habenda eſt ratio eorum, quæ in II. & III. cap. Exam. & etiam II. & III. cap. primæ partis Conſtit. dicuntur. ex iis enim quisque ſibi interrogatorium ad informationem conficere poteſt. nemo tamen arctandus videtur, quin interrogare poſſit alia, quæ interroganda præterea judicaverit. Peti etiam debebit ab eo, qui reddit informationem, an quid aliud habeat dicendum de perſona de qua interrogatur; & an de alia ſentiat capiendam informationem; & an ab alio quopiam aliqua in re clariorem ac certiorem informationem habere poſſit inter eos, à quibus peti debet informatio.

5. *Quomodo peti debeat informatio.*

Non petat, an hic vel ille aptus videatur ad hoc munus, nec ne; ſed de rebus illis, ex quibus judicari poſſit, an ſit idoneus nec ne. Ejus intentio ſit pura ab affectibus humanis, etiam naturalibus, nedum vitioſis; & tantum gloriam Dei, & meliorem Societatis gubernationem, quæ ad commune bonum animarum ordinatur, præ oculis habeat, & non propriam utilitatem, quæ illi non conſonat.

Nec ſolum ab omni ambitione pro ſe & aliis ſit liber; ſed diligenter obſervare debet, ne voluntatis propenſionem ad hunc vel illum excludendum vel admittendum habeat, quoad ejus fieri poteſt; donec poſt orationem & informationem ſuo tempore & loco ſtatuat, quam ſententiam ſit dicturus; nec eam præſeferat.

Cum informationem aliquam de aliquo accipit, ſervet alteram aurem aliis, & cor Deo, memor quod cum juramento eſt electurus, quem aptiſſimum duxerit. Si quid tamen intellexerit quod ſecretum teneri debeat, cum aliis, præterquam cum Electoribus, in informatione ſilentium teneat, memor caritatis, & in virtute ſanctæ obedientiæ in re tantum gravi, non in qualibet.

Non

Non exiſtimet quiſquam Electorum, ſe minus gratum futurum ei, cui non dederit ſuum ſuffragium, & de quo libere ſecundum conſcientiam informaverit: quin potius eidem, & univerſæ Societati, & Deo rem gratiſſimam ſe facturum ſciat.

Poſt informationem, conſideratio & diſcuſſio neceſſaria eſt, & multo magis oratio, quæ illuſtrationem impetret à Deo ſapientiæ fonte, ad bene judicandum, & eligendum eum qui Deo maxime ſit placiturus. Et in hac divina gratia potius, quam in humana diligentia ſpem conſtituat. meminerit tamen, non ſolum voluntatem, ſed judicium cohibendum eſſe ab ultima definitione, juxta VI. cap. VIII. P. donec in locum incluſionis ingrediatur.

6. *Quomodo reſpondere debeat is à quo petitur informatio.*

Nemo obtrudat informationem non petenti, & qui obtruſerit deferatur. caveat & ipſe affectus humanos, non ſolum ambitionis, ſed & cujusvis propenſionis, quæ non ducatur ex intentione honoris Dei, communis boni, & bonæ gubernationis Societatis. & ut dictum eſt de petente, ſic de dante informationem intelligatur. nec ad promotionem, nec excluſionem ullius incumbat, nec propenſam ad id voluntatem oſtendat: ſed ut de re ſpeculativa, vel omnino ad ſe non pertinente, quod ſentit præciſe conetur explicare.

Non ſolum mendacia, ſed amplificationes & exaggerationes relinquantur. nihil temere, ſed conſiderate & mature, certa pro certis, opinata pro opinatis referat. & qui aliquem defectum ab aliquo ex informatoribus audivit, non referat aliis, etiam interrogatus; ſed ad eum, à quo audivit, interrogantem remittet, ut qui coram Deo agit, & ei rationem eſt redditurus eorum, quæ in ſua informatione dixerit.

15. Super illud VI. cap. VIII. P. quod ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ quisque teneatur manifeſtare, ſi quem ſciret affectaſſe hoc munus; ſtatuit addendam eſſe cenſuram hanc in eos, qui ambiunt pro aliis; & quod hæc cenſura ſe extendat ad informationem non ſinceram; eam ſcilicet, quæ ſtudioſe mendax eſt, mala cum intentione, & in re gravi. Demum ipſo facto ambitioſos pro ſe vel pro aliis, in excommunicationem incidere decernitur; à qua non poſſint abſolvi ante electionem niſi à P. Vicario, poſt electionem vero à R. P. Generali.

16. Si

16. Si Vicarius ipſe notaretur de ambitu, deferendus eſſet ad duos antiquiſſimos profeſſos, vel ad Provincialem antiquiſſimum, pro deferentis arbitrio.

17. Pridie electionis veſperi in loco electionis deputato parentur altare cum Crucifixo, ſuggeſtus, & menſa, ubi erit Vicarius, & Aſſiſtens cum Secretario, & urna, in quam conjicienda ſunt ſuffragia. Parentur item ſchedulæ, quotquot erunt neceſſariæ, in quibus ex una parte ſcriptum ſit juramentum, ut eſt in Conſtitutionibus, incipiendo hoc pacto: *Ego N. teſtem invoco* IESVM CHRISTVM,*qui eſt ſapientia æterna,quod eum eligo,& nomino in Præpoſitum Generalem Societatis* IESV ,*quem ſentio ad hoc onus ferendum aptisſimum.* Ex alia vero parte ponantur hæc verba: *Eligo in Præpoſitum Generalem Societatis* IESV N. ita ut nihil deſit Electori ſcribendum, niſi nomen electi, & eligentis; & hoc manu propria, ſed immutato, quantum fieri poterit, charactere, ne agnoſci poſſit à tribus illis, qui ſuffragia viſuri & lecturi ſunt. nomen tamen eligentis maneat obſignatum juxta Concilium Tridentinum, in quo præcipitur, Generales eligi debere per vota ſecreta, ita ut ſingulorum eligentium nomina numquam publicentur. Poſt promulgatum autem Decretum electionis, ſtatim comburantur ſuffragia in ipſo Congregationis loco.

18. Miſſa de Spiritu ſáncto ipſo die electionis celebrabitur juxta Conſtitutiones VI. cap. VIII. partis, ab ipſo Vicario, vel ab eo quem elegerit; & quidem coram omnibus, & in aurora: & poſt ejus communionem ſtatim Electores communicabunt. Miſſa autem in Eccleſia celebranda erit. & eumdem ordinem in eundo ad eam,& communicando, & redeundo, de quo ſupra dictum eſt, ſervabunt. Incedant autem bini, & ad campanæ domeſticæ pulſum (quæ poſt communionem omnium, usque ad incluſionem in loco Congregationis ſonabit) hi qui ſuffragia habent, ad locum Congregationis ſe conferent cruce præcedente, aliis de Societate interim canentibus, *Veni Creator Spiritus.* Quem hymnum ſubmiſſa voce omnes Electores in ipſo loco Congregationis dicent: & poſt incluſionem Electorum iidem de Societate in Eccleſia, vel alibi dicent Litanias, & continuam orationem, quæ usque ad electionem durabit, habebunt.

19. Incluſis Electoribus per Deputatos jam antea ad hoc electos, primum habeatur concio à deputato à Congregatione, qua in genere exhortetur ad electionem ejus Præpoſiti, qui ad majus ejus obſequium conveniat, nullo da-

to

to ſigno, quo particularis aliqua perſona ſignificetur. deinde quisque ſeorſum oret Deum per horam, & cum nullo alio loquendo, in Creatoris ſui ac Domini conſpectu, ex iis quæ prius intellexerit, apud ſe ſtatuat quem ſit electurus.

20. Statim poſt orationem tentandum erit ſcrutinium, niſi prius communis inſpiratio in eligendo quempiam præveniſſet ordinem. quæ quidem inſpiratio acceptari deberet, modo adeo luculenta & notoria eſſet, ne uno dempto, ut nulla tergiverſatione negari poſſet divinam eſſe inſpirationem.

21. Juxta Conſt. VIII. cap. VI. *ex his quæ prius quisque intellexerit, apud ſe ſtatuat quem ſit electurus, & in charta ſcribet nomen perſonæ quam eligit:* locum illum declarando, ſtatuitur, novas informationes, quæ nullæ debent ſumi in loco incluſionis, excludi debere: & ex præcedentibus, cum gratia tam illuſtrationis divinæ, quam diſcurſus, accepta à Deo, & prius, & eodem loco, electionem eſſe faciendam Præpoſiti Generalis; quem inter abſentes & præſentes, profeſſos tamen quatuor votorum, eligi oportet.

22. Pater Vicarius, Secretarius, & Aſſiſtens antequam ſcribantur ſuffragia, jurabunt coram Deo, ut quadrat ſingulis juxta Conſtit. VI. cap. VIII. P. ſe ſincere accepturos & publicaturos ſuffragia: & tam proteſtationis hujusmodi quam abſolutionis formula hæc eſt, videlicet: *Teſtem invoco Deum, cujus oculis omnia nuda ſunt, me fideliter accepturum, & publicaturum ſuffragia; & quæ ad officium meum pertinent, ſincera cum intentione me præſtiturum. Proteſtor etiam in divinæ majeſtatis conſpectu, & univerſæ Societatis quam hic repræſentamus, me neminem admittere velle, qui non ſit admittendus, nec excludere qui non ſit excludendus.* Deinde ſubjunget P. Vicarius:

Et auctoritate Dei omnipotentis mihi licet indigniſſimo per Sedem Apoſtolicam conceſſa, abſolvo vos à quavis ſententia excommunicationis, ſuſpenſionis & interdicti, & à quibusvis aliis ſententiis, cenſuris, & pœnis, & quantum ſit opus diſpenſo vobiscum ſuper irregularitate quavis (dummodo ſententias, cenſuras, & pœnas, ac irregularitatem hujusmodi, ob defectus ad electionem hanc pertinentes non incurreritis) ad effectum legitimæ electionis, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti. Amen.

Abſolutio autem, quam antiquiſſimus profeſſus dat Vicario, ejusdem tenoris erit cum ea, qua ipſe alios abſolvit.

Poſt prædictam proteſtationem & abſolutionem, Secretarius dicat Vicario: *Pater, da tuum ſuffragium in nomine* IESV. Mox Vicarius ſurgens flectet genua coram Crucifixo, & ſignans ſe cruce, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, legat juramentum à tergo ſchedulæ ſcriptum hujus tenoris, ut dictum eſt: *Ego N. teſtem invoco Jeſum Chriſtum, qui eſt Sapientia æterna, quod eum eligo & nomino in Præpoſitum Generalem Societatis* IESV, *quem ſentio ad hoc onus ferendum aptiſſimum.* Deinde ſurgens, & duobus digitis clauſum ſuffragium ſuum oſtendens, in urnam mittat; & ſe rurſum inclinans coram Crucifixo, redibit ad locum ſuum & mox dicet duobus Sociis ſuis & ceteris, *Omnes ordine ferant ſua ſuffragia in nomine* IESV. Deinde ſurgens Secretarius & Aſſiſtens, & poſtea reliqui ſuo ordine, ſigillatim juramentum facient, & ſua ſuffragia ferent ad exemplum P. Vicarii. Quod autem jurent omnes, ſe eligere eum, quem ſenſerint in Domino aptiſſimum ad hoc onus ferendum, &c. declaratum eſt, quod ſi quis duos aut plures pares omnino judicaret ſuo judicio, integrum ſit ei dare cui voluerit ſuffragium.

Deinde Secretarius ex urna, cum prius mixta fuerit, ſuffragia ſigillatim extrahat: & cum reverentia & modeſtia extracta ſingula oſtendet P. Vicario: ille autem viſa, & utrique Socio oſtenſa leget publice, vel Secretario legenda reddet. & in hac promulgatione electus tantum nominetur, obſignato manente nomine eligentis, ut dictum eſt.

Poſt ſingulorum ſuffragiorum publicationem, conferetur numerus, ſi plures nominati fuerint, & qui plusquam mediam partem omnium ſuffragiorum habuerit, Generalis Præpoſitus erit: & Vicarius, ſi ipſe electus non fuerit, ſignificet publice plura eſſe medietate ſuffragia ejus qui eligitur. & poſtmodum formet Decretum in hanc formam: *Cum in plena & legitima Congregatione, collato numero omnium ſuffragiorum, plusquam media pars omnium R. P. N. nominaverit, & elegerit: Ego N. auctoritate Sedis Apoſtolicæ & univerſæ Societatis, eligo prædictum R. P. N. in Præpoſitum Generalem Societatis* IESV, *in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti. Amen. Romæ*, & alibi, *&c.*

28. Si Vicarius ipſe electus eſſet, ejus loco ſignificabit, & formabit Decretum antiquiſſimus ex profeſſis Electoribus; ſcribeturque à Secretario Decretum, & ſubſcribetur ab eo qui format illud, & ſigillo Societatis obſignabit. & ſtatim omnes ad reverentiam ei exhibendam accedant, incipiente Vicario, cum Secretario & Aſſiſtente, ordine prius dicto, niſi aliquis ex ipſis electus eſſet. Poſtremo omnes ad eccleſiam ſe conferent, canentibus aliis de Societate, *Benedictus Dominus Deus Iſrael*, &c. inter eundem, & in ipſa eccleſia, *Te DEUM laudamus*, &c. & unus Sacerdos dicet tres orationes, primam de Trinitate, ſecundam in gratiarum actionem, tertiam de die vel de B. Virgine: & usque ad egreſſum de eccleſia Præpoſitus non admittat oſcula manuum ab aliis, quam ab Electoribus.

Si in primo ſcrutinio nullus habuerit amplius quam medietatem ſuffragiorum, ante Compromiſſariorum electionem, de qua agitur VI. cap. VIII. P. tentandum erit ſecundum ſcrutinium, inter omnes qui habuerunt ſuffragium aliquod ad officium Præpoſiti. & ſi nec tunc quidem crearetur Præpoſitus, eodem modo tertium ſcrutinium tentandum erit. ſi nec tunc quidem egrederetur Præpoſitus, quinque Electores ad plura ſuffragia eligendi erunt, & ad quem major pars eorum inclinabit, ille Præpoſitus erit. Reliqua autem, ut ſupra, facienda erunt.

Ad hos quinque Electores eligendos danda eſt una hora, & ſervanda eſt formula ſcribendi, jurandi, & publicandi Electores ſimilis illi, quæ ad Generalem eligendum data eſt. Si acciderit duos uni, & totidem alteri ſuum dare ſuffragium, tunc decidetur à Congregatione, quid erit agendum.

Hi autem Compromiſſarii eligent Præpoſitum Generalem inter eos qui aliqua ſuffragia habuerint, ſepoſitis illis qui ad tria non pertigiſſent, niſi hujusmodi plures eſſent quam duo. Si vero duo vel tres eminenter plura ſuffragia habuerint, quam alii, illi nec activam nec paſſivam vocem ad electionem Compromiſſariorum habebunt. Si qua vero difficultas oriatur, tunc à Congregatione ſtatuatur, quid circa illam agendum ſit.

Atque hactenus de Canonibus ante electionem dictum ſit, qui quidem ſoli in futurum vim & robur obtinere debeant.

FORMVLA CONGREGATIONIS
provincialis à tertia generali Congregatione approbata.

Quibus in Caſibus Congregatio provincialis cogi debeat. Cap. I.

QVatuor in caſibus cogenda eſt Congregatio provincialis. Primus eſt, ad eligendos Electores Præpoſiti Generalis, juxta III. cap. VIII. P. Secundus, quando occurreret aliquis ex iis caſibus, qui in II. & III. cap. VIII. P. & V. cap. IX. P. attinguntur. Tertius, quando eligendi ſunt hi, qui cum Provinciali ad Congregationem generalem ſunt mittendi, quæ ab ipſo Præpoſito vivente ad aliqua gravia negotia cogitur, prout V. c. VIII. P. dicitur. vel cum Congregatio Procuratorum ſimul cum Aſſiſtentibus & ipſo Generali cogendam eſſe decernunt, juxta Decretum XXIV. ſecundæ Congregationis generalis. Quartus eſt, ad eligendos Procuratores, qui tertio quoque anno, à fine Congregationis generalis computando, ex ſingulis Provinciis ad Præpoſitum Generalem mittendi ſunt, juxta Declarationem II. cap. VIII. P. & prædictum Decr. XXIV. ſecundæ Congregationis.

Quis, ubi & quando debeat Congregationem provincialem convocare. Cap. II.

1. SPectabit ad Præpoſitum Provincialem, vel ipſius loco ad Viceprovincialem, Congregationem hujusmodi indicere, quocumque ex prædictis caſibus cogenda illa ſit.

2. Ejusdem erit locum commodum & idoneum deſignare, quo debeant convenire; & tempus etiam præſcribere, quod opportunum ſit, ut ea abſoluta, qui electi fuerint, ad locum Congregationis generalis celebrandæ deſignatum, vel ad Patrem Generalem tempore præſcripto commode venire poſſint. Non durabit autem Congregatio provincialis ultra decem, vel ad ſummum duodecim dies.

Qui congregari debeant. Cap. III.

1. INtererunt, & ſuffragii jus habebunt in Congregatione provinciali, in quocumque ex quatuor caſibus prædictis cogatur, in primis ipſe

ipſe Præpoſitus Provincialis, & ſi quis Commiſſarius vel Viſitator jam officio ſuo defunctus (nam ſi ejus officium adhuc perdurat, Congregationi adeſſe non debet) in aliqua Provincia eo tempore verſabatur, quo celebranda eſt Congregatio. Præpoſiti præterea Domorum profeſſarum, Rectores Collegiorum Societatis & Domorum probationis, quæ ſeparatæ, & Provinciali immediate ſubjectæ fuerint, vel Vicepræpoſiti Provinciarum, & Domorum, ac Vice-Rectores (ſi accideret in aliqua Provincia, Domo, vel Collegio eo tempore non inveniri Præpoſitum, vel Rectorem, aut legitime impeditum eſſe) vel ii, quos hi miſerint ſuo loco. Rectores etiam qui præſunt Seminariis vel Convictoribus, ubi curam hujusmodi ſuſcepit Societas: ſi tamen IX. de Societate, ut minimum, in hujusmodi Collegiis, & immediate Provinciali ſubditi fuerint.

2. Interſint etiam præter hos, omnes Profeſſi quatuor votorum (exceptis iis, qui poſt cognitam Præpoſiti Generalis mortem, ad eam Provinciam ex alia miſſi fuiſſent, ne in duabus diverſarum Provinciarum Congregationibus ſuffragium habere quisquam poſſit) quotquot non fuerint legitime impediti, vel neceſſario occupati: & hujus legitimi impedimenti, ac neceſſariæ occupationis judex erit Provincialis ipſe cum Conſultoribus & Profeſſis quatuor votorum, qui fuerint in eo loco, ubi ipſe erit, ad plura ſuffragia.

3. Præterea venient Procuratores unius vel plurium Provinciarum; & ubi tales non fuerint, Procuratores maximi omnium in quavis Provincia Collegii: modo ſint Sacerdotes & Coadjutores formati, aut trium votorum Profeſſi, & non ſint legitime impediti, ut de Profeſſis dictum eſt. Porro nec Vicarius Generalis, nec Aſſiſtentes Congregationi Provinciali intereſſe debebunt, aut etiam poterunt.

4. Quæ autem impedimenta excuſare debeant vel Provincialem, vel aliquem electum in Congregatione provinciali, quo minus ad Congregationẽ vel ad Præpoſitum Generalem veniat, ſi Congregatio provincialis non erit diſſoluta, ipſa ſtatuet per vota ſecreta: ſi diſſoluta fuerit, de Electorum impedimentis ſtatuat ipſe Provincialis cum ſuis Conſultoribus & Profeſſis quatuor votorum præſentibus ad plura ſuffragia, an legitima ſit excuſatio. Quod ſi impedimentum Provinciali acciderit, Conſultores ipſius, & Superior loci ubi Provincialis erit, cum profeſſis quatuor voto-

rum præſentibus, ad plura ſuffragia decernent, an hujusmodi impedimentum legitimum cenſendum ſit.

De eligendis in Congregatione Provinciali.
Cap. IV.

1. SI agitur de mittendis ad Congregationem generalem, quinque Profeſſi quatuor votorum eligi debent. In primis duo Electores Præpoſiti futuri, juxta Conſtitutiones cap. III. & V. P. VIII. vel in quocumque caſu comitaturi Provincialem ad Congregationem generalem.

2. Deinde eligendus eſt tertius, ut ex duobus prædictis, & ex eo, conficiatur ille ternarius, ex quo unum Provincialis ſuo loco mittere debet, juxta Declarationem III. cap. VIII. P. ſi impeditus legitime judicabitur. Præterea quartus & quintus addantur, ut ſubrogentur in locum duorum qui electi primo fuerunt, & cum Provinciali ad Congregationem venient, ſi legitime & ipſi impedirentur. Ita ut ſi ſolus Provincialis excuſatus habebitur, tertius veniat: ſi aliquis ex duobus primis comitibus, non autem ipſe Provincialis, ſe excuſabit, tertius nihilominus veniat, ſi uterque ex primo electis excuſandus judicabitur, tertius & quartus eorum loco ſubrogentur. Quintus autem non ſubrogabitur, niſi ultimo loco, quando ex aliis nominatis, propter legitima eorum impedimenta, non poteſt impleri numerus duorum, qui cum Provinciali & Viceprovinciali venturi ſunt ad Congregationem generalem.

3. Si agitur de electione Procuratorum, in primis qui præeſt Provinciæ eligi non poterit, ut tertio quoque anno ad Præpoſitum Generalem veniat, ne Provinciam ſuam deſerere cogatur. Eligi autem debebunt duo Profeſſi quatuor votorum; unus primo loco, & alter ſecundo, qui ſubrogetur in locum prioris, ſi ille propter legitima impedimenta venire non poterit.

4. Ex transmarinis Provinciis veniant Procuratores, profeſſi etiam quatuor votorum, à Provinciali cum Conſultoribus & profeſſis quatuor votorum præſentibus, ad plura ſuffragia electi; ut ſimul cum aliis Romæ de Congregatione generali cogenda deliberaturi, cum ſuffragio interſint. Si tamen prædicti Electores in prædictis locis judicabunt commode non poſſe mitti talem Procuratorem, licebit eis vel Profeſſum trium votorum mittere, vel

Coad-

Coadjutorem ſpiritualem formatum, vel in ſequens triennium differre miſſionem.

De rebus tractandis in Congregatione Provinciali.

Cap. V.

1. POſt electionem perſonarum, agendum eſt de rebus, quæ vel Præpoſito vel Congregationi generali nomine illius Provinciæ proponendæ ſunt. Et ſi agitur de Procuratore mittendo tertio quoque anno, in primis agetur de rationibus, quæ movere poſſunt, ut Congregatio generalis celebrari debeat, vel non celebrari: deinde de negotiis, vel in Congregatione generali, vel cum ipſo P. Præpoſito, aut Congregatione Procuratorum tractandis.

2. Cum mittuntur Procuratores, ea proponantur, quæ ad veram & utilem informationem P. Generalis de ſtatu totius Provinciæ, Domorum, Collegiorum, negotiorum, demum de tota ratione gubernationis in Provincia, & quomodo Superiorum ordinationes obſervatæ ſint, in dicta Congregatione expediet tractare judicio Deputatorum, & ipſius nomine ei referri. Quidquid autem Congregationis nomine proponetur, aut petetur, ſubſcriptum ſit à Secretario, & obſignatum. Quæ vero vel ab ipſo Provinciali, vel ab aliis verbo vel ſcripto ei dicentur, ut P. Generali referat, nomine ipſorum, non Congregationis referre debebit.

3. Cum rationes proponentur ad ſuadendam vel diſſuadendam Congregationem generalem, nihil in alterutram partem ſtatuatur: hoc enim Procuratorum eſt, cum fuerint apud Generalem cum Aſſiſtentibus congregati: qui proponent eas, prout eis dictæ fuerint, Congregationis provincialis, vel aliorum nomine.

4. Intelligat Congregatio provincialis, non ſibi licere quidquam conſtituere, præter ea quæ in hoc officio expreſſa erunt. unde neque infirmare, vel immutare ea, quæ à Superioribus jam ordinata fuerunt, poterit.

De modo procedendi circa Congregationes Provinciales.

Cap. VI.

1. SVperiores antequam diſcedant ad Congregationem provincialem, informatione accepta ab iis, quos ex ſuis domeſticis bene ſentire de rebus tractandis judicabunt, (non prohibendo alios, quin poſſint privato no-

nomine vel Conſultoribus offerre, vel ad Congregationem Provincialem mittere, quæ volent) conferant cum ſuis Conſultoribus, quæ ad Congregationem Provincialem ſunt deferenda.

2. Elapſo die ad conveniendum præfixo, ſequenti die congregentur omnes, qui adfuerint ex iis qui habent jus ſuffragii. & habito in primis à Præpoſito Provinciali, vel ab alio per ipſum deſignato, ſermone brevi, in quo proponantur in genere quæ agenda ſunt, omnes hortetur, ut ſincere in omnibus ſe gerant. Deinde, an legitima Congregatio ſit cenſenda, ad plura ſuffragia decernant. Tertio vero loco eligatur Secretarius etiam ad plura ſuffragia, qui omnia, quæ fuerint acta in Congregatione, mandet ſcriptis, & iis, quæ vel ad Præpoſitum vel ad Congregationem generalem, nomine Congregationis mittenda ſunt, ſubſcribet, & ſignabit ſigillo Provincialis. Ei autem adjungatur unus ex Patribus eodem modo electus, qui ad colligenda ſuffragia, & reliqua ſcribenda ipſum adjuvet.

3. Eodem modo eligantur duo ex primariis Patribus, qui una cum Præpoſito Provinciali ſeligant, quæ ſint Congregationi provinciali proponenda, quæ rejicienda, judicio ſaltem duorum ex ipſis: atque illa tantum ibi tractanda curent, quæ majoris momenti videbuntur, & quæ poſſint tempore Congregationi præfixo abſolvi. Licet tamen unicuique, quæ à Deputatis rejecta fuerint, vel in Congregatione proponere, dummodo de perſonis non agatur, vel ad generalem Congregationem ſeu Præpoſitum transmittere, ſi judicio Deputatorum non acquieverit. Ad hos autem deferant omnes, qui ad Congregationem venerint, intra diem unum aut alterum ſequentem poſt electionem mittendorum, omnia quæ Congregationi proponenda attulerunt. aſſigneturque dies in quo facienda ſit electio eorum, qui ad generalem Congregationem vel ad Præpoſitum ſunt ituri: qui dies tertius, vel ad ſummum quartus ſit à die, quo fuit aperta Congregatio provincialis: habita prius informatione de qualitatibus mittendorum, juxta Decretum XXIV. ſecundæ Congregationis, & juxta Declarationem II. cap. VIII. P. ſi agitur de Procuratoribus; ſi autem de Congregatione generali, juxta II. & III. cap. VIII. P.

4. In ſedendo & dicendo hic ordo ſervabitur, ut ad dexteram Provincialis ſedeant Profeſſi omnes quatuor votorum, juxta ſuæ profeſſio-

nis

nis antiquitatem, ſive ſint Superiores, ſive non: ad ſiniſtram vero Rectores, juxta antiquitatem ſuæ profeſſionis trium votorum, vel admiſſionis in Coadjutores formatos; ſi vero tales non fuerint, juxta antiquitatem ſui ingreſſus in Societatem. poſtea Procuratores ſimili ordine antiquitatis.

5. Electiones perſonarum ad Præpoſitum Generalem, vel Congregationem generalem mittendarum, ad plura medietate ſuffragia, eaque ſecreta fiant: ſic tamen, ut ſi in primis duobus ſcrutiniis nullus electus fuerit, in aliis conſequentibus ſcrutiniis ſuffragia dentur tantum inter eos, qui aliqua ſuffragia antea habuerint.

6. Rerum vero tractandarum determinationes ad plura vota ſimpliciter definiantur, ut citius expediantur; nec ulla interceſſio permittatur. Præpoſitus autem Provincialis, vel ejus loco Viceprovincialis duo ſemper ſuffragia habebit in Congregatione. Quæ porro fient in Congregatione Provinciali, legantur die ſequenti à Secretario, ut omnes videant, an recte facta ſint.

7. In principio Congregationis provincialis affigatur muro catalogus omnium Profeſſorum quatuor votorum, qui in Provincia verſantur, tam abſentium quam præſentium, ut omnes ſciant è quibus poſſint eligere eos, qui Romam ſunt mittendi.

8. Cum autem capietur de perſonis eligendis informatio, illud præcipuè animadvertendum eſt, ut nullus per ſe, vel per alium pro ſe, vel pro alio, ne indirecte quidem ſuadeat, ut ſe vel alium eligant, aut non eligant: ſed fiant potius electiones omnes ſincere & candide, ex iis quæ Spiritus ſanctus dignabitur ſuggerere, & quæ ex informationibus didicerint. Nemo itaque alteri obtrudet informationem non petenti: caveanturque diligenter non ſolum mendacia, ſed etiam exaggerationes in laudandis vel vituperandis eis, de quorum agitur qualitatibus.

9. Si quis autem (quod avertat Deus) ambitioſe agere deprehenſus fuerit ad ſui vel alterius electionem vel excluſionem, ſi id probabitur ſufficienter, activa vel paſſiva, vel utraque voce privetur, juxta delicti gravitatem, & probationis certitudinem: & quidem ſi ambitio publica eſſet, punitio quoque publica eſſe debebit. Judicabunt autem hanc Provincialis, & tres ex antiquioribus Profeſſis, vel ſi ipſe Provincialis reus eſſet,

quatuor antiquiores Profeſſi, ex iis qui Congregationi provinciali interſunt. & ſaltem tres ex illis convenire debent in eamdem ſententiam.

De iis quæ Procuratores Romæ agere debent.
Cap. VII.

POſtquam ad Generalem venerint Procuratores, agent tum de informatione Præpoſito Generali danda, juxta illa quæ ex ſuis Provinciis attulerunt; tum de Congregatione Generali, an ſcilicet convocari debeat, nec ne, accepta informatione ab iis tantum, qui jus habent ſuffragii juxta Decretum XXIV. ſecundæ Congregationis: & præſertim quomodo ſerventur Conſtitutiones, & Decreta Congregationum, & regulæ: an diſciplina religioſa relaxetur, an in ſpiritu & virtutibus proficiat Societas, an potius deficiat: quomodo unio animorum ſe habeat in Societate, & an aliquod grave periculum illius labefactandæ metuatur, &c.

2. Deinde præmiſſa oratione & conſideratione, apud ſe & coram DEO ſtatuent, quam ſint dicturi ſententiam, & omnes ſimul in nomine Domini congregati, ad plura mediętate ſuffragia, die ad hoc ſtatuto definient, an cogenda ſit, & quando, Congregatio generalis.

3. Si inter ordinationes, vel reſponſa aliis Provinciis data, quæ videre debebunt, aliqua fuerint, quæ ad uſum ſuarum Provinciarum ſecum ferenda exiſtimabunt, id facere poterunt judicio P. Generalis, vel eorum quibus ipſe commiſerit.

4. Si ad Seminaria noſtrorum Scholaſticorum vel Novitiorum in aliqua Provincia perficienda, vel ad transmarinarum, vel Septemtrionalium, aut aliarum Provinciarum neceſſitates graves operariis pluribus opus eſſet, quam quos mittere P. Generalis ex Vrbe poſſit; curent qui earum Provinciarum Procuratores fuerint, P. Generali ſuggerere, ut diſpiciat, an alicujus Provinciæ abundantia alterius inopiam ſupplere poſſit, & id congregatis Procuratoribus omnibus facilius tractari poterit.

OFFI-

OFFICIVM VICARII GENERALIS à tertia generali Congregatione approbatum.

1. VIcarius Generalis propter mortem Generalis Præpoſiti conſtituendus, vel nominabitur ab ipſo Præpoſito ante mortem, ut habetur cap. IV. Conſt. & Decl. VIII. vel ſi ille non nominaſſet, eligetur à Profeſſis quatuor votorum: qui ſi in eo loco, ubi mortuus eſt, non ſint ſaltem ſex, (tot enim ad minimum judicatum eſt eſſe oportere) tunc cura adhibenda erit, ut ex viciniorībus locis, utcumque illa diſtent, is numerus convocetur. Quod ſi in diſtantia æquali plures fuerint quam ſex, omnes erunt ad electionem vocandi. Fiet autem electio ad plura medietate ſuffragia: & juxta Conſtitutiones communiter eligatur ex iis, qui adeſſe Præpoſito & ipſum juvare ſoliti ſunt; vel certe ex iis qui proxime degunt, & ſunt in rebus Societatis verſati; præmiſſa per biduum oratione & informatione, juxta rationem informationis, quæ in electione Generalis ſervari ſolet. Illud tamen biduum computandum eſt à ſepultura P. Generalis. interim tamen gubernatio Societatis erit in ordinariis Superioribus. Electioni vero Romæ quidem præerit Provincialis Romanus, ſi aderit: ſin minus, Miniſter Domus, ſi fuerit quatuor votorum profeſſus. alibi vero, qui præeſt toti Provinciæ, vel ipſo impedito, antiquiſſimus ex profesſis quatuor votorum.

2. Vicarii officium durat usque ad electionem Præpoſiti Generalis, & duplex quidem eſt.

3. Alterum eſt, Societatem ad electionem Præpoſiti faciendam, præſcripto tempore & loco quo convenire oporteat, convocare, ut habetur Conſt. P. VIII. cap. IV.

4. Alterum eſt, Generalis vices gerere in gubernatione Societatis, donec novus Præpoſitus electus fuerit, ut habetur Decl. P. VIII. cap. IV. Vicarius itaque ſimul atque creatus fuerit, dabit operam, ut Miſſæ & orationes in univerſa Societate pro anima Præpoſiti mortui fiant. deinde ad convocandam Societatem ad novi Præpoſiti electionem primo quoque tempore diligentisſime incumbet. Præpoſitos Provinciales certiores faciat, locum Congregationis, & tempus quinque aut ſex menſium juxta Congre-

gationes præſcribat. prorogari tamen poterit cum neceſſitas poſtulaverit, vel initio, vel antequam Patres convenerint, arbitrio ipſius Vicarii, & Aſſiſtentium ad plura ſuffragia. quando vero aliqui Patres convenerint, non poterit ſine illorum ſuffragiis prorogatio fieri; juxta Decret. xxx. tit. 11. primæ Congregationis, Miſſas & orationes pro felici electione Præpoſiti indicat; Congregationes provinciales ut rite fiant admoneat; & ſi poſt electionem Præpoſiti alia negotia graviora tractanda in Congregatione ſint, ad quæ diſcutienda vel definienda aliorum opera, præterquam duorum electorum à Congregatione Provinciali, neceſſaria videatur; Provinciales admoneat qui adducendi erunt, ut eos adducant, juxta Conſtitutiones.

5. Antequam congregata ſit Societas, poteſtatem habebit P. Vicarius, qua poſſit ſolus jubere, quæ ad convocationem attinent juxta Conſtitutiones, ſolus tamen non poteſt prorogare tempus Congregationis, ut decretum eſt in Actis poſterioribus primæ Congregationis tit. 11. Decr. xxx. Poſtquam autem ſunt Patres congregati, vel omnes, vel eorum major pars, poſt tempus definitum, non poterit ſolus ea, quæ ad electionem pertinent, definire: ſed ſi quid emerget dubii vel difficultatis, id erit per congregatos ſimul cum eo determinandum: executio vero Vicarii erit.

6. Vbi autem dies conſtitutus & terminus præfixus venerit ad quem venturi ſunt Patres, eos qui jam convenerunt convocabit, modo excedant duas tertias partes: eiſque rationem eorum, quæ facta ſunt poſt mortem Generalis, ad Congregationem pertinentia, reddet; & reliqua omnia, quæ ad rite electionem faciendam pertinere videbuntur Congregationi, curabit: quæ petenda ſunt tum ex Conſtitutionibus, tum ex decretis ante electionem.

7. Alterum officium Vicarii eſt, Societatem univerſam gubernare. Verum ita eſt illam gubernaturus, quaſi Vicarius Præpoſiti demortui, non quaſi Præpoſitus. Quare illam ita gubernabit, ut ſibi tradita eſt. Nullam igitur immutabit gubernationis rationem; nihil propriæ inventionis, nullam novam regulam, nullum ritum, nullam conſuetudinem aut inducet, aut introductam mutabit, (quod utique vel Provincialibus Præpoſitis, vel Congregationibus minus licebit facere) ſed ad ſpiritum & ſenſum Generalis demortui ſe componet; illiusque compertam voluntatem ſeque-

quetur, incertam conjectabit. Itaque quoad poterit, debebit ſuo miniſterio quaſi vivum & præſentem Generalem, illiusque gubernationem repræſentare.

8. Quocirca eisdem Aſſiſtentibus, Admonitore, Secretario, Procuratore, quibus utebatur Præpoſitus Generalis, utetur Vicarius ad gubernandam Societatem; eisdem Præpoſitis, Rectoribus, Præfectis Probationum, & aliis officialibus primariis, qui creantur à Generali: quos mutare ei non licet, vel novos creare, niſi forte aliqui eorum morerentur, & alii in illorum locum usque ad electionem Præpoſiti Generalis ſubſtituendi eſſent; vel aliquæ graviſſimæ cauſſæ intercederent, propter quas aliquis illorum ab officii executione tollendus vel ſuſpendendus videretur, jure ſuffragii nihilominus ei relicto: & hoc quidem non ſine conſilio Aſſiſtentium. de quorum etiam conſilio & ſuffragiis eliget Admonitorem, ſi forte ipſe fuerat Admonitor Præpoſiti Generalis demortui, & in Vicarium electus eſt.

9. Eadem de cauſſa res omnes graves, & majoris momenti, quæ differri usque ad electionem novi Præpoſiti poterunt, quando illa brevi futura eſt, quoad ejus fieri poterit, differet, & ad novum Præpoſitum Generalem remittet.

10. Quocirca nullam Domum, nullum Collegium, nullam Vniverſitatem, vel Domum probationis inſtituet. quæ ſi offerantur, ita negotium fundationis tractabit, ut ſi in rem Societatis aperte futura ſint, & omni difficultate careant, eos qui fundatores eſſe volunt, jubeat bene ſperare: ſi quid vero difficile aut dubium ſit, alet ſpe eorum bonam voluntatem, nihil certi promittet; rem totam ad Generalis creationem reſervabit. Ad profeſſionem admittere etiam vel deſignatum à præmortuo Præpoſito, vel in his quæ ad profeſſionem attinent diſpenſare non poterit Vicarius, neque Profeſſum aliquem, vel Coadjutorem formatum à Societate dimittere.

11. Circa contractus, ad quos facultatem habebit, ſic explicatur Decretum LXXI. Congreg. II. ut non poſſit de vendendis vel alienandis bonis ſtabilibus Societatis, niſi res ſit in evidentem utilitatem, & neceſſaria, quæ moram non patiatur, & cum conſenſu Aſſiſtentium ad plura ſuffragia.

12. Circa miſſiones Profeſſorum ſi quid urgeret, poteſtate Genera-

lis uti poterit, conſultis Aſſiſtentibus. eos tamen, qui vel electi ſunt à Congregationibus provincialibus, vel qui eligi poſſunt ut Congregationi generali interſint, ante factam electionem, neque ex aliis Provinciis ad ſe evocabit, neque ad ea loca mittet, unde ad electionem commode venire non poſſint: nec etiam ad infideles, neque ad partes remotas, quæ majorem conſiderationem requirunt; niſi forte in iis aliquid tam ve & urgens accideret, ut Aſſiſtentium judicio res differri non poſſet.

13. In univerſum cum Aſſiſtentibus conſultare debet res omnes graviores, non minus, imo magis quam Præpoſitus Generalis: quandoquidem minorem habet auctoritatem, minorem experientiam, minus diuturnum regendæ Societatis munus. ſic enim plus ponderis habebunt apud illam, quæ ipſe conſtituet. Quamobrem quæ ſunt à Præpoſito vita functo vel conſtituta vel conceſſa, non temere, nec ſine graviſſima cauſſa vel infirmabit, vel revocabit. Litteras vero, quas Vicarius ſcribet, vel à Provinciis accipiet, Aſſiſtentibus oſtendet.

14. Si novi Præpoſiti electio aliquo caſu ultra ſex menſes à Conſtitutionibus præſcriptos differatur, & aliqua gravia acciderent quæ usque ad ejus electionem commode differri non poſſent; Vicarius Generalis auditis Aſſiſtentibus id ſtatuat, quod ad majorem Dei gloriam, & Societatis utilitatem magis fore judicabit.

DESIGNATIO LOCORUM CONCILII TRIDENTINI,

Quæ cum noſtris Conſtitutionibus, privilegiis, & uſitato agendi modo plane pugnare videntur.

De quibus Decreto XII. *&* XLV. *tertiæ Congregationis agitur.*

SEſſione V. cap. II. *Regulares perſonaliter ſe coram Epiſcopo præſentare, & ab eo benedictionem petere teneantur, antequam prædicare incipiant.* Id quod explicatur magis cap. IV. ſeſſ. XXIV. ubi nullus regularis, etiam in Eccleſiis ſui Ordinis, contradicente Epiſcopo prædicare permittitur.

2. Seſ-

2. Seſſione VII. cap. VII. *Beneficia Eccleſiaſtica curata, quæ Eccleſiis ſive Collegiis perpetuo unita & annexa reperiuntur, ab Ordinariis locorum annis ſingulis viſitentur.* & cap. ſequenti idem repetitur de quibuscumque Eccleſiis, quomodolibet exemptis.

3. Seſſione XXII. Decreto de obſervandis & evitandis in celebratione Miſſæ, proponitur, ne patiantur Epiſcopi privatis in domibus, ac omnino extra eccleſiam, & ad divinum tantum cultum dedicata oratoria, ab eisdem Ordinariis deſignanda & viſitanda, ſacrificium à Regularibus quibuscumque peragi.

4. Ibidem cavetur, ne Sacerdotes aliis, quam debitis horis celebrent.

5. Seſſ. XXIII. cap. XII. *Regulares debita ætate non ſine diligenti Epiſcopi examine ordinentur, privilegiis quibuscumque penitus excluſis.*

6. Eadem ſeſſ. cap. XV. *Decernit ſancta Synodus nullum etiam regularem poſſe confeſſiones audire, niſi aut parochiale beneficium habeat, aut ab Epiſcopis per examen, aut alias idoneus judicetur, privilegiis non obſtantibus.*

7. Seſſ. XXV. cap. XII. de Regul. *Cenſura & interdicta, nedum à Sede Apoſtolica emanata, ſed etiam ab Ordinariis promulgata, mandante Epiſcopo, Regularibus in eorum Eccleſiis publicentur atque ſerventur.* Et cap. ſequenti: *Regulares quicumque ad publicas proceſſiones vocati, accedere compellantur.*

8. Eadem ſeſſ. cap. XXI. *Sancta Synodus præcipit omnibus Generalibus, & aliis Superioribus Ordinum, ut omnia & ſingula in Decretis de Regularibus contenta ſtatim exequantur: & Regularium negligentiam Capitula provincialia & generalia ſuppleant.*

9. Eadem ſeſſione cap. II. *Ad normam Decretorum Synodi, Magiſtri, Doctores, & alii in Univerſitatibus ea quæ Catholicæ fidei ſunt doceant; ſeque ad hoc inſtitutum initio cujuslibet anni ſolemni juramento obſtringant.*

Hæc de locis Concilii Tridentini manifeſte pugnantibus cum legibus & conſuetudinibus noſtræ Societatis. Sunt & alia, quæ prima ſpecie pugnare videantur: ſed ſane intellecta minime pugnare cenſemus.

Viſa

Viſa eſt etiam Bulla nova Gregor. XIII. Pontificis Maximi, quæ omnium Regularium privilegia & indulta prius conceſſa revocat: eoſque licet exemptos, ſubjicit plane diſpoſitioni juris communis & Concilii Tridentini.

His fortaſſe poſſet adjungi ex ſeſſ. xxiv. cap. xviii. ubi ſic dicitur: *Examinatores ſingulis annis in diœceſana Synodo ad minus ſex proponantur. Sint vero hi Examinatores Clerici, ſeu Regulares, jurentque,* &c.

Deſignatio locorum ejuſdem Concilii, quæ cum noſtro Inſtituto, ejuſque privilegiis quodammodo pugnare poſſe videntur.

SEſſione v. cap. i. *In Conventibus Regularium, in quibus ſtudia commode vigere poſſunt, ſacræ Scripturæ lectio habeatur, quæ à Capitulis generalibus vel provincialibus aſſignetur dignioribus Magiſtris.*

Seſſ. 14. cap. ix. *Beneficium unius Diœceſis non uniatur perpetuo Collegio alterius Diœceſis.*

Seſſ. xxiii. cap. xvii. ſtatuitur, Ordinum quorumcumque functiones exerceri non debere, niſi per conſtitutos in prædictis Ordinibus.

Seſſ. xxv. cap. vi. In electione quorumcumque Superiorum & aliorum Officialium, Synodus præcipit electionem fieri per vota ſecreta, ita ut ſingulorum eligentium nomina numquam publicentur.

Eadem ſeſſione cap. 10. *Quod vero ſanctiſſimum Chriſti corpus intra Chorum vel ſepta Monaſterii, & non in publica eccleſia conſervetur, prohibet ſancta Synodus, non obſtante quocumque privilegio.*

Eadem ſeſſ. cap. xvi. ubi Societas noſtra primum à Synodo approbatur, ſed mox additur: *Neque ante profeſſionem, excepto victu & veſtitu, Novitii vel Novitiæ illius temporis, quo in probatione eſt, quocumque prætextu à parentibus vel propinquis aut curatoribus ejus, Monaſterio aliquid ex bonis ejuſdem tribuatur, ne hac occaſione diſcedere nequeat, quod totam vel majorem partem ſubſtantiæ ſuæ Monaſterium poſſideat, nec facile ſi diſceſſerit, id recuperare poſſit. Quin potius præcepit ſancta Synodus ſub anathematis pœna dantibus & recipientibus, ne hoc ullo modo fiat; & ut abeuntibus ante profeſſionem omnia reſtituantur quæ ſua erant.*

Omnia hactenus ſcripta ſic ſe habent. In quorum fidem ea manu propria ſubſcripſi, & juxta Decretum Congregationis ſigillo Societatis munivi.

Laurentius Magius Secretarius Societatis IESV.

DECRETA
Quartæ Congregationis generalis ante electionem.

I. *In* MS. *d.* 1.

Poſtquam viſum fuit Patribus plenam & legitimam eſſe Congregationem, propoſita fuit difficultas, quæ circa perſonam P. Magii, atque etiam P. Lanoyi orta erat: nimirum cum P. Magius defunctus officio Viſitatoris in Polonia, à Provinciali illius Provinciæ moriente fuiſſet nominatus Viceprovincialis, & Congregationi provinciali ab eodem Provinciali ante mortem ſuam indictæ interfuiſſet ac præfuiſſet, (ut in actis Congregationis Provincialis Poloniæ, quæ lecta fuerunt, planius declaratur) ac nihilominus in Congregatione provinciali Auſtriaca, tamquam Rector Collegii Viennenſis, abſens electus fuiſſet; & quia Congregatio Auſtriaca ignorabat ubi P. Magius ageret, aut an ut Auſtriacus Romam ire poſſet, idcirco P. Lanoyum, qui ejus loco in caſu Romam proficiſceretur, elegiſſet, & uterque jam adeſſet; dubitatum fuit quis locus P. Magio aſſignandus eſſet: an inter Provinciales, tamquam Viceprovinciali Poloniæ, & P. Lanoyo inter alios Patres electores: vel an P. Lanoyus cedere deberet, & dare P. Magio locum inter Electores, tamquam in Auſtriaca Congregatione electo. Et cum varii varia dixiſſent, in hoc omnes conſenſerunt, poſt electionem Præpoſiti hujuſmodi neceſſitati (quoad hoc ut moriturus Provincialis nominare poſſit Viceprovincialem, præſertim dum inſtat Congregationis provincialis celebrandæ tempus) providendum eſſe. atque P. Magium ſedere debere ſuo loco inter Provinciales; Patrem vero Lanoyum inter Electores: & defectus omnes ſup- *P. Magius, P. Lanoyus.*

ſupplendos. Et ita factum eſt: atque illi vocati ſuis in locis ambo conſederunt.

II. *In* MS. *d.* 13.

Extenſio excommunicationis ad omnes Noſtros.

POſtremo ſtatutum eſt, ut excommunicatio, de qua dicitur in VI. cap. VIII. P. extenderetur ad quoſcumque ex Noſtris, etiamſi Electores non eſſent; qui directe vel indirecte, domi foriſve, impedire ſatagerent liberam & ſinceram electionem, & ut Superioribus mandaretur, ne hoc quatriduo Noſtros exire permitterent, niſi urgente neceſſitate.

Nemo egrediatur quatriduo.

DECRETA

Quartæ Congregationis generalis poſt electionem.

I. *In* MS. *d.* 2.

Procuratores admiſſi.

CVm Patres conveniſſent, propoſuit R. P. Generalis, an vocandi eſſent duo Procuratores, nempe P. Melchior Valpedroſa Procurator Sardiniæ, & P. Didacus Ximenes Procurator Generalis. Et viſum eſt vocandos eſſe, & ut ad quæcumque alia jus ſuffragii habeant, præterquam ad electionem Aſſiſtentium juxta Decretum VI. proximæ Congregationis generalis, declaravitque Congregatio nihil officere P. Ximenio, quod neque Profeſſus, neque Coadjutor formatus eſſet, quo minus intereſſe poſſet. Itaque vocati ſederunt in ſuis locis juxta Decretum II. proximæ Congregationis.

Etiam qui gradu carebant.

II. *In* MS. *d.* 5.

Deputationes octo.

DEcretum fuit ut fierent aliquæ Deputationes. Prima quidem pro regulis Aſſiſtentium & Admonitoris, & modo eligendi illos, & regulis Secretarii revidendis ac perficiendis. II. pro formula Congregationis provincialis revidenda. III. pro iis quæ pertinent ad Conſtitutiones & Bullas. IV. pro revidendis Regulis. V. pro methodo agendi de negotiis in Congregatione generali. VI. pro formula Congregationis Procuratorum. VII. pro formula eligendi Vicarium, & officio ejuſdem revidendo. VIII. pro revidendis Canonibus ante electionem, & conficienda ex

eis

eis formula electionis, & revidendis Decretis omnium Congregationum, & extrahendis Canonibus ex illis. Et omnibus omnino viſum eſt, ut ipſemet P. Generalis pro ſuo arbitratu ac prudentia decerneret ejusmodi Deputatos ad prædicta revidenda & conficienda; quæ poſtea ad Congregationem referrentur.

III. *In* MS. *d.* 6.

PRopoſitum fuit, an declarandum eſſet a Congregatione, nominationes Provincialium & aliorum Superiorum, quæ ante obitum P. N. Generalis non fuerunt adhuc executioni mandatæ, per ejus mortem non expirare, ſed robur obtinere, & eſſe omnino executioni mandandas, quoadusque ejus ſucceſſor aliud ſtatuerit: ſimiliter etiam mandata & ordinationes, potiſſimum quæ tribuunt jurisdictionem; & hæc quidem ſive fuerint, ſive non fuerint executioni mandata. Declaravit autem Congregatio, & conſtituit, prædictas nominationes Provincialium, & aliorum Superiorum ordinariorum ubivis, atque etiam Commiſſariorum & Viſitatorum extra Europam, non expirare per mortem nominantis, etiam ſi nondum executioni mandatæ fuiſſent; ſed robur ſuum obtinere & eſſe omnino executioni mandandas, quoadusq; ejus ſucceſſor aliud ſtatuerit. Commiſſariorum vero ac Viſitatorum in Europa officium, ac poteſtatem expirare per mortem Generalis Præpoſiti, ut in prima Congregatione ſtatutum fuit tit. v i. D. x i i. idque deinceps obſervandum eſſe. Similiter mandata & Ordinationes quascumque, exceptis illis quæ deſignationes admittendorum ad profeſſionem ſunt, (in his enim ita faciendum erit, ut non admittantur, niſi illa deſignatio jam ſcripto miſſa eſſet ab ipſo Generali Præpoſito Provinciali) non expirare per obitum Generalis mandantis & ordinantis, ſed robur ſuum obtinere, & executioni mandanda, ſi nondum fuiſſent mandata, donec ſucceſſor ejus aliud ſtatuerit.

Nominationes Superiorum & mandata non exſpirant per mortem Generalis.

Viſitatorum officium in Europa expirat,

Deſignationes ad profeſſionem.

IV. *In* MS. *d.* 7.

NOmine quarumdam Provinciarum Hiſpanicarum, propoſitum fuit, Clericos ſæculares, qui Sacerdotes non ſunt, non ſepeliri in illis partibus eodem habitu quo uti ſolebant dum viverent, etiam qui clericali utebantur; ſed eodem omnino habitu quo alii ſæculares ſepeliuntur: & inde fieri, ut Noſtri, cum in hoc eos imitantur juxta Decretum x x x. tit. v i. primæ Congregationis, ſcandalum præbeant etiam ipſis ſæcularibus,

Sepultura Noſtrorum non Sacerdotum.

cum vident eum, qui tota vita religioſus perſeveravit, in morte religioſas veſtes deponere, & ſæcularium more ſepeliri: quod ipſum etiam Noſtrorum animos plurimum contriſtat. Quare petitum eſt nomine earumdem provinciarum à Congregatione generali, ut declaret fratres noſtros eodem veſtitus modo eſſe ſepeliendos, ubi iſtud incommodum viget, quo dum viverent uſi ſunt, cum is ſit veſtitus Clericorum ſæcularium honeſtorum. Decrevit autem Congregatio, Decretum primæ Congregationis retinendum eſſe, nec immutandum. Quia tamen finis præcepti caritas eſt, commiſit P. Generalis arbitrio atque judicio, ut diſpenſet, ſi quando, quomodo, & ubi viſum illi fuerit magis in Domino expedire ad communem ædificationem.

V. *In MS. d.* 8.

Hora orationis. PRopoſitum fuit à quibusdam, num conſuetudo à R. P. Borgia, juxta poteſtatem ſibi factam à ſecunda Congregatione generali D. XXI. introducta, de integra orationis hora præter tempus utriusque examinis, retinenda ſit; an potius illius praxis revocanda ad Conſtitutiones ſemihoræ, & duorum examinum, & formam Decreti XVIII. ex tit. VI. primæ Congregationis. Et decretum fuit, prædictam conſuetudinem unius horæ integræ orationis, præter tempus dupli is examinis quotidiani, tamquam piam & ſalutarem, omnino retinendam eſſe, prout à R. P. Borgia fuit introducta, ſervata forma ſupradicti Decreti ſecundæ Congregationis Generalis, Decreto Congregationis ſtabiliendam, prout præſenti Decreto ſtabilitur.

VI. *In MS. d.* 9.

Provinciarum diviſio. CVm in prima Congregatione tit. VI. Dec. XXIX. & in ſecunda D. LII. conſtitutum fuerit, ut inſtitutio novarum Provinciarum Præpoſito Generali relinqueretur; nihilominus propoſitum fuit ab aliquibus, an non expediret potius, ob rationes quæ in medium prolatæ fuerunt, ut talis inſtitutio ſoli Congregationi generali reſervaretur. Et conſideratis rationibus productis, ſtatutum fuit, nihil eſſe immutandum de prædictis Decretis; ſed prædictam novarum Provinciarum inſtitutionem ſeu diviſionem, Præpoſito Generali, juxta prædictorum Decretorum formam, eſſe relinquendam.

VII.

VII. *In MS. d.* 10.

FVit etiam propoſitum, utrum ſexto aut ſeptimo quoque anno cogi deberet Congregatio generalis. & dijudicatis rationibus quæ propoſitæ fuerunt, ſtatutum eſt, ſervandum eſſe Decretum XXIV. ſecundæ Congregationis generalis, quo cavetur, nullum tempus certum Congregationi generali cogendæ præſcribendum: ſed ut tertio quoque anno veniant ſimul ex omnibus Provinciis Procuratores, qui cum P. Generali & Aſſiſtentibus decernant, an cogi debeat Congregatio generalis, nec ne. *Congregationis generalis tempus certum non præſcribendum.*

VIII. *In MS. d.* 11.

CVm ſecundam Conſtitutionum editionem, quæ Declarationes habet cum Conſtitutionibus conjunctas, pro communi & vulgata habendam eſſe in Societate usque ad præſentis Congregationis judicium ſtatuerit tertia Congregatio generalis Dec. LIV. poſtulatum eſt à quibusdam, ut hæc eadem Conſtitutionum editio denuo recognoſceretur, & ad veritatem Hiſpanici exemplaris exacte emendaretur: ſic vero emendata, authentica & vulgata in tota Societate haberetur. Decrevit porro Congregatio, ut res iſta, quam primum fieri poſſit, conficeretur: & ob eam cauſſam commendavit Patribus Deputatis ad revidendas Conſtitutiones & Bullas, de quibus ſupra Decr. V. ut maturarent, quo res tam ſalutaris, & neceſſaria, primo quoque tempore executioni mandari poſſit. *Vulgata editio Conſtitutionum.*

IX. *In MS. d.* 13.

ET quia variæ querelæ ac difficultates propoſitæ fuerunt circa admiſſionem Noſtrorum ad ſtatum Societatis, dum multi qui in Societate per multos annos laudabiliter vixerunt, nimium differantur: unde tædio affecti in varias tentationes incidunt; & ſæpe abundantiore triſtitia abſorpti, non ſine populi ſcandalo, retrorſum abeunt ab eo, quod ſunt amplexi, ſancto inſtituto. Cum Congregatio rationes allatas conſideraſſet, decrevit nihil eſſe innovandum; hanc rem totam P. Generalis judicio ac prudentiæ committendam: ſimulque illi commendavit, ut, quod Conſtitutiones hac de re præſcribunt, ſine differentia perſonarum, accurate ſervari curet, memor hoc ad Societatis conſervationem vehementer pertinere. *Profeſſionis dilatio.*

X. *In* MS *d.* 14.

Superpellicea in lectionibus ſacris.

PRopoſitum etiam fuit; an Decretum XXXI. tit. VI. primæ Congregationis, quo prohibetur ſuperpelliceum in lectionibus ſacræ Scripturæ, quæ ad populum habentur, ita temperandum ſit, ut id tantum intelligatur de regionibus & locis, ubi non eſt illius uſus. Alioqui enim magna eſt indecentia non uti ſuperpelliceo, ubi eſt illius uſus; & inter hæreticos refert hæreticorum miniſtros, qui in miniſterio verbi ſuperpellicea irrident & averſantur. Et ſtatuit Congregatio, ut illud Decretum ea moderatione temperetur qua dictum eſt, id tantum intelligendum eſſe de regionibus & locis, ubi non eſt ſuperpelliceí uſus.

XI. *In* MS. *d.* 15.

Secretarius quas ad Congregationes & quando admittatur.

STatutum eſt, Secretarium Præpoſiti Generalis, ſi ſit Profeſſus quatuor votorum, admittendum eſſe ad provincialem Congregationem, cum ſuffragio activo & paſſivo, quocumque in caſu illa cogatur; non item ad Congregationem Procuratorum, qui ex Provinciis tertio quoque anno in Vrbem mittuntur, admitti debere, niſi electus fuerit Procurator in Congregatione provinciali. Ad Congregationem vero generalem, poſt electionem Præpoſiti, ſive ille profeſſus ſit, ſive non, admittendum eſſe, cum jure ſuffragii ad alia omnia, quam ad Aſſiſtentium electionem; & informationes tam pro Præpoſito Generali, quam pro Aſſiſtentibus & Admonitore eligendis, in quatriduo ab eo, ſicut ab aliis capi poſſe.

XII. *In* MS *d.* 16

Sardiniæ poſtulatio.

PRopoſitum fuit nomine Patrum Sardiniæ, ut quamdiu Sardinia non fiet Provincia ſeparata ab Aragoniæ provincia, ſaltem id illi concedatur, ut Viceprovincialis Sardiniæ comite aliquo quatuor votorum profeſſo, quia Rectoribus locorum Sardiniæ, atque aliis quatuor votorum profeſſis electus ſit, ad generalem Congregationem cum jure ſuffragii poſt electionem venire poſſit. Decrevit autem Congregatio, nihil jam eſſe innovandum, ſed ſervandum eſſe Decretum LXXIII. tertiæ Congregationis, quo ſtatuitur, ut quamdiu Sardinia non fiet ſeparata Provincia, Sardiniæ Procurator ſine Congregatione provinciali electus à Viceprovinciali & Conſultoribus, & profeſſis quatuor votorum, qui eo in loco, ubi Viceprovincialis, fuerint, poſſit venire ad generalem Congregationem, & ad alia jus ſuffragii habere, præterquam ad Generalis & Aſſiſtentium electionem.

XIII. *in MS. d.* 18.

PRopter ingentem fructum, & penuriam fidelium pædagogorum, & alias utilitates quæ ex ea occupatione videntur ſequi, flagitatum eſt, ut in partibus Septemtrionalibus noſtri habeant Convictores, & eorum curam gerant; ea tamen lege, ut res nummaria œconomo tradatur; & non ſollicitentur adoleſcentes ad inſtitutum noſtrum, nec admittantur invitis parentibus. Et judicatum à Congregatione fuit, valde optandum eſſe, ut Societas, quoad fieri poterit, ejuſmodi oneribus liberetur; atque ideo P. Generalis prudentiæ commiſit, ut pro ratione regionum ac perſonarum expendat, quid in hac re ad majus Dei obſequium & commune Societatis bonum maxime expediat. *Convictorum cura.*

XIV. *in* MS. *d.* 19.

CVm etiam poſtulatum fuiſſet, ut profeſſio quatuor votorum ad eos qui audierunt curſum Philoſophiæ ac Theologiæ, minime reſtringeretur: multis de cauſſis Congregatio dijudicatis rationibus ſtatuit, nihil eſſe immutandum de Conſtitutionibus. quin potius R. P. Generali commendavit, ut illas hac in parte diligenter obſervandas curaret. *Profeſſio quatuor votorum.*

XV. *in* MS. *d.* 20.

DE Admonitore Præpoſiti Generalis propoſitum quoque fuit, non videri expedire, ut ſit aliquis è numero Aſſiſtentium; ſed aliquem alium extra eorum numerum à tota Congregatione eligendum. Decrevit autem Congregatio, relinquendum eſſe liberum, ut ſcilicet eligi poſſit, ſive ex numero Aſſiſtentium, ſive extra numerum eorumdem, pro uniuſcujuſque arbitrio & conſcientia, dummodo profeſſus ſit quatuor votorum, juxta xxvii. Decretum ſecundæ Congregationis. *Admonitor Generalis poteſt eſſe unus ex Aſſiſtentibus.*

XVI. *in* MS. *d.* 21.

ASſiſtentium electio die v. Martii mane expedita fuit. Et primo quidem pro Septemtrionalibus partibus primo ſcrutinio ad plura medietate ſuffragia electus eſt P. Paulus Hoffæus Provincialis ſuperioris Germaniæ. II. pro Italia ſimili ſcrutinio P. Laurentius Magius Viceprovincialis Poloniæ. III. pro Hiſpania & Indiis ad eam pertinentibus ſimili ſcrutinio P. Garcias de Alarcon Provincialis Bæticæ. IV. pro Luſitania & Indiis Orientalibus & Braſilia ſimili ſcrutinio P. Georgius Serranus Præpoſitus Domus profeſſæ S. Rochi abſens. *Aſſiſtentes electi ad plura medietate.*

XVII. *in* MS. *d.* 22.

Admonitor die ſequenti ad plura.

DIe VI. Martii congregatis Patribus primo ſcrutinio ad plura ſuffragia electus eſt in Admonitorem Præpoſiti Generalis P. Paulus Hoffæus Aſſiſtens pro Septemtrionalibus partibus: cujus electioni interfuit uterque Procurator, Sardiniæ & Generalis.

XVIII. *in* MS. *d.* 23.

Expenſa pro Secretaria Romana.

CVm in Secretaria Romana neceſſe ſit plures ſcriptores alere in uſum neceſſarium totius Societatis, cum magno Romanæ Domus gravamine; propoſitum fuit, ut Provinciæ annua contributione ſex ſcriptores alerent. Verum Congregatio, cum ſpeciem certi cujusdam proventus hoc habere videatur, propoſitionem rejecit, & P. N. Generali commendavit, ut aliam honeſtam rationem illos ſuſtentandi pro ſua prudentia perveſtigaret atque iniret.

XIX. *in* MS. *d.* 24.

Generalis declarationes quam vim habeant.

PRopoſitum etiam fuit, ut Congregatio generalis pro bono Societatis decerneret, an P. Generalis poſſit declarare Conſtitutiones & Decreta generalia, ita ut declaratio vim legis obtineat, ut de facto fecit P. Everardus bonæ mem. cum declaravit intelligi de profeſſis trium votorum, quod in Conſtitutionibus dicitur, Profeſſos debere poſt profeſſionem emittere quinque vota ſimplicia, ut patet in regulis Provincialis. Declaravit autem Congregatio, Præpoſitum Generalem auctoritate ſua ordinaria Conſtitutiones & Decreta generalia declarare poſſe: eas tamen declarationes non habere vim legis univerſalis, ſed valere tantum ad praxim bonæ gubernationis; cum Congregationis generalis, cujus eſt leges condere, ſit etiam eas hoc modo declarare.

XX. *in* MS. *d.* 25.

Vicarii nominatio.

PRopoſitum quoque fuit, ut Congregatio Præpoſito Generali, & ceteris ejus ſucceſſoribus ſerio mandet, ut eligant Vicarium Societatis ante mortem, juxta Conſtitutiones P. VIII. c. IV. plures ob cauſſas, quæ commemoratæ fuerunt. Cum autem multi multa dixiſſent, & ſubinde ſententiæ variarent, interceſſum fuit à pluribus, ut res differretur in craſtinum, & accuratius conſideraretur.

XXI. *in* MS. *d.* 26.

Vicarius à Generali ante mortem nominandus.

TRactatum fuit de proxima heſterna quæſtione: & cum multa in utramque partem dicta fuiſſent, tandem Congregatio in primis declaravit, Conſtitutionem prædictam P. VIII. cap. IV. §. 1, eum ſenſum habere,

ut

ut Præpoſitus Generalis Vicarium nominet, qui morientis locum ſuſtineat, niſi morte, vel morbo, qui ad hunc effectum perinde ac mors cenſeatur, præoccupetur, ut habet ejusdem Conſtitutionis declaratio. Deinde hujus Conſtitutionis praxim P. N. Præpoſito ſerio commendavit, ut ſcilicet Vicarium ſibi nominet.

XXII. *In* MS. *d.* 27.

QVæſitum fuit propter locum Conſtit. VI. P. cap. III, §. 3. ut Congregatio declararet omnes regulas communes Societatis ab omnibus, etiam Profeſſis & Coadjutoribus formatis, obſervandas eſſe. Congregatio autem declaravit, omnes ad earum obſervationem teneri, ut in tertia Congregatione Decr. XXXI. definitum eſt; nec id repugnare loco citato Conſtitutionum P. VI.

Regulæ communes ab omnibus ſervandæ.

XXIII. *In* MS. *d.* 28.

CIrca Declar. II, c. IV. P. Conſtitutionum litt. A. ubi dicitur, *Domus vel Collegia admiſſa aut relinqui aut retineri debeant, ſtatuat Societas; id tamen in Congregatione generali fieri poſſet, & etiam ſine illa, miſſis nimirum ſuffragiis ab iis qui jus habent ſuffragii:* petitum fuit, ut Congregatio declararet, qui ſunt ii qui jus ſuffragii habent, cum de diſſolutione alicujus Domus vel Collegii agitur, quando non eſt coacta Congregatio generalis; an ſcilicet, cum Præpoſito Generali omnes Provinciales totius Societatis, tam qui in Europa quam qui extra Europam ſunt: an præterea etiam Aſſiſtentes, an demum præter hos omnes, Procurator quoque Generalis & Secretarius: & poſtremo, an major pars horum ſuffragiorum ſufficiat ad hoc ſtatuendum, quod in deliberatione ponitur. Congregatio autem in primis ſtatuit, nullam Domus vel Collegii diſſolutionem ſine generali Congregatione, ſi omnino ad illam differri poſſit, faciendam. Quod ſi neceſſitas plane cogat, ut generalis Congregationis tempus antevertatur, declarat, jus ſuffragii indubitatum habere ex officio, præter Præpoſitum Generalem, omnes Provinciales: non oportere tamen ſuffragia Provincialium qui extra Europam ſunt, propter nimiam eorum diſtantiam, exquirere, niſi illius Provinciæ, in qua eſſet Domus vel Collegium, de cujus diſſolutione ageretur. Aſſiſtentes vero non habere quidem jus ſuffragii, illis tamen fieri ab hac Congregatione, quæ id vehementer expedire judicavit: & ita eorum, ſicut & Provincialium ſententiam exquirendam.

Suffragia in diſſolvendis Collegiis extra Congregationem.

Habent Provinciales.

Et Aſſiſtentes.

Major pars ſuffragiorum ſufficit.

Procuratorem autem Generalem, nec Secretarium habere jus ſuffragii; nec illis tradendum videri. Majorem porro partem horum ſuffragiorum ſufficere ad id ſtatuendum, de quo deliberatur, juxta Societatis Bullas, & præſertim Iulii III. anni MDL. Sed circa Procuratorem & Secretarium interceſſum eſt à quibusdam, qui judicabant expedire, ut illis jus ſuffragii traderetur: petiveruntque, ut iterum hac de re tractaretur.

XXIV. *In* MS. *d.* 29.

Aſſiſtentium electio extra Congregationem.

CVm etiam in IX. P. Conſtit. c. V. dicatur, *ſi aliquis Aſſiſtens mortem obiret, aut graves ob cauſſas diutius abeſſet, Præpoſitus Generalis alium ſubſtituet cum approbatione omnium, vel majoris partis Provincialium:* petitum eſt à Congregatione, ut declararet, an approbatio Provincialium qui ſunt extra Europam, ſit expectanda, ut ſubſtituatur aliquis Aſſiſtens. Et declaravit Congregatio, juxta id quod proximo Decreto definivit, approbationem eorum tantum Provincialium qui ſunt in Europa, & ſolent intereſſe Congregationibus generalibus, ad hoc ſufficere. Eamdem vero omnino rationem in ſubſtitutione Admonitoris ſervandam eſſe, quæ de ſubſtitutione Aſſiſtentium jam dicta eſt.

Et Admonitoris.

XXV. *In* MS. *d.* 30.

Aſſiſtentes ſubſtituti ſuffragii jus non habent donec approbentur.

PEtitum quoque fuit à Congregatione, ut declararet: ſi Præpoſitus Generalis ſubſtitueret ad tempus, aut ſimpliciter aliquem in locum alicujus Aſſiſtentis demortui, aut qui ob graves cauſſas abſens eſſet; an talis ſubſtitutus poſſit habere ſuffragium, ſicut habet Aſſiſtens in cujus locum ſubſtitutus eſt. & declaravit Congregatio, talem ſubſtitutum non poſſe habere ſuffragium, nec in Congregatione generali, nec Procuratorum, nec ad diſſolvenda Collegia ſeu Domos Societatis, niſi prius conſtet de approbatione omnium, aut majoris partis Provincialium juxta Decreta.

XXVI. *In* MS. *d.* 31.

Vota ſimplicia poſt profeſſionem.

PRopoſitum poſtremo fuit, an formulæ votorum ſimplicium, quæ poſt profeſſionem emittuntur, addenda eſſet hujusmodi promiſſio: Inſuper promitto me nulla ratione curaturum, aut locuturum publice vel privatim aliquid, qvod ſit contra eſſentialia Inſtituti & Conſtitutionum Societatis. Decrevit autem Congregatio, non eſſe talem promiſſionem ad reliqua vota addendam: ſed ad Deputatos formulæ Congregationis provincialis id rejiciendum, ut in ea auctoritate hujus Congregationis prohibeatur, ne quis deinceps in Congregationibus provincialibus audeat de hujus-

hujusmodi rebus quocumque prætextu verba facere : tum ſi quis de his rebus aut ibi aut alibi uſquam quæſtionem inſtituat, ſerio à ſuis Superioribus corripiatur & corrigatur.

XXVII. *In* MS. *d.* 32.

CVm legeretur Decretum XXVIII. circa illa verba, *Declarat jus ſuffragii habere ex officio præter Præpoſitum Generalem omnes Provinciales* ; interceſſum fuit ab omnibus Deputatis Conſtitutionum & Bullarum, ut licet illi indubitatum jus habeant ex Conſtitutionibus, non tamen illorum tantum, ſed etiam aliquorum aliorum ſententiæ exquirantur. Decrevit autem Congregatio, ut non ſolum Provincialium, ſed etiam duorum antiquiſſimorum profeſſorum cujusque Provinciæ ſententiæ per litteras petantur, declarando, prout declarat Congregatio, ita intelligendam eſſe Declarationem cap. II. P. IV. litt. A. cui reſpondet, quod habetur in Bulla Iulii III. anni MDL. Quod intelligi vult tantum, cum de diſſolvenda aliqua Domo vel Collegio extra Congregationem agitur. Quod vero ad interceſſionem de Procuratore Generali & Secretario in eodem XXVIII. Decreto factam, attinet, Congregatio definivit, ut & illi, quemadmodum de Aſſiſtentibus dictum eſt, jus ſuffragii in hoc eodem caſu auctoritate hujus Congregationis habeant.

In diſſolvendis Collegiis ſuffragium habent duo antiquiſſimi cujusque Provinciæ.

XXVIII. *In.* MS *d.* 33.

PRopoſitum deinde fuit, an conſtituendus eſſet ſeparatus Præpoſitus hujus profeſſæ Domus Romanæ, qui eam ſicut alii ſimiles Præpoſiti adminiſtraret, ita ut P. Generalis deinceps Præpoſitus tantum generalis eſſet, non item Præpoſitus particularis hujus profeſſæ Domus Romanæ. Decretum autem fuit, nihil jam eſſe innovandum, ſed ſervanda eſſe Decr. LXVII. & XCII. ſecundæ Congregationis generalis. poſſe tamen ab eodem P. Præpoſito Generali conſtitui pro ſuo arbitrio ac prudentia Vicepræpoſitum cum ordinaria Præpoſitorum Societatis poteſtate, qui habeat ſuos Conſultores, Admonitorem, & alios Officiales, & particularem Domus gubernationem exerceat.

Vicepræpoſitus Domus Profeſſæ Romanæ.

XXIX. *In* MS. *d.* 34.

ACtum eſt etiam, an Definitores eligi deberent ad res determinandas quas eis Congregatio committeret ; & quidem cum eadem poteſtate quam ſuis Definitoribus ſecunda Congregatio Dec. XLVI. & tertia Congre-

Definitores.

gregatio generalis Decr. XXVIII. tribuerunt; nempe ut omnis propoſita vè proponenda quæſtio & interceſſio, ſive una ſive duæ fiant, terminetur à Congregatione generali in iis quæ attinent ad Conſtitutiones, vel ad magna Collegia diſſolvenda; in aliis autem à Definitoribus. Placuit autem, ut res tota accuratius conſideraretur, & in ſequentem diem differretur.

XXX. *In* MS. *d.* 35.

Definitores ſine ſcrutinio electi.

CVm propoſitum eſſet de Definitoribus eligendis, ut proximo Decreto tractatum fuerat, placuit eligi Definitores, & numero & poteſtate, ſicut pridie propoſitum erat. Nempe ut, exceptis iis quæ ad Conſtitutiones & magna Collegia diſſolvenda pertinent, reliqua omnia à Definitoribus definirentur. Quamquam poſtea conventum fuit omnium conſenſu, ut non obſtante Decr. VII. tit. I. Congregationis primæ, pro hac vice ſine ſcrutinio Definitores eſſent cum P. Generali veteres & novi Aſſiſtentes; videlicet P. Petrus Fonſeca, P. Benedictus Palmius, P. Oliverius Manaræus, P. Ægidius Gonzalez, P. Garcias de Alarcon, P. Paulus Hoffæus, P. Laurentius Magius.

XXXI. *In* MS. *d.* 36.

Deputati pro formula ſtudiorum.

POſtea P. Generalis deputavit ad conficiendam formulam ſtudiorum ſequentes Patres, videlicet P. Petrum Fonſecam, P. Franciſcum Coſterum, P. Nicolaum Clerum, P. Sebaſtianum Morales, P. Franciſcum Adornum, P. Alfonſum Dezam, P. Ioannem Maldonatum, P. Achillem Galiardum, P. Iacobum Acoſtam, P. Franciſcum Riberam, P. Ægidium Gonzalez, P. Benedictum Sardium.

XXXII. *In* MS. *d.* 37.

Vicepræpoſitus Domus Romanæ.

VT Aſſiſtentes officio ſibi commiſſo impenſius ac melius vacare poſſint, juxta XCIII. Decretum ſecundæ Congregationis, ſtatuit Congregatio, ut Vicepræpoſitus Domus Profeſſæ Romanæ, ſive Miniſter, non ſit ex numero Aſſiſtentium. Præterea definitum eſt, ut prædictus Vicepræpoſitus poſſit intereſſe Congregationi Provinciali cum jure ſuffragii, ſive profeſſus ſit, ſive non; quamvis curandum erit, quoad ejus fieri poterit, ut ſemper ſit Profeſſus quatuor votorum.

XXXIII. *In* MS *d.* 38.

Conſtitutionum Latinæ verſionis recognitio.

CVm propoſitum eſſet nomine Deputatorum ad revidendas Conſtitutiones, aliqua inventa eſſe in verſione Latina, quæ emendatione egere viden-

videntur; petitum eſt eorumdem nomine à Congregatione, ut P. Generali faciat poteſtatem deputandi aliquos, qui per otium loca illa ab ipſis obſervata, & alia, ſi qua ipſi obſervaverint, recognoſcendo, univerſas Conſtitutiones emendent ad veritatem autographi, atque reſtituant, ita ut ea emendatio & reſtitutio, ubi abſoluta fuerit, authentica ſit auctoritate hujus Congregationis: & interim noſtra hæc verſio, prout ſtatutum eſt in tertia Congregatione Generali Decr. XLI. & LIV. pro vulgata habeatur. Decrevit autem Congregatio, ut loca à Deputatis collecta proponantur examinanda; reliqua committantur P. Generali cum Aſſiſtentibus perveſtiganda & conſideranda, ut ſequens generalis Congregatio materiam paratam reperiat ad Conſtitutiones emendandas, juxta P. Ignatii autographum, ſi opus fuerit. Interim verſio Conſtitutionum à tertia generali Congregatione approbata, iterum approbetur uſque ad ſequentem Congregationem auctoritate præſentis Congregationis, prout approbata fuit, niſi durante Congregatione omnia loca jam collecta examinata eſſent, & ab hac Congregatione approbata. *Infra De. 59.*

XXXIV. *In* MS. *d.* 39.

CVm petitum fuiſſet, ut Congregatio P. Generali curam conficiendi brevia quædam ſcholia in locos difficiliores Conſtitutionum committeret, quemadmodum in prima Congregatione, & in ſecunda item, ſæpius commendatum fuit; quæ ſcholia auctoritatem eam habeant, quam P. Generalis eis dandam cenſuerit ad commune bonum Societatis, uſque ad futuram generalem Congregationem. Decrevit Congregatio, ejuſmodi ſcholia non eſſe facienda. Quia licet I. & II. Congregatio id curandum cenſuerit; poſtea tamen illa neceſſitas ceſſaſſe videtur, cum multa dubia per Decreta ſequentium Congregationum, & Declarationes Præpoſitorum Generalium, & regulas emendatas ſublata ſint. *Scholia in Conſtitutiones non facienda.*

XXXV. *In* MS. *d.* 40.

PEtitum fuit, ut Congregatio conſtituat, an relinquenda ſit poteſtas Vicario Generali monendi Provinciales, ne præter duos electos, alios quoſdam adducant ad negotia tractanda poſt electionem, juxta Decret. III. Congregationis ſecundæ. Decretum autem fuit, præter duos electos poſſe adduci unum aut duos Procuratores ex omnibus Provinciis, monente Vicario, ad tractanda negotia in Congregatione poſt electionem Præpoſiti. *Vicarius poteſt unum vel alterum advocare ad Congr. gener. præter Electores.*

 & cum

& cum fuiſſet interceſſum, nihilominus idem ſtatutum fuit. Hos autem non aliter à Vicario vocandos, & à Provincialibus adducendos eſſe decrevit Congregatio, quam ſi illorum opera, præterquam duorum electorum, ad graviora negotia tractanda in Congregatione, poſt electionem Præpoſiti, neceſſaria videbitur ipſi Vicario & Aſſiſtentibus ad plura ſuffragia. Tum ut ſi qui præter duos electos judicentur adducendi, ii eligantur à Congregatione provinciali ad plura medietate ſuffragia, ſicuti ceteri, & non aliter adducantur.

XXXVI. *In* MS. *d.* 41.

Contractuum poteſtas Vicario confirmata.

CVm quæſitum fuiſſet, an ſervandum eſſet Decretum LXXI. Congregationis ſecundæ, in quo Vicario conceditur facultas ineundi contractus, cum Summus Pontifex Generali eam conceſſerit, aliis intra Europam incommunicabilem: nihil definitum fuit, ſed res dilata in aliud tempus. & tandem decrevit Congregatio, quod ex parte Societatis eſt, ut hæc facultas illi concedatur, juxta id quod habetur in officio ipſius.

XXXVII. *In* MS. *d.* 42.

Congregationes provinciales.

PRopoſitum fuit, videri ſtatuendum, ut quotieſcumque cogenda eſt Congregatio generalis, fiant Congregationes provinciales ad eligendos eos qui comitaturi ſint Provincialem, nec liberum relinquatur id quod eſt in VIII. P. cap. III. §. I. ut ſcilicet ii cum Provinciali venire poſſint ad generalem Congregationem, quos Generalis ipſe, aut ejus nomine Provincialis elegerit. Et auditis rationibus, quæ ad hanc ſententiam confirmandam prolatæ ſunt, placuit Congregationi, concurrente Patrum numero ultra duas tertias partes, ut ſemper fierent Congregationes provinciales ad eligendos eos, qui ad generalem venturi eſſent, & non relinqueretur liberum, ut Generalis vel Provincialis eos nominaret. verum cum interceſſum fuiſſet, dilata eſt ſolutio hujus quæſtionis in ſequentem Congregationem.

XXXVIII. *In* MS. *d.* 43.

Annales Societatis.

PRopoſitum etiam fuit, moderationem aliquam videri adhibendam annalibus litteris, quæ in Societate quotannis ſcribuntur. Ea autem videbatur fore ad rem, ſi ex quadringentis & quadraginta duabus, quæ ſcribuntur, duæ tantum & quadraginta ſcriberentur: viginti & una quidem ad Vrbem ex omnibus Provinciis, hoc eſt, à ſingulis ſingulæ, totidem

dem vero ad easdem Provincias ab omnibus annuis confectæ; idque per aliquem ex Patribus qui in Collegio reſideat, & ſumptibus Provinciarum alatur cum ſcriptore ſuo, quemadmodum Procurator cum ſuis ſociis. Et auditis rationibus in medium allatis, placuit Congregationi prædicta moderatio. Vnum vero tantum alendum eſſe in hunc finem in Collegio Romano ſumptibus Provinciarum, qui ad hanc rem perficiendam idoneus ſit: quæ Provinciæ ſumptus etiam ſuppeditent ad exempla annuarum per externos deſcribenda.

XXXIX. *In* MS. *d.* 44.

Congregationes provinciales cogendæ quoties futura eſt generalis.

STatutum fuit, ut Decretum XLII. præcedentis actionis XIV. de cogendis ſemper Congregationibus provincialibus ad eligendos eos qui ad generalem venturi eſſent, non relicta libertate Generali vel Provinciali eos nominandi, retineatur in omnibus, ut in proxima actione conſtitutum fuit, non obſtante interceſſione ibi facta. & ita ſervandam eſſe Conſtitutionem VIII. P. cap. III. §. I. juxta hujus Decreti formam, non obſtante Decreto III. Congregationis ſecundæ, Congregatio declaravit.

XL. *In* MS. *d.* 45.

Ratio reddendæ conſcientiæ.

CVm conſtet ex cap. IV. Examin. § 39. & reg. XLI. Summarii, & perpetua praxi Societatis, reddendam eſſe Superioribus rationem conſcientiæ; modus autem hujus praxeos quibusdam certus, & omnibus Provinciis communis deſideraretur; petitum fuit à Congregatione, ut praxim declararet, & aliquid certi conſtitueret. Ceterum Congregatio rem totam commiſit P. Generali, ut ſcilicet ipſe cum ſuis Aſſiſtentibus praxim hujus Conſtitutionis, ſalva ipſa Conſtitutione, edoceret atque præſcriberet.

XLI. *In* MS. *d.* 46.

Procuratorum extra Europam electio.

PRopter illa verba XCIV. Decreti ſecundæ Congregationis, *electi à ſuis Provinciis*, propoſitum fuit nomine Definitorum, ut Procuratores qui à Provinciis extra Europam exiſtentibus Romam mittuntur, & Profeſſi quatuor votorum ſunt, habeant ſuffragium in electione Generalis, etiam ſi à Congregationibus Provincialibus electi non fuerint; dummodo Provincialis cum ſuis Conſultoribus qui aderunt, & ceteris omnibus præſentibus qui in Congregatione Provinciali jus ſuffragii habent, illos elegerint. Decrevit autem Congregatio, ut prædicti Procuratores, ſive à Congregationibus Provincialibus, ſive à ſuis Provincialibus cum reliquis ſupradictis electi

electi fuerint, modo Profeſſi quatuor votorum ſint, & ad hoc electi fuerint, habeant ſuffragium in electione Generalis. & ita declaravit, prædicta verba XCIV. Decreti ſecundæ Congregationis intelligenda eſſe, ut illi à ſuis Provinciis electi eſſe intelligantur, quicumque alterutro prædictorum modorum electi fuerint.

XLII. *In* MS. *dec.* 48.

Definitores quando & quomodo eligendi.

CVm de electione Definitorum ageretur, quibus ſcilicet in caſibus eos eligi oporteat, & qua ratione ſtatuendum ſit, an in talibus caſibus eligi debeant, & quot ſuffragiis, quave ratione & cum qua poteſtate facienda ſit eorum electio: Declaravit Congregatio ac ſtatuit, duobus in caſibus eligi eos poſſe. altero quidem, cum rebus agitatis hinc inde in una vel pluribus Congregationibus, nihil manifeſte in alteram partem ſtatui videretur, prout in Conſtitutionibus habetur. altero vero ad celeriorem negotiorum expeditionem, ut nimirum citius Congregatio abſolvi poſſit. Et quidem in priore caſu ad duas ſaltem tertias ſuffragiorum, in poſteriore vero ad plura medietate ſuffragia ſtatui oportere, an Definitores ſint eligendi, nec ne. Ipſorum autem Definitorum electionem in utroque caſu ad plura medietate ſuffragia fieri debere. & ita eſſe deinceps intelligendas Conſtitutiones & Decreta, atque in poſterum practicanda, Congregatio declaravit. Simulque decrevit, ad poſterioris generis Definitores pertinere ea definire, quæ Congregatio illis ſpecialiter commiſerit, & cum ea poteſtate, quam eadem Congregatio tunc dandam illis eſſe judicaverit.

XLIII. *In* MS. *d.* 50.

Formula eligendi Vicarii, ejusque officium.

Formula Congr. Procuratorum Regulæ Admonitoris.

PRopoſita & lecta fuerunt ſequentia. videlicet Formula Congregationis ad eligendum Vicarium Societatis, quando ille à demortuo Generali non fuerit nominatus, Officium Vicarii Generalis, formula Congregationis Procuratorum, qui ad Generalem tertio quoque anno veniunt, Regulæ Admonitoris Generalis, & auctoritate Congregationis fuerunt approbata.

XLIV. *In* MS. *d.* 51.

Decreta Definitorum.

Methodus agendi de negotiis.

PRopoſita fuerunt & lecta Decreta quædam Definitorum, & methodus ſervanda poſt electionem Præpoſiti Generalis in Congregatione generali, & auctoritate Congregationis approbata.

XLV.

XLV. *In* MS. *d.* 52.

QVæſitum fuit, an per Conſtitutiones & Decreta liceret Aſſiſtentibus intereſſe Congregationibus generalibus, quæ ab ipſo P. Generali cogi poſſunt. Et cum id hactenus conſtitutum eſſe non videretur, decrevit Congregatio, ut Aſſiſtentes, tam in hujuſmodi Congregationibus, quam in quibuſcumque aliis generalibus, quacumque ratione illæ cogantur, interſint, & jus ſuffragii habeant.

Aſſiſtentium jus in Congregationibus quæ à Generali convocantur.

XLVI. *In* MS. *d.* 53.

NOmine Deputatorum pro Decretis & Canonibus revidendis propoſita fuerunt aliquot Decreta: videlicet; ex prima Congregatione Decretum I. tit. I. & D. XIX. XX. & XXI. tit. VI. & item Dec. XIX. & XCI. ſecundæ Congregationis, in quibus nonnulla videbantur illis partim explicanda, partim extendenda. Congregatio autem cum Deputatorum dubia & ſententias audiviſſet, ea omnia ad Definitores rejecit expedienda.

Dubia circa Decreta.

XLVII. *In* MS. *d.* 56.

PRopoſita fuerunt à Deputatis pro Decretis & canonibus revidendis aliquot Decreta, videlicet Decretum II. LXI. LXIX Congregationis III. quæ illis viſa ſunt declaratione indigere. Congregatio autem, auditis eorum dubiis & ſententiis, ea commiſit Definitoribus explicanda.

Dubia circa Decreta.

XLVIII. *In* MS. *d.* 57.

LEcta fuerunt ſequentia, & auctoritate Congregationis approbata. Decretum aliquod Definitorum, in quo decreta aliquot præteritarum Congregationum, de quibus ſupra Decr. LIII. declarata fuerunt & extenſa; Formula Congregationis Provincialis, formula ad eligendos Aſſiſtentes, formula ad eligendum Admonitorem Præpoſiti, Regulæ Aſſiſtentium.

Formula eligendi Aſſiſtentes, Admonitorem Regulæ Aſſiſtentium.

XLIX. *In* MS. *d.* 58.

DEcretum fuit; ut quod habetur P. VIII. Declar. cap. VI. A, de tribus antiquioribus profeſſis, qui cum Vicario judicaturi ſunt eos qui ob ambitum delati fuerint; intelligatur de antiquioribus Profeſſis diverſarum nationum, ita ut omnes quatuor Iudices ſint ex illis quatuor nationibus, ex quibus Aſſiſtentes eligi ſolent.

Ambitus Iudices.

L. *In* MS. *d.* 59.

LEcta fuerunt ſequentia, & auctoritate Congregationis approbata, nempe Decreta quædam Definitorum, in quibus Decreta Congregationis III. ſupra in Decreto LVI. propoſita, fuerunt explicata & extenſa. Tum Decretum de conciliatione locorum Conſtitutionum, quæ in regulis Magiſtri Novitiorum & Examinatoris inſerta ſunt. Deinde formula Congregationis generalis. Poſtremo nonnulla loca Conſtitutionum, de quibus ſupra Decr. XXXVIII. quæ ad veritatem autographi corrigenda videbantur, & P. Generali commiſſa. Et quoniam ea omnia quæ in Conſtitutionum verſione corrigenda erant, lecta ſunt in Congregatione, & approbata; commiſſum eſt Generali, ut ſecundum ejusmodi correctiones Conſtitutiones denuo imprimantur, & ejusmodi editio deinceps in univerſa Societate pro vulgata habeatur.

Formulæ Cong. gener.

Verſio Conſt. approbata.

LI. *In* MS. *d.* 61.

Canones Congregationum omnium.

CVm Deputati ad Decreta revidenda, & canones extrahendos, Congregationi propoſuiſſent canones ex Decretis omnium Congregationum, legique cœpiſſent, & aliquot canones expungendi viderentur; quia res nimis in longum protrahebatur, & Patres cupiebant, urgebantque, ut Congregatio eodem die abſolveretur; viſum eſt Congregationi, ut res tota P. Generali committeretur, qui ſalvis Decretis, canones prædictos revideat & evulget, prout communi Societatis praxi expedire judicaverit.

Sequuntur Decreta per Definitores confecta, & à Congregatione approbata.

LII. *In* MS. *d.* 63.

Indifferentium gradus ne duret ultra biennium.

DEfinitum eſt, ut gradus Indifferentium, de quibus in Examine cap. VIII. dicitur, non duret poſt biennium: ſed eo exacto determinentur ad aliquem aliorum, nempe vel Scholaſtici, vel Coadjutoris temporalis, prout Superior illos aptos eſſe, & expedire communi bono judicaverit.

LIII. *In* MS. *d.* 64.

Qui poſt vota ſimplicia defi-

OMnes qui poſt biennium probationis vota ſimplicia Societatis cum promiſſione ingrediendi eamdem Societatem emiſerint, ſive illi ſint Coadjuto-

jutores temporales, ſive Scholaſtici, eamdem per omnia obligationem ſubire, ac proinde ut apoſtatas, ſi defecerint, juxta privilegia Societatis & litteras Apoſtolicas, puniri poſſe declaratum fuit. *ciunt, ut apoſtatæ puniendi.*

LIV. *In* MS. *d.* 65.

PRofeſſi trium votorum emittere debent poſt ſuam profeſſionem vota ſimplicia, quæ profeſſi quatuor votorum poſt profeſſionem emittere ſolent. *Profeſſi trium votorum etiam ſimplicia emittunt.*

LV. *In* MS. *d.* 66.

NOſtri qui in Domibus habitant & Collegiis, bis tantum quotannis ſua vota renovent, juxta praxim à tempore P. N. Ignatii ſanctæ mem. ſervatam. Nec obſtat declaratio cap. IV. V. P. littera N. exemplaris Hiſpanici, de tribus vicibus in tribus feſtis ſolemnibus; cum illud ſcriptoris mendum eſſe manifeſte appareat, ſi locus iſte cum alio IV. P. cap. IV. § 5. qui in iſto citatur ab auctore, conferatur. Et ideo probatur correctio prædicti loci P. V. Conſtitutionum à P. Everardo piæ mem. facta. *Renovatio votorum bis tantum in anno.*

LVI. *In* MS. *d.* 67.

SI quis Provincialium Europæ moriatur, nullo ſucceſſore per Generalem in ea Provincia nominato, nec ipſe Provincialis moriens aliquem Viceprovincialem deſignaverit; tunc Præpoſitus Domus Profeſſæ, vel ſi plures ſint Domus Profeſſæ, antiquiſſimus profeſſorum ex Præpoſitis, ſit Viceprovincialis, donec Generalis provideat. Quod ſi nulla in ea provincia ſit Domus Profeſſa, ſuccedat in Viceprovincialem Rector maximi Collegii, ſi profeſſus quatuor votorum ſit; aut ſi ille non fuerit talis profeſſus, ſit antiquiſſimus ſimilium profeſſorum ex ceteris Rectoribus. Si vero contingat nullum quatuor votorum profeſſum eſſe Rectorem, ſit nihilominus antiquiſſimus profeſſus quatuor votorum Provinciæ tantiſper Viceprovincialis, quoad Generalis aut Vicarius alium nominaverit. *Provinciali defuncto quis ſuccedat.*

LVII. *In* MS. *d.* 68.

CVm quædam præteritarum Congregationum generalium Decreta viſa eſſent aliqua tum explicatione tum extenſione indigere, illa in hunc, qui ſequitur, modum fuerunt explicata. *Decretorum declarationes.*

LVIII. *In* MS. *d.* 69.

IN Decreto I. tit. I. Congregationis primæ ad illa verba, *hujusmodi officiales,* additum eſt, *qui ab ipſo Generali creentur.*

LIX. *In* MS. *d.* 70.

IN Decreto XIX. tit. VI. primæ Congregationis illa verba, *Reſponſum eſt ſimul*, &c. usque ad finem Decreti, ſic declarata ſunt. Reſponſum eſt, quamvis Noſtris præſcribendum non ſit, ut omnes in eumdem locum orationis cauſſa conveniant (quod de ordinaria oratione intelligitur, non de extraordinaria, quæ pro re nata ad tempus publice inſtitui poteſt) cum Novitiis tamen in oratione ante cœnam diſpenſari poterit, ubi Præpoſitus Generalis expedire judicaverit.

Orare ſimul.

LX. *In* MS. *d.* 71.

IN decreto XX. tit. VI. Congregationis primæ ad illa verba, *nam in privata menſa antiquam*, &c. additum eſt, *nam in privata & ſecunda menſa, antiquam*, &c.

LXI. *In* MS. *d.* 72.

Exequiæ Principum.

IN Decreto XLI. tit. VI. Congregationis primæ, illa verba, *poſſe celebrari in morte Principum*, &c. uſque ad finem, ita fuerunt explicata. In morte Principum, quando pro eis exequiæ publicæ fieri ſolent per eccleſias civitatis, poſſe in noſtris eccleſiis hujusmodi exequias celebrari, cum feretro, ſine pompa, celebrando ſcilicet Miſſas; vel ſi uſus patriæ habet, etiam recitando officium defunctorum, modo noſtro ſimplici, ut fieri ſolet in ſepulturis Noſtrorum.

LXII. *In* MS. *d.* 73.

IN Decr. XIX. ſecundæ Congregationis ad illa verba, *ſed ſeorſum id facerent*, additum eſt, *ſed ſeorſum ab illis ipſi Novitii ſimul inter ſe id facerent.*

LXIII. *In.* MS. *d.* 74.

Examinatores Sacerdotum externorum.

IN Decreto XCI. ſecundæ Congregationis poſt illa verba, *ſed illud omnino Prælatis relinquamus*, addita ſunt ſequentia. Ceterum cum in examinatione promovendorum ad Ordines, curam animarum, &c. duplex fieri poſſit judicium; unum de eorum in doctrina ad munus, pro quo examinantur, ſufficientia; alterum de vita ac morum probitate, & aliis quæ eos ex omni parte dignos reddere ſolent, ut ad hujusmodi munus admittantur; non prohibetur per hoc Decretum Noſtris, quin poſſint in examinandi munere, ſi quando illud neceſſe ſit exercere, de doctrinæ ſufficientia ferre judi-

judicium; ſed interdicitur ſolum, ne de eorum admiſſione decernant; cum ad eam, ultra doctrinæ ſufficientiam, vitæ probitas & alia requiruntur, de quibus eſſet Noſtris cum difficile, tum etiam odioſum, velle judicare. Poſſit tamen diſpenſare R. P. Generalis, ubi hoc utile & expediens eſſe in Domino judicaverit.

LXIV. *In* MS. *d.* 75.

Ordo ſedendi in Congregationibus.

IN Decreto II. Congregationis tertiæ hæc declaratio & extenſio adhibita eſt: Procuratores qui profeſſi fuerint quatuor votorum, ſedeant inter Electores, juxta ordinem antiquitatis ſuæ profeſſionis: reliqui vero omnes poſt Electores hoc ordine ſequentur; ut ſcilicet primo loco ſint profeſſi trium votorum, ſecundo Coadjutores formati, tertio ceteri omnes juxta antiquitatem ſui gradus in Societate.

LXV. *In* MS. *d.* 76.

IN Decreto LXI. Congregationis tertiæ nihil addendum viſum eſt, ſed retinendum Decretum per omnia: dandam vero à P. N. Generali Provincialibus inſtructionem, quomodo circa praxim illius Decreti, præſertim quoad pactiones, ſe habere debeant, ut omnia cum ædificatione fiant.

LXVI. *In* MS. *d.* 77.

IN Decreto LXIX. Congregationis tertiæ nihil immutandum judicatum eſt; ſed ſervandum Decretum inter alia Decreta Congregationis ejusdem; nullum vero Canonem ex illo extrahendum, & qui antea extractus fuerat, ex Canonibus expungendum.

LXVII. *In* MS. *d.* 78.

Conſtitutionum declarationes circa Novitios.

CVm propoſita fuiſſent nonnulla dubia circa intelligentiam aliquorum locorum Conſtitutionum, quæ in regulis Examinatoris & Magiſtri Novitiorum continebantur: auctoritate Congregationis ſtatutum eſt, illa loca ita concilianda eſſe, & in prædictis regulis infra ſcripto modo inferenda. Videlicet, Si quis ad ſtudia majorem propenſionem quam par eſſet, & minorem indifferentiam, quam ad alia miniſteria Societatis præ ſe ferret; & videretur nihilominus ad ea minus aptus; non tantum proponatur ei ſcriptum examen, ut reliquis, ſed & §. 2. cap. VII. accurate illi explicetur; interrogeturque, an patienter ſe dimitti ſinet à Societate, dummodo ab omni voto ac promiſſione liber maneat.

Hoc tempore primæ probationis per quinque vel ſex dies accurate informentur prædicto modo de iis quæ ad inſtitutum & ad ipſos pertinent: & lectione alicujus pii libelli, qualis eſt De imitatione Chriſti, ſubinde recreentur. Deinde qui litteris operam dederunt, de ſingulis facultatibus, in quibus verſati ſunt, ſingulas prælegant lectiones, coram eis qui à Superiore ad eorum talentum cognoſcendum in doctrina, & proponendi modo, ſunt conſtituti. Et poſtea exhortationem unam quisque faciat. Tum ſi quis, antequam fuerit ad Societatem admiſſus, ſpiritualia Exercitia non fecerit, hoc primum experimentum, juxta IV. cap. Examin. §. 10. aggrediatur; & juxta Exercitia ſuo tempore generaliter confiteatur, niſi ante ingreſſum fuerit alicui de Societate generaliter confeſſus: tunc enim ſatis erit, ſi ab eo tempore generalem confeſſionem incipiat: & eodem tempore conſcientiam ſuam Superiori, aut ei quem Superior delegaverit, aperiat, juxta P. I. Conſt. cap. IV. §. 6. & ſi ab aliqua cenſura virtute noſtrorum privilegiorum abſolutus, admoneatur, quod ſi non perſeveraverit, in eamdem reincidet. Expleto autem tempore hujus experimenti, ſanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum accipiet; & communem domum habitationis ingredietur, ubi cum aliis verſari, & in ſecunda probatione diutius exerceri Novitii ſolent. Quod ſi vel cujusquam valetudo, vel aliqua temporis aut perſonæ ratio perſuaſerit, non eſſe tamdiu hæc mentalia exercitia continuanda; antequam exercitia aggrediantur, per quatuor vel quinque dies vacare, & ſeparatim recreari poterunt; vel ſi Magiſtro Novitiorum videretur, facta confeſſione generali, & peractis Exercitiis primæ hebdomadæ. ſed quando hæc relaxatio longius ob valetudinem aut aliam rationem protrahenda Magiſtro Novitiorum viſa fuerit, poterunt ſumpta Euchariſtia etiam ad communem victum admitti, & ubi recreati fuerint, ſua Exercitia peragent.

Decretum IV. Congregationis, quo confirmatur Decretum Tertiæ de bonis extrahendis ex Provinciis.

CVm die prima Aprilis 1581. petitum fuiſſet, ut Congregatio præſens confirmaret Decretum III. Congregationis de bonis extrahendis ex Provinciis in quibus ſunt, & applicandis ad Seminaria quæ hujusmodi præſidiis indigerent, ſaltem quoad Romanum Collegium, donec illi proſpe-

ctum

ctum eſſet de ſuſtentatione; placuit ut res melius conſideraretur, & iterum tractaretur. Cum itaque die IV. denuo ea de re ageretur, conſtitutum fuit, poſt varias rationes à pluribus Patribus in medium allatas, ut prædictum Decretum III. Congregationis de bonis extrahendis ex Provinciis in quibus ſunt, & applicandis ad Seminaria egentia, atque poteſtas diſpenſandi in eo contenta, auctoritate hujus Congregationis deinceps perſeveret, ut hactenus, usque ad proximam Congregationem generalem, cum limitationibus in eo contentis.

DECRETA

Quintæ Congregationis generalis.

I. *In* MS. *d.* 1.

DIe IV. Novembris facta eſt Deputatio quinque Patrum ex quinque diverſis nationibus, ſecundum rationem Decreti VII. ante electionem, & V. poſt electionem Congregationis tertiæ generalis, ad videndum ea quæ afferrentur à Patribus, & ſecernendum quæ Congregationi generali proponenda, quæ item ad Generalem Præpoſitum rejicienda ſint. Sed antequam ad ſcrutinium veniretur, pro hac vice tantum, ad effectum præſentis electionis, declaratum fuit, primo, ad Gallicanam nationem pertinere etiam Anglos, Scotos, Hibernos; ex quibus, ſicut ex Gallis, electio pro Gallicana natione fieri poſſit. Secundo, ex Provincia Flandriæ electionem fieri poſſe promiſcue pro utraque natione, Gallica & Germanica. Tertio, Polonicam Provinciam inter Germanicas computari. Quarto, ſi qui unius nationis in Provincia alterius nationis occupentur, hos non ad nationem in qua verſantur, ſed ad eam ex qua orti ſunt ſpectare. His præmiſſis, ad ſcrutinia ventum eſt: & primo ſcrutinio pro Germanica electus eſt P. Paulus Hoffæus; ſecundo pro Italica P. Benedictus Palmius; tertio pro Gallica P. Iacobus Tyrius; quarto pro Hiſpanica P. Ægidius Gonzalez; quinto pro Luſitania P. Petrus à Fonſeca.

Deputati ad ſecernenda.

Angli, Scoti, Hiberni.

Flandri.

Poloni.

II. *In* MS. *d.* 10.

QVoniam ad conſervationem & incrementum non ſolum corporis, id eſt eorum quæ externa ſunt, ſed etiam ſpiritus Societatis plurimum refert,

Deputati ad detrimenta.

refert, illius ſtatum & conditionem non ignorari, quo melius de neceſſariis præſidiis perquirendis, & illi ſubminiſtrandis, agi poſſit; propoſitum fuit, an facienda eſſet aliqua Deputatio Patrum, qui ea excipiant quæ alii Patres ad eos deferent, ob eam cauſſam ut cognoſcatur, an aliquid detrimenti paſſa ſit hactenus, aut deinceps paſſura Societas timeatur. Et re prolixe ac diligenter examinata, decretum fuit concordi omnium voluntate, ac P. Generali urgente, ut illa tamquam pernecessaria omnino fieret. Placuit etiam plurium ſuffragiis, ut iidem quinque Patres ſupra Decreto vi. deputati cum Præpoſito Generali ad ſecernendum oblata, nec plures, in hac etiam deputatione ſimul cum eodem P. Præpoſito ſint Deputati. Et quidem pro hac vice ſine ſcrutinio, ut in iv. Congregatione Decr. xxxv in faciendis Definitoribus obſervatum fuit. Quod ſi quid illis à quoquam tradetur, in quo illorum quiſpiam ſive in perſona ſive in rebus ad ipſum pertinentibus tangatur, placuit Congregationi, ut ille tantiſper ſecedat, dum ab aliis illud legatur. Demum ut quæ repererint, in quibus Societas detrimentum paſſa ſit, aut paſſura timeatur, ad Congregationem referant.

Iidem qui ad ſecernenda. Sine ſcrutinio electi.

III. *In* MS. *d.* 13.

QVæſitum eſt, an, & quo genere ſecreti obligandi eſſent Deputati pro detrimentis ſupra Decreto x. inſtituti, in ſuo munere obeundo. Decrevit autem Congregatio, quo liberius omnes afferre ad illos poſſent quæcumque vellent, prædictos Deputatos cum P. Præpoſito ſub præcepto obedientiæ, quod de facto illis impoſuit, deinceps teneri, ne quis eorum, ad quem fuerit à quopiam aliquid delatum, manifeſtet quovis modo, directe vel indirecte, perſonam deferentem, nec Congregationi ipſi, nec ulli prorſus, ſive de Congregatione, ſive extra Congregationem, neque etiam ulli collegarum ſuorum, niſi ipſo, qui detulerit, volente. Porro, quod ad delatos attinet; cum divinum ac naturale præceptum de non lædenda proximi fama ſatis manifeſtum ſit; placuit Congregationi, nullum ſecreti præceptum illis addere, ſed eorum conſcientiæ ac providentiæ hoc ipſum relinquere.

Quodnam ſecretum pro detrimentariis.

IV. *In* MS. *d.* 14.

PRopter varia incommoda, quæ circa formulam votorum ſimplicium Scholaſticorum Societatis ſæpe offerri ſolent, tum ex parte quorumdam è Noſtris, qui ignorantiam cauſati, quod voverunt, ac ſæpius in re-

Formula votorum Scholarium nihil addendum.

novatione votorum repetiverunt, ſuæ promiſſionis prævaricatores facti, indifferentes ad alterutrum gradum eſſe recuſant; tum etiam ex parte multorum externorum, ac præſertim quorumdam Tribunalium, quæ ex eo modo loquendi formulæ, occaſionem aliquando ſumunt dubitandi, an noſtræ Societatis homines ante gradum fixum vere religioſi ſint; Propoſitum fuit, an in eadem formula, ubi dicitur: *Et promitto eamdem Societatem me ingreſſurum*, inſerendum eſſet, quod habetur in Declaratione ejuſdem loci, de alterutro gradu, vel Profeſſorum, vel Coadjutorum formatorum, prout Præpoſito ad majus Dei obſequium fore videbitur, acceptando. Et cum hæc quæſtio multis in utramque partem allatis rationibus diligenter diſcuſſa fuiſſet, tandem omnium conſenſu ſtatutum fuit, ut formula intacta & non mutata retineatur, quemadmodum habetur in libro Conſtitutionum, & eam accepimus à P. N. Ignatio, cujus ſanctam memoriam veneramur. Neque enim allata incommoda tanti ſunt momenti, ut ulla eorum ratio haberi debeat; cum præſertim per duas Extravagantes duorum Summorum Pontificum, nempe Gregorii XIII. & Gregorii XIV. iſti difficultati ſatis ſuperque proſpectum fuerit; ac præterea omnibus iis incommodis, quæ obiici ſolent, occurrere, atque etiam illa præcavere difficile non ſit. Hoc autem quomodo fieri poſſit, ad Deputatos pro ſubſtantialibus Inſtituti declarandis, & formula votorum recognoſcenda, Congregatio rejecit conſiderandum.

V. *In* MS. *d.* 16.

In formula votorum promiſſio eſt votum.

CIrca verba illa quæ habentur in formula votorum ſimplicium Scholaſticorum Societatis, nempe, *& promitto eamdem Societatem me ingreſſurum*, quæſitum eſt, ut à Congregatione declararetur, an illud *promitto* habeat veram rationem voti. Et re mature conſiderata, ac rationibus diligenter expenſis, Congregatio declaravit, prædictam promiſſionem vere & proprie fuiſſe, & eſſe, & ab omnibus cenſeri debere votum peculiare, à tribus aliis in eadem formula contentis diſtinctum, quo quis ſe obligat ad acceptandum gradum Profeſſorum, vel Coadjutorum formatorum, prout Præpoſito ad majus Dei obſequium fore videbitur.

VI. *In* MS. *d.* 17.

Conſtitutiones declarantur de opinionibus.

PRopoſita fuerunt quædam Conſtitutionum loca, nempe §. 11. cap. III. Examinis, adjuncta Declaratione §. 18. c. 1. P. III. lit. O. de obligan-

dis Noſtris ad ſuum judicium ſubmittendum, ſentiendumque, ut fuerit conſtitutum in Societate, de opinionibus ab iis differentibus, quæ communius ab Eccleſia & Doctoribus ab ea approbatis tenentur, ſentire oportere. Nam non defuerunt viri graves & eruditi, qui ex falſa prædicti loci intelligentia & interpretatione Societatem calumniati ſint, eam ſibi magiſterium & poteſtatem definiendi dogmata fidei, & obligandi ſuos ad ſubmittendum ſuum judicium tali definitioni, arrogare. Item § 2. cap. VII. Exam. de dimittendis Noſtris ob defectum ſanitatis, &c. adjuncta Declar. cap. VI. P. IV. lit. N. & cap. II. P. II. lit. B. Nonnullis enim è Noſtris gravis eſſe ſolet, atque etiam nonnumquam periculoſus totus iſte locus. Itaque poſtulatum eſt, ut Congregatio iſta duo loca declararet; & inter ſe, quæ ad eamdem materiam pertinent, conciliaret, quo variis incommodis occurratur.

Et quidem Congregatio cenſuit, omnia prædicta loca eſſe declaranda, & concilianda. formam tamen declarationis rejecit ad Deputatos pro dubitationibus circa Conſtitutiones explicandis, conficiendam, & à ſe poſtea probandam.

VII. *In* MS *d.* 18.

Confirmatur Decretum XVI.

CVm legeretur Decretum XVI. de Scholaſticorum promiſſione ingrediendi in Societatem, interceſſum fuit à tribus Patribus. Sed re denuo diligenter conſiderata, Congregatio confirmavit declarationem factam, & ſtatuit ut Decretum prædictum de ea re factum retineretur.

VIII. *In* MS *d.* 19.

Bonorum reſtitutio dimiſſis.

PRopoſitum fuit, ut auctoritate Congregationis declararetur praxis illius Declarationis, quæ habetur P. II. Conſtit. cap. III. lit. B. de reſtituendis eorum bonis iis qui à Societate dimittuntur. Et Congregatio cenſuit rem totam deferendam ad Deputatos pro explicandis dubiis Conſtitutionum: praxim vero P. Præpoſiti arbitrio relinquendam, & nihil Congregationis nomine definiendum.

IX. *In* MS. *d.* 20.

Librorum ſcriptio.

QVæſitum eſt, an quod habetur P. III. cap. I. Conſt. §. 18. de editione librorum, extendendum eſſet ad eorum etiam ſcriptionem; ita ut ſicut edi, ſic nec ſcribi poſſint abſque Præpoſiti Generalis facultate. Et placuit Congregationi, ut ejuſmodi extenſio non fiat.

X.

X. *In* MS. *d.* 21.

CIrca illa verba §. 7. cap. I. P. III. Conſt. *doceantur omnes, quod nulla re tamquam propria uti debeant,* propoſitum fuit, ut declaretur, an qui re aliqua tamquam propria utuntur, & nominatim, qui poſſeſſione bonorum ſuorum nondum ſe abdicarunt; & rebus ſuis tamquam propriis utuntur, expendendo, donando, &c. ſine facultate, contra votum peccent. Decretum eſt autem, id quidem omnino declarandum eſſe: verum ut Deputati Patres pro dubitationibus circa Conſtitutiones, prius hanc rem diligenter diſcutiant, & diſcuſſam ad Congregationem referant. *Paupertatis votum.*

XI. *In* MS. *d.* 21.

CIrca illa verba §. 3. cap. I. P. IV. Conſt. *candela cerea fundatori offeratur,* quæſitum eſt, an declarandum eſſet, ut quando ab Epiſcopis fiunt fundationes Collegiorum de bonis menſæ Epiſcopalis, ſint potius habendi ſucceſſores in fundatione Epiſcopi ſubſequentes, quam fundatorum conſanguinei. Et Congregationi viſum fuit, ut nullum hac de re Decretum fieret, ſed P. Generali praxis permitteretur. *Candela fundatoris.*

XII. *In* MS. *d.* 23.

STatutum fuit auctoritate Congregationis, ut deinceps in nullo caſu exerceri liceat facultatem illam diſpenſandi in contrahendo biennii ſpatio, ad hoc ut quispiam ante expletum biennium cenſeatur verus Religioſus, & Scholaſticus approbatus per emiſſa vota ſimplicia Scholaſticorum Societatis: quam facultatem concedit declaratio P. V. cap. I. lit. C. Per hoc tamen non intenditur hanc Declarationem abrogari; ſed ſolum facultatis, quæ in ea conceditur, uſum prohiberi. Ceterum, à quodam Patre interceſſum fuit. *Biennium Novitiatus.*

XIII. *In* MS. *d.* 24.

CVm propter interceſſionem heri factam adverſus Decretum XXIII. de eadem re iterum actum eſſet, obtentum fuit, ut decretum illud, ſicuti jacet, retineretur. quia tamen poſtea quidam dixerunt ſupradictum locum P. V. cap. I. lit. C. poſſe forſitan ita declarari, ut de ſolis profeſſis, qui ad ſolemnia vota admittuntur, intelligatur, propterea quod nullæ ex iis cauſſis non levis momenti, quarum in ea Declaratione fit mentio, in eos incurrere poſſe videntur, qui ſimplicia vota emittunt: pla- *Interceſſio de biennio Novitiatus.*

cuit Congregationi hanc rem ad Deputatos pro dubiis Conſtitutionum deferendam eſſe, ut ipſi accurate illam conſiderent, & poſtea ad Congregationem referant.

XIV. *In MS. d. 25.*

Interceſſiones externorum. PRopoſitum fuit circa id, quod habetur P. VII. c. II. lit. K. ne quis ſcilicet Principem, vel Communitatem, aut hominem quempiam magnæ auctoritatis ad ſcribendum Superiori, vel verbo tenus petendum aliquem de Societate, moveat, &c. An aliquid ſtatuendum eſſet in eos, qui per negotiationes & interceſſiones externorum, aliquid à Superioribus obtinere procurant. Decrevit autem Congregatio, omnino ſtatuendum eſſe: quid vero, quibus in caſibus, & id genus alia particularia, ad Deputatos pro detrimentis Societatis cognoſcendis rejecit, qui rem totam cum expedierint, ad ipſam Congregationem referre debebunt.

XV. *In MS. d. 26.*

Quinam auctores diviſionis. PEtitum etiam fuit, ut circa id, quod habetur P. VIII. cap. I. §. 5. cum ſua Declaratione, nempe, ſi quis diviſionis vel diſſenſionis eorum qui una vivunt, inter ſe, vel cum ſuo capite auctor eſſe cerneretur, &c. Congregatio declaret, quinam ſint cenſendi diviſionis vel diſſenſionis auctores, quos ſeparare oporteat. Et cenſuit Congregatio omnino declarandum eſſe: rem tamen ad Deputatos pro detrimentis Societatis cognoſcendis deferendam eſſe; quam confectam, ipſi poſtea ad eamdem Congregationem referant.

XVI. *In MS. d. 27.*

Aſſiſtentium ſuffragium. STatutum fuit auctoritate Congregationis, ut Aſſiſtentes habeant ſuffragium deciſivum in iis omnibus, in quibus illud habent Provinciales extra Congregationem generalem.

XVII. *In MS. d. 28.*

Deputati pro caſibus. PLacuit Congregationi, ut P. Generalis deſignaret aliquot Patres, qui caſus reſervatos Societatis reviderent, & cum formula à Summo Pontifice edita pro Religioſorum familiis conferrent; & poſtea ad Congregationem referrent, ut illa demum ſtatueret, quid in Societate ſervandum eſſet.

XVIII. *In MS. d. 29.*

CVm propoſitum fuiſſet, graves querimonias adverſus noſtram Societatem in Hiſpania exortas eſſe, ob maxima incommoda, quæ oriri poſſunt ex parte eorum, qui Majoratus (vulgo *Majorazgos*) habent, ſi in Societatem admiſſi, non ita ſe firmiter jure illo Majoratus ſtatim poſt biennium expletum probationis abdicent, ut ad illud nullo umquam tempore, nullove caſu recurſus eſſe illis poſſit; ob eam cauſſam ſerio flagitatum eſt, ut Congregatio aliquod ſufficiens remedium huic graviſſimo incommodo decernat. Re autem mature deliberata, Congregatio ſtatuit, ne quis jure illo Majoratus gaudens in Hiſpania, ſine facultate P. Generalis ad Societatem recipiatur; & is ſit iis donis ornatus, ut ſpem magnam præbeat, ſe poſt biennium probationis fore talem, qualem noſtræ Conſtitutiones requirunt, ut ad profeſſionem trium votorum admitti queat, ad quam ſine voluntate P. Generalis promoveri non poterit. Ad profeſſionem autem intelligitur admittendus, niſi qualitas Majoratus ejuſmodi fuerit, ut promotio ad ſacrum Ordinem firmitati illius abdicationis ſatis ſit. Tunc enim non profeſſio, ſed ordinatio procuranda erit. *Majoratus in Hiſpania.*

XIX. *In MS. d. 30.*

VT graviſſimis incommodis occurreretur, & communi ædificationi conſuleretur; decretum eſt auctoritate Congregationis, ut beneficia Eccleſiaſtica, quæcumque Noſtri obtinent, finito biennio probationis, priuſquam vota ſimplicia Scholaſticorum emittant, non obſtante Canone I. Congregationis primæ generalis, omnino reſignentur. *Beneficia poſt novitiatum reſignanda.*

XX. *In MS. d. 31.*

EXpoſitum fuit in Congregatione, nonnulla Collegia & Domos aliquarum Provinciarum indigere præſenti proviſione Superiorum. Quoniam vero dubitabatur, an Canon XXXII Congregationis primæ prohiberet hanc proviſionem fieri per Præpoſitum Generalem durante Congregatione generali; placuit Congregationi, ut interim P. Præpoſitus provideat Superiores iis in locis ubi opus eſt, donec melius declaretur Canonis illius ſenſus, quod ad Deputatos pro dubitationibus Congregatio rejecit Congregationi poſtea proponendum. *Superiores creandi facultas.*

XXI. *In MS. d. 32.*

CVm nomine Philippi Hiſpaniarum Regis Catholici ſignificatum eſſet Congregationi, cupere Majeſtatem ſuam pro affectu, quo erga S. Inquiſitio- *Officium Inquiſitionis in Hiſpania.*

ſitionis Tribunal afficitur, (quippe quod ad Catholicam fidem & pacem in illis Regnis tuendam apprime neceſſarium eſſe novit) ut Societas uſu nonnullorum privilegiorum in illis Regionibus abſtineret, quæ ſancto illi officio minus commoda cenſebantur. Ea autem erant, facultas legendi libros prohibitos, abſolvendi ab hæreſi in foro conſcientiæ, & exemptio quædam à fel. rec. Gregorio XIII, conceſſa, ne Noſtri abſque expreſſo Superioris ſui conſenſu ac mandato, ad quodvis munus, officium, vel exercitium obeundum, quorumvis, quacumque Eccleſiaſtica vel ſæculari dignitate ſeu auctoritate fungentium, etiamſi S. R. E. Cardinales, Patriarchæ, Archiepiſcopi, Epiſcopi, vel alii Antiſtites & Prælati, nec non Synodi, Communitates & Capitula quæcumque, aut officii hæreticæ pravitatis Inquiſitores, ac Commiſſarii; vel Iudices, vel etiam Imperator, Reges & alii ſæculares Principes eſſent, deſtinati, adigi, vel cogi poſſent. Reſponſum eſt, de primis quidem duobus privilegiis, rem eſſe jam confectam: quandoquidem P. Præpoſitus Generalis, ut ipſe retulit, in gratiam ejusdem Majeſtatis, & ut ſancto illi Tribunali ſatisfieret, impetratam à Summo Pontifice per Breve duarum illarum facultatum revocationem in Hiſpaniam jam tranſmiſerat. De tertio vero idem P. Præpoſitus per litteras patentes, XX. Martii anno MDLXXXIX. datas, Noſtris omnibus uſum hujus privilegii interdixerat. Petitum eſt ergo Regiæ Majeſtatis nomine à Congregatione, ut id ipſum ſua auctoritate firmaret. Quæ quoniam ſuis privilegiis ad ædificationem & divinum tantum obſequium uti cupit, & ſancto illi Tribunali, ut par eſt, plurimum deferre; prædictas patentes litteras præſenti Decreto confirmat, præcipiens atque interdicens, ne quis Noſtrorum in illis Regnis, aliisque dominiis illi Tribunali ſubjectis, privilegio illo, quod ad prædictum ſanctum Officium pertinet, quoquo modo uti, aut illo ſe tueri ullatenus præſumat. Imo omnem facultatem eo utendi ſibi prorſus ſublatam eſſe, intelligat, ac ſi privilegium ipſum à Sede Apoſtolica numquam impetratum eſſet. Quin potius omnes Noſtros in hujusmodi Regnis exiſtentes, ſerio & graviter hortatur, ut quidquid obſequii à noſtra tenuitate in ſanctum illud Officium, ejusque miniſtros provenire poterit, id humiliter ſemper atque alacriter præſtare curent.

XXII. *In* MS. *d.* 33.

Deputati pro caſibus reſervatis.

PRo Deputatione ad recognoſcendos caſus reſervatos, de qua Decreto XXIII. actum fuerat, P. Præpoſitus nominavit ſequentes Patres, videlicet

P. Pau-

P. Paulum Hoffæum, P. Ægidium Gonzalez, P. Emmanuelem Rodericum, P. Robertum Bellarminum, P. Marium de Andria, P. Bartholomæum Perez, P. Clementem Puteanum, P. Ioannem Alvarum.

XXIII. *In* MS. *d.* 34.

CVm Declaratio Can. XXXII. Congregationis primæ generalis, de qua ſupra Decret. XXXI. actum fuit, per Deputatos pro dubitationibus Conſtitutionum facta propoſita fuiſſet, videlicet omnes illos judicaſſe, Canonem illum abſolute de omni Congregatione generali intelligendum eſſe; Congregatio hanc illorum Declarationem approbavit. *Mutatio Superiorum durante Congregatione.*

XXIV. *In* MS. *d.* 35.

QVoniam excreſcente jam in dies numero profeſſorum & Superiorum in variis Provinciis; ob eam cauſſam multo frequentiores, quam par eſſet, ad Provinciales Congregationes conveniunt; & poſthac numerus congregandorum quotidie magis adhuc excreſcat, non ſine multis iisque gravibus incommodis; quæſitum fuit à Congregatione, ut aliquod remedium adhiberet, minuendo ſcilicet numero congregandorum, ubi magnus eſt numerus Profeſſorum. Et quia hæc res ad aliquam Conſtitutionum P. VIII. c. III. immutationem poſſe pertinere videbatur; prius viſum eſt agendum eſſe, an de hac re tractandum foret. Et decretum fuit, omnino de remedio adhibendo agi oportere; utque Deputati pro formulis Congregationum recognoſcendis hoc ipſum curarent, Congregationi poſtea proponendum; & ut Patres, qui hac de re aliquid proponere vellent, ad prædictos Deputatos deferrent per totam præſentem hebdomadam, hoc eſt, uſque ad diem XXVII. hujus menſis Novembris incluſive. *Numerus congregandorum minuendus.*

XXV. *In* MS. *d.* 36.

DEcretum fuit ut formula acceptandorum Collegiorum à P. Generali facta tradatur Deputatis pro detrimentis Societatis cognoſcendis, ut eam revideant, & ad Congregationem referant. *Formula acceptandorum Collegiorum.*

XXVI. *In* MS. *d.* 37.

CVm venerabilis Carthuſienſium Religio, pro ſua præſtanti pietate, & erga Ordinem noſtrum caritate, non ſolum tempore P. N. Ignatii ſanctæ mem. ſed etiam poſtremis his temporibus, in ſuo Capitulo generali, ſocietatem fraternitatis per bonorum operum ſuorum communicationem no- *Carthuſienſium fraternitas.*

nobiſcum inire voluerit; decrevit generalis Congregatio nomine totius noſtræ Religionis, ſumma omnium conſenſione, & erga ſanctam illam Religionem veneratione, parem illi gratiâ referre, & per eamdem bonorum operum, quæ per ejus parvitatem divina bonitas operari dignatur, communicationem, fraternitatis ſocietatem cum illa viciſſim inire, cum ſumma teſtificatione amoris & officiorum noſtrorum.

XXVII. *In* MS. *d.* 38.

Adventus jejunium.

CVm propoſitum fuiſſet, in aliquibus locis aliquam offenſionem ſeu ſcandalum nonnumquam ſuboriri, propterea quod Noſtri in Adventu nec jejunant, nec à carnibus abſtinent; & ob eam cauſſam petitum, ut Noſtri in iis locis communiter omnes eo tempore vel jejunent, vel ſaltem à carnibus abſtineant. Reſponſum eſt, ſi quod dicitur de ſcandalo quod proprie obligaret ad peccatum, nullo opus eſſe decreto; ſi autem intelligitur de aliqua admiratione ſeu offenſione externorum, Congregatio decrevit, nil eſſe addendum ad Decretum XVII. tit. VI. primæ Congregationis Generalis.

XXVIII. *In* MS. *d.* 40.

Interdicitur ambitus officiorum Sanctæ Inquiſitionis.

VT ſancti Officii miniſterio, ad quod aſſumere volent Inquiſitores ex Noſtris, liberius & dignius præſtetur obſequium; tum etiam ut ambitionis inter ipſos Noſtros aditus præcludatur; Placuit Congregationi, omnibus Noſtris in regno Hiſpaniæ, aliiſque Dominiis illi Tribunali ſubjectis, præcipere ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ, ne quiſquam per ſe vel per alium præſumat procurare vel ambire officia Conſultoris & Qualificatoris: ſed ſincere ac religioſe illius ſancti Tribunalis juſſis obediant. Quod ſi tempore procedente compertum fuerit, alias etiam pœnas eſſe neceſſarias ad hujuſmodi ambitionem coërcendam, (quod Congregatio ſperat non futurum) ſerio commendat P. Præpoſito Generali, ut graviores etiam pro neceſſitate occurrente pœnas adhibeat.

XXXIX. *In* MS. *d.* 41.

Accipere pro miniſteriis, an ſit contra votum.

CIrca cap. I. Exam. § 3. & cap. II. Conſt. P. VI. §. 7. poſtulatum fuit, ut Congregatio declararet, an accipere aliquid pro miniſteriis Societatis tamquam ſtipendium vel eleemoſynam in compenſationem, ſit contra votum paupertatis Societatis, vel contra Conſtitutionem tantum.

Et

Et cum hæc quæſtio ſerio & accurate per plures dies agitata fuiſſet, tandem placuit Congregationi, nihil in alterutram partem definire aut declarare, ſed exactiſſimam illius graviſſimæ Conſtitutionis obſervationem, ad majorem ædificationem & paupertatis noſtræ ſinceritatem ac puritatem retinendam perneceſſariam, vehementer omnibus commendare: ac omnino prohibere, ne ullus Superior, ac ne ipſe quidem Præpoſitus Generalis in ea diſpenſet.

XXX. *In* MS. *d.* 41.

CUm propoſitum fuiſſet, utrum ſtatuendum eſſet certum aliquod tempus pro generali Congregatione convocanda; re diligenter conſiderata, Congregatio decrevit communi omnium conſenſu, ac nemine prorſus diſcrepante, nullum certum tempus Congregationi generali cogendæ præſcribendum; ſed Decreta xxiv. ſecundæ & x. quartæ Congregationum generalium ſervanda eſſe, quæ præſens Congregatio rata firmaque habet, & denuo confirmat.

Congregationis Generalis nullum certum tempus.

XXXI. *In* MS. *d.* 43.

POſtulatum fuit, ut Congregatio moderationem adhiberet in dimittendis Noſtris è Societate, prius id commeritos caſtigando, ac præterea præcavendo, ne qui Societatem deſerere prætendunt, id male ſe gerendo ſtudeant obtinere. Et quoniam per noſtras in ſt. P. Conſtitutiones, & PP. Generalium ordinationes, omnibus caſibus ita proſpectum eſſe videtur, ut nullo novo decreto opus eſſe appareat; placuit Congregationi, ea de re nihil plane decernendum eſſe; totam vero hujus materiæ praxim R. P. Generali committendam & commendandam, ut ipſe quod in Conſtitutionibus & Ordinationibus prædictis de hac re habetur, juxta facultatem in litteris Apoſtolicis conceſſam, diligenter ſervari curet.

Dimiſſionum moderatio.

XXXII. *In* MS. *d.* 44.

QVæſitum fuit, an Provincialibus Congregationibus auctoritate hujus Congregationis concedenda eſſet major aliqua poteſtas, quam nunc habeant, ad res ſuarum Provinciarum ordinandas. Et re mature examinata, Congregatio ſtatuit communi omnium conſenſu, ac nemine prorſus diſcrepante, Provincialibus Congregationibus aliam poteſtatem, præter eam quam nunc habent, non eſſe concedendam; & nihil plane hac in parte innovandum; ſed ſervandam formulam Congregationis Provincialis

Auctoritas Provincialis Congregationis.

in quarta Generali Congregatione recognitam & approbatam, & in hac quinta recognoſcendam & approbandam.

XXXIII. *In* MS. *d.* 45.

Superiorum ſyndicatu. PRopoſitum fuit, ut hujus Congregationis Decreto Provinciales, & Superiores locales, ad reddendam rationem ſuorum officiorum aſtringantur; declarando illis accuſationes, quæ adverſus illos deferri ſolent; eorumque defenſiones audiendo; quo conſtare poſſit, quomodo illi in ſuorum munerum functionibus ſe geſſerint. Cenſuit autem Congregatio, nihil omnino hac de re ſtatuendum eſſe, cum ſatis ſuperque proviſum ſit per ea, quæ de hujuſmodi ratione reddenda continentur in Conſtitutionibus P. IV. cap. II. §. I. & cap. X. §. 3. & P. IX. cap. III. §. 4. cum Declaratione: & in regulis Provincialis cap. XIV. & in Inſtructionibus Viſitatorum; quorum omnium accuratam executionem, ſicubi opus ſit, utpote gubernationi bonæ pernecеſſariam, Congregatio ſerio & graviter P. Præpoſito commendat.

XXXIV. *In* MS. *d.* 46.

Interceſſio de Syndicatu. CUm legeretur Decretum proximum XLV. interceſſum fuit à quodam Patre, qui cenſebat addendum eſſe Decreto, ut Provinciales rationem ſuorum officiorum ad finem triennii reddere teneantur; cum ſæpe contingat illos defungi ſuis officiis, nulla illorum reddita ratione. Congregatio nihilominus ſtatuit, Decretum prædictum ut jacet retinendum, & nihil illi addendum eſſe.

XXXV. *In* MS. *d.* 47.

Triennium Superiorum. PEtitum fuit, ut auctoritate Congregationis ſtatueretur, ne Superiorum localium officia ultra triennium continuentur. Decrevit autem Congregatio, nullum certum tempus præfigendum, ſed ſervandum eſſe Decretum LXXXVII. Congregationis ſecundæ generalis. Et nihilominus Congregatio vehementer commendat P. Præpoſito, ut diligenter curet, ne præfecturæ illæ Societatis nimis diuturnæ ſint, aut prolixe continuentur.

XXXVI. *In* MS. *d.* 49.

An profeſſionis certum tempus. CUm propter varias querelas ac difficultates, quæ circa admiſſionem Noſtrorum ad gradus fixos, & potiſſimum profeſſionis Societatis audiun-

diuntur, fuiſſet quæſtio propoſita, utrum certum aliquod tempus ſtatuendum eſſet, quo Noſtri ad eos gradus promovendi forent: antequam quidquam de hac re ageretur, Congregatio ſtatuit, ut formula informandi de promovendis ad prædictos gradus, à P. Præpoſito ſuperioribus annis confecta, per Patres Deputatos ad cognoſcenda detrimenta Societatis, diligenter revideretur; & ut Patres congregati, ſi quid in eam rem haberent, intra ſequens quatriduum die XII. hujus menſis terminandum, ad prædictos Patres deferrent; quo illi, hujusmodi aliorum Patrum adnotationibus adjuti, ſupradictam formulam perficiant, & omnibus numeris abſolutam Congregationi proponant: ut hac ratione nihil prætermittatur, quod bonam, ſinceram & exactam hujus promotionis praxim juvare poſſit. Tum de propoſita quæſtione tractari cœptum fuit.

XXXVII. *In* Ms. *d.* 50.

Tempus profeſſionis & aliorum graduum.

TRactatum fuit de proxima quæſtione Decreto XLIX. propoſita, utrum ſcilicet certum aliquod tempus promovendi Noſtros ad gradus fixos in Societate præfigendum eſſet. Et cùm multa in eam rem à Patribus præclare dicta fuiſſent, tandem Congregatio ſumma animorum & ſententiarum conſenſione in primis declaravit, nullum in Conſtitutionibus certum tempus iis gradibus conferendis præfixum eſſe, aut etiam illis integris præfigi poſſe; cùm ex illis nihil aliud habeatur, quam præſcribendi ea quæ promotionem ad illos gradus præcedere oporteat: terminum vero ad illos promovendi, nullum alium eſſe, quam ſufficientiam promovendorum pro qualitate cujusque gradus in Chriſtianæ vitæ puritate, ac ſelecta doctrina, ſatis cognitam, & diuturnis ac diligentiſſimis probationibus exploratam, cum omnium ædificatione & ſatisfactione: ac denique non niſi cùm Societati, vel ejus Præpoſito Generali (in cujus manu proprii cujusque gradus judicium, noſtri forma Inſtituti, & Apoſtolicæ Conſtitutiones eſſe voluerunt) fuerit ab eis plene in Domino ſatisfactum. Deinde eadem Congregatio inhærens Decreto XIII. Congregationis quartæ generalis, quod ratum habet, ac de novo confirmat, ſtatuit nullum certum tempus prædictis gradibus conferendis præfiniendum eſſe; aut quidquam in Conſtitutionibus in hac parte innovandum: cum & noſtri Inſtituti ſubſtantialibus hoc plane repugnet, & graviſſima ad illud labefactandum incommoda ex ejusmodi determinatione neceſſario ſecutura eſſent. Et quoni-

am aliqui Provinciales queſti fuerunt, nimium protrahi Congregationem, cum magno ſuarum Provinciarum incommodo, P. Præpoſitus monuit Patres, ut cogitarent, an de eligendis Definitoribus pro celeri negotiorum expeditione tractandum foret.

XXXVIII. *In* MS. *d.* 51.

Numerus profeſſorum contrahendus.

CVm Patres Deputati pro formulis Congregationum recognoſcendis, retuliſſent ad Congregationem ſuum judicium, de numero congregandorum in Congregationibus Provincialibus contrahendo, & de contractionis modo, prout ad eos rejectum fuerat conſiderandum Decreto XXXV. Congregatio quod ad numerum contrahendum attinet, re diu multúmque in utramque partem agitata, demum Patrum Deputatorum judicium probavit; ac in Conſt. P. VIII. c. III. diſpenſandum eſſe decrevit, numerumque omnino minui debere, ob gravia incommoda, quæ ex nimia congregandorum frequentia ſequuntur. Et cum aliqui Patres interceſſiſſent, iterum ſententiæ rogatæ fuerunt, iterumque decretum fuit, ut numerus omnino contrahatur. Modum vero contractionis in alia actione conſiderandum eſſe.

XXXIX. *In* MS. *d.* 52.

Definitores octo.

STatutum fuit omnium conſenſu, ut quemadmodum ad finem Decreti L. propoſitum fuerat conſiderandum, Definitores eligantur; & quidem numero octo, qui cum P. Præpoſito in negotia, quæ Congregatio ad eos rejiciet, celerius expedienda incumbant, cum ea poteſtate quam Congregatio illis communicabit.

XL. *In* MS. *d.* 54.

Flandria.

CVm juxta Decretum LII. electio Definitorum facienda eſſet, omnium primum pro hac vice declaratum fuit, Provinciam Flandriæ ad Germanicas provincias pertinere. Cetera vero, quæ de hujuſmodi materia Decreto VI. ante electionem quinque Deputatorum pro illa vice declarata fuerunt, in hac etiam electione ſervari placuit. Tum decretum eſt, ut cum quinque Definitores eligendi ſint ex quinque nationibus conſuetis, ex tribus aliis qui ſupererunt eligendi, unus ex Italica, alter ex Hiſpanica & Luſitanica promiſcue; tertius ſimiliter promiſcue ex Tranſalpinis eligatur. Poſtremo facta eſt ſingulorum electio per ſcrutinium ad plura medietate ſuffragia, juxta Decretum XLVIII. Congreg. IV. generalis. Et primo

Definitores octo ex quinque nationibus.

qui-

quidem pro Germania electus eſt P. Paulus Hoffæus tertio ſcrutinio. Secundo pro Italia P. Benedictus Palmius ſecundo ſcrutinio. Tertio pro Gallia P. Iacobus Tyrius primo ſcrutinio. Quarto pro Hiſpania P. Ægidius Gonzalez primo ſcrutinio. Quinto pro Luſitania P. Petrus Fonſeca primo ſcrutinio. Sexto pro Italia P. Laurentius Magius primo ſcrutinio. Septimo pro Hiſpania & Luſitania P. Garzias Alarconius ſecundo ſcrutinio. Octavo pro Tranſalpinis P. Oliverius Manaræus primo ſcrutinio.

XLI. *In* MS. *d.* 55.

CVm Deputati pro ratione ſtudiorum recognoſcenda, poſt accuratam diſcuſſionem, & multorum dierum collationem ſuam ſententiam ad Congregationem retuliſſent circa partem ſpeculativam, & delectum opinionum; Congregatio judicium illorum probavit. Et primo loco unanimi omnium conſenſu ſtatuit, doctrinam S. Thomæ in Theologia Scholaſtica tamquam ſolidiorem, ſecuriorem, magis approbatam, & conſentaneam noſtris Conſtitutionibus, ſequendam eſſe à Profeſſoribus noſtris. Deinde Congregatio regulas quasdam ab iisdem Deputatis confectas pro delectu opinionum, tam in rebus Theologicis, quam Philoſophicis, in libro de Ratione ſtudiorum recenſendas eſſe decrevit, ut à noſtris Profeſſoribus exacte ſervarentur. Sunt autem, quæ ſequuntur: *Doctrina S. Thomæ ſequenda.*

Regulæ pro delectu opinionum pro Theologis.

1. SEquantur noſtri Doctores in Scholaſtica Theologia doctrinam S. Thomæ: neque deinceps ad cathedras Theologicas promoveantur niſi qui S. Thomæ bene affecti fuerint. qui vero ejusdem Auctoris parum ſtudioſi, vel etiam ab eo alieni ſunt, à docendi munere repellantur. De Conceptione autem B. Mariæ, ac de ſolemnitate votorum, ſequantur ſententiam, quæ magis hoc tempore communis, magisque recepta apud Theologos eſt.

2. In docendo corroborandæ primum fidei, alendæque pietatis cura habeatur. Quare in iis quæſtionibus, quas S. Thomas ex profeſſo non tractat, nemo quidquam doceat, quod cum Eccleſiæ ſenſu, receptisque traditionibus non bene conveniat, quodque aliquo modo ſolidæ pietatis firmitatem minuat. Quo pertinet, ut nec receptas jam, quamvis congruentes tantum rationes, quibus fidei res probari ſolent, No-

ſtri refellant; nec temere novas excogitent, niſi ex conſtantibus ſolidisque principiis.

3. In iis etiam, in quibus nullum fidei pietatisque periculum ſubeſt, nemo in rebus alicujus momenti novas introducat quæſtiones; nec opinionem ullam, quæ idonei nullius auctoris ſit, iis qui præſunt inconſultis; nec aliquid contra Theologorum axiomata, communemve ſcholarum ſenſum doceat. Sequantur potius univerſi probatos maxime Doctores: & quæ, prout temporum uſus fuerit, recepta potiſſimum fuerint in Catholicis Academiis.

4. Quæ opiniones cujuscumque auctoris ſint, in aliqua Provincia aut Academia Catholicos graviter offendere ſcientur, eas ibi nemo doceat aut defendat. Vbi enim nec fidei doctrina, nec morum integritas in diſcrimen adducitur, prudens caritas exigit, ut Noſtri ſe illis accommodent cum quibus verſantur.

5. Si quando vel ambigua fuerit S. Thomæ ſententia, vel in iis quæſtionibus, quas S. Thomas forte non attigit, Doctores Catholici inter ſe non conſenſerint; licebit Noſtris quamcumque partem ſequi; dummodo in iis ita defendatur una pars, ut alterius etiam partis, ac multo magis prioris Profeſſoris, ſi contrarium docuerat, exiſtimationi modeſte ac benevole conſulatur. quin etiam ſi conciliari poſſunt auctores, id ne negligatur optandum eſt.

Regula pro delectu opinionum, pro Philoſophis.

1. PHiloſophiæ profeſſores in rebus alicujus momenti ab Ariſtotele non recedant, niſi quid incidat à doctrina, quam Academiæ ubique probant, alienum: multo magis ſi orthodoxæ fidei repugnet, adverſus quam ſi qua ſunt illius aliusve Philoſophi argumenta, ea ſtrenue refellere ſtudeant, juxta Lateranenſe Concilium.

2. Ariſtotelis interpretes de Chriſtiana religione male meritos, non ſine magno delectu aut legant, aut in ſcholam proferant: caveantque, ne erga illos nimium afficiantur auditores. Eam ob rem nec Averrois (idem de hujusmodi aliis judicium) digreſſiones in ſeparatum aliquem tractatum conferant; & ſi quid boni ex ipſo proferendum ſit, ſine laude proferant; & ſi fieri poteſt, id eum aliunde ſumpſiſſe demonſtrent.

3. Nul-

3. Nulli ſectæ, ut Averroiſtarum, Alexandrinorum, & ſimilium, vel ſe, vel ſuos addicant: nec Averrois aut Alexandri, aut ceterorum errata diſſimulent; ſed inde acrius eorum auctoritatem deprimant. Contra vero de S. Thoma numquam non loquantur honorifice; libentibus illum animis, quoties oporteat, ſequendo; aut reverenter & gravate, ſi quando minus placet, deſerendo.

4. Nullas novas introducant quæſtiones, nec opinionem, quæ idonei nullius auctoris ſit, iis qui præſunt inconſultis: nec aliquid contra Philoſophorum axiomata, communemque ſcholarum ſenſum defendant. Intelligant quoque, ſi qui fuerint ad novitates proni, aut ingenii nimis liberi, eos à docendi munere ſine dubio removendos.

5. In iis quæſtionibus, in quibus liberum eſt quamcumque partem ſequi, ita defendatur una pars, ut alterius etiam partis, ac multò magis prioris profeſſoris, ſi contrarium docuerat, exiſtimationi modeſte ac benevole conſulatur. Quin etiam cum conciliari poſſunt, id ne negligatur optandum eſt.

XLII. *In* MS. *d.* 56.

Præludia ad regulas delectus opinionum.

QVibusdam Patribus id poſtulantibus, fuerunt lecta in Congregatione fundamenta ſeu præludia, quæ à Deputatis ſtudiorum conſcripta fuerant, ad majorem intelligentiam regularum, quas heſterno decreto Congregatio approbavit. Cum igitur petitum eſſet, an iſta fundamenta eſſent reponenda inter Acta Congregationis, decretum fuit, ut diligentius recognita & correcta ab iiſdem Deputatis inſerantur in Actis Congregationis: ita tamen, ut non evulgentur in manus omnium, ſicut regulæ; ſed tantum uſui ſint Superioribus ad majorem lucem habendam, & ad cognoſcendum ſenſum Congregationis, quem habuit in inſtituendis illis regulis, & ad illarum praxim exercendam.

XLIII. *In* MS. *d.* 58.

De re eadem.

POſtquam lectum fuit Decretum heri factum de inſerendis in Actis Congregationis præludiis; quæ pertinebant ad declarationem regularum circa ſtudiorum rationem, Patres quidam contra illud intercefferunt: & cum rogata iterum fuiſſent ſuffragia, placuit nihilominus Congregationi retineri Decretum.

XLIV.

XLIV. *In* MS. *d.* 59.

Subſtantialia Inſtituti.

POſtulatum fuerat à pleriſque Provinciis, ut declararetur, quænam ſint ſubſtantialia Inſtituti noſtri: cumque facta eſſet ſpecialis Deputatio aliquorum Patrum ad id examinandum, ii diligenti & accurato ſtudio in eam rem incumbentes, poſt maturam diſcuſſionem, ſententiam ſuam Congregationi retulerunt. Congregatio vero, re iterum diu & exacte diſceptata, judicium Deputatorum probans & ſequens, tandem declaravit ea, quæ vel expreſſe continentur in formula Inſtituti, Julio III. Summo Pontifici propoſita, & ab eo aliiſque ſucceſſoribus ejus confirmata ſunt; vel quæ in eadem referuntur ad Conſtitutiones noſtras declarationis cauſa, eſſe & cenſeri debere ſubſtantialia noſtri Inſtituti. Et quamvis alia ſint quæ ad ſubſtantiam Inſtituti noſtri pertineant, judicavit tamen Congregatio non eſſe modo de iis agendum, ſed interim ab hac tractatione abſtinendum.

XLV. *In* MS. *d.* 60.

Declarantur ſubſtantialia.

INterceſſum eſt à quibuſdam Patribus contra Decretum proxime factum de ſubſtantialibus Inſtituti. & primo quoniam videbatur eſſe aliquid obſcuritatis in illis verbis, *quæ referuntur ad Conſtitutiones declarationis cauſſa, eſſe ſubſtantialia.* Nam forte non omnia illa, quæ in iis locis Conſtitutionum, ad quæ formula refertur, ſunt ſubſtantialia. Petitum fuit, ut aliqua major declaratio fieret in Decreto, ad explicandum quænam ex illis ſint ſubſtantialia. Secundo propoſitum fuit, an expediret, ut ad ultimam clauſulam Decreti, ubi dicitur eſſe alia quæ ad ſubſtantiam Inſtituti pertinent, adderentur exempli cauſa nonnulla ex illis ſubſtantialibus quæ magis opportuna viderentur; & ad finem illorum diceretur, *& his ſimilia.* Quare Congregatio, quoad utramque partem interceſſionis corrigendum eſſe Decretum judicavit; idque Deputatis pro ſubſtantialibus exequendum, & ad ſe referendum commiſit.

XLVI. *In* MS. *d.* 61.

Miſſiones commendantur.

CVm quæſitum fuiſſet, ut Miſſiones, quæ ſunt ex præcipuis noſtræ Societatis functionibus, & propriæ profeſſorum, per aliquod Congregationis Decretum P. Præpoſito commendarentur, quo diligentius & frequentius in poſterum exerceantur: placuit Congregationi, præter ſtudium, quod Præpoſitus ea in re variis litteris ſcriptis, & Miſſionum ordinatione declaravit, id ipſum obnixe ipſi P. Præpoſito commendare; ut ſcilicet curet executionem

nem & praxim ſaluberrimi hujus miniſterii ad ædificationem & fructum animarum, majori cum diligentia poſthac in Societate exerceri: & ut apti & ſelecti mittantur operarii.

XLVII. *In* MS. *d.* 63.

QVoniam Societas noſtra, quæ ad fidei propagationem, & animarum lucra à Domino excitata eſt, ſicut per propria Inſtituti miniſteria, quæ ſpiritualia arma ſunt, cum Eccleſiæ utilitate ac proximorum ædificatione, ſub Crucis vexillo finem feliciter conſequi poteſt, quem intendit; ita & hæc bona impediret, & ſe maximis periculis exponeret, ſi ea tractaret quæ ſæcularia ſunt, & ad res politicas, atque ad ſtatus gubernationem pertinent. Idcirco ſapientiſſime à noſtris majoribus ſtatutum eſt, ut militantes Deo, aliis quæ à noſtra profeſſione abhorrent, non implicemur. Cum autem his præſertim temporibus valde periculoſis, pluribus locis, & apud varios Principes (quorum tamen amorem & caritatem ſanctæ mem. P. N. Ignatius conſervandam, ad divinum obſequium pertinere putavit) aliquorum fortaſſe culpa, vel ambitione, vel indiſcreto zelo, Religio noſtra male audiat; & alioquin bonus Chriſti odor neceſſarius ſit ad fructificandum: cenſuit Congregatio ab omni ſpecie mala abſtinendum eſſe, & querelis, quoad fieri poterit, etiam ex falſis ſuſpicionibus provenientibus occurrendum. Quare præſenti Decreto graviter & ſevere Noſtris omnibus interdicit, ne in hujusmodi publicis negotiis, etiam invitati aut allecti, ulla ratione ſe immiſceant, nec ullis precibus aut ſuaſionibus ab Inſtituto deflectant. Et prætérea quibus efficacioribus remediis omnino huic morbo, ſicubi opus ſit, medicina adhibeatur, Patribus Definitoribus accurate decernendum ac definiendum commendavit.

Tractatio rerum ſtatus & politicarum prohibetur.

XLVIII. *In* MS. *d.* 64.

ILlud etiam cavendum diligentiſſime, ne cum detrimento ſpiritualis boni, & religioſæ diſciplinæ, Noſtri ſeſe in familiaritatem Principum inſinuent; nec aliis negotiis ſæcularibus, licet rerum particularium, ad conſanguineos, amicos, vel quosvis alios pertinentibus occupentur: niſi forte interdum judicio Superiorum caritas aliud ſuaderet. Quo in genere non raro à nonnullis erratur, præſertim verò à Superioribus, qui hujusmodi permittunt. Nam cum Conſtitutiones noſtræ P. VI. cap. III. §. 7 hujusmodi negotia, tamquam à nobis aliena, nullo modo permittant; diligentiſ-

Negotiorum ſæcularium interdictio.

ſime curandum eſt,ut intra noſtri Inſtituti limites proximos juvare conemur. Cui etiam incommodo Patres Definitores juſſit Congregatio pro eorum pietate atque prudentia diligenter occurrere.

XLIX. *In* MS. *d.* 65.

Interceſſiones prohibentur.

CVm Congregatio in Decreto XXV. rejeciſſet ad Patres Deputatos pro detrimentis,ut viderent, quid ſtatuendum eſſet in eos, qui per negotiationes & interceſſiones externorum aliquid à Superioribus obtinere procurant ; Deputati retulerunt ad Congregationem,ſe in ea eſſe ſententia, ut nihil à Congregatione hac de re decernatur, tum propter difficultatem inveniendi veritatem harum procurationum ; tum quia praxis hujus rei pendet ex particularibus circumſtantiis, quæ particularem poſtulant informationem : ſed totum hoc negotium P. Præpoſito committendum eſſe, ut ipſe pro ſua prudentia omnibus circumſpectis, ea remedia adhibeat,iisque pœnis errantes corrigat , quas tam ad delinquentium emendationem, quam ad aliorum exemplum in Domino convenire judicaverit. Congregatio autem judicium Deputatorum approbavit , & rem P. Præpoſito ſerio commendavit.

L. *In* MS. *d.* 66.

Dubia quædã Conſtitutionum enodata.

1\. PAtres Deputati pro declarandis dubitationibus Conſtitutionum & ſubſtantialibus Inſtituti retulerunt Congregationi ſuam ſententiam circa quædam ſpecialiter ipſis commiſſa à Congregatione. Et 1. quod incommodis,quæ oriebantur ex male intellectis verbis formulæ votorum ; *Promitto Societatem me ingreſſurum*, de quibus dictum eſt Dec. XIV. occurri poſſet hac ratione ; nimirum ſi in Regulis Magiſtri Novitiorum exprimatur, & ab ipſo Magiſtro aperte explicetur Novitiis, tum initio cum Societatem ingrediuntur,tum poſtea ſexto quoque menſe; præcipue cum vota emittere debent poſt biennium ; promiſſionem illam de ingrediendo Societatem, quæ fit in formula votorum, eſſe votum , quo obligantur ad recipiendum gradum Coadjutoris formati,vel profeſſi, prout Præpoſitus Generalis judicaverit. Itemque ſi in libro,in quo notantur nomina Scholaſticorum,qui emittunt vota ſimplicia , juxta regulam XI. Rectoris, poſtquam illa quis emiſerit , ſubſcribat ſe tali die & anno emiſiſſe vota , & clare intellexiſſe , vim illius promiſſionis eſſe , ſe manere obligatum ad prædictam indifferentiam.

Quæ declaranda Novitiis.

2\. Se-

2. Secundo locum Examinis cap. III. §. II. de quo ſupra Decr. XVII. ubi habetur, *num paratus ſit ad judicium ſuum ſubmittendum, ſentiendumque, ut fuerit conſtitutum in Societate de hujusmodi rebus ſentire oportere*, intelligendum eſſe de iis rebus, in quibus locum habet opinio, ut patet ex verbo *opinionis* & ex verbô *communius*, quod Hiſpanice eſt *comunmente*, hoc eſt ut plurimum. In quo ſenſu etiam loquitur Declar. P. III. cap. I. § 18. lit. O. Tria ergo volunt Conſtitutiones. primum, ut Noſtri non inducant novas opiniones. Secundum, ut ſi quando contra communem ſenſerint, ſequantur quod Societas judicaverit. Tertium, ut in controverſiis, in quibus neutra opinio eſt adeo communis, redigantur ad conformitatem; ut ſic idem ſapiamus & idem dicamus omnes juxta Apoſtolum. *Declaratio Conſtitutionum de opinionibus.*

3. Tertio, alia loca Conſtitutionum, de quibus eodem Dec. XVII. hac ratione eſſe interpretanda & concilianda, ut cap. VII. Examinis §. 3. non loquatur de omnibus, ſed de eo qui habet majorem propenſionem ad ſtudia quam par eſt, juxta Decr. LXXVIII. Congregationis quartæ, & regulam XVI. Magiſtri Novitiorum. Locus autem P. II. cap. II. lit. B. intelligatur de eo, qui in ægritudinem incidit in quocumque obſequio Societatis, poſtquam emiſerit vota biennio exacto: is enim dimitti non poteſt, niſi ipſe contentus eſſet. Nam ſi hoc accidat in Novitiatu, dimitti poſſet ex §. 3. ejusdem capitis, etiam ſi in ordinariis laboribus Societatis in morbum incidiſſet. Conſtitutio autem P. IV. c. VI. §. 15. lit. N. ſic intelligatur, ut qui in Scholaſticum admiſſus fuiſſet, ſi emiſſis votis poſt biennium inveniatur ineptus ad ſtudia, & ad alia domeſtica miniſteria, poſſet in rigore à Societate dimitti, quia adhuc in probatione eſt ad ulteriores gradus, eo magis, ſi illa inutilitas eſſet cum aliqua culpa voluntatis conjuncta. Ex æquitate tamen ſi nulla ſit culpa, conſulatur Generalis, ut dicit Cônſtitutio. *Novitii quomodo dimittendi.*

4. Quarto, verba illa P. III. cap. I. § 7. de quibus Decr. XXI. *Doceantur omnes, quod nulla re tamquam propria uti debent*, ſic accipienda ſunt, ut qui utitur rebus ſuis, quacumque ratione illis utatur tamquam propriis, vel ea diſtribuat ſine facultate Superioris, faciat contra votum paupertatis. Has igitur Declarationes ſingulas ita explicatas Congregatio approbavit, & juxta prædictum ſenſum loca illa intelligi debere ſtatuit. *Proprietarius.*

LI. *In* MS. *d.* 67.

PAtres Deputati pro recognoſcendis caſibus reſervatis, juxta Dec. XXVIII. & XXXIII. ſuum judicium retulerunt ad Congregationem. Fuit vero *Caſus reſervati.*

 hoc,

hoc,ut præter reſervatos omnibus Regularibus à ſanctiſſimo D. N. Clemente VIII. per quoddam decretum ab eodem editum, ſub die XXVI. Maji MDXCIII. reſervarentur in Societate etiam infraſcripti. Primo, Perjurium & falſum teſtimonium in judicio vel extra. Secundo, Furtum, & uſurpatio ſeu appropriatio alicujus rei contra votum paupertatis,in ea quantitate quæ efficiat peccatum mortale. Tertio, Lapſus carnis voluntarius, & quidquid eſt contra votum caſtitatis, quod quidem in actum externum prodeat. Quarto,inobedientia expreſſa,qua quis aſſerit ſe nolle parere. Quinto,ſeditio in Superiorem,& diviſio à capite,in grave nocumentum Societatis. Sexto,detractio famæ bonæque exiſtimationis aliorum, & diſcordiarum ſeminatio inter fratres. Septimo,impedimentum excludens à Societate reticuiſſe in examine,vel in eo mentitum eſſe, unde grave aliquod incommodum oriri poſſit. Octavo,acceptio ſeu miſſio litterarum abſque licentia expreſſa; quæ ſcilicet acceptio & miſſio contineat rationem peccati mortalis. Ab his caſibus non licet, abſque expreſſa licentia Superioris Domus vel Collegii,abſolvere; cum nempe manifeſte ſunt peccata mortalia,& in actum externum prodeuntia. Congregatio vero approbavit judicium Deputatorum: & interim judicavit,quodam Patre id petente,melius conſiderandum eſſe, an expediret, præter jam dicta peccata, reſervari nonnulla alia,ut ſunt ea quæ habent annexam excommunicationem,& quæ ſunt contra vota ſimplicia, quæ emittuntur à Profeſſis. Placuit etiam Congregationi,ut omnino poſtularetur à ſua Sanctitate diſpenſatio ſuper illa parte Decreti prædicti,quæ jubet primo in ſingulis Domibus præter Confeſſarium deputari duos vel plures Confeſſarios,qui à reſervatis abſolvant. Hoc enim in parvis Collegiis eſt fere impoſſibile, ubi præter Confeſſarium,omnes alii Patres vel habent officium Superioris vel ſunt Conſultores unde non conveniret eos deputari in Confeſſarios. Secundo jubet, ut abſolutio reſervatorum committatur judicio Confeſſarii; ſic enim videretur tolli reſervatio caſuum.

LII. *In* MS. *d.* 68.

Judæi & Saraceni excludun tur à Societate.

QVoniam Societatis miniſteria eo majori cum fructu,in communi animarum ſalute procuranda exercebuntur, quo Noſtri longius abſunt ab iis hominum conditionibus, quæ aliis offendiculo eſſe poſſunt; ii autem, qui à progenitoribus modernis Chriſtianis deſcendunt, plurimum & offendiculi & detrimenti (quemadmodum diuturna experientia compertum

eſt)

eſt) ordinarie in Societatem invehere conſueverunt; ob eam cauſſam multi efflagitarunt, ut præſentis Congregationis auctoritate ſtatueretur, ne ullus poſthac in Societatem admittatur, qui ex Hebræorum aut Saracenorum genere deſcendat: & ſi quiſpiam eorum per errorem admiſſus fuerit, cum primum de hoc impedimento conſtiterit, à Societate dimittatur. Placuit autem Congregationi univerſæ, ſtatuere, quemadmodum præſenti ſuo Decreto ſtatuit, ut nullus omninò ex hujuſmodi hominibus, qui ex Hebræorum aut Saracenorum genere deſcendunt, deinceps in Societatem recipiatur. Quod ſi eorum quiſpiam errore aliquo admiſſus fuerit, cum primum de hoc impedimento conſtiterit, quocumque tempore ante profeſſionem id detegatur, admonito prius Præpoſito Generali, & expectato ejus reſponſo, dimittatur. De qua re omnes ante admiſſionem perſpicuè admonendi erunt. Quamquam enim Societas pro communi ſalute omnibus omnia fieri optat, ut quos poterit Chriſto lucrifaciat; non tamen neceſſum eſt, ut ſuos miniſtros ex quovis hominum genere deſumat. Quin potius ad majorem Dei gloriam, perfectioremque propoſiti ſibi finis aſſecutionem, convenientius eſt, ut eos habeat operarios, qui omnibus aliis nationibus in toto orbe gratiores ſint; & quibus in Eccleſia Dei liberius & fidentius utantur ii, quorum voluntas bene aut male in nos affecta (ut ſanctæ mem. P. Ignatius ait) multum habet momenti, ut aditus ad divinum obſequium, & animarum auxilium aperiatur aut præcludatur. Ceterum cum circa hujus Decreti vim & efficaciam dubitatio exorta eſſet; utrum quod eo Decreto prohibetur, inter eſſentialia impedimenta, quæ à Societate omninò excludunt, referri; an potius indiſpenſabile tantum impedimentum decerni oporteret; tandem poſt multa in utramque partem allata, Congregatio declaravit & ſtatuit, hoc Decretum non eſſentialis, ſed indiſpenſabilis impedimenti vim obtinere; ſic ſcilicet, ut nullus omnino Superior, ac ne ipſe quidem Præpoſitus Generalis, in eo diſpenſare poſſit, atque ita deinceps in Societate integre inviolateque ſervandum eſſe.

LIII. *In* MS. *d.* 69.

CVm proximum LXVIII. Decretum in Congregatione legeretur, tres interceſſiones à diverſis Patribus factæ fuerunt. Vna quidem, ut cum iis qui bona fide in Societatem ingreſſi eſſent, à P. Præpoſito diſpenſari poſſit, quo in Societate retinerentur. Altera, ut eidem P. Præpoſito diſpen-

Interceſſio de Decreto contra Iudæos, &c.

ſpenſare integrum eſſet in quibusdam caſibus perraris, ut cum aliquis ex eo quidem ſanguine, ſed genere tamen nobiliſſimus in Societatem recipi petit, is admitti poſſit. Tertia, ut hoc impedimentum non ſolum indiſpenſabile ſit, verum etiam inter eſſentialia impedimenta numeretur. Cui interceſſioni ea ratione multi adhæſerunt, ut ſi forte aliæ binæ obtinerent, in prædicto Decreto diſpenſari poſſe, ipſorum quoque nomine interceſſum eſſe cenſeretur. Verum cum denuo de hac quæſtione multa in medium à Patribus prolata fuiſſent, & rogata ſuffragia; Congregatio magnâ animorum ac ſententiarum conſenſione priores duas interceſſiones rejecit: & quod eo Dec. LXVIII. ante ſtatuit, nunc iterum decrevit, illudque ipſum Decretum hoc novo Decreto ſtabilivit: atque per omnia integre incorrupteque in Societate ſervandam eſſe, ſerio & graviter mandavit. Sic autem & qui poſtremo loco interceſſerat, a ſua diſceſſit interceſſione, & ad aliorum ſententiam ſe adjunxit.

LIV. *In MS. d. 70.*

Perturbatores Societatis.

QVoniam diuturno quietis ſuæ detrimento Societas noſtra ſatis ſuperque experta eſt graviſſima incommoda, quæ filii quidam prævaricatores, & communis pacis illius perturbatores, ac rerum novarum architecti, ſuis conatibus illi attulerunt; & multæ Provinciæ majorem in modum id efflagitarunt, ut hujusmodi homines debitis pœnis caſtigarentur; Congregatio, pro eo ac debuit, ſpiritualium filiorum ſuorum jacturam dolenter ingemiſcens; ac nihilominus perpendens, quantum detrimenti unio, obedientia, religioſaque diſciplina Societatis ab iis hominibus paſſa ſit; quantumque apud externos bonæ illius famæ, qua bonus odor ubique gentium in Chriſto eſſe ſolet, detractum fuerit; ſtatuit omnino, ſalutari alicujus ſeveri Decreti medicamento, huic tam gravi morbo depellendo proſpiciendum eſſe. Siquidem frequentes illi falſas calumnias, & varias criminationes (de quibus ſpeciale poſtea judicium Præpoſito Generali habendum erit) ſuæ Religioni immerito impoſuerunt: atque zeli communiſque boni pallio ſe contegentes, id ſibi arrogare auſi ſunt, ut judicio totius Societatis, imo & ipſiuſmet Fundatoris P. N. ſanctæ memoriæ ſe præferrent: nec dubitarunt libellis ſcriptis, atque ad ſummos Pontifices transmiſſis, ſubſcribere his verbis, *Ita petit tota Societas*, cum tamen ii pauci eſſent, & degeneres filii noſtræ Religionis; eaque poſtularent, quæ ſubſtantialia Inſtituti

noſtri

noſtri labefactarent; rationemque gubernationis in Conſtitutionibus expreſſam immutarent; ac novam prorſus formam & rationem inducentes, univerſam Societatis ſtructuram diſſolverent, atque a fundamentis everterent. Quocirca Congregatio declarat, ejusmodi homines, tantorum malorum auctores, aliorumque ſeductores, ac eorumdem vere complices, cenſuras & pœnas omnes in Apoſtolicis Bullis contentas incurriſſe. Nec non decernit, eos omnes, utpote graviſſimæ diviſionis Societatis auctores, a tota Societate velut peſtem quamprimum ſeparandos eſſe; judicio P. Præpoſiti permittens, utrum eos peculiaribus pœnitentiis ante dimisſionem caſtigari conveniat. Quod ſi per aliqua neceſſaria impedimenta eos è Societate ſtatim ejici non licuerit, Congregatio ſtatuit, eos præterea inhabilitatis ad quævis officia, & dignitates, ſeu prælationes, vocisque tam activæ quam pasſivæ privationis pœnis obnoxios fore, quamdiu eos in Societate neceſſario retineri contigerit. Inſuper Congregatio ſtatuit, ut qui vehementer ſuſpecti de prædictis machinationibus reperti fuerint, ii vel jurent ſe humiliter amplexuros Conſtitutiones & Decreta generalium Congregationum, nec non ſummorum Pontificum Bullas, quibus Societatis Inſtitutum confirmatur ſeu explicatur, præſertim vero fel. rec. Iulii III. Gregorii XIII. & Gregorii XIV. nec umquam, ſe acturos quocumque prætextu contra illas, neque ut quidpiam de noſtri Inſtituti ratione immutetur curaturos per quoscumque in Bulla Gregorii XIV. non permiſſos: vel ſi hoc juramentum præſtare noluerint, aut poſt illud præſtitum non ſervaverint, etiamſi Profesſi & antiqui fuerint, de Societate omnino ejiciantur. Præcepit etiam Congregatio in virtute ſanctæ obedientiæ, ſupradictos omnes, auctores, & complices, tamquam Societati pernicioſos, & Apoſtolicæ Sedi inobedientes, a quocumque ex Noſtris, ſive certa ſcientia, ſive fide digna auditione deprehenſi fuerint, & quoscumque alios, ſi qui in poſterum pariter deprehendentur ſimilia machinari, ad Præpoſitum Generalem fideliter eſſe deferendos, ut ille pro ſuo officio, & hujus Congregationis voluntate, eos iisdem pœnis afficiat, & a Societate dimittat; certus, niſi id utiliter exequatur, ſe nec bono Societatis, pro qua ſanguinem fundere paratus eſſe debet, nec propriæ conſcientiæ ſatisfacturum. Quod ut ſine impedimento fiat, & optata pace tandem aliquando Societas frui posſit; Congregatio decernit, ſuppliciter a Sanctisſimo D. N. Clemente totius Religionis nomine petendum eſſe, ut prædeceſſorum ſuorum exemplo confirma-

firmare circa noſtrum Inſtitutum, quæ ab illis confirmata & declarata ſunt, & ſua auctoritate & poteſtate illi asſiſtere dignetur; ut quæ in hujusmodi perverſos homines hoc Decreto ſancita ſunt, ſine impedimento executioni mandentur.

LV. *In MS. d. 71.*

Rex Catholicus. INter cetera, quibus noſtræ Societatis perturbatores illius everſionem procurarunt, illud quoque gravisſimum fuit, quod eam falſis calumniis, & mendacibus criminationibus apud Catholicam Philippi Hiſpaniarum Regis Majeſtatem traduxerunt; id artificioſis ſuis commentis contendentes, ut piisſimi Regis auctoritate Societatis innocentia opprimeretur, & ipſa Societas in ſummum naufragii diſcrimen adduceretur. Quo factum eſt, ut religioſiſſimus Rex pro ſua eximia in Deum ejusque Eccleſiam pietate, & in noſtram Societatem propenſa voluntate, vehementer exoptarit, ea omnia hujus Congregationis opera examinari, & veritatem omnino patefieri. Cum igitur Congregatio in eam rem ſerio ac diligenter deſudarit, & jam res tota patefacta fuerit; ſatisque manifeſtum evaſerit, horum omnium figmenta & novitates non ex Societatis ſenſu, quod ipſi mentiebantur, ſed proprias ipſorum adinventiones eſſe; decrevit, piiſſimum Regem Catholicum & per communes litteras, & per certos Patres ex eorum numero, qui in Hiſpaniam revertentur, de his omnibus quæ geſta ſunt, ac de certiſſima rerum veritate ſuo nomine certiorem facere: eumque ſummo animi ſtudio ac reverentia obſecrare, ut ſicut Congregatio non dubitat, illum pro ſua inſigni pietate Societatem noſtram in ſuis Regnis ſalvam eſſe velle; ita ejus Majeſtas pro ſingulari clementia eamdem Societatem ſui obſervantiſſimam, ab ejusmodi calumniatoribus vexari minime patiatur. Sic enim fore confidit, ut religioſam, quietam & tranquillam vitam agentes, Eccleſiæ utilitati, & ſpiritualibus proximorum commodis, ac illius etiam Majeſtatis obſequiis, fructuoſe vacare valeamus.

LVI. *In MS. d. 72.*

Delectus opinionum. CVm juxta Decretum LVI. & LVIII. Deputati pro Ratione ſtudiorum fundamenta ſeu præludia ad majorem regularum, quæ Decreto LV. continentur, intelligentiam conſcripta diligentius recognoviſſent, & correcta Congregationi propoſuiſſent; Congregatio illa probavit, & in Actis hujus Congregationis ad uſum Superiorum, ut in Decreto

LVI. propoſitum fuit, inſerenda mandavit. Illa vero ſunt quæ ſequuntur, videlicet:

Præfatio ad Regulas de delectu opinionum à Deputatis pro Ratione ſtudiorum confecta.

PAtres Deputati ex variis nationibus pro libro De ratione ſtudiorum recognoſcendo, cum de delectu opinionum primo loco tractandum cenſuiſſent, ac tanquam fundamentum propoſuiſſent, doctrinam Societatis eſſe debere uniformem, ſecuram & ſolidam, juxta Conſt. P. III. cap. I. §. 18. & P. IV. c. V. §. 4. poſt accuratam diſcuſſionem, & collationem multorum dierum, ſtatuerunt communi conſenſu ea quæ ſequuntur:

1. Noſtri omnino S. Thomam, ut proprium Doctorem habeant, eumque in Scholaſtica Theologia ſequi teneantur, tum quia Conſtitutiones eum nobis commendant P. IV. cap. XIV. §. 1. & Summus Pontifex Clemens VIII. id ſe cupere ſignificavit; tum quia cum unius ſcriptoris doctrinam in Societate eligendam Conſtitutiones moneant P. VIII. cap. I. lit. K. nullius hoc tempore doctrina poteſt occurrere, quæ ſit ea ſolidior aut ſecurior, ut non immerito S. Thomas Theologorum princeps ab omnibus habeatur.

2. Non ſic tamen S. Thomæ adſtricti eſſe debere intelligantur, ut nulla prorſus in re ab eo recedere liceat; cum illi ipſi qui ſe Thomiſtas maxime profitentur, aliquando ab eo recedant; nec arctius Noſtros S. Thomæ alligari par ſit, quam Thomiſtas ipſos.

3. In quæſtionibus mere philoſophicis, aut etiam in iis quæ ad Scripturas & Canones pertinent; licebit ſequi etiam alios, qui eas facultates magis ex profeſſo tractaverunt.

4. Ceterum ne forte ex iis quæ dicta ſunt, ſumat aliquis occaſionem S. Thomæ doctrinam facile deſerendi; præſcribendum videtur ut nullus ad docendum Theologiam aſſumatur, qui non ſit vere S. Thomæ doctrinæ ſtudioſus: qui vero ab eo ſunt alieni, omnino removeantur. Nam qui ex animo S. Thomæ fuerint addicti, certum erit eos ab eo non receſſuros, niſi gravante admodum, & rariſſime.

His ita conſtitutis, ſequentes Regulas confecerunt, juxta ea quæ dicta ſunt intelligendas, eaſque generali Congregationi approbandas obtulerunt.

LVII. *in MS. d. 73.*

STatuit Congregatio, ut ad caſus reſervatos ſupra Decreto LXVII. addantur peccata contra ſimplicia vota quæ profeſſi emittunt poſt profeſſionem: ac *Vota ſimplicia Profeſſorum reſervantur.*

ac præterea cenſuræ Societatis noſtræ dumtaxat, prout in eo Decreto LXVII. judicatum fuerat, conſiderandum eſſe.

LVIII. *in* MS. *d.* 74.

Subſtantialia Inſtituti.

QVod à Congregatione majoris declarationis cauſa ad Deputatos Patres pro ſubſtantialibus Inſtituti ſupra Decreto LX. rejectum fuerat, hoc illi hunc in modum clarius proponi judicarunt, & ad Congregationem retulerunt, nimirum:

Subſtantialia Inſtituti ea in primis ſunt, quæ in formula ſeu regula Societatis, Iulio III. Summo Pontifici propoſita, & ab eo aliisque ejus ſucceſſoribus confirmata, continentur. Deinde ea, ſine quibus illa aut nullo modo, aut vix conſtare poſſunt, cujusmodi ſunt:

Primo, eſſe aliqua impedimenta eſſentialia in admittendo.

Secundo, non eſſe neceſſarium, ut in dimittendo forma judicialis ſervetur.

Tertio, reddendam eſſe Superiori conſcientiæ rationem.

Quartum, contentum eſſe debere unumquemque, ut omnia quæ in eo notata fuerint, per quemvis, qui extra confeſſionem ea acceperit, Superioribus manifeſtentur.

Quinto, paratos eſſe omnes debere, ut ſe invicem manifeſtent debito cum amore & caritate: & alia his ſimilia, à quibus nunc declarandis Congregatio brevitatis cauſſa ſuperſedendum cenſuit; cum præſertim Generales Præpoſiti ea pro tempore ad praxim declarare poſſint, dum in aliis Congregationibus generalibus non declarantur. Quæ omnia Congregatio probavit, & ſupradictum Decretum LX. ad hoc LXXIV. exigendum eſſe decrevit.

LIX. *in* MS. *d.* 75.

Abdicatio bonorum ſine facultate eſt contra votum.

SVperioribus diebus cum legeretur Decretum LXVI. dubitatum fuit à quibusdam Patribus, circa verba illa Deputatorum, *vel ea diſtribuant ſine facultate Superioris*, quæ habentur §. 4. illius Decreti: An ſcilicet diſtribuere ſua bona, & abdicare ſe ſuis bonis ſine Superioris facultate, ſit contra votum paupertatis Societatis, vel contra Conſtitutiones tantum. Et cum hujus quæſtionis diſcuſſio tunc inchoata, hactenus dilata fuiſſet; Congregatio re accurate examinata, judicium Patrum Deputatorum approbavit; ac declaravit, eum qui poſt emiſſa tria vota ſubſtantialia noſtræ Religionis, ſua bona diſtribueret ſine Superioris facultate, votum paupertatis Societatis violare.

LX.

LX. *in* MS. *d.* 76.

CIrca formulas Congregationum Provincialis & Procuratorum, Congregatio decrevit ſequentia. Primo numerum congregandorum (quod ſupra Decreto LI. expediendum ſupererat, & huc rejectum fuerat) hoc modo contrahendum eſſe, ut ad Congregationem Provincialem pro eligendo Procuratore conventuri, quadragenarium numerum non excedant, nec quinquagenarium, quando ad Conventum generalem convocatur Provincialis; & in utroque caſu major ſit profeſſorum numerus, de quota vero, & aliis particularibus huc pertinentibus, Definitores decernant. Secundo, ut in Provincialibus Congregationibus per ſuffragia ſecreta decernatur de cogenda vel non cogenda Congregatione generali. Tertio, ut Procuratores electi in Provincialibus Congregationibus, Aſſiſtentes vero in Congregatione generali, jurent de fidelitate ſervanda circa ea omnia quæ ad Congregationem Procuratorum pertinent, & in ea tractanda ſunt. Quarto, ut cum major pars Provinciarum cenſuerit Congregationem generalem eſſe cogendam, non ſufficiat hic Romæ major pars ſuffragiorum ad decernendum, ne cogatur; ſed neceſſarium ſit ſaltem duas tertias ſuffragiorum partes in id convenire; alioqui generalis Congregatio cogatur. Cetera omnia particularia ad prædictas formulas perficiendas pertinentia, Congregatio rejecit ad Definitores expedienda.

Numerus congregandorum.

Secreta ſuffragia.

Iuramentum de fidelitate ſervanda.

Procuratorum ſuffragia de cogenda.

LXI. *in* MS. *d.* 78.

PRopoſitum fuit Congregationi quoddam exemplum Hiſpanicum Conſtitutionum, ex autographo P. Ignatii de verbo ad verbum bene ac fideliter deſcriptum; ob eam cauſſam, quod iſtud autographum jam obſoletum ac fere lacerum eſſet; & cum eo atque cum alio authentico à prima Congregatione generali tit. V. Decr. I. approbato, & manu P. Polanci ſubſcripto, per quoſdam Patres linguæ Hiſpanicæ peritos diligenter collatum; poſtulatumque fuit, ut Congregatio illum librum probaret. Congregatio autem decrevit, illum librum, poſtquam denuo per aliquot Patres à P. Generali deſignandos cum autographo collatus fuerit, probatum fore, & pro approbato haberi debere. In quorum fidem Congregatio mandavit P. Laurentio Magio Secretario, ut ex ejuſdem præſcripto, & omnium Patrum nomine, ſubſcribat librum illum poſt prædictam collationem factam, & ſigilli Societatis impreſſione muniat.

Conſtitutiones Hiſpanicæ.

LXII. *in* MS. *d.* 79.

Admonitor.

DEcretum fuit proponente P. Generali, ut vel novus Admonitor proximo die Martis, qui erit XI. præſentis menſis, eligatur in locum demortui; vel qui tunc per modum proviſionis ſubſtitutus fuit, & jam eo officio fungitur, is à Congregatione confirmetur.

LXIII. *in* MS. *d.* 80.

Biennium novitiatus.

COngregatio probavit judicium Patrum Deputatorum pro dubitationibus Conſtitutionum exponendis, de eo, quod ad illos rejectum fuerat ſupra Decreto XXIV. illud vero ejusmodi eſt. Ad decretum de non contrahendo tempore biennii probationis, niſi ad profesſionem in caſu, &c. addendum eſt, quod id non videtur repugnare Declarationi P. V. cap. I. lit. C. tum quia ut facultas diſpenſandi, quæ in ea conceſſa eſt, posſit aliquem effectum habere, ſatis eſt ſi exerceatur in contrahendo tempore biennii ad profesſionem in caſu aliquo emittendam; tum etiam quia numquam videtur evenire poſſe, ut opus ſit illud contrahere, ad admittendum in gradum Scholaſticorum vel Coadjutorum.

LXIV. *in* MS. *d.* 81.

Clemens VIII.

QVoniam Illuſtrisſimus Cardinalis Toletus nomine Sanctisſimi D. N. ſignificavit Patribus Deputatis pro cognoſcendis noſtræ Societatis detrimentis, quædam Congregationi declaranda, quæ ſuæ Sanctitatis voluntas erat ut executioni mandarentur; ea P. Præpoſitus Congregationi propoſuit. Et ſunt quæ ſeqvuntur, videlicet:

Triennium Superiorum.

1. Vt Provinciales atque Rectores, exceptis qui ſunt in Domibus Novitiorum, non durent ultra triennium, ſed vacent ſaltem per annum, in quo obediant ſicut ceteri.

Vt Provinciales viſitentur.

2. Vt Provinciales viſitentur, & de ſuo officio reddant rationem, ſive per Viſitatorem, ſive per Provincialem ſucceſſorem.

3. Vt obſervetur Decretum Sanctisſimi de caſuum reſervatione.

Votum deciſivum Asſiſtentium.

4. Vt examinetur in Congregatione, an Asſiſtentes in aliquibus caſibus debeant habere votum deciſivum, & judicetur per vota ſecreta, & referatur Sanctisſimo vel Cardinali.

Quæ omnia Congregatio reverenter audivit, & debita cum ſubmisſione, obedientia, atque animorum promptitudine amplexa eſt. Et quod attinet ad §. 3. de obſervando Decreto reſervationis caſuum, Sua Sanctitas conceſſit,

ceſſit, quod ſupra Decreto LXVII. ſtatutum fuerat, petendum eſſe, ac præterea ut Magiſtri Novitiorum poſſint eorum confesſiones audire.

LXV. *in* MS. *d.* 82.

QVod proximo Decreto LXXXI. §. 4. mandatum fuit, ut ſcilicet per vota ſecreta examinaretur, an Aſſiſtentibus concedendum eſſet in aliquibus caſibus votum deciſivum; factum eſt: & exceptis quinque, omnes cenſuerunt non eſſe concedendum, & nihil hac in re innovandum, cum præſertim hæc innovatio unum ex Inſtituti ſubſtantialibus convelleret. *Votum deciſivum.*

LXVI. *in* MS. *d.* 83.

CVm canones ex Decretis Congregationis juxta formulam Congregationis generalis §. 75. extrahendi eſſent; idque commode fieri non poſſit ante Congregationis diſſolutionem, propterea quod multi Patres cupiant & urgeant Congregationi tandem finem imponi; Viſum eſt Congregationi, ut res tota P. Generali committeretur: qui per Patres Aſſiſtentes, & alios quos ipſe judicaverit, Canones ex Decretis primo quoque tempore extrahi curabit, prout communi Societatis praxi expedire judicaverit, & extractos evulget, ac toti Societati communicet. *Canones V. Congr.*

LXVII. *in* MS. *d.* 85.

QVoniam linguarum Indicarum peritia iis, qui in Provinciis Indicis verſantur ſummopere neceſſaria eſt ad ſalutem Indorum procurandam, ob quam cauſſam, vel ſolam, vel præcipuam, operarii in eam Domini vineam de Societate mittuntur; Viſum eſt univerſæ Congregationi, omnibus illarum Regionum Superioribus, ceteriſque Patribus ac Fratribus ſerio injungere, ut diligenter exequantur, quod eſt à Patribus Generalibus ſæpe commendatum circa ſtudium linguæ Indicæ diſcendæ & exercendæ: utque Superiores ipſi omni cura & diligentia, atque etiam exemplo ſuo, quoad licebit, miniſterium illud, quod eſt adeo in conſpectu Dei pretioſum, honorificent atque promoveant. Reverendo autem P. N. Generali commendetur, ut inſtructionem ad praxim hujus rei perſcribat, quam pro natura & ratione gentium illarum putaverit commodisſimam fore. *Lingua Indica.*

LXVIII. *in* MS. *d.* 86.

ADmonitoris electio, quemadmodum Decret. LXXIX. inſtitutum fuerat, expedita fuit; & tertio ſcrutinio ad plura medietate ſuffragia electus eſt in Admonitorem Præpoſiti Generalis P. Iacobus Ximenez: cujus electioni interfuerunt Procuratores Sardiniæ, Mexici, Braſiliæ, & Generalis. *Admonitor ad plura medietate ſuffragia.*

LXIX. *in MS d.* 87.

Formula Collegiorum acceptandorum.

FOrmula acceptandorum Collegiorum, de qua ſupra Decreto XXXVI. propoſita fuit, & diligenter examinata; & tandem à Congregatione probata, nempe, ut deinceps nullum Collegium admittatur, in quo litteræ humaniores doceantur, niſi ea fundatione dotatum ſit, ut ſaltem XXX. ex Noſtris in eo ali poſſint. Quod ſi præterea tres Philoſophiæ curſus addi fundatores velint; ejusmodi ſit, ut ex propriis reditibus ſaltem LX. ex Noſtris ſuſtentari queant. Vbi vero Societas alicujus Vniverſitatis, aut generalis ſtudii curam ſuſciperet, ac ſupradictis Scholaſticam Theologiam & ſacram Scripturam adjungeret; ita commode proſpectum eſſe debebit, ut minimum centum è Noſtris nutrire valeat. Quæ omnia in ipſa formula planius explicabuntur. Excipiuntur autem Indicæ ac Tranſalpinæ regiones, de quibus nihil adhuc certi præſcribi viſum fuit. Et nihilominus circa multiplicitatem Collegiorum Congregatio commendat P. Præpoſito, quod Decreto XI. ſecundæ, & XXX. tertiæ Congregationis generalis continetur.

LXX. *in MS. d.* 88.

Curſus Philoſophicus.

CVm propoſitum fuiſſet, ut auctoritate Congregationis conficeretur aliquis curſus philoſophicus, quo Noſtri in Societate uterentur, omnibus communis; placuit Congregationi, ut id P. Generalis judicio relinqueretur.

LXXI. *in MS. d.* 89.

Canonizatio B. P. Ignatii.

PRopoſitum fuit plurium, & Provinciarum, & particularium nomine, ut ſanctæ memoriæ Ignatii, Societatis noſtræ Fundatoris, canonizatio à ſanctâ Sede Apoſtolica petatur. Congregatio vero decrevit, non ſolum P. Ignatii, ſed etiam P. Franciſci Xaverii canonizationem petendam eſſe; ac P. Præpoſito commiſit, ut ſi judicio peritorum ſolida ejus petendæ fundamenta extiterint, eam Congregationis nomine opportuno tempore petat.

LXXII. *in MS. d.* 90.

Officium pro Sacramento Euchariſtiæ.

POſtulatum fuit, ut ad majorem erga venerabile Sacramentum Euchariſtiæ devotionem exercendam, petatur à Summo Pontifice, ut in Societate ſingulis quintis feriis non impeditis, Miſſa de illo celebretur; & officium proprium recitetur, ſicut in diebus Sabbati de B. Virgine fieri conſuevit. Et viſum eſt Congregationi, nihil omnino petendum eſſe; magis autem curandum, ut Societas in hujusmodi ritibus ſe Romanæ Eccleſiæ conſuetudini conformet, quemadmodum ſemper fecit.

LXXIII. *in* MS. *dec.* 91.

Congregatio altera poſt ſexennium, & mutatio Aſſiſtentium mandato Pontificis.

CVm P. Præpoſitus expoſuiſſet, eam eſſe Summi Pontificis voluntatem, referente id Cardinali Toleto, ut poſt ſequens ſexennium cogatur denuo generalis Congregatio; ac præterea fiat mutatio trium Aſſiſtentium, videlicet Italiæ, Hiſpaniæ, Luſitaniæ; propterea quod diuturno ſatis tempore in eo officio ii perſeveraſſent; nam quartus Aſſiſtens pro Tranſalpinis partibus non ita pridem ſuum officium inchoarat; Congregatio cenſuit, quod ad Generalem quidem Congregationem poſt ſequens ſexennium celebrandam attinet, ſine recuſatione obtemperandum eſſe; & nihilominus rationes ſumma cum humilitate & reverentia offerendas, quibus Congregationis ſenſus hac de re contineatur. De Aſſiſtentium autem mutatione Congregationi viſum fuit, voluntatem ſummi Pontificis, tamquam obedientiæ filiis, omni qua par eſt promptitudine & ſubmiſſione amplectendam: humiliter tamen ac reverenter cum ejus Sanctitate agendum eſſe, illique proponendas rationes, ac ſerio ſupplicandum, ut illa mutatio non fiat: cum præſertim noſtris Conſtitutionibus adverſetur, ac nulla ejus faciendæ mutationis cauſſa exſtare cernatur, & gravia inde incommoda ſequi neceſſe ſit. Deſignandos vero pro judicio P. Præpoſiti aliquot Patres, qui primo quoque tempore prædicta omnia apud Summum Pontificem Congregationis nomine pertractent. Pater autem Præpoſitus deſignavit P. Benedictum Palmium & P. Ægidium Gonzalez, qui poſtridie mane ad Summum Pontificem accederent.

Congregatio deprecatur.

LXXIV. *in* MS. *d.* 92.

Perſtat in ſententia Pontifex.

CVm duo Patres, de quibus proximo Decreto XCI. ad Summum Pontificem ob quædam impedimenta non acceſſiſſent, & nihilominus Summus Pontifex, quæ in Congregatione geſta fuerant, reſciviſſet, per Cardinalem Toletum P. Præpoſito ſignificari mandavit, ut ſupradicta duo, videlicet de Congregatione poſt ſequens ſexennium cogenda, & de mutatione Aſſiſtentium jam facienda executioni omnino mandarentur. Quæ omnia cum P. Præpoſitus Congregationi expoſuiſſet, Congregatio acquievit, & obtemperandum eſſe annuit. Atque ita quatriduum ad capiendas informationes pro tribus Aſſiſtentibus Italiæ, Hiſpaniæ, Luſitaniæ eligendis indictum fuit: ita ut proximo die Martis, qui erit XVIII. præſentis menſis, mane electio fiat.

Congregatio acquieſcit.

LXXV.

LXXV. *in* MS. *d.* 93.

Decreti ſuſpenſio.

STatutum fuit, ut quandoquidem poſt proximum ſequens ſexennium, ſummi Pontificis mandato, cogenda eſt generalis Congregatio, Decretum LXXVI. maneat in omnibus ſuſpenſum, excepto primo §. de contractione numeri congregandorum in Provincialibus Congregationibus, ita ut nullam omnino vim habeat quoad tres poſteriores §§. donec ſequens Congregatio de illo decernat.

LXXVI. *in* MS. *d.* 95.

Latina editio emendanda.

PRopoſitum etiam fuit, Latinam Conſtitutionum editionem in multis ab autographo P. Ignatii Hiſpanico diſcrepare, ac loca jam collecta eſſe; & ob eam cauſam aliquos Patres deſignandos eſſe, qui ea inſpicerent, ut Latina editio emendari poſſet. Verum Congregationi viſum fuit, ea de re jam nihil agendum eſſe, cum præſertim Latinam editionem habeamus à Congregatione IV. generali Decreto LIX. approbatam, & temporis anguſtia illi collationi operam dari non patiatur. Loca vero collecta committi debere P. Generali cum Aſſiſtentibus conſideranda, ut ſequens Congregatio generalis materiam paratam reperiat: ſed Conſtitutiones, ſi opus fuerit, juxta P. Ignatii autographum emendandas, quemadmodum in quarta Congregatione generali Decreto XXXVIII. factum etiam fuit.

LXXVII. *in* MS. *dec.* 96.

Trium Aſſiſtentium electio.

Procuratores Indiarum electi cum jure ſuffragii.

CVm Patres mane conveniſſent, prout Decreto XCII. conſtitutum fuerat, facta eſt trium Aſſiſtentium electio ad plura medietate ſuffragia, præmiſſis quæ de more præmitti ſolent. Et primo quidem loco, ac primo ſcrutinio, pro Italiæ & Siciliæ Provinciis electus eſt P. Ludovicus Maſellus, Poloniæ Provincialis. Secundo, pro Hiſpaniæ & Indiarum ad eam pertinentium Provinciis, primo ſcrutinio P. Antonius Mendoza. Tertio, pro Luſitania & Indiis Orientalibus, ac Braſilia P. Ioannes Alvarus, Luſitaniæ Provincialis. Quorum electioni interfuerunt Procuratores Mexici ac Braſiliæ, utpote in ſuis Provinciis electi cum jure ſuffragii ad Generalem, ſi opus fuiſſet, eligendum, juxta Decretum XLVI. Congregationis quartæ generalis. P. item Ioſephus Acoſta ex Congregationis conceſſione. non autem Procuratores Generalis & Sardiniæ, juxta Decretum LXXIII. Congregationis tertiæ generalis; nec Secretarius P. Generalis, juxta Decretum XV. Congregationis quartæ generalis. Porro novi Aſſiſtentes ſtatim poſt electionem ſuam juramentum, juxta §. 85. Formulæ Congregationis coram Crucifixo

fixo in omnium conſpectu fecerunt. Similiter & P. Iacobus Tyrius pro Tranſalpinis partibus Aſſiſtens, qui hactenus illud non præſtiterat.

LXXVIII. *in* MS. *d.* 100.

POſtremo cum lectæ fuiſſent Congregationis actiones omnes, & Decreta quædam Definitorum quæ ſequentur, eaque omnia Congregatio approbaſſet, communi omnium conſenſu Congregationi finis in nomine Domini impoſitus eſt. *Decreta Definitorum approbata.*

Sequuntur Decreta per Definitores facta & à Congregatione approbata ſupra Decretum C.

LXXIX. *in* MS. *d.* 101.

PRæcipitur Noſtris omnibus, in virtute ſanctæ obedientiæ, & ſub pœna inhabilitatis ad quævis officia & dignitates, ſeu prælationes, vocisque tam activæ quam paſſivæ privationis, obſervatio Decreti LXIII. ne ſcilicet quiſpiam publicis & ſecularibus Principum negotiis, quæ ad rationem ſtatus (ut vocant) pertinent, ulla ratione ſe immiſcere, nec etiam quantumvis per quoſcumque requiſitus aut rogatus ejuſmodi politicas res tractandi curam ſuſcipere audeat vel præſumat. Et ſerio commendatur Superioribus, ne permittant Noſtros iis rebus ullo modo implicari. Et ſi quos ad eas propenſos animadverterint, Provincialem ſuum quamprimum commonefaciant, ut eos loco mutet, ſi illic ſit occaſio vel periculum ſe ejuſmodi implicationibus irretiendi. *Negotia rationis ſtatus.*

LXXX. *in* MS. *d.* 102.

DEfinitum eſt, nihil certi ſtatuendum eſſe in eos, de quibus agitur Decreto LXIV. propter difficultatem praxis, quæ ex particularibus circumſtantiis pendet: ſed accuratam illius Decreti obſervationem P. Præpoſito commendandam; ut ipſe pro ſua prudentia ea remedia adhibeat, quæ Noſtros juvent, ut ſine ſpiritualis boni ac religioſæ diſciplinæ jactura cum Principibus viris agant; & iis pœnis errantes corrigat, quas ad delinquentium emendationem, & aliorum exemplum in Domino convenire judicaverit. *Circa Decretum LXIV.*

LXXXI. *in* MS. *d.* 103.

CIrca formulam Congregationis provincialis, de qua Decreto LXXVI. ſequentia particularia definita ſunt. Primo, ut ad Congregationem provincialem, præter Provincialem ipſum, & Superiores omnes locales, & Procuratorem Provinciæ vel maximi Collegii, conveniant tot Profeſſi antiquiores *Quinam in Congregationem Provinciæ admittendi.*

res illius Provinciæ, quot ad præfixum numerum explendum ſufficiant. Quod ſi contingat numerum Superiorum, qui profeſſi non ſunt, ita excreſcere, ut tertiam ſuffragiorum partem ſuperent; tunc tot Profeſſi addantur, ſervato antiquitatis ordine, quouſque duas tertias partes conficiant, etiamſi hoc modo præfixus numerus excederetur. Secundo, ex Rectoribus non profeſſis ii tantum in Congregatione locum habeant, qui Societatis domicilia adminiſtrant; non item qui Seminariorum quorumcunque curam habent. Tertio, Conſultores Provinciales, non quia Conſultores ſunt; ſed ſervata ſuæ profeſſionis antiquitate, inter quoſcumque alios admitti debent.

DECRETA
Sextæ Congregationis generalis.

I. *in* MS. *d.* 12.

Gallia conceditur quintus Aſſiſtens.

ACTUM eſt de quinto Aſſiſtente inſtituendo pro Gallia; quod fuerat præterita jam actione propoſitum. In qua deliberatione poſtquam plurima prolixe à pleriſque allata fuerunt de præclaris Regni Galliæ, Regiſque ipſius in Societatem noſtram meritis ac ſtudio, deque adeo fructuoſis in illis Provinciis noſtrorum Patrum ac Fratrum ſudoribus; & licet aliquibus nonnihil obſtare quædam poſſe viderentur; tamen quia tantopere aucta jam Societate, atque in illo præſertim regno Collegiorum & negotiorum varietate ac multitudine, dum Aſſiſtens ipſi proprius aſſignatur, non illis tantum Provinciis, ſed imminuto ceteris Aſſiſtentibus onere toti ſimul Societati commodetur, neque alienum eſſe à Conſtitutionibus videtur; quia denique non exiguæ res iſta Societatis erga Regem Chriſtianiſſimum, pro tot ſingularibus ab ipſo in eam collatis beneficiis, gratitudinis, & propenſæ in ipſum voluntatis futurum eſſe videbatur argumentum; ſumma omnium conſenſione, & communi quadam animorum lætitiæ atque alacritatis ſignificatione, reſponſum eſt, quintum Aſſiſtentem Galliæ Provinciis concedendum eſſe reliquis omnino parem.

II. *in* MS. *d.* 74.

Contra perturbantes.

QVoniam contra Societatis perturbatores à quinta Congregatione generali quædam ſtatuta fuerunt toti Societati valde ſalutaria: ut ad ejuſdem Societatis pacem in dies conſervandam magis exitum illa feliciorem habeant, prælecto LXX. dictæ Congregationis ſuper ea re Decreto, propoſitum fuit,

fuit, ut illud hæc quoque Congregatio primo renovaret, deinde præceptum etiam Provincialibus adderet, ut in ejusmodi perturbatores inquirant, & ad Generalem deferant; neque minus fortiter, quam fideliter, ſuo in ea re munere fungantur. Multis itaque hinc inde allatis omnium ſuffragiis concluſum fuit, illud quintæ Congregationis contra Societatis perturbatores Decretum, nuper à Sanctiſſimo D. N. Paulo V. confirmatum, non modò renovandum eſſe; verum etiam ita extendendum, ut eo Noſtri omnes comprehendantur, qui quorumcumque hominum, ſive de Societate ſint, ſive de ipſa non ſint, opera utuntur ad Societatis pacem conturbandam: ſic tamen, ut præciſe magis ad praxim declaretur, quinam illi ſint, quibusve in caſibus aliqui Societatis perturbatores dici debeant. Quod vero ad præceptum ſpectat, major pars cenſuit, eſſe Provincialibus imponendum.

III. *in Ms. d.* 15.

CVm propoſitum fuiſſet, quod à diverſis Provinciis poſtulabatur, ut hoc ipſo Congregationis tempore totius Congregationis nomine urgeretur apud Summum Pontificem, atque apud alios ad quos ſpectat, Canonizatio B. P. N. Ignatii, ac B. Franciſci Xaverii; reſponſum eſt, ut id fiat ſuo tempore. *Canonizatio B.B. Ignatii & Xaverii.*

IV. *in Ms. d.* 16.

EXpoſuit R. P. N. Generalis, Summi Pontificis voluntatem eſſe, referente P. Laurentio Paulo Procuratore generali, ut omnino fieret omnium Aſſiſtentium mutatio. Ac licet Suæ Sanctitatis voluntas, quia par eſt reverentia videretur ab omnibus tamquam obedientiæ filiis amplectenda; cum res tamen graviſſima judicaretur, tum quia noſtris Conſtitutionibus adverſatur, tum quia nulla ejus mutationis faciendæ cauſſa cernebatur, & gravia inde ſequi incommoda poſſe timebatur; Cenſuit Congregatio deſignandos, R. P. N. Generalis judicio, Patres aliquot, qui cum eodem R. P. Noſtro, cum primum commode poſſet, rei momentum & communem Congregationis ſenſum Suæ Sanctitati, cum omni humilitate proponerent: rogarentque in primis, ut Societatis univerſæ illa de re mentem ſecretis in Conſtitutione ſuffragiis exquiri permitteret: ſic tamen ut Suæ Sanctitatis nihilominus poſtea judicio acquieſceremus. *Aſſiſtentium mutatio extraordinaria Pontificis mandato.* *Legati Patres ad Pontificem.*

V. *in Ms. d.* 17.

CVm non deſint è Noſtris, qui Theologicarum rationum prætextu, vi Bullæ Cruciatæ ſibi licere putent Confeſſarios eligere, qui eos à reſervatis in Societate caſibus abſolvant; & Sacerdotes etiam è Noſtris aliqui fortaſſe ſint, qui iiſdem fundamentis ſeu prætextibus nixi, eos qui *Bulla Cruciata.*

in ejusmodi caſus incurrerunt, abſolvere aliquando audeant, cum magno religioſæ noſtræ diſciplinæ detrimento, niſi remedium efficax afferatur; Propoſitum fuit, videndum, eſſetne ſeverum aliquod ab hac Congregatione Decretum faciendum, quo id omnino prohibeatur; declarando præterea, privilegium Bullæ Cruciatæ nihil prodeſſe Noſtris poſſe adverſus noſtræ Societatis privilegia, ſæpius à ſancta Sede Apoſtolica nobis conceſſa & confirmata, decernendo Bullæ Cruciatæ uſum, quoad reſervatorum caſuum abſolutionem, Noſtris interdictum, ac nullum eſſe, juxta Breve Sanctiſſimi D. N. Gregorii XIII. anno 1575. die 1. Maji, & Clementis VII. die XIV. Iunii 595. in eumdem finem conceſſum, & non ita pridem à Sanctiſſimo D. N. Paulo V. vivæ vocis oraculo R. P. Noſtro confirmatum. Placuit autem omnibus, hoc fieri Decretum, cum Congregatio ſententiam eorum, qui contra fruſtrà ſentiunt, rejiciat: & Noſtris omnibus, ne illam ſequantur, prohibendum cenſuerit. Ac licet cenſerint, quatenus opus fuerit, à Summis Pontificibus declarationem petendam, qua dilucide conſtet, nullis Bullæ Cruciatæ privilegiis aut clauſulis, etiam derogatoriis, dictis noſtris privilegiis quidquam derogari; interim tamen edicit Congregatio, nemo ut Noſtrorum audeat vel docere, vel in praxi contrariam tenere ſententiam. Quare nec Sacerdotes abſolvere quemquam ad ſe cum reſervatis caſibus accedentem præſumant: nec qui accedunt tutos ſe ullo modo in conſcientia, quaſi rite abſolutos, arbitrentur. Si quem vero conſtaret illam doctrinam docere, vel aliis perſuadere, tamquam probabilem; eum Provinciales, tamquam Societati maxime noxium, debitis pœnis coërceant.

VI. *in* MS. *d.* 18.

Hora recreationis.

VT illa hora recreationis qua juxta Conſtitutiones poſt prandium & cœnam à gravioribus ſtudiis & occupationibus vacandum eſſe præſcribitur, fructuoſius & religioſius juxta regulas expendatur, propoſitum fuit, ut media poſt prandium & cœnam hora elapſa, quod reliqvum eſt, ita diſtribueretur, ut quadrans unus recenſendis aliquorum Sanctorum exemplis, vel hujusmodi aliis tribueretur; alter vero, ſi ſe ad cubicula Noſtri reciperent, vel in recitando Roſario, vel in gratiarum actione, vel in pii alicujus libelli lectione ac meditatione inſumeretur. Cum itaque multa hinc inde diu à Patribus allata in medium fuiſſent; viſum tandem eſt majori parti, nihil de conſueta illa hora recreationis detrahendum eſſe, de qua loquitur Regula Præpoſiti LVI. & Rectoris LV. verum enitendum eſſe diligenter, ut aliis rationibus, quæ

à di-

à diverſis propoſita fuerant, occurreretur incommodis, quæ certum eſt alicubi in recreationibus inveniri, aut ex eisdem promanare. Eas autem rationes ac remedia deferenda eſſe ad Patres Deputatos pro ſpiritus renovatione, ut quæ ab iis probata fuiſſent, poſtea Congregationi generali proponerentur.

VII. *in* MS. *d.* 19.

POſtea cùm propoſitum fuiſſet, videndum, an Ordinationibus à R. P. N. Generali factis, circa viſitationem præſertim ſeminarum, aliquid addendum eſſet, ad earum fructus certius atque efficacius percipiendos; Viſum eſt Congregationi, ut Patres Deputati pro renovatione ſpiritus, diligenter illas percurrerent, tam impreſſas quam manuſcriptas; quibus ſi quid addi poſſe judicaſſent, ad Congregationem deferrent. *Ordinationes de viſitandis feminis.*

VIII. *in* MS. *d.* 20.

QVoniam in quarta Generali Congregatione facta fuit poteſtas R. P. N. Generali, ut pro Seminariis Noſtrorum, quæ indigerent, diſpenſaret circa bonorum applicationem extra Provinciam in qua bona illa eſſent; propoſitum eſt Congregationi, ut hæc eadem auctoritas R. P. N. Generali denuo concederetur pro Seminariis Provinciarum, in quibus qui Societatem ingredi cupiunt, admittuntur. Itaque poſt varias rationes à diverſis Patribus in utramque partem allatas; & iis quorum maxime intereſſe videbatur, prolixe auditis; conſtitutum fuit, ut poteſtas illa diſpenſandi, & bona ejusmodi Seminariis Noſtrorum egentibus applicandi, quemadmodum dictum eſt, hujus etiam Congregationis auctoritate concederetur intra Regnum Hiſpaniæ: atque idem etiam de aliis quoque Regnis intelligeretur. *Bonorum applicatio extra Provinciam.*

IX. *in* MS. *d.* 21.

QVia in nonnullis Provinciis ac civitatibus dicitur eſſe non parva offenſio, quod Noſtri in adventu nec jejunent, nec abſtineant ſaltem à carnibus; propoſitum Congregationi fuit, conſiderandum, An ad evitandam dictam offenſionem, concedendum eſſet iis Provinciis quæ id petunt, ut vel jejunent, vel abſtineant; atque ad omnes ſcrupulos eximendos ſimul declararetur, quomodo intelligenda ſint verba illa Regulæ XXXII. Præpoſiti, & XXXI. Rectoris, *dummodo ordinaria conſuetudo jejunandi, quæ juxta Conſtitutiones non ſit, non introducatur.* Viſum tandem eſt Congregationi, nullo modo expedire, ut ulla univerſalis hujus rei conſuetudo toti Societati communis introducatur. Cumque perſpicuum ſit, reliquo anni tempore, absque *Adventus & pœnitentia.*

 indu-

inducendæ conſuetudinis periculo, jejunia cum delectu ciborum more Eccleſiaſtico, & abſtinentias petentibus, juxta diſcretionis menſuram condere Superiores poſſe; monendos Congregatio cenſuit, eos etiam in Adventu faciles eſſe oportere, cum ad ſingularitatem non pertineat, aliis non jejunantibus jejunare. Quare ut ſimul & conſuetudo non introducatur, quæ obligationem ſapere videatur; & ædificationi quoque conſulatur, atque offenſio vitetur; ſtatutum eſt, ut ſi in aliqua civitate, vel in pluribus, vel etiam in tota Provincia offenſio hæc timeatur; Provincialis diligenter & perſpicue R. P. N. Generalem informet; ut ille pro ſua prudentia omnibus perſpectis ſtatuere poſſit, quid in quaque Domo vel Provincia concedendum ſit vel cavendum: ex eoque ſic praxis tota deducatur, ut nec offenſioni ſit locus, nec obligatione Noſtri ad hujusmodi jejunia obſtricti cenſeantur.

X. *in* MS. *d.* 22.

Perſtat in propoſito Pontifex.

RETulit R. P. Generalis, ſe, prout die XXVI. Februarii Act. V. Decreto XVI. ſtatutum fuerat, cum Patribus Ferdinando Albero, Ludovico Richeomo, Ioſepho Villega, Antonio Maſcarennas, Paulo Boxa, & Bernardino Caſtorio pridie ſummum adiiſſe Pontificem: cumque varias rationes attuliſſet, quibus Aſſiſtentium mutationem Societati valde incommodam fore oſtenderet, Suam Sanctitatem benigne quidem audiviſſe, perſtitiſſe tamen in propoſito; cum aſſereret, ſe præſentium quidem Aſſiſtentium ad id perſonarum ratione non moveri; ſed Societatis tamen bonum, & Dei obſequium ſpectare. Quare gratum ſibi futurum, ſi hoc ei crederemus, & ipſius judicio ac voluntati acquieſceremus. Ac licet quando id commodius intra Congregationis tempus videretur, à nobis perfici permiſiſſet; cum tamen quamprimum faciendam novorum Aſſiſtentium electionem eſſe omnium ſuffragiis judicatum fuiſſet; indictum eſt quatriduum pro informationibus juxta formulam faciendis: ita ut proximo die Veneris, hoc eſt VII. Martii mane ipſorum fieret electio.

XI. *in* MS. *d.* 24.

De non mutandis Conſtitutionibus.

QVoniam §. 68. formulæ Congregationis generalis de ſubſtantialibus noſtri Inſtituti nihil omnino agendum in Congregatione dicitur; de iis vero quæ pertinent ad alias Conſtitutiones vel condendas, vel immutandas, & de aliis gravioribus ſemper eſſe ad plura medietate ſuffragia decernendum; cum tamen appareat, non ſolum plures particulares perſonas, ſed nonnullas etiam Congregationes provinciales non ea, qua par eſt, reverentia,

erga

erga Conſtitutiones affici, facileque de illarum mutatione generali Congregationi proponere: quia res novitatis ac periculi plena eſt, & viam munit non ſolum ad contemptum Conſtitutionum noſtrarum, quas ut ſanctas, à B. Patre Noſtro tot lacrymis & orationibus conditas venerari debemus; ſed etiam ad aliam ſenſim Religionem condendam. Cum propoſitum propterea fuiſſet ſtatuendum ut de Conſtitutionibus immutandis non ſolum decerneretur ad plura medietate ſuffragia, ut jam decretum eſt in prima Congregatione generali tit. 11. Decr. 11. & in Congregatione generali ſecunda Decr. IX. & X. Sed nec liceat quidem de iis in Congregatione tractare, ſi quid umquam proponeretur, niſi ad plura medietate ſuffragia de eo tractandum ſtatuatur. ipſa vero deliberatio & Decretum non fiat, niſi ad duas tertias partes, non obſtantibus decretis, & §. Formulæ Congregationis generalis ante citatis. Poſt multa quæ à diverſis fuerunt allata, viſum fuit majore ſuffragiorum parte, Decretum hoc eſſe à Congregatione faciendum: atque ita factum conſtitutumque fuit.

XII. *in MS. d. 25.*

Pœna in eos qui agunt contra ſubſtantialia.

CVm relatum fuiſſet, aliquas Congregationes provinciales propoſuiſſe nonnulla contra ſubſtantialia Inſtituti, quamquam ejuſmodi eſſe minime fortaſſe animadvertiſſent; ut tamen in poſterum ſint cautiores, propoſitum fuit, ut poſſet ſtatueretur aliqua in eos qui deinceps hac in re, quæ tanti momenti eſt, peccaverint; & aliquid propoſuerint contra ea quæ ſubſtantialia Inſtituti ſunt, ſive cum certum eſt, ea quæ proponunt, ejuſmodi eſſe, ſive cum, ſint ne talia, dubitatur. Atque omnium fere conſenſu decretum eſt, ut in eos, qui tale quid in poſterum tentaverint, pœna R. P. Noſtri judicio ſtatuatur.

XIII. *in MS. d. 26.*

De non mutandis Conſtitutionibus & Decretis.

CVm vero propoſitum quoque fuiſſet de iis generalium Congregationum Decretis, quæ facta jam ſunt; multoque magis de Conſtitutionibus, propter earum reverentiam, nec tollendis nec immutandis; ſtatuit Congregatio, ut nulla poſthac provincialis Congregatio quidquam proponat, quo tollendæ aut immutandæ ſint prædictæ Conſtitutiones vel Decreta, niſi communi conſenſione, & omnibus eorum ſuffragiis, qui dictis provincialibus Congregationibus interſunt, vel ſaltem ad duas tertias partes, viſum fuerit eſſe proponendum. Tum vero non petatur, ut ejuſmodi Conſtitutiones vel Decreta tollantur aut immutentur, ſed ſolum incommoda proponantur, quæ ſecuta, vel ſequi poſſe videntur ex eorum obſervatio-

vatione: ad eaque vitanda remedium à Congregatione generali ſimpliciter petatur.

XIV. *in MS. d.* 28.

Aſſiſtentium quinque electio.

DIe VII. Martii, cum Patres omnes, qui ſuffragii jus ad electionem habebant, mane facto Sacro conveniſſent, quemadmodum Act. IX. Decr. XXII. conſtitutum fuerat, præmiſſa brevi oratione, facta eſt quinque Aſſiſtentium electio per ſecreta ſcrutinia, ad plura medietate ſuffragia. Et primo quidem loco, ſecundo ſcrutinio electus eſt pro Italiæ Siciliæque Provinciis, P. Mutius Vitelleſcus, Provincialis Romanæ Provinciæ. Secundo loco pro Germania primo ſcrutinio, P. Ferdinandus Alberus, Viennenſis Collegii in Auſtria Rector. Tertio loco pro Galliis ſecundo ſcrutinio, P. Ludovicus Richeomus, Provincialis Lugdunenſis. Quarto loco pro Hiſpania, & ad eam pertinentibus Provinciis primo ſcrutinio, P. Nicolaus de Almaçan, Provincialis Bæticæ. Denique pro Luſitania, & Provinciis ad eam ſpectantibus primo etiam ſcrutinio, P. Antonius Maſcarennas, Provincialis Luſitaniæ, abſolutaque electione ſinguli de novo electi Aſſiſtentes juramentum juxta §. 81. Formulæ Congregationis Generalis in omnium conſpectu coram Crucifixo præſtiterunt.

XV. *in MS. d.* 29.

Profeſſi quatuor votorum pro Humaniſtis.

QUia litterarum humaniorum tanta eſt neceſſitas, tantaque ad divinum obſequium, & proximorum commodum utilitas, (quapropter magni ſemper in Societate factæ ſunt) ad earum ſtudia, quæ alicubi languere videntur, magis ac magis promovenda, quod ſummopere ab omnibus Provinciis expetitur: cenſuit Congregatio, ut (quemadmodum propoſitum fuerat) cum Noſtris, qui mediocrem rerum Theologicarum cognitionem habuerint, quæ ſufficere ad infidelium & hæreticorum converſionem poſſit; quique inſignes alioqui in litteris humanioribus fuerint, & plures annos in iiſdem docendis cum laude ſtrenue laboraverint (ſi cetera non deſint quæ in Conſtitutionibus requiruntur) diſpenſari poſſit, ut ad profeſſionem quatuor votorum promoveantur, R. P. N. Generalis judicio, juxta Conſtitutiones. Quod ſi prædictam rerum Theologicarum cognitionem eos non habere contigerit, & nihilominus cetera, quæ dicta ſunt, adfuerint; diſpenſari cum illis poterit, ut ad trium votorum profeſſionem promoveantur. Atque idem fieri poſſe intelligatur cum Noſtris, qui apud Indos utiliter laborantes, eorum linguis cum fructu addiſcendis operam dederint: dummodo dici

intel-

intelligatur, ita in hac tota re diſpenſari poſſe judicio R. P. N. Generalis, ut non communiter tamen ac facile cum omnibus uſurpetur.

XVI. *in* MS. *d.* 30.

CVm nihil ſit, quod deſiderare magis Societas debeat, majorique ſtudio promovere, quam ut qui ſe ſuamque in ea operam ad Dei gloriam & proximorum utilitatem in iis functionibus impendunt, quæ ſuæ vocationis atque Inſtituti propriæ ſunt, illum ſpiritus fervorem conſervare, ac in dies augere ſtudeant, quem initio hauſerunt; cumque tantus ex Juniorum noſtrorum Fratrum à reliquis ſeparatione fructus conſtet, ubi ea fieri cœpta eſt, ad eos in bona Novitiatus educatione confirmandos, & probe, quales Inſtitutum poſtulat, effingendos; poſtulatum fuit, ut hujus Congregationis auctoritate ejuſmodi ſeparatio approbaretur & confirmaretur; eaque, ſicubi forte nondum cœpiſſet, introduceretur. Quamobrem omnium votis non approbata modo fuit, ſed etiam Provincialibus magnopere commendatum, ut pro eo quo Societatem amore proſeqvuntur, cupereque propterea debent, ut ii, de quibus agitur, melius in eo ſpiritu conſerventur, quem probationis tempore acquiſiverunt; hunc Juniorum ſeorſum à ceteris habitandi, conſervandi, & in omnibus, quoad fieri poterit, ſegregandi morem invehi & obſervari curent, tum in Seminariis maxime, illiſque Collegiis, in quibus numerus eorum major eſt; tum vero etiam in aliis, ubi commode fieri poſſe judicaverint. Rogatuſque fuit R. P. N. Generalis, ut Inſtructionem aliquam ad hujus rei feliciorem faciliorem que progreſſum conficeret. *Juniorum ſeparatio.*

XVII. *in* MS. *d.* 34.

QVia vero juxta Canonem XXXI. primæ Congr. & LVIII. Congr. quintæ, moris eſt, ut ſi quæ Congregationis tempore Rectorum vel conſtituendorum vel mutandorum neceſſitas occurrat, id niſi Congregatione annuente non fiat; & quibuſdam in locis fieri oportere Provinciales aliquot urgebant: Cenſuit Congregatio, cum id proponeretur; R. P. Generali permittendum, quod pro majori Societatis bono faciendum in Domino judicaſſet. *Rectorum mutandorum poteſtas facta Generali.*

XVIII. *in* MS. *d.* 35.

PRopoſitum fuit in Collegiis, quæ hactenus multiplicata ſunt, ubi ſtudentium Noſtrorum Seminaria actu non ſunt, an licite retineri poſſent; & quid remedii eſſet adhibendum, cum ex Conſtitutionibus & litte- *Collegia quæ noſtrorum Seminaria non habent.*

ris Apoſtolicis conſtare videatur, reditus in Collegiis & Domibus Probationis ad Seminaria Noſtrorum ſtudentium eſſe conceſſos. Et cum, perpenſis plurimis locis Conſtitutionum, verbis litterarum Apoſtolicarum, & Decretis primæ, ſecundæ & tertiæ Congregationis generalis, multa in medium adducta eſſent, & per quatriduum res diligenter examinata; viſum eſt Congregationi ſtatuendum, nullum in ea re fuiſſe aut eſſe debere ſcrupulum: cum præſertim perpetua praxis, & continuata ſeries ab ipſo beati Fundatoris tempore hucusque tradita, quæ eſt optima legum interpres, ſecuros nos reddere poſſint. Et nihilominus ad omnes difficultates tollendas, quoniam non ſolum per communicationem privilegii à fel. rec. Iulio II. Ordini Prædicatorum conceſſi; ſed etiam ex proprio privilegio, poteſt Societas, quæ dubia ſunt in Inſtituto & formula ejusdem comprehenſa, declarare: Declarat Congregatio, non ſolum Collegia, ubi ſunt ejusmodi Seminaria, ſed etiam alia in quibus litterarum ſtudia tractantur, & Scholæ in proximorum utilitatem apertæ ſunt, eſſe conſentanea Conſtitutionibus & Inſtituto: & Profeſſos, atque Coadjutores formatos, de quibus poterat eſſe major dubitatio (nam de ceteris nihil ſcrupuli ſubeſſe poteſt) qui ejusmodi Collegiis, etiam ut operarii neceſſarii aut utiles ſunt, poſſe in eis ſine ullo ſcrupulo ſuſtentari: neque hoc eſſe, Societatem profeſſam, quod de Domibus profeſſis prohibitum eſt, ex Collegiorum reditibus juvari. Curandum tamen omnino, ut Collegia inchoata perficiantur, quo vel noſtri Scholaſtici aliquot ibi ali, vel, ſi commodius Societati fuerit, in aliquibus Seminariis ex eorum contributione ſuſtentari, vel alia aliqua ratione proſpici poſſit, prout R. P. Præpoſito Generali ad majus Dei obſequium, Societatis utilitatem, & commune Eccleſiæ bonum expedire viſum fuerit. Si vero ob paucitatem Domorum Profeſſarum (quas hactenus, etſi diligenter à R. P. Præpoſito Generali quibusdam locis curatum ſit) multiplicare non potuimus, profeſſorum numerus ita excreverit, (quod tamen ob multitudinem & neceſſitatem Collegiorum, aliis morientibus ac deficientibus, non tam cito futurum creditur) ut ipſi profeſſi extra caſus Conſtitutionibus comprehenſos in ipſis Collegiis non tam ob neceſſitatem atque utilitatem illorum, quam in fraudem, & ut ibi alantur, conſtituti eſſe poſſe videantur; tum Provincialis, in cujus Provincia id contigerit, moneat R. P. Præpoſitum Generalem, ut ille ſive in Reſidentias, ſive in alias Provincias, ſive ad Indos transmittere poſſit, quos transmittendos judicaverit. Collegia autem ubi omnino ſtudia non

tractan-

tractantur (quæ nulla aut pauciſſima eſſe Provinciales teſtati ſunt) in meliorem formam arbitrio R. P. N. Generalis reducantur. Ac licet nonnullis ad majorem ſecuritatem viſum fuiſſet, diſpenſationem à Chriſti Vicario, vel declarationem petendam; cenſuit tamen Congregatio nihil opus eſſe, cum præſenti ſua declaratione omnes Noſtri tranquillo animo & quieti eſſe poſſint & debeant, ſicuti præſenti Decreto ipſamet Congregatio omnino decernit ac ſtatuit: hortans omnes in Domino, ut perfectioni potius acquirendæ, & proximis juvandis, atque gloriæ Dei amplificandæ, ut in omnibus Regionibus, præſertim vero Septemtrionalibus, magno cum fructu Dei benignitate factum eſt, nervos omnes ipſi in vinculo pacis arctiſſime colligati ſtrenue intendant.

XIX. *in* MS. *d.* 36.

CVm Patres Deputati pro formulis Congregationum recognoſcendis, &c. cœpiſſent eorum, quæ ad ipſos à diverſis delata fuerant, judicium Congregationi proponere; Placuit Congregationi, quemadmodum alias factum fuiſſe referebatur, ea primum omnia in Congregationis loco affigi, quæ tum ab ipſis tum ab aliis Patribus in ſingulis eorum Deputationibus diſcuſſa & dijudicata deferrentur: ut iis quæ majoris alicujus momenti eſſent, maturius conſideratis, facilius poſtea ſuum de eisdem quisque ſuffragium daret; & Congregatio auditis omnibus ſtatuere ac definire poſſet. In ceteris autem, quæ aut non eſſent adeo gravia, aut nullum cuipiam circa illa dubium occurreret; niſi iis coram omnibus perlectis Congregatio aliquid eſſe mutandum judicaſſet, Deputatorum judicium approbaſſe cenſeretur. Atque hujus generis fuerunt hæc quæ ſeqvuntur; *Formula recognita.*

1. Eo ipſo quod numerus eorum, qui ad Congregationem Provincialem convenire poſſunt, ad numerum quadraginta vel quinquaginta contractus fuit per Decretum LXVI. & Canonem XVI. Congregationis generalis quintæ; ad hos quoque intelligi debet ſuffragium activum eſſe contractum: reliquis autem profeſſis, ſi qui in ea Congregatione locum non habent, remanet tamen ſuffragium paſſivum. Itaque addendum eſt formulæ, eos, ſi eligantur, vocandos eſſe, ſi fieri commode poſſit, ut Congregationi deinceps interſint. *Numerus congregandorum.*

2. Profeſſi, quos certo conſtiterit poſt indictam Congregationem applicatos eſſe Provinciæ, in Congregationem admittentur ultra numerum quadraginta vel quinquaginta; ſic ut non excludantur ii qui ſunt *Profeſſi applicati Provinciæ.*

de Provincia, & ſuo jure intra numerum dictum in Congregatione locum habent.

Quando dubitatur de ſubſtantialibus. 3. Quoniam juxta Decretum xxv. hujus Congregationis, de ſubſtantialibus Inſtituti, quando res dubia eſt, in Congregationibus Provincialibus tractari non licet; in favorem ſubſtantialium hæc conſtituta regula eſt; ut tunc res dubia, & de illa tractari non poſſe intelligatur, ſi vel unus Deputatorum cenſeat eſſe dubiam: multoque minus, ſi Provincialis ita cenſeat, cujus eſt totam Congregationem dirigere, atque omnino efficere, ut Decreta ſerventur; eosque coërcere, qui contra Inſtitutum aliquid forte molirentur.

Compromiſſarii. 4. Circa §. 10. Congregationis Provincialis, ubi dicitur, poſt decimum ſcrutinium per tres aut per quinque Compromiſſarios eligi unum ex illis deberi, qui plura ceteris habeat ſuffragia; judicatum eſt, ſi duo ex quinque Compromiſſariis unum elegerint, & alii duo alium, quintus vero ad tertium acceſſerit; aut ſi ex tribus Compromiſſariis ſinguli acciperent ſingulos; in priori caſu danda deinceps ſuffragia eſſe inter eos tantum duos qui plura ſuffragia habuerunt; & illum tertium excludendum, qui ab uno ſolo eligebatur. In poſteriori autem caſu duos alios addendos eſſe Compromiſſarios.

Reſponſa Generalium legenda. 5. Placuit etiam conſtitui, ut antequam in Congregatione Provinciali quidquam tractandum proponatur; reſponſa prius R. P. N. Generalis ad proxime præcedentis Congregationis quæſita prælegerentur.

XX. *in* MS. *d.* 37.

Suffragia pro fundatore Domus Profeſſa. CVm ex Decreto LXIII. & Canone XVII. Congregationis tertiæ Generalis, pro fundatoribus Domorum Profeſſarum ſuffragia fiant in ipſa Domo & Provincia in qua Domus erigitur; Quæſitum fuit, an videretur ab hac Congregatione ſtatuendum, ut eadem pro dictis fundatoribus in poſterum ſuffragia exhiberentur, quæ juxta Conſtitutiones P. IV. c. I. pro fundatoribus Collegiorum in tota Societate præſcribuntur: aut ſaltem addendum aliquid iis, quæ juxta dictum Canonem fieri conſueverunt; cum plerique Domorum fundatores plus aliquando in ipſarum fundatione expendant, quam nonnullorum fundatores Collegiorum. cenſuitque Congregatio nihil eſſe immutandum. Si quid vero aliud particularis aliquando cauſa poſtulaverit, R. P. Præpoſitus Generalis videbit.

XXI. *in MS. dec.* 38.

CVm facile non ſit, Principibus aliquando quibusdam Confeſſarios à Societate poſtulantibus denegare; ut majore, cum accidit, integritate procedatur; neve ullum, dum alios noſtris miniſteriis juvamus, detrimentum paupertatis noſtræ puritas patiatur; Placuit Congregationi Inſtructionem primo pro Confeſſariis Principum à R. P. N. Generali confectam approbare, ſuaque auctoritate confirmare: ac præterea ſtatuere, non licere Noſtris, eo maxime titulo quod cum Principibus & Magnatibus tractant, vel eorum Confeſſarii ſunt, ab iis quidquam ad proprium uſum & diſpoſitionem accipere; neque ad id Superiores concedere facultatem poſſe. Et ſi quos aliquid ejusmodi procuraſſe conſtiterit, eſſe puniendos. Idem voluit Congregatio intelligi de aliis Confeſſariis, Concionatoribus, Præceptoribus, & ſimilibus erga pœnitentes, devotos, conſanguineos, amicos: & maxime obſervari debere ab iis qui in Miſſionibus verſantur. Quod ſi ſponte ab aliquo quid offeratur, aut alicui particulari mittatur, id juxta regulas in communem uſum accipiatur & diſpenſetur. In caſibus vero particularibus & prudentia Superiorum videbit quid fieri expediat: & ubi dubium eſſet, ad R. P. Præpoſitum Generalem recurratur. *Inſtructio pro Confeſſariis Principum.*

XXII. *in* MS. *d.* 39.

CVm in Deputatione pro formulis Congregationum recognoſcendis, &c. quæſitum fuiſſet, quod à plerisque fuerat propoſitum, eſſetne in Congregationibus Provincialibus ſecretis ſuffragiis de negotiis agendum; & res fuiſſet in Congregatione quoque propoſita & agitata; nemine diſcrepante approbatum fuit Deputatorum judicium, quibus viſum erat omnibus, nullo modo ſecretis utendum eſſe ſuffragiis, ſive de negotiis aliis agatur, ſive quæratur, cogendane ſit Congregatio generalis; propter multa & gravia incommoda, quæ, præter novitatem, inde ſecutura eſſent. Quare hoc Decreto Congregationis placuit rem penitus definire, ne deinceps contra ſenſum Societatis hujusmodi petitionibus, aut privatis aliquorum ſenſibus locus eſſet. *Secreta ſuffragia.*

XXIII. *in* MS. *d.* 40.

QVæſitum etiam fuerat in eadem Deputatione pro formulis, Imponendumne præceptum eſſet, quo vetaretur, ut nihil quidquam in informationibus de aliquo auditum, illi ipſi manifeſtaretur, indicata perſona à qua fuiſſet acceptum. Quod cum eſſet Congregationi quoque propoſitum, illa *Secretum in informatione capienda.*

non modo Deputatorum judicium confirmavit, (qui cenſuerunt omnes, præceptum quidem hujusmodi non eſſe imponendum, ſed aliquid tamen gravioribus verbis addi poſſe, quo ſui omnes officii monerentur) verum addendum etiam putavit, non modo non indicandam ulli perſonam eſſe, à qua de ipſo quidquam quis audiviſſet; ſed neque in univerſum quidem cuiquam aliquid omnino de ipſo in informationibus auditum, eſſe deferendum.

XXIV. *in MS. d.* 41.

Quæ ſervanda in informationibus capiendis.

QVoniam in Congregationibus provincialibus, ex informationibus, quæ capiuntur, ſive de mittendis ſingulis trienniis Romam Procuratoribus agatur, ſive de eligendis iis qui Provincialem ad Congregationem generalem comitaturi ſunt, non mediocriter lædi caritas plerumque poſſet, dum inquiruntur & dicuntur permulta, quæ ad rem circa perſonas eligendas non faciunt; Viſa ſunt Congregationi hæc, quæ ſeqvuntur, in hujusmodi informationibus in poſterum obſervanda & commentanda. Vt maxima primum tam in capiendis quam in dandis informationibus religioſa caritatis & modeſtiæ retinendæ ratio habeatur. Deinde vero de perſonis, quæ ſatis jam vel ex earum actionibus, diuque probatis moribus, vel ex adminiſtrationibus, atque ex officiis quibus in Societate functæ fuerunt, in Provincia notæ ſunt, nullam eſſe informationem capiendam; verum de iis tantum capiatur, quæ plane notæ non ſunt: & quidem ab iis, qui eas bene norunt, & ſinceram de ipſis informationem dare poſſunt. Denique ut aliis omnibus prætermiſſis, de iis tantum rebus capiatur ac detur informatio, quæ ad id pertinent, cujus maxime cauſa fieri electio debet, juxta formulam Congregationis provincialis §. 14. nimirum, An rerum Societatis notitiam habeat, &c. Quamobrem etiam viſa ſunt Congregationi expungenda illa verba, quæ illo §. extremo leguntur; *& alia hujusmodi.*

XXV. *in MS. d.* 42.

Formula correcta.

EX allatis à Patribus Deputatis pro formulis Congregationum recognoſcendis, &c. hæc fuerunt à tota Congregatione approbata circa formulam Congregationis provincialis.

1. Vt ex formula Congregationis provincialis §. 5. expungatur, quod habetur de Rectoribus Convictorum & Seminariorum ad Congregationes provin-

provinciales admittendis: cum per Decretum CIII. & Can. XVI. Congregationis generalis quintæ, jam ſint ab ipſis excluſi.

2. Cum maximum Collegium, cujus Procurator in Congregatione provinciali locum habet, juxta §. 5. formulæ Congregationis provincialis, quando nullus ſit Provinciæ Procurator; Patribus Deputatis viſum eſſet, dicendum ceteris paribus antiquius; habendamque rationem eſſe tum numeri perſonarum, tum redituum & functionum; atque in his tempus indictæ Congregationis ſpectandum; Congregatio tamen cenſuit, ad tollendas difficultates addendum, ut R. P. Præpoſitus Generalis nominet in ſingulis Provinciis quod ſit maximum Collegium, ſicubi aliqua dubitatio fuiſſet. *Quodnam maximum Collegium.*

3. Profeſſi quatuor votorum, qui propter Canonem XVI. Congregationis quintæ non ingrediuntur Congregationem ratione profeſſionis, ſed ſolum quia Superiores ſunt, ſedere debent inter profeſſos, juxta ordinem antiquitatis. *Superiores Profeſſi ubinam ſedeant.*

4. Si quis ſufficientem habet informationem de eligendis, non cogitur eam petere, juxta §. 14. Nec quidquam addendum eſt formulæ, niſi forte, ut caveant, ne quis ſine ſufficienti informatione ſuffragium ferat.

5. Circa §. 20. declaratum fuit, infirmos in eodem domicilio haberi pro præſentibus. quare in omnibus electionibus, etiam Compromiſſariorum, activum & paſſivum habere ſuffragium: fere tamen expedire, electionem Compromiſſariorum ex illis fieri, qui Congregationi præſentes adſunt, & communem Congregationis ſenſum vident. verum quid in ſingulis caſibus & perſonis expediat, videat ipſa Congregatio. *Infirmus in eodem domicilio.*

6. Placuit, ut Congregationis provincialis & Procuratorum formulis addatur, quod eſt in § 52. Congregationis generalis, de ſuffragiis ſtatim comburendis, & quidem à Secretario. neceſſarium tamen non eſt viſum comburi in eodem Congregationis loco, ſed ſtatim poſt illam. *Suffragia comburenda.*

7. Addi quoque placuit formulæ Congregationis provincialis, paragraphum 69. Congregationis generalis de dicendis ſententiis breviter, &c. tum vero etiam viſum fuit, in iiſdem provincialibus Congregationibus Latine loquendum eſſe. *Latine loquendum.*

8. Viſum eſt eidem formulæ addendum §. in quo moneantur Provinciales, ut quando ita expedire judicaverint, & res poſtulaverit; poſſint pro ſuo munere imponere præceptum ſecreti. *Præceptum ſecreti.*

9. Circa §. 9. ſi de Procuratoris electione agatur, qui tertio quoque anno *Abſentes eligi qui poſſint.*

Romam

Romam mittendus eſt; poteſt, legitime impeditus ne intereſſe Congregationi provinciali poſſit, abſens eligi; modo non ſit extra Provinciam, & Provincialem convenire poſſit antequam Romam adeat. Si vero agatur de mittendis ad Congregationem generalem, eligi poſſunt omnes qui de Provincia ſunt, etiam qui eo tempore ſunt extra Provinciam.

Numerus Romæ congregandorum.

10. Iudicatum eſt, æqvum eſſe, atque ita fieri debere, ut numerus congregandorum quadrageſimus vel quinquageſimus Romæ conficiatur primo ex profeſſis Provinciæ; ceteri vero quatuor votorum Profeſſi, qui Romæ Societati univerſæ navant operam, ut Reviſores, Subſtituti Secretarii Generalis, & alii hujuſmodi, ſupra illum numerum admittantur, quando alias ratione antiquitatis eſſent admittendi cum excluſione aliorum.

Procurator Generalis.

11. Procurator Generalis in Congregationem provincialem admittatur, intra numerum tamen, juxta Canonem XVI. Congregationis quintæ: atque hoc erit in formula declarandum.

Secretarius.

12. Secretarius Societatis Profeſſus, qui ratione numeri non haberet locum in Congregatione provinciali, admittendus eſt ob Canonem XV. Congregationis quartæ: abſque alterius tamen Profeſſi excluſione qui intra numerum contineretur.

Rejecta.

13. Declarandum eſt in formula, de rejectis, antequam de ipſis tractetur, decernendum prius eſſe in Congregatione, Vtrum de illis agendum ſit nec ne.

Electorum impedimenta.

14. In Provinciis intra Europam, ſi durante adhuc Congregatione provinciali primo loco electus ad Congregationem Procuratorum ire non poſſit; & ejus impedimentum fuerit probatum, ſuccedat electus ſecundo loco; & eligatur alius, qui ſubſtituatur loco ſecundi. Si vero uterque fuerit impeditus, duo alii eligantur, unus primo, alter ſecundo loco. Quod ſi diſſoluta jam Congregatione, impeditus uterque judicetur, ut eſt in § 27. aut nullus eo anno mittatur; aut Provincialis cum ſuis Conſultoribus, qui ſuffragii jus in Congregatione haberent, & præſentes fuerint, alium poterit mittere ad informandum de ſtatu Provinciæ, qui tamen nullum Romæ tamquam Procurator jus habeat in Congregatione Procuratorum.

Abſentum loco ſubſtituti.

15. Si quis quacumque ex cauſa ante electionem à Congregatione abeſſe cogatur, nec adeſſe poſſit electioni, admittatur alius, qui proxime ad Congregationem accederet. Si vero ille poſtea redeat, ſuo jure admittatur; neque tamen alter excludatur. Poſt electionem vero nullus eſt pro abſente ſubrogandus.

16. In

16. In actis, quæ in Provincia manent, ſcribenda ſunt omnia quæ fuerunt in Congregatione transacta, ſive probata fuerint, ſive rejecta: Romam vero approbata ſolum mittenda ſunt, non rejecta. *Quæ in actis ſcribenda.*

17. Ad §. 34. formulæ Congregationis provincialis addendum eſt reſponſum R. P. N. Generalis, quo ſtatuitur, ſatis eſſe, ſi ſolus Secretarius cum Provinciali obſignet ſcripturas poſt diſſolutam Congregationem; & eas poſtea Provincialis tradat Procuratori, vel ſibi ſervet, ſi eundum ſit ad Congregationem generalem. *Sigillare acta.*

XXVI. *in* M S. *d.* 43.

PRopoſita quædam ſunt item à Patribus Deputatis pro formulis, &c. circa formulam Congregationis Procuratorum; quæ Congregatio eo, quo ſequitur, modo approbavit.

1. Procuratores in ſuffragiis ferendis Romæ pro cogenda vel non cogenda Congregatione generali, ſi diſſentire volent, ſive affirmando ſive negando, à ſenſu omnium vel majoris partis Provinciarum; tunc ad aliquid contra ſtatuendum non ſufficient ſuffragia plura medietate, ſed duabus ſuffragiorum tertiis res tota decernatur. Si vero Provinciarum vota ſint æqualia, res terminetur ad plura medietate ſuffragia. *Circa formulam Procuratorum.*

2. Quemadmodum Secretarii eſt colligere fideliter omnia quæ in Congregatione aut dicuntur aut aguntur; ita etiam ipſe collectas rationes, quæ pro cogenda vel non cogenda Congregatione generali allatæ fuerint, ad provincialem Congregationem referet; ejusque judicio præcipuas ſeliget, quæque ad commune Societatis bonum ſpectare videbuntur. *Procuratorum ſuffragia Romæ.*

3. Si fuerit in Congregatione Procuratorum decretum, cogendam eſſe Congregationem generalem; intelligitur intra ſeſquiannum eſſe cogendam: menſem autem ac diem R. P. N. Generalis conſtituet. atque ita ſcrutinio altero non erit opus, quo, quando cogenda ſit, quæratur. *Selectio rationum pro cogenda.*

4. Non eſt judicatum, præceptum eſſe neceſſarium, quo caveatur, ne cuipiam Procuratores manifeſtent, qualenam ſuffragium dederint Romæ de cogenda vel non cogenda Congregatione generali: monendos tamen eſſe, ne illud temere manifeſtent. *De non manifeſtando ſuffragio.*

5. Cum judicaretur major aliqua directio neceſſaria, qua cognoſcerent Procuratores, ac deliberare certius poſſent, cogendane ſit Congregatio generalis; Viſum fuit addendum §. 6. Procuratores intelligere debere, cogendam generalem Congregationem non eſſe, niſi juxta Conſtitutiones P. VIII. cap. II. *Materia cogenda Congregationis generalis.*

§. 2. cum deliberandum erit de rebus perpetuis ac magni momenti, vel de rebus gravibus ac difficilibus, ad univerſam Societatem, & ad modum in ea procedendi ſpectantibus, quibus R. P. Præpoſitus Generalis cum Aſſiſtentibus providere non poſſit; quibusque certum videatur generalem Congregationem afferre poſſe remedium.

Procuratorum expenſa. 6. Cum quæſitum eſſet, An aliquæ addi regulæ debeant, ne majorem Procuratores, quam par ſit, poteſtatem ſibi uſurpent in negotiis tractandis, in emendis rebus, in expenſis in itinere faciendis, & ſimilibus: Viſum fuit hoc ad R. P. Generalem pertinere: addi tamen poſſe in §. 8. formulæ, ut Procuratores pecuniam ſibi datam, & undequaque acceptam, etiam cum facultate Superiorum, Provinciali conſignent, atque ab illo ſibi neceſſariam accipientes, paupertatis ſint memores.

XXVII. *in* MS. *dec.* 44.

Circa Congregationem generalem. CIrca formulam vero Congregationis generalis hæc item ab iisdem Deputatis pro formulis, &c. allata & judicata fuerunt, Congregationis etiam judicio approbata.

Quot eligere debeant Vicarium. 1. Si vel Præpoſitus Generalis ante mortem Vicarium Societatis non nominaverit, vel ante novi Generalis electionem moriatur, ad ejus electionem omnes Profeſſi, qui eo in loco fuerint, vocandi ſic erunt, ut ſenarium quidem numerum excedant, ſed plures tamen quadraginta non ſint.

Aſſiſtentium electio extra Congregationem. 2. Si quando extra tempus Congregationis generalis eligendi ſint Aſſiſtentes atque Admonitor, placuit ſervari Conſtitutionem; & Generalem Præpoſitum cum approbatione Provincialium unum ſubſtituere, & aliquam de illo informationem ad eos mittere, quibus notus non eſſet is qui proponitur, quod hactenus factum eſt. Plures enim nominari, non eſt Conſtitutionibus conſentaneum, quæ R. P. Generali jus tribuunt unum nominandi. Qui vero fuerit electus, juramentum præſtet coram iis qui jus in Congregatione generali habeant, hoc eſt, coram R. P. Generali, Aſſiſtentibus, Secretario, & Procuratore Generali.

Congregationum Decreta Provinciis communicanda. 3. Congregationum generalium acta Provinciis communicari neceſſe non eſt. Verum Decreta omnia Provincialibus danda ſunt, ut in ſingulis extent Provinciis. & à Provincialibus communicari poſſunt Superioribus illis, quibus expedire judicaverint.

Aſſiſtentes. 4. Quod in §. 53. formulæ dicitur, *Non erit opus eligere novos Aſſiſtentes*, ſic intelligendum eſt, ut integrum Congregationi ſit, aut novos eligere, aut

re, aut antiquos confirmare. Ergo addendum eſt formulæ, ut videat Congregatio per ſecreta ſuffragia, an priores confirmandi ſint, an alii eligendi.

XXVIII. *In MS. d. 45.*

PRopoſitum fuerat Congregationi, ut informatio, quæ fieri debet ad ſervandum Canonem tertium Congregationis quintæ generalis, illa cenſeretur ſufficiens, in qua teſtes deponerent de quatuor vel quinque generationibus; in hac vero non haberetur ratio de rumoribus, ſed probationes ſint certo concludentes, aliquam perſonam in particulari fuiſſe ad fidem converſam ex Iudaiſmo vel Mahumetiſmo. Cum igitur Congregatio hac de re diligenter, & hinc inde allatis rationibus per tres ſeſſiones egiſſet; tandem decrevit per modum ſive declarationis, ſive moderationis, eam in poſterum praxim eſſe adhibendam, ut excluſis iis qui Moriſci in Hiſpania vocantur, vel aliis quibuſcumque, qui Chriſtiani quaſi ſpecietenus haberentur (de his enim non agitur) itemque iis, qui hoc nomine generationis Hebræorum ſeu Saracenorum infames habentur, qui etiam juxta Conſtitutiones titulo infamiæ admitti non poſſunt; in ceteris, qui alioqui honeſtæ familiæ eſſent, aut vulgo nobiles, vel boni nominis haberentur, informationes fierent usque ad quintum gradum incluſive. In quibus informationibus, quæ diligenter, ſecreto, & prudenter faciendæ erunt, exacte tamen, ſicuti non eſt habenda ratio cujuscumque rumoris, aut cujuſpiam aſſerentis ſe aliquid inaudiſſe, ita ſi conſtans fama haberetur, tales hac macula notatos, unde offendiculo & dedecori eſſe poſſent, non eſſent admittendi: ſed probationes certæ & fide dignæ habendæ erunt, ut aliquis usque ad eum gradum excludatur. Vltra hos vero gradus, niſi ſit talis infamia quæ publice conſtet, decrevit Congregatio, non eſſe aut cenſendum impedimentum aliquod, aut ulterius inquirendum. De Tartaris autem & Mahumetanis aliis, ſive in Polonia ſive alibi, committitur R. P. N. Generali, ut poſſit diſpenſare intra prædictos hos gradus, cum ceſſet in his ratio infamiæ & dedecoris. Atque hac occaſione ad caritatem & unionem inter Noſtros ſervandam, ne quis incertis rumoribus detur locus, aut ſpargantur inter Noſtros, quæ etiam Superiores, & alios præſtantes operarios lædere & contemptibiles reddere poſſunt, commendat ſerio & diligenter Congregatio omnibus Noſtris, ne de hujusmodi rebus ſermones miſceantur: monitis tamen, ubi opus fuerit, Superioribus, ſi quid irrepſerit, quod contra hoc Decre-

Declaratio Decreti de genere.

tum ſeu moderationem eſſe poſſit, ut illi pro ſuo officio remedium adhibeant, vel R. P. N. Generalem admoneant.

XXIX. *in* MS. *d.* 46.

De renovatione ſpiritus.

CVm Patres Deputati pro renovatione ſpiritus, duo retuliſſent in ipſorum Deputatione approbata; eorumdem judicium plurium ſuffragiis Congregatio confirmavit. Ea ſunt quæ ſequuntur:

Triduum ante renovationem votorum.

1. Vt ante renovationem votorum inſtituatur vacatio per triduum, ita ut ceſſetur ab aliis occupationibus, etiam litterariis, præterquam à lectionibus ordinariis, ubi eæ habentur, ſive matutino, ſive etiam veſpertino tempore: & ideo ubi commode fieri poterit, eligendum tempus, in quo præcedant aliquæ vacationes, ſicut vacationes Natalitiæ: & per illud triduum, qui vota renovaturi ſunt, exerceant ſe in rebus ſpiritualibus, juxta Inſtructionem.

Exercitia ſpiritualia annua.

2. Vt omnes quotannis vacent ſpiritualibus exercitiis per octo vel decem dies continuos, atque ut id efficaciter & omnino fiat, ſtatutus eſt iſte annuus ſpiritualium exercitiorum uſus, & omnibus ſummopere à Congregatione commendatur, præcipue vero Superioribus; ut non modo ceteros ſuo exemplo excitent, ſed tempus quoque ſingulis commodum ad ea cum fructu peragenda, omnibus difficultatibus ſuperatis attribuant.

XXX. *in* MS. *d.* 47.

De veſtitu & pileo Coadjutorum.

CVm propoſitum fuiſſet de diſtinctione habitus Coadjutorum temporalium, Congregatio cenſuit, commendandum eſſe R. P. N. Præpoſito Generali obſervationem regulæ quoad brevitatem veſtium. De pileis vero, cum diligenter dictæ ſententiæ fuiſſent, placuit Congregationi nihil in alterutram partem definire aut ſtatuere, neque quidquam hoc tempore innovandum eſſe: juvandos autem in ſpiritu diligenter ac paterne, ut in ſua vocatione humiliter ac reverenter Domino ac Societati inſerviant. Si qui vero ſe ad ſpiritum vocationis & gradus ſui non accommodaverint, ii puniantur, mortificentur, & pilei etiam uſu, ubi eſſet introductus, ad humiliationem arbitrio Superiorum priventur.

XXXI. *in* MS. *d.* 48.

Finis Congregationis indictus.

QVia relatum fuit, nihil admodum ſupereſſe in Congregatione tractandum; propoſitum fuit, & omnibus acclamantibus decretum, ut Congregationi die Sabbati proximo, hoc eſt, XXIX. Martii finis imponeretur, niſi quid aliud accideret, quamobrem aliud ipſi Congregationi videretur.

XXXII.

XXXII. *in* M s. *d.* 49.

Lecta ſunt, & à Congregatione confirmata ſequentia, quæ Patres Deputati pro manifeſtatione delicti Superioribus facienda ſibi viſa retulerunt circa Regulam Summarii IX. & X. deſumptam ex capite IV. Examinis, §. 8. *De manifeſtatione delicti.*

1. Licitum eſſe omnibus, manifeſtare Superiori, ut Patri, quodcumque delictum alterius, ſive grave ſit ſive leve: & hunc eſſe ſenſum Regulæ.

2. Cum illo capite IV. Examinis omnibus proponatur, & interrogentur, An contenti ſint futuri, ut omnes defectus, & res quæcumque quæ in iis notatæ & obſervatæ fuerint, Superiori manifeſtentur; eo ipſo Noſtros cedere cuicumque juri famæ, quod huic manifeſtationi obſtare poſſet: & facultatem concedere omnibus, deferendi ad Superiorem quæcumque, etiam gravia, quæ de illis notata fuerint: quandoquidem & ratione majoris humilitatis, & profectus ſpiritualis, & ut à Superiore magis cognoſci, & melius dirigi aut juvari poſſint, ipſimet expreſſe conceſſerint & judicaverint, ſibi magis expedire ad majorem Dei gloriam & bonum animæ.

3. Cum in eodem loco non ſolum de defectibus, ſed etiam de erroribus, & quibuſcumque aliis rebus, quæ in ipſo notatæ & obſervatæ fuerint, fiat expreſſa mentio, non eſſe dubium, quin de omnibus delictis, etiam gravioribus, ſit ſermo.

4. Verba illa regulæ, *per quemvis, qui extra confesſionem eas acceperit*, intelligi de illis quæ ab aliquo alio in eo notata & obſervata fuerint: non autem de iis quæ ipſemet ſecreto, & conſilii petendi gratia, ut dirigatur vel juvetur, cum alio communicaverit. Si quando autem ob aliquas peculiares vel graves rationes dubitaverit conſiliarius, num debeat manifeſtare Superiori rem eo modo in ſecreto acceptam, tum conſulat diligenter Doctores, ut in re tanti momenti prudenter, atque cautione, qua decet, procedere poſſit.

5. Neceſſe non eſſe in hac manifeſtatione expectare, ut hoc illi à Superiore injungatur, vel ab ipſo interrogetur, cum verba illa, *præſertim ubi à Superiore fuerit ita præſcriptum*, ſatis declarent, debere eſſe paratos ad hanc manifeſtationem, non expectato Superioris præſcripto.

6. Quod vero ſubjungitur, *debita cum caritate & amore*, ſic accipi debere, ut qui manifeſtat, non debeat aliquo inordinato affectu duci, ut alius

ſcilicet confundatur, mortificetur, puniatur ; ſed ex affectu caritatis, ut videlicet ille melius juvetur in ſpiritu, periculis à Superiore occurratur, bono communi proſpiciatur; atque ita manifeſtans ſervet eum modum manifeſtandi in verbis, narratione, intentione, qui amorem & caritatem præſeferat.

7. In delictis, quæ vel in detrimentum boni communis, vel in damnum imminens tertiæ perſonæ vergunt, (qualia ſunt infectiva aliorum, & nociva bono Religionis, ut ſunt lapſus carnis cum tertio, ſeminatio diſcordiarum inter fratres, furtum, impugnatio, & machinatio contra Inſtitutum vel Superiores, præſertim vero Generalem, conſuetudo detrahendi & ſuſurrandi, & his ſimilia) non ſolum poteſt, ſed etiam tenetur quisque immediate uti denuntiatione paterna, manifeſtando illa Superiori, ut provideat ſecreto & prudenter tam bono ſubditi, quam bono Religionis.

8. Quando autem prudenter judicaretur, non poſſe adhiberi ſufficiens remedium, quo provideatur bono communi, vel tertiæ perſonæ, niſi aſſumatur in ea re officium Iudicis; tunc tenebitur ſubditus ad denunciationem iudicialem Superiori faciendam.

XXXIII. *in* MS. *d.* 50.

Quomodo ſecretum ſervandum.

CVm autem quæreretur apud Deputatos circa eamdem regulam, qua ratione in denunciatione paterna ſe debeat gerere Superior ut Pater, tam in ſervando ſecreto, quam in aliis quæ ad remedium adhibendum pertinent: hæc ab ipſis ſtatuta, & Congregatione confirmata fuerunt quæ ſubduntur:

1. Ea ratione ſecretum ſervare debet, ut deferentem nulli revelet ſine ejus conſenſu, quem interdum dare tenebitur; atque ita ut ſemper Superior omnimode indemnitati deferentis conſulat.

2. Delatum etiam nulli debet revelare, qui non poſſit prodeſſe fini quem denunciatio paterna intendit, qui eſt profectus ſpiritualis ſubditorum, & bonum commune Religionis, quibus Superior debet paterne providere. Quare ſine urgenti neceſſitate, & magna utilitate in ordine ad dictum finem, & cum eo minore detrimento, quo poſſit reſpectu famæ delati, numquam debet manifeſtare delatum.

3. Quando judicat ob fines & rationes dictas revelandum, tunc debet illis tantum manifeſtare, qui prodeſſe poſſunt ad remedium adhibendum.

4. Habita ratione finis denunciationis paternæ, poteſt ipſum delatum aliquan-

aliquando monere & corrigere ſecreto, coram duobus teſtibus, ut ex Evangelio cum S. Thoma docent Doctores. Item & de remedio conſulere, imponendo ſecretum iis cum quibus communicat.

5. Poteſt etiam unus Superior dicere rem ſic delatam & notam alteri Superiori ejusdem delati, quando res ita poſtulaverit ad finem paternæ delationis.

6. Cum autem poſſit, & ſit licitum, de ea re conſultare cum iis, cum quibus expedit pro remedio, & cum ſecreto; ut tamen cum majori cautione procedatur, quando conſultatio videretur neceſſaria, petatur conſenſus deferentis; quem dare ille debebit; ſic tamen, ut in conſultatione deferentis nomen taceatur; & res, quoad fieri poteſt, in univerſali tractetur. Non debet autem Superior petere à deferente, ut ſuo nomine ſubſcribat rem delatam, cum ea ſubſcriptio tantum deſerviat denuntiationi judiciali.

7. Poteſt item ob dictum finem, facere ſecreto quæcumque judicaverit expedire ad medium profectumque delati, citra ejus infamiam; ut monere privatim, reprehendere, terrere minis, diligentius invigilare circa ipſum, mutare illum loco, prævenire occaſiones, cavere à recidivo, non admittere ad aliquod officium, removere ab officio quod habet, ſi ſine violatione ſecreti, ſub alia occaſione apparenti & probabili id præſtare poſſit.

8. Poteſt etiam Superior aliqua ex ſic delatis publicare in publicis refectorii reprehenſionibus, ut ſunt defectus leves & communes ſubditorum, imponendo pœnitentias ordinarias, ſecundum praxim communem Societatis, dummodo non afferant ipſi delato infamiam alicujus momenti; & quoad fieri poterit, conſenſus habeatur deferentis, & ſine ullo ejus detrimento fiat.

9. Denique poteſt Superior interdum ex ſic notis, & ad ſe tamquam ad Patrem delatis, venire ad dimiſſionem delati ex Societate; ſic tamen, ut licet adjuvetur & utatur hac notitia, non tamen eo modo procedat, ut talis defectus poſſit cognoſci ab aliis, vel in ſpecie, vel in genere: ſed alias alia via cognitas notas opponat, quæ ad illum dimittendum ſufficientes ſint in opinione aliorum: aut certe nihil dicat, nec det occaſionem aliquam credendi, quod aliquid tale imponatur in pœnam delicti quod omnino ſecretum eſt, nec alia via ſcitur, quam paternæ denunciationis. Ne vero nova iſta viderentur, quæ de denunciatione delicti, ex Deputatorum judicio allata & confirmata

fuerunt;

fuerunt; relatum eſt, quod Iulius II. in Statutis Franciſcanorum dicit, damnandum eſſe dogma, quod habet, Religioſum criminis ſocium non teneri ad denuntiandum illud Superiori. Et quod in Conſtitutionibus generalibus Farinerii Ordinis Minorum cap. VII. refertur in quodam Capitulo generali, alias à S. Bonaventura ſtatutum conditum fuiſſe in hæc verba: *Nullus Frater dogmatizet, vel teneat, quod cum aliqui ſunt ſocii in crimine, non teneatur alter alterum revelare Superiori, qui poteſt ac debet prodeſſe & animarum periculis præcavere. Nam ex ſententia Bonaventuræ, & Magiſtrorum Ordinis, & totius Capituli generalis definitum eſt, quod hæc doctrina eſt peſtifera, & in deſtructionem Ordinis & regularis diſciplinæ; cum Prælati ſcire debeant ſubditi exceſſus, non ſolum ut puniant, ſed ut poſſint præcavere.*

XXXIV. *In* MS. *d.* 51.

Manifeſtanda Novitiis. DEnique decretum etiam fuit à Congregatione, ut hoc ipſum, quod de manifeſtatione delicti ſancitum ac probatum eſt, oſtendatur Novitiis, & declaretur juxta regulam XV. Magiſtri Novitiorum, inter alia, quæ ipſis explicanda declarandaque paulatim ipſis ibidem eſſe dicuntur.

XXXV. *in* MS. *d.* 52.

Pro formulis Congregationum. EX his vero, quæ Deputati pro formulis Congregationum recognoſcendis, &c. ſibi viſa fuiſſe retulerunt, quæ ſequuntur Congregatio ſuo quoque judicio confirmavit.

In ambitioſos cenſura. 1. Quod in formula Congregationis provincialis dicitur de iis qui ambitioſe agunt, & per ſe vel per alios, directe vel indirecte ſuadent, ut ſe vel certum alium eligant aut excludant; Viſum eſt extendendum eſſe, ut intelligatur à die indictæ Congregationis usque ad electionem, idque tum in Provinciali, tum in generali Congregatione. Ac præterea eos quoque comprehendi, qui licet ſuffragium in Congregatione non habeant, agunt tamen pro illis vel contra illos qui habent.

Profeſſis liberum non eſt abeſſe à Congregatione. 2. Profeſſos omnes quatuor votorum adeſſe Congregationi oportere, qui juxta Canones convenire debent, propter Societatis bonum: quare non eſt hoc liberæ illorum voluntati relinquendum; cum Societatis interſit, atque expediat illos adeſſe. Poteſt enim quisque juri ſuo cedere, ſi venire nolit; at non juri Societatis, quæ illius opera indiget in Congregatione. Ceterum in examinandis impedimentis, poſſe cum aliquibus minus ſcrupuloſe agi.

3. Cum, Provinciali impedito quo minus venire ad Congregationem gene-

generalem poſſit, in §. 23. dicatur, ſubſtitui debere unum ex duobus qui electi fuerint comitaturi Provincialem; & ex tertio poſt illos primum electo, non autem ex tribus electis poſt duorum illorum electionem: in Conſtitutionibus vero ſimpliciter dicatur, ex tribus quos elegerit Congregatio; Probatum eſt judicium Deputatorum, qui dixerunt, per formulam declarari Conſtitutionem, & intelligendam eam eſſe de primo ternario. Quare ad generalem Congregationem is veniet, quem ex illo ternario eliget Provincialis. Quod ſi Provincialis nullo nominato Viceprovinciali moriatur, ſi Viceprovincialis à R. P. Generali nominatus fuerit, unus ex electis alias venturis, aut aliquis ex illis jure ſuo ſuccedat in Viceprovincialem, ille veniat: alioqui venire oportebit primum electum; hocque impedito, ſecundum; & deinde tertium. *Subſtitutus Provincialis.*

4. Poteſt quidem Provincialis cum aliis juxta formulam judicare, an quis impeditus ſit, ita ut ad Congregationem venire non debeat; & is, qui ſic judicatur, debebit acquieſcere: at nullo modo debet aut poteſt quemquam impedire, qui ante impeditus non eſſet, & jus ad Congregationem haberet; neque ex ſua, & aliorum, quos conſulere ſolet, ſententia ordinare, ut aliquis ex illis qui jus habeat ad Congregationem provincialem, non veniat ad illam; ſed remaneat Superior alicujus Collegii loco Rectoris, qui ad Congregationem veniat; vel in aliqua alia re occupetur, ut ipſi videbitur expedire. Potius igitur, niſi alius ſit, remaneat Rector in ſuo Collegio, & alium pro ſe ad Congregationem mittat. *Nullus poteſt impediri ad Congregationem jus habens.*

5. Placuit etiam, ut in formulis Congregationis tum Provincialis tum Generalis extendatur & prohibeatur negotiatio omnis, in electione quoque Secretarii & Deputatorum.

6. Quoniam ex Canone xxxiii. Congregationis primæ, Viſitatoris poteſtas mortuo Generali expirat; Viſum eſt explicari debere, liberum ipſi eſſe, aut Congregationem provincialem adire in ea Provincia in qua tunc fuerit, aut redire ad ſuam; atque in utravis tam activum quam paſſivum ſuffragium habebit. *Viſitator in qua Congregatione eſſe poſſit.*

7. Placuit §. 32. Congregationis provincialis formulæ, inter ea quæ tractanda ſunt in Congregatione poſteriore loco, addi, De Conſtitutionum & regularum obſervatione, ac de religioſa diſciplina tractandum eſſe. *Quæ tractanda in Congregatione.*

8. Placuit quoque declarari ad §. 13. Provincialem habere duo ſuffragia, etiam *Provincialis duo ſuffragia.*

etiam cum agitur de impedimentis in Congregatione; unicum vero ante vel poſt Congregationem.

Precatio initio Congregationum.

9. Quemadmodum in Congregatione generali, juxta §. 59. ſingulis ſeſſionibus aliqua brevis oratio præmittitur; ita viſum eſt in formula Congregationis provincialis addendum, in ea quoque fieri debere.

Electorum impedimenta.

10. Viſum eſt §. 22. & 23. addendum, ut cum quis electus fuerit, quamprimum proponat ſi quæ habet impedimenta, ſaltem antequam dimittatur Congregatio, ut ipſa de illis judicet.

Suffragia non aperienda.

11. Placuit etiam ſignificari, nulli, ſuffragia cui data ſint, ab ullo manifeſtetur: nullam tamen injungi propterea pœnam.

Procuratores Indiarum in Luſitania & Bætica.

12. Viſum fuit Procuratores Indiarum, qui in Provinciis Luſitaniæ & Bæticæ commorantur, Congregationem provincialem, pro generali futura convocatam, ingredi non debere.

Provincialis ſuffragia in conſultatione extra Europam.

13. Provinciales extra Europam in conſultatione, quæ habetur juxta § 24. & 25. ad eligendum Procuratorem Romam mittendum, habent duo ſuffragia: quia illa non eſt ordinaria tantum conſultatio, ſed quaſi abbreviata Congregatio provincialis: atque ita addendum eſt in formula, Provincialem habere duo ſuffragia; & declarandum, ut illa electio fiat per ſecreta ſuffragia, ſicuti fieri ſolet in plena Congregatione.

In Congregatione Procuratorum petenda informatio à Generali.

14. Circa formulam Congregationis Procuratorum, cenſuerunt Patres Deputati, eorumque judicium Congregatio probavit; Ad neceſſariam capitis & membrorum connexionem, horumque ab illo directionem, curandum, ne illius, cujus providentiæ ſe totam Societas commiſit, informatio prætereatur à Procuratoribus. Quare addendum eſſe in formula, ut à R. P. Generali omnino informatio petatur, cui magis perſpectus eſt univerſæ Societatis ſtatus; tum vero à ceteris qui jus ſuffragii in Congregatione habent.

Polonia in Aſſiſtentia Germaniæ.

15. Cum in §. 15. formulæ Congregationis generalis, quinque dumtaxat nationes nominentur, ex quibus deligi Deputati debeant; peteretúrque, ne excluderetur Polonia, quæ aliquot nationes comprehendit, Polonicam, Lituanicam, Ruſſicam, Pruſſicam & Livonicam; ad hujuſmodi difficultates tollendas placuit nomen nationis in dicto §. mutari in nomen Aſſiſtentiæ, dicique *ex quinque Aſſiſtentiis*; omnes enim nationes ad aliquam Aſſiſtentiam pertinent.

16. Ex Luſitania & Bætica Procuratores pro Indiis Romam ad Congregationem generalem mittendi non ſunt, non obſtante Canone x I v. Con-

grega-

gregationis tertiæ; neque nova ulla electio facienda eſt: ſed unus ex his qui Romam venturi ſunt, à Provinciali deſtinatus ſuppleat. Quapropter ab illarum Provinciarum Procuratore inſtrui debebit.

Procuratores ex Bætica, Luſitania pro Indiis.

17. Cum in §. 64. formulæ Congregationis generalis dicatur, juxta cujuſcumque antiquitatem profeſſionis proponenda eſſe, quæ ipſi Congregationi generali proponi debere viſum fuerit, ea vero poſſint Electores, juxta §. 16. dare Deputatis abſque ſubſcriptione; atque ita ignoretur, à quonam propoſitum quid fuerit; Viſum fuit Deputatis, ut ii qui ordinem illum antiquitatis ſervari voluerint, nomen ſuum ſubſcribant, alioqui ſuo juri cedere cenſeantur.

Qui proponunt ſubſcribant nomen.

18. Declaratum quoque eſt, tum in formula Congregationis generalis, tum Provincialis, ut quoties & quacumque ex cauſſa generalis cogitur Congregatio, electi à Congregatione Provinciali, cenſeantur ſemper electi tum ad negotia tractanda, tum ad Generalis Præpoſiti & Aſſiſtentium electionem, ſi eos tempore illo mori contingeret, nec eſſe opus Provinciales Congregationes iterum convocare.

Electi ad Congregationem generalem, ad omnia.

19. Viſum etiam eſt, addi poſſe in officio Vicarii generalis; Ad Vicarium cum Aſſiſtentibus pertinere declarare, quo die & loco generalis Congregatio cogenda ſit.

Vicarii eſt declarare diem & locum Congregationis.

20. Placuit ſic declarari Canonem XXXII. Congregationis primæ, & Canonem XLIII. Congregationis quintæ, ut Officiales, ſaltem Provinciales, mutari non poſſint, tantum poſt inchoatam Congregationem generalem.

Quando Provinciales non poſſunt mutari à Generali.

20. Judicatum, ad §. 3. formulæ Congregationis generalis addenda verba Conſtitutionum P. VIII. c. V. §. 1. nimirum locum, quo conveniet Societas ad Generalis electionem, videri Curiam Summi Pontificis eſſe debere, ubi ut plurimum erit ipſius Generalis reſidentia, &c.

Locus Congregationis generalis Romæ.

XXXVI. *In MS. d. 53.*

APprobavit etiam eadem actione Congregatio infraſcripta capita, quæ viſa ſunt Patribus Deputatis pro executione, ad eamdem executionem in Societate promovendam profutura circa ſecundum caput Inſtructionis R. P. N. Generalis pro Superioribus, maxime vero in §. 1. & 3. ab ipſis obſervata.

Ex deputatione pro executione.

1. Ad faciliorem notitiam eorum quæ Superiores ſcire convenit, ut ea mandare executioni poſſint, judicatum eſt expedire, ut fiat Index ſeu Catalogus eorum, quæ à Superioribus tum Provincialibus tum localibus ſunt præſtanda; ut omnia brevi compendio contenta juvent memoriam. Colligendus vero eſt hujuſmodi Index ex Regulis, Ordinationibus & Inſtructionibus.

Elenchus.

Quæ in conſultationibus tractanda.

2. Ad eamdem notitiam proderit, ſi Superiores cum ſuis Conſultoribus tempore conſuetæ conſultationis ſimul perlegant aliquid ex Regulis, Ordinationibus, Inſtructionibus, & ſimilibus libris, octavo aut decimoquinto quoque die, juxta Viſitatorum Inſtructionem.

Memoriale Provincialis quando legendum.

3. Singulis menſibus legatur in conſultatione Memoriale exequendum à Provinciali vel Viſitatore relictum; tum ne memoria excidat, tum ut ſuis temporibus poſſit Provincialis de executione à Conſultoribus moneri. Ideoque communicandum erit hujuſmodi Memorialis exemplum tum Admonitori, tum Conſultoribus; dummodo non ſit aliquid quod ad particulares perſonas pertineat. Commendandum vero eſt Viſitatoribus & Provincialibus, ut abſtineant à novis Ordinationibus absque neceſſitate multiplicandis; easque relinquant, quæ practicabiles ſint, & antea oſtendant Superiori, & aliis qui judicium ferre poſſunt, juxta regulam Provincialis CXXXIV. Expedit enim audire difficultates præſentem potius quam abſentem, & aut expungere aliquas, aut Superiorem & alios capaces reddere, atque ad executionem animare.

Capita de quibus ſcribendum ad Provincialem.

4 Formanda videntur aliqua capita, de quibus Superiores & Conſultores eorumdem ſuis temporibus ad Provincialem ſcribere debeant; ne in ſcribendo vagentur in incerto, eaque omittant, de quibus Provincialis monendus eſſet. Poterunt autem hujuſmodi capita magna ex parte deſumi ex iis, juxta quæ ad Præpoſitum Generalem ſcribendum eſſe præſcribitur.

Legenda in conſultatione.

5. Præſcribendum eſt Superioribus localibus, ut ſemel in menſe, puta prima hebdomada menſis, loco ordinariæ conſultationis habeatur conſultatio de executione; ſcilicet, an Domi ſit aliquid quod prætermitti videatur: an vigeat obſervatio Regularum tam communium quam officialium: an notetur aliquarum frequens transgreſſio: an Superiorum Ordinationes executioni ſint mandatæ, præſertim eæ quæ in Memoriali relictæ ſunt à Provinciali adnotatæ; quæ eodem tempore eſſent legendæ, ſi nondum executioni mandatæ eſſent. Porro de hoc capite (quod referendum eſſet inter ea, de quibus ad mediatos Superiores ſcribendum eſt) ſpecialiter & diſerte ſcribi deberet ad R. P. Generalem & ad Provincialem, ab iis qui ex officio ſuis temporibus ad eosdem ſcribere tenentur.

Conſultatio Provincialis ſingulis menſibus.

6. Similem conſultationem principio cujusque menſis cum ſuis Conſultoribus, ubi diutius reſidet, & præſentes habet Conſultores, inſtituet Provincialis: in qua exquirant, Quomodo ſe habeat communis Provinciæ diſcipli-

ſciplina: quid de ea ſciatur vel audiatur: quid etiam ipſi Provinciales à Rectoribus & eorumdem Conſultoribus habeant, &c. Qua de re (an ſcilicet hujusmodi conſultationes fiant, & quo fructu ac ſatisfactione) ſuis temporibus Conſultores Provincialium ad Præpoſitum Generalem ſcribant.

7. Ad faciliorem harum conſultationum uſum, poſſent tam pro localibus Superioribus, quam pro Provincialibus, præſcribi capita nonnulla ſingulis menſibus examinanda; magis inhærendo iis quibus nondum plane ſatisfactum videtur: præſertim circa abuſus, ſi qui ſunt in Provincia. *Singulis menſibus examinanda.*

XXXVII. *in* MS. *d.* 54.

Circa §. vero 3. cap. 2. Inſtructionis ejusdem R. P. Noſtri, quædam obſervata fuerunt de timore qui executionem impedire ſolet. *Ex eadem Inſtructione.*

1. Hujuſcemodi timorem aliquando ex naturali puſillanimitate naſci; taleſque Superiores parum fore ad gubernandum idoneos. *Superiores timidi.*

2. Timidos reddi Superiores ob frequentes delationes ad mediatos Superiores, atque in non paucis abſque fundamento, ex incertis rumoribus, ſuſpicionibus aut paſſione: quibus ſi facile credant Superiores mediati, & inauditos damnent, & ſevere atque abſolute reprehendant; deſpondent animum Superiores immediati, & vix audent quidquam tentare ad redimendam vexationem.

3. Quia Superiores mediati non aſſiſtunt illis, neque eorum auctoritatem apud ſubditos defendunt.

4. Quia ſubditos habent aliquando nonnullos, quos continere in officio non poſſunt ob eorum auctoritatem, ita ut indigeant potentiori brachio Superiorum mediatorum: qui videntur nonnumquam fovere hujusmodi homines imperfectos, quorum exemplo plurimum retardatur executio. Ad quas difficultates ſuperandas hæc viſa ſunt adhibenda.

1. Vt Provinciales ſibi devinciant Superiores locales, & amanter ac confidenter cum illis agant; oſtendantque ſe de illorum bonæ gubernationis ſucceſſu & auctoritate apud ſubditos tuenda eſſe ſollicitos.

2. Vt examinentur diligenter querelæ ſubditorum adverſus Superiores rigorem deſcendendo ad caſus particulares, ne forte exiſtiment rigorem eſſe, exigere à ſubditis diſciplinam, & exactam obſervationem Regularum. Neque minus examinetur, quid cauſæ ſit, cur de multis Superioribus non audiantur ſubditorum querelæ, Vtrum quia, ſalva tamen diſciplina, ſuaves ſunt; an vero, quia remiſſi & indulgentes, quique nullum contriſtare, ſed pacifice vivere velint.

 3. Vt

3. Vt mediati Superiores non ſint faciles in credendo delationibus, & audiant quid rationis aut excuſationis afferant immediati: & ubi innocentes fuerint deprehenſi, moneantur ſerio à Provinciali, qui detulerunt, ut cautiores ſint in poſterum; faciantque, ut ſubditi intelligant, probari ſibi zelum Superiorum in promovenda executione, juxta officii obligationem.

4. Plurimum momenti habebit, ſi Superiores omnes Societatis cum Præpoſito Generali, & Superiores locales cum Provinciali ad executionem urgendam conſpirent: ita ut omnes intelligant, unum eumdemque in Societate animum eſſe: neque recurſus ad Superiores mediatos in hac parte prodeſſe; neque ob tranſitum à re ad modum exequendi impediri executionem oportere. Eamdemque conſpirationem in quolibet Collegio facere deberet Superior cum ſuis Conſultoribus, Admonitore, Patre ſpirituali, & aliis Patribus, qui promovere poſſunt executionem: ita ut idem ſentiant & dicant omnes. Quod ſi antiquiores aliqui obloqui de executione videantur, monendi & coercendi ſunt, ſi opus fuerit, etiam publicis pœnitentiis, ne alios turbent, & inſuavem reddant executionem.

5. Conducet, ſi Superiores mediati, ſive præſentes ſive abſentes ſint, nullam omittant occaſionem urgendi Superiores immediatos ad executionem, per quos pari ratione Inferiores omnes ad eamdem executionem excitentur.

6. Promovebit executionem diſciplinæ vigor, & uſus reprehenſionum, & aliarum pœnitentiarum, adverſus transgreſſores regularum, & non curantes paterna monita, ſervato ordine Regulæ XXVII. Rectoris: ita ut intelligant ſubditi, veniendum tandem ad extrema remedia dimiſſionis, ſi opus fuerit, quando aliis tentatis nihil proficitur. Atque hujuſmodi diſciplina communis omnibus eſſe debet, etiam antiquioribus & ſenioribus, imò & ipſis Superioribus, ſi ſuo officio defuerint, ad aliorum ædificationem & ſatisfactionem, ut liberius executionem promovere poſſint. Intelligere autem debent tum Superiores, tum ſubditi, etiam antiquiores & benemeriti, non fieri ipſis injuriam, nec infamari, ſi ob defectus contra Regulas imponantur eis publicæ pœnitentiæ.

7. Poſtremo executio poſita potiſſimum eſt in opere ipſo urgendo potius, quam in documentis. Quare expedit, ut Viſitator & Provincialis in ſuis viſitationibus, ea quæ remedio indigent, & certa ſunt eſſe contra Regulas, neque juſtam ob cauſſam dilationem poſtulant, curent omnino ante ſuum è

Colle-

Collegio diſceſſum executioni mandari. Ita enim & ſuavius & efficacius fient omnia, & Superiores immediati magna moleſtia liberabuntur. Et diſcent etiam ipſi exequi per ſe, quæ ſunt ſui officii, neque ad adventum usque Provincialis inconvenientia tolerare. Reliqua vero quæ ſtatim executioni mandari non poterunt, notent in Memoriali. Quod ſi in ſequenti viſitatione deprehenderint Superiores culpa prætermiſſa, is non maneat impunitus, ne ſubditi offendantur, exiſtimantes ſolum fieri quæ ſunt ad guſtum Rectoris; reliqua vero quantumvis præſcripta prætermitti. Quod ſi Rectores continenter & notabiliter negligentes & remiſſi in executione deprehendantur, tali onere liberentur, ne ipſorum conniventia religioſa diſciplina relaxetur.

XXXVIII. *in MS. d.* 55.

Allata poſtea ſunt, quæ à Deputatis pro Concionatoribus & Confeſſariis obſervata fuerunt. Verum ea Congregatio cenſuit R. P. Noſtro remittenda; ut ex iis in Inſtructionem ad eoſdem melius inſtituendos & corrigendos ea conferat, quæ cum Patribus Aſſiſtentibus opportuniora atque utiliora fore pro ſua prudentia judicabit. Idemque de iis factum eſt, quæ à Deputatis pro renovatione Spiritus, pro reformanda recreatione, juxta Decretum XVIII. allata fuerunt. *Concionatores corrigendi.*

XXXIX. *in MS. d.* 56.

Ex iis autem quæ Deputati circa Miſſiones attulerunt; in iis quæ ſeqvuntur, eorum judicium Congregatio comprobavit.

1. Vt feminarum viſitatio multo magis in Miſſionibus, quam in Domibus & Collegiis interdicatur; neque patiantur Noſtri feminas domum ad ſe venire cujuſcumque rei cauſa, ſed audiantur in eccleſia. *Circa Miſſiones.*

2. Noſtri qui ſunt in Miſſionibus non invitent externos ad ſuam menſam, nec patiantur ſe invitari ab aliis, quantum in ipſis erit.

3. Commendetur ſerio Provincialibus per R. P. N. Generalem, ut videant, ne pecunia accipiatur à Noſtris in Miſſionibus; aut, ſi quando accipienda ſit, ita diſpenſetur, ut non lædatur paupertas, aut detur externis offenſio: teneanturque Noſtri, qui in Miſſionibus fuerint, acceptæ pecuniæ rationem Superioribus dare; & eam, ſi quid ſuperſit, eiſdem Superioribus Domus vel Collegii ſtatim reddere.

4. De eleemoſynis vero, quæ Noſtris aliquando mittuntur, poſtquam alicubi concionatum eſt in Adventu, aut in Quadrageſima, aliove tempore, ſervetur diligenter quod in Inſtructione dicitur à R. P. N. Generali hac de re edita.

XL. *in* MS. *d.* 57.

POſtremo lecta ſunt, & à Congregatione approbata, quæ Patres Deputati pro ſcholaſticis in ſpiritu juvandis attulerunt, atque hic adſcripta.

Circa Scholaſticos. 1. Vt in Inſtructione pro ipſis jam facta, in qua commendatur, ut non agant cum externis, addatur, ut non vocentur ad januam, niſi de Rectoris, & non alterius expreſſa licentia: qui rarius debet eam concedere, atque invigilare, ne prolixa ſint eorum cum externis colloquia.

2. De Magiſtris autem, viſum eſt ad eorum Regulas nihil addi poſſe, niſi ut videant diligenter Superiores, ne in colloquiis, quæ habere neceſſario debent cum externis ſuis Scholaſticis, diutius morentur, præſertim cum uno aliquo, ac ne tempus terant.

3. De conferentiis, quæ loco exhortationis haberi aliquando poſſunt ſexta Feria, juxta Regulam Rectoris XXIV. viſum eſt, nihil addendum; ſed commendandum Superioribus, ut eas crebriores habeant, ubi bene ſuccedunt. De aliis autem peculiaribus, ad quas ſoli Scholaſtici vocantur, cenſuerunt Patres non eſſe introducendas, ne nimium onerentur.

4. De Roſario vel Officio B. Virginis quotidie recitando viſum eſt, id cujusque devotioni, ac Præfecti rerum ſpiritualium prudentiæ relinquendum eſſe.

5. Cum quæſitum eſſet, an fieri Regula deberet, ne ſcholaſtici ingrediantur cubicula Magiſtrorum ſuorum; viſum fuit Patribus, univerſe non poſſe prohiberi, ſed ſicubi mos eſt, ut ſtudiorum cauſſa ſcholaſtici ſuos præceptores in cubiculo conveniant, declarandum iis eſt, facere ipſos contra Regulam XXXIII. communium, ſi ob aliam cauſſam, quam ſtudiorum, in eorum cubicula intrent aut morentur. Expedit autem, ut Superior aſſignet horam unam ipſis, commodam Magiſtris, qua conveniri poſſint: extra quam, ſi neceſſe ſit, ſcholaſticos agere cum ipſis, & eorum ingredi cubicula, petant à Superiore licentiam.

6. Viſum quoque eſt valde expedire, ob multa incommoda quæ docet experientia, ut ſi alicubi licentia generalis datur, aut mos invaluit, ut Magiſtri in ſua mutuo cubicula intrent absque licentia particulari, ne in poſterum fiat. In caſibus autem particularibus videant Superiores.

7. Iudicatum eſt à Patribus, ac probatum, ut in die recreationis, cum itur ad prædium ſeu vineam, ibique cœnatur, à meridie per unam vel alteram horam Noſtri partim ſtudeant, partim orationem matutinam perficiant: & debere

debere tempus illud eſſe commune omnibus, ita ut tunc ludere vel confabulari non liceat: elapſo autem eo tempore, ſignum detur ad recreationem.

8. Placuit præterea Inſtructionem in genere fieri pro vacationibus generalibus, quando Noſtri morantur in prædio, ne cum religioſæ diſciplinæ detrimento tempus illud trajiciatur. Ea vero Inſtructio ad omnes Provincias mittatur: quæ poterunt addere, ſi quid præterea judicabunt ſibi conducere.

9. Cum propter cæli injurias, vel alias ob cauſſas, die recreationis neque itur ad prædium, neque ad ambulationem; mane ad recreationem non pulſetur, ſed vacetur ſtudiis. Poſt meridiem vero, peracta recreatione ordinaria poſt prandium, & interpoſita mora aliqua, detur ſignum ad recreationem per horas tres. Sed clamores, & ludi ſtrepitoſi, qui à vicinis audiri poſſunt, omnino caveantur.

XLI. *in* MS. *d.* 58.

CVm relatum eſſet, ea quæ ad Patres Deputatos pro formulis, &c. circa Ordinationes recognoſcendas, atque item ea quæ ad Deputatos pro ſtudiis circa eadem ſtudia fuiſſent allata, vel moram requirere longiorem, vel ejuſmodi eſſe, quibus Congregationi generali opus non eſſet; placuit Congregationi, quemadmodum de Concionatoribus & Confeſſariis, & de recreatione factum fuit Decreto LV. illa R. P. N. Generali commendare; qui cum Patribus Aſſiſtentibus & aliis quos judicabit, de omnibus ſtatuet, quod Societati magis commodum & opportunum fore videbitur. *Quæ remittuntur ad Generalem.*

XLII. *in* MS. *d.* 59.

CVm à R. P. N. Generalis iterum ac tertio monuiſſet, ut ſi quis haberet aliquid ex rejectis, quod proponi Congregationi cuperet, id in ſequenti die afferret; cumque eſſe diceretur, quod Congregationem protrahi longius poſtularet; & R. P. N. Generali in eadem Congregatione impedito, atque abſentibus à ſuis Provinciis Provincialibus, aliiſque Superioribus, non parvum Societatis gubernatio & Collegiorum negotia detrimentum paterentur; petitis ſingulatim ſuffragiis, nemine repugnante, iterum dies Sabbati, hoc eſt XXIX. Martii ad Congregationem finiendam conſtitutus eſt. *De rejectis.* *De finienda Congregatione.*

XLIII. *in* MS. *d.* 60.

QVoniam Decreto XLX. Congregationis hujus remiſſum fuerat Deputatis pro renovatione ſpiritus, ut viderent, ſi quid addi poſſet aut deberet Inſtructionibus & Ordinationibus à R. P. N. Generali ſæpius iteratis circa viſitationes feminarum: retulerunt Congregationi Patres Deputati, ſe perle- *Circa Confeſſarios.*

giſſe in ſua deputatione omnia diligenter, quæ hac de re à R. P. N. Generali ſcripta fuerant: nimirum Inſtructionem tertiam pro Confeſſariis, & ſpeciatim illa capita quæ ſpectant ad confeſſiones, collocutiones & viſitationes mulierum; Deinde cap. XII. Ordinationum Præpoſitorum Generalium circa obſervationem Regulæ XVIII. Sacerdotum, una cum ipſis Sacerdotum regulis, quæ hac de re agunt: ac denique duas litteras communes R. P. N. ad omnes Provincias miſſas, alteras XXI. menſis Decembris MDCV. quæ totæ verſantur in hac materia; alteras XIII. menſis Novembris MDCVII. circa Noſtrorum aſſociationem, in quarum poſtrema parte maximopere inculcatur obſervatio dictæ Regulæ XVIII. Quibus perlectis, cum ſingulorum Deputatorum ſententia exquiſita fuiſſet, ſi quid pro majori cautela & cuſtodia Noſtrorum addendum videretur; omnibus viſum fuiſſe, Ordinationibus ac monitionibus ſupradictis ſatis eſſe proſpectum huic negotio, quantum humana prudentia proſpici poteſt: nec quidquam amplius deſiderari, præter exactam executionem eorum quæ ordinata ſunt: eorumque judicium tota Congregatio confirmavit.

XLIV. *in* MS. *d.* 61.

Canonizatio Beatorum Aloyſii & Staniſlai.

CUm de petenda canonizatione Beatorum Aloyſii Gonzagæ & Stanislai Koſtka propoſitum fuiſſet: Congregatio cenſuit rem debere commendari R. P. Noſtro; ut quando videret opportunum, eam à Summo Pontifice ſextæ hujus Congregationis nomine poſtularet.

XLV. *in* MS. *d.* 61.

De judiciali denuntiatione.

QUia propoſitum fuerat Patribus Deputatis pro manifeſtatione delicti, ſcriptum quoddam de judiciali denunciatione, ut viderent quando aut quomodo à paterna Superior ad illam tranſire, & qua ratione in ejus progreſſu ſe gerere deberet; retulerunt dicti Patres, cum regula noſtra ſummarii IX. & X. finiatur in denuntiatione paterna, & caſus ſit rariſſimus, in qua oporteat deſcendere ad judicialem, viſum ſibi eſſe non expedire, ut Congregatio generalis aliquid de ea ſtatuat: ſed ſolum, ut R. P. N. Generalis curet Inſtructionem fieri pro Superioribus, ut ſi quando opus ſit, intelligant quem in ea tenere modum debeant. Doctrinam porro illam, quæ jam dicto ſcripto continebatur, & ex qua elici poſſe videtur Inſtructio, pleroſque omnes probaſſe. Hanc vero Deputatorum ſententiam tota Congregatio probavit.

XLVI. *In* MS. *d.* 64.

De ære alieno tollendo.

AD æs autem alienum quod ſpectat, quo pleraque Collegia vehementer premuntur, in Hiſpania præſertim, cum nullum à Congregatione remedium expectari poſſe videretur; commendata res item eſt R. P. N. Generali, qui re cum idoneis Patribus, & aliis quibusdam communicata, remedia jam ex propoſitis nonnulla executioni mandata eſſe dixit; & in poſterum quidquid fieri poſſet præſtandum, quod ad malum hoc, ne ſaltem ſerpat magis, maxime commodum fore judicabitur.

XLVII. *in* MS. *d.* 68.

Canones conficiendi permittuntur Generali.

LEctis actionibus omnibus ac Decretis, cum Canones à Deputatis extracti Congregationi legi cœpiſſent, & aliquid deſiderari videretur; quia tamen res nimis longa viſa eſt, & Patres omnes cupiebant, & urgebant, ut Congregatio hac die abſolveretur; viſum fuit, ut res tota (quod alias factum fuiſſe in aliis generalibus Congregationibus referebatur) R. P. N. Generali committeretur; qui Canones prædictos revideret & evulgaret, prout Societatis praxi expedire judicaſſet. Atque ita cum nimis jam tarda hora R. P. N. Generalem ad aliud commodius poſt abſolutam Congregationem tempus hortationem, quam tunc erat habiturus, differre cogeret, omnium conſenſu Congregationi finis impoſitus eſt in nomine Domini. Et recitato ab omnibus alternatim ſubmiſſa voce *Te Deum Laudamus*, & aliis orationibus in gratiarum actionem, poſt mutuos caritatis amplexus, cum maxima ſingularis caritatis atque animorum conjunctionis ſignificatione diſceſſum eſt, ipſo die Martii XXIX. anni MDCVIII.

DECRETA

Congregationis Septimæ.

I. *in* MS. *d.* I.

Procurator Miſſionis Sinenſis.

CVM ad Patres, qui jus ſuffragii ad electionem Præpoſiti Generalis habuerant, P. Bernardus de Angelis Societatis Secretarius, & P. Laurentius de Paulis Procurator generalis acceſſiſſent; propoſuit R. P. Generalis, num P. Nicolaus Trigautius, qui à Sinenſi miſſione Procurator delectus fuerat, ad negotiorum in Congregatione tractationem admittendus eſſet. Admittendum cenſuerunt Patres: ita tamen, ne gratuitam hanc, ob varias in medium allatas rationes, ad ſola negotia

tractanda Congregationis admiſſionem, aliarum miſſionum Procuratores traherent aliquando in juris conſequentiam. Vocatus deinde P. Trigautius, ut tractandis in Congregatione rebus in poſterum intereſſet.

II. *in* MS. *d.* 4.

Qui Provinciales fuerunt ad Congregationem admittendi.

PRopoſitum deinde, conſultumne eſſet Provincialibus Congregationibus intereſſe eos Patres, qui aliquando Provinciis, in quibus præſentes ſunt, præfuiſſent; ac Provincialium etiam Conſultores: idque extra quadrageſimum vel quinquageſimum numerum, ſi forte illo non continerentur. Cenſuit Congregatio, ſolos tales Provinciales, ſi forte numero recenſito excluderentur, ſupra numerum admittendos; Conſultores minime.

III. *in* MS. *d.* 7.

An alimenta dimiſſis à Societate Sacerdotibus præſtanda ſint.

CVm ratione Sacerdotis cujusdam, qui importunis poſtulationibus dimiſſionem è Societate impetraverat, Pontificique libellum ſupplicem ad alimenta à Societate impetranda obtulerat, propoſitum per Illuſtriſſimum Cardinalem Bellarminum à Sua Sanctitate fuiſſet, ut proſpiceret Societas, quid facto opus eſſet circa dimiſſos à Societate Sacerdotes, qui majorum hereditate, quique Religionis, omnique alio titulo carent.

Cauſſæ cur in ea re nihil novandum.

Poſt ſeriam prolixamque hujus rei diſcuſſionem cenſuit Congregatio, omni animi ſubmisſione rogandam eſſe Suam Sanctitatem, dignaretur Societatis jura, receptamque jam inde ab initio ſui conſuetudinem tueri: maxime cum graviſſimæ cauſſæ ſint, quæ nihil in hac re mutandum ſuadeant.

Pauci ſunt ejusmodi qui neceſſariis careant.

Ac primo, pauciſſimos à Societate dimitti, qui alimentis ad vitam neceſſariis careant: ac vix in ſingulis Provinciis unum alterumve reperiri poſſe qui egeat: immo in univerſa Societate adeo eſſe paucos, ut ab omnibus totius Societatis Provincialibus, qui Romæ nunc ſunt, vix decem ejus generis homines deſignari poſſint.

Vel ea ſibi parare non poſſint.

2. Inter eos qui dimittuntur, vix quemquam reperiri, qui non iis naturæ donis, exercitatione ſtudioque in Societate confirmatis præditus ſit, ut facili negotio conditionem conſequi poſſit, qua ſe vitamque ſuam modeſte & honeſte tueatur, ſi modo viri boni officio fungi velit. Sin minus, pergatque in delictis, ob quæ ut plurimum dimittuntur, pœnis potius tales inſolentias frænandas eſſe, quam præmio remunerandas.

Societas in illis educandis multos ſumptus fecit.

3. Accedit, Societatem maximos ſumptus, nullo ſuo emolumento, in alendis talibus Novitiatus ac ſtudiorum tempore, atque in reliquo etiam quo in illa vixerunt annorum decurſu tuliſſe, ut peracti ſumptus longe emolumen-

lumenta ſuperent, ut merito queri non poſſint; maxime cum aut ob delicta non levia, aut importuna rogatione dimittantur.

4. Neque major videtur ineſſe Societati obligatio, dimiſſos ob culpam alendi, quam Iudici eos, quos ob manifeſtum delictum, beneficio aut clericali titulo privavit, damnavitque. Neque tamen quiſquam damnatorum talium Iudicem ſuper alimentis convenire conſuevit. *Iudex à ſe damnatos ale-re non tenetur.*

5. Et ſane duriſſimum foret, Societatem ad præſtanda alimenta teneri eorum, quos ob non leves culpas dimittit. Neque enim quiſquam aliorum Ordinum tenetur ad alendum eos, quos à Religione ſua ob delicta præſcindit: qui, ſi res propius conſiderentur, multo plures in ſingulis reperientur, quam qui à Societate dimittuntur; maxime ſi componantur cum iis, qui à Societate dimiſſi, mediis vivendi carent: cum tamen plerique eorum qui à reliquis Religionibus præſcinduntur, non raro pluribus egeant; neque tamen quiſquam hactenus cenſuit talibus alimenta à Religionibus ſuis præſtanda eſſe: neque quiſquam ea inverecundia & audacia fuit, qui cum ob manifeſtum crimen ab Ordine rejectus eſſet, ab eodem alimenta ſibi deberi jure contenderet, aut Sedem Apoſtolicam ſuper iis compellaret. *Nec eos alii Ordines Religioſi quos ejiciunt.*

6. Aperiret deinde hæc alimentorum ſuppeditatio viam ad cogitationes de deſerenda Religione ſuſcipiendas; maxime in iis qui minus ferventes, commodorumque ſuorum ſtudioſiores, otiique amatores ſunt. Spes enim hæc alimenti non paucos forte traheret, qui illa deſtituti in Religione detinentur, fieretque paulatim, ut cum emolumento hoc, ac quaſi deſertæ Religionis præmio, plures provocati, vocatione relicta, ſæculum repeterent; Collegia quæ ægre admodum operarios ſuos ſuſtentant, magnam neceſſariæ ſuæ dotis partem in tales effunderent, non ſine gravi Fundatorum ac Benefactorum ſuorum offenſione, qui dona ſua in tales nollent profundi; ac manum etiam retraherent, eleemoſynasque negarent, quas ad tales divertendas eſſe merito vereri poſſent. *Alimenta hæc viam munirent ad defectionem.* *Et Collegiis gravia eſſent.*

7. Extat & Toloſani Parlamenti nobiliſſima deciſio, qua P. Claudium Bernardum, Provinciali P. Ioanne Gentilio à Societate egreſſum, petentem alimenta à Societate, judicavit iniqvum poſtulare. *Non deberi, judicavit Parl. Toloſ.*

8 Eſt denique & illud non levis momenti in hoc negotio, quod cum anno MDXCVII. Aprilis XXI. memoriale quoddam Clementi fel. recordationis VIII. porrectum fuiſſet de Sacerdotibus à Societate dimiſſis, Paupertatis ac Religionis titulo ordinatis, cum ad egeſtatem, adeoque & ad mendi- *Clem. VIII. aliique Pontif. rem integram reliquerunt.*

citatem devenire poſſint; Pontifexque Cardinali Matthæo ex Congregatione Concilii, memoriale diſpiciendum transmiſiſſet: isque à P. Laurentio de Paulis Breve ſibi tradi petiiſſet, quo Societas in ordinandis Sacerdotibus ſuis utitur, quo Conſtitutioni Pii V. ſuper ordinandis derogatur; Summoque poſtea Pontifici, re prius ſerio & accurate diſcuſſa, retuliſſet Cardinalis, alias hoc negotium per ſummos Pontifices, & Congregationem S. Officii fuiſſe examinatum, & intactum demum relictum: Pontifex iis auditis, eamdem etiam rem integram Societatis reliquerit.

IV. *In* MS. *d.* 8.

De iis qui ad Generalem dimiſſionis cauſa profugiunt, aut vagantur.

PRopoſitum fuit, cenſeretne Congregatio iis qui ſine patentibus Superiorumque ſuorum facultate ad Generalem profugiunt, vel extra Collegia profugi vagantur, quo facilius hiſce viis dimiſſionem extorqueant, certam aliquam ſtatuendam pœnam eſſe. Cenſuit, gravi eos pœna pro varia delicti qualitate puniendos, neque à P. Noſtro facile audiendos, ſed ad Provincias remittendos, atque in iis puniendos eſſe: omnem tamen hanc pœnam putavit judicio P. Noſtri relinquendam.

V. *In* MS. *d.* 9.

Mortuo Generali, quæ juſta in Provinciis facienda ſint.

AD aliam quæſtionem, qua petebatur, quid demortuo Generali in ſingulis Provinciis faciendum eſſet; Cenſuit Congregatio, ubi primum certi aliquid de morte illius conſtiterit, officium in templo noſtro Societatis more de defunctis dicendum: eodemque die, vel ſane pridie aut poſtridie ſolemne ſacrum, pro conſueto loci Collegiique more decantandum aut dicendum: ſacrumque eodem etiam die à reliquis faciendum ſupra ea ſacra, quæ Vicarius facienda præſcripſerit: pro modeſtia tamen religioſa, conſueto Societatis more cenotaphium, reliquaque peragenda eſſe.

VI. *in* MS. *d.* 11.

Decreta typis mandanda.

CVm propoſitum fuiſſet, placeretne Congregationum generalium decreta typis mandari; cenſuit Congregatio mandanda.

VII. *In* MS. *d.* 12.

Privatam Generalis menſam tolli approbat Congregatio.

CVm rogaſſet R. P. Noſter Congregationem, ut Decreto ſuo privatam Generalis menſam (quam ipſe, omnium omnino commendatione, ultronea ſibi voluntate ſubtraxerat) tollere dignaretur; probavit Congregatio, laudavitque propenſam in communem menſam voluntatem Patris Noſtri; Deum precata, ut eamdem in illo mentem perpetuet, & ſucceſſoribus

bus largiatur. Nam licet primorum Patrum noſtrorum in illis Societatis initiis conſuetudo, ob graves quæ eos moverant cauſſas, non poſſit non probatiſſima videri; in præſentiarum tamen non poteſt non divinæ bonitati gratias agere, quæ piam hanc mentem Patri Noſtro injecerit: eamdemque ſucceſſoribus, quanto poteſt ſtudio, precari, totiſque animis commendare; ut pari voluntate & ſpiritu in eamdem rem ferantur.

VIII. *in* MS. *d.* 13.

PRæmiſſa juxta Formulam oratione, delecti ſunt ultimo die quatridui, ante prandium, Aſſiſtentes, Italiæ P. Bernardinus Confalonerius; Germaniæ P. Theodorus Buſæus; Galliæ P. Chriſtophorus Baltaſar, primo omnes ſcrutinio. Hiſpaniæ P. Alfonſus Carrillius, ſcrutinio ſecundo: Luſitaniæ P. Nonius Maſcarenas ſcrutinio primo. petitumque Congregationis mandato in ſingulis ſuffragium eſt à P. Petro Antonio Spinello, qui jam tunc morbo (quo paucis poſt hebdomadis, ſcilicet die XIV. Decemb. extinctus eſt) lecto detinebatur: præſtitumque juramentum ab Aſſiſtentibus eſt juxta Formulæ præſcriptum. Rogata deinde Congregatione, placeretne eadem actione eligi Admonitorem, cum ſat temporis ſupereſſet, placuit eligi, primoque ſcrutinio delectus eſt P. Iacobus Crucius.

Aſſiſtentium electio.

Suffragium ab ægroto petitum.

Admonitor eadem actione electus.

IX. *in* MS. *d.* 14.

AD propoſitam quæſtionem, Certumne tempus Congregationibus generalibus indicendis ſtatuendum eſſet; Cenſuit Congregatio univerſa, multis gravibusque in hanc rem in medium allatis à variis rationibus, nullum indicendis illis in præſentiarum certum tempus ſtatuendum, magiſque hoc conforme menti B. P. Noſtri eſſe Conſtitutionibus expreſſæ: proſpectumque abunde Societati per provinciales Congregationes, à quibus tertio quoque anno Procurator in Vrbem mittitur; perque alia media Conſtitutionibus, ac variarum Congregationum Decretis comprehenſa.

Congregationes generales ſtatis temporibus non cogendas.

X. *in* MS. *d.* 15.

ROgata Congregatio eſt, dignaretur diſpicere, expediretne derogari ſextæ Congregationis Decreto, quo ſtatuit, in ferendis ſuffragiis pro cogenda vel non cogenda Congregatione generali, duabus ſuffragiorum tertiis rem totam decernendam, cum vel ab omnibus, vel à majore Provinciarum parte diſſentiunt Procuratores: ſufficereque in poſterum ad generalis Congregationis indictionem, ſi major Procuratorum pars, juxta formulam Congregationis IV, judicet indicendam.

De cogenda Congregatione generali ad plura ſuffragia decernent Procuratores.

Cen-

Non obſtante Decreto VI. *Congr.*

Cenſuit Congregatio ſtandum Decreto Congregationis quartæ, derogandumque ſextæ Congregationis Decreto, quo prius illud Decretum mutaverat. Quare in poſterum cum tertio quoque anno Romæ de cogenda vel non cogenda Congregatione generali, in Procuratorum Congregatione agetur, à majore ſuffragiorum parte rem decernendam.

X I. *in MS. d.* 16.

De eadem re in Congr. provinciali ſecretis ſuffragiis non agendum.

AD propoſitam verò quæſtionem, Num expediret in provincialibus Congregationibus, cum de cogenda vel non cogenda generali Congregatione agitur, per ſecreta rem hanc ſuffragia tranſigi. Cenſuerunt Patres omnes, nullo diſſentiente, pluribusque gravibusque ducti rationibus, nullo modo concedendum; ut per ſecreta ſuffragia de cogenda vel non cogenda generali Congregatione res in provincialibus Congregationibus tranſigatur. Optabatque Congregatio univerſa; nullo unquam tempore Societatem ab hac ſententia diſcedere; quod per ſecretorum ſuffragiorum conceſſionem gravillima merito damna univerſæ Societati inurenda certò ſibi perſuaderet, viamque ſterni ad eam è veteri loco movendam. Cenſuit denique Congregationis ſextæ Decretum huic ſuo attexendum, novoque hoc robore firmandum.

DECRETUM XXXIX.
CONGREGATIONIS VI.

CUm in deputatione pro formulis Congregationum recognoſcendis, quæſitum fuiſſet, quod à pluribus fuerat propoſitum, eſſetne in Congregationibus provincialibus ſecretis ſuffragiis de negotiis agendum, & res fuiſſet in Congregatione quoque propoſita & agitata; Nemine diſcrepante approbatum fuit Deputatorum judicium; quibus viſum erat omnibus, nullo modo ſecretis utendum eſſe ſuffragiis, ſive de negotiis aliis agatur, ſive quæratur, cogendane ſit Congregatio generalis, propter multa & gravia incommoda, quæ præter novitatem inde ſecutura eſſent. Quare hoc Decreto Congregationi placuit rem penitus definire, ne deinceps contra ſenſum Societatis hujuſmodi petitionibus aut privatis aliquorum ſenſibus locus eſſet.

Quam piam propenſamque in Societatis tuitionem, tantorum Patrum mentem corroborandam ſibi, ac ſtabiliendam Congregatio cenſuit; uti & de facto novo hoc Decreto ſuo firmat corroboratque: quod etiam ſupplicibus votis Deum rogat, ut perpetuum faciat eſſe.

XII. *In* MS. *d.* 18.

PRopoſitum, qua pœna mulctandi viderentur, qui ſcienter, quive temere, aut è meris ſuſpicionibus alicui apud Superiores falſum crimen, ſeu verbo ſeu ſcripto imponerent: qua etiam illi, qui graves Noſtrorum defectus occultos, ſive falſos illos, ſive veros, aliis quam Superioribus aperirent.

Falſi delatores & detractores coërcendi.

Cenſuit Congregatio, illos omnes, qui ſeu ſcripto ſeu verbo falſum alteri crimen imponerent, ſive id temere & ex inanibus ſuſpicionibus, ſive ex alia quapiam minus probata cauſſa facerent; eosque etiam, qui graves Noſtrorum defectus occultos, aliis quam Superioribus aperirent, graviter ſevereque pro delicti qualitate puniendos. Superiorum vero conſcientiam, juxta Inſtructionem Congregationis ſextæ, tamquam in re graviſſima & inimica unioni, gravandam in primis hoc Decreto eadem Congregatio cenſuit, ut ſerio in auctores inquirant, ſevereque puniant, ac publice etiam in publicis delictis: ut horum exemplo reliqui à ſimili culpa terreantur, & innocentia unicuique ſua apud omnes conſtet. Quod ſi qui auctores ipſos manifeſtare recuſaverint, pro ipſis auctoribus habendos, eademque pœna mulctandos. Sed neque ipſi Superiores faciles delatoribus aures fidemque præbeant: disquirant ſingula, nec laboribus parcant, donec in delatæ rei cognitionem veniant, ut aut innocentem ab omni delicti ſuſpicione liberent; aut noxium & falſum delatorem pro rei gravitate puniant. Ipſum etiam R. P. Noſtrum univerſa Congregatio rogandum cenſuit, ut exemplum in hujus Decreti transgreſſores ſtatuat, digneturque delationibus modum ſtatuere; diligenterque in auctores, resque delatas inquirere, ut ſi nocentem eum qui defertur deprehenderit, pro delicti conditione puniat: ſi innocentem, non patiatur delatorem impunitum abire. Optaretque eadem in ſcriptionibus modum teneri, ut nemo ad mediatos Superiores dicta factaque aliorum deferat, niſi prius Superiores immediatos, juxta bene ordinatæ caritatis & prudentiæ leges, per ſe aliosve monuerit: addatque in iis quas ſcribit litteras, monuiſſe ſe Superiorem, nec emendationem ſecutam: niſi graves admodum cauſſæ hunc ordinem invertendum ſuaderent: quod ubi acciderit, cauſſas transgreſſi ordinis in litteris ad mediatum Superiorem addat.

Nec facile audiendi.

Rogatur Generalis, ut delationibus modum ſtatuat.

XIII. *in* MS. *d.* 19.

CVm graviter Conſtitutio moneat, ut Noſtri à ſæcularibus negotiis abſtineant, neque ea ullis precibus adducti obeunda ſuſcipiant, vel in illis occupari ſe ſinant; Cenſuit Congregatio, ſevere graviterque interdicendum

Sæcularia externorum negotia Noſtris interdicta.

dum Noſtris, ne ullo prætextu in propinquorum, aut quorumcumque externorum negotiis, tribunalibus ſe ſiſtant; neve curam ullam adminiſtrandi illorum bona, liteſve proſequendi aut dirigendi ex quacumque cauſſa ſuſcipiant: aut illorum quemquam ad Eccleſiaſticas aut ſæculares dignitates promovere ſtudeant, ſine expreſſa R. P. Noſtri facultate, quam ſoli Generali Congregatio voluit reſervatam. Quem etiam rogat, ut difficillimum ſe in ejusmodi conceſſionibus præbere dignetur. In aliis vero piis propinquorum, benefactorum Societatis, pauperum, ægrotorum, vinculis detentorum, ſimiliumque commendationibus; ad quas licet quis aut caritatis, aut quaſi quibusdam æquitatis ac gratitudinis alicujus magnæ legibus teneretur, nulli tamen harum tractationem permittendam cenſuit, ſine expreſſa Superioris loci, in quo res agitur, facultate. Qui, ſi rei gravitas moram nullam patiatur, permittere eas, audito in rebus gravioribus Conſultorum judicio, poterit; ita tamen, ut Provinciali in rebus alicujus momenti conceſſionem, cauſſamque hujus, prima quaque opportunitate indicare teneatur. Quod ſi moram res patitur, teneatur ad Provincialem pro impetranda facultate decurrere. Qui & ipſe, ſi res moram non patiantur, veniam eas tractandi, ſi cenſuerit expedire, largiatur: facultatem tamen à ſe conceſſam in rebus gravioribus, & momenti majoris, conceſſionisque cauſſam R. P. Noſtro, ubi primum licebit, indicare teneatur. Decreti vero hujus transgreſſores graviter pro transgreſſionis magnitudine puniendos cenſuit Congregatio.

XIV. *in* MS. *d.* 20.

Aſſiſtentium, Admonitoris litteræ.

CVm vero propoſitum fuiſſet conſultumne Congregationi videretur, Aſſiſtentium, & Admonitoris Patris Noſtri litteras, Noſtrorumque viciſſim ad illos non reſerari à locorum, aliisque Superioribus. Cenſuit Congregatio, non obſtante regula, ob varias cauſſas omnem harum litterarum reſerationem in præſentiarum Superioribus interdicendam: ſolamque hanc facultatem in Patre Noſtro voluit reſidere.

XV. *in* MS. *d.* 21.

De iis qui mala fide ad Carthuſiam tranſeunt.

ROgata Congregatio, cenſeretne Diploma à Pontifice petendum, quo Societatis Superioribus de fide bona malaque eorum qui Carthuſiam petunt, judicium ferendi poteſtas fieret; Cenſuit non petendum: videndumque an per Pii V. indultum non poſſimus uti privilegio Patribus Carmelitis reformatis conceſſo.

XVI. *in*

XVI. *in* MS. *d.* 23.

CVm deinde rogatum foret, videreturne per univerſam Societatem in pervigilio B. P. Noſtri jejunium indicendum; placuit univerſæ Congregationi, cenſuitque indicendum.

In pervigilio B. Ignatii jejunandum.

XVII. *In* MS. *d.* 24.

ROgata Congregatio, ut certi aliquid ſtatuere dignaretur circa abdicationem & adminiſtrationem bonorum Noſtrorum, quando proprietate, quando illorum adminiſtratione exuere ſe debeant; Cenſuit, inſiſtendo, & hoc ſuo decreto ordinationem p. m. P. N. Claudii confirmando.

Qua ratione Noſtri bonis ſuis eorumque adminiſtratione exuere ſe debeant.

1. Omni omnino Noſtros bonorum ſuorum adminiſtratione, ut primum Novitiatum ingreſſi fuerint, exuere ſe debere.

Adminiſtratio bonorum.

2. Adminiſtrationem vero talium primo quadriennio currente, pro perſonarum ac Provinciarum qualitate, judicio Provincialis illi committendam, qui majore eam fide tractaturus putatur.

3. Quadriennii tempore, quo dominium bonorum ſuorum retinent, licet nihil ex annuis proventibus ſola voluntate ſua in proprios aut Noſtrorum uſus convertere, aut certo alicui Collegio, multoque minus loco in quo reſident, donare poſſint: poterunt tamen ex illis, aſſenſu Provincialis accedente, ea iis locis ac piis cauſſis per modum eleemoſynæ applicari, quæ maxime tali ſubſidio egere Provincialis in Domino judicaverit.

Proventuum diſpenſatio.

4. Bonorum dominio, ſi quod habent, etiam penſionum ac cenſuum ſive realium ſive perſonalium, eorumque ſive perpetuorum ſive vitalitiorum, ubi primum per ætatem & patrias leges licebit, abſoluta inter vivos donatione, quin & jure omni ſuo, quando id conſultum Pater Noſter judicaverit, & fieri imperaverit, exuere ſe teneantur. Penſiones tamen Eccleſiaſticæ, ſimiliaque generum horum quæ mere perſonalia ſunt, & ſuper Noſtrorum perſonis conſtituuntur, quibus abſolute & in ſolidum abdicare ſe Noſtros non expedit, R. P. Noſtri judicio diſtribuenda erunt, ita ut nulla talium adminiſtratio apud illos maneat.

Abdicatio bonorum.

Penſiones Eccleſiaſticæ & alia perſonalia.

5. Quadriennem tamen ab ingreſſu Societatis bonorum poſſeſſionem cenſuit Congregatio, juxta Ordinationes P. N. Claudii, illis permittendam. In cujus prorogationem, nulli præterquam Generali, idque ex gravi cauſſa, diſpenſare liceat. qua in re præcipue ſpiritualis boni & poſſeſſoris ratio habeatur.

Bona poſt quadriennium abdicanda.

Poſt Novitiatum annuis fructibus non augenda.

6. Quando vero judicio P. Noſtri ob graves cauſſas ultra quadriennium prorogata poſſeſſio fuerit, nullo modo ex annuis poſt Novitiatum proventibus, voluit quidquam poſſeſſionibus illorum poſſe accreſcere: ſed in cauſas pias, è Provincialis judicio fructus tales, cum in poteſtate Noſtrorum fuerint, impendendos cenſuit.

Ante quadriennium abdicare quo pacto liceat.

7. Quod ſi forte ante quadriennium expletum perfectionis ſtudio ducti abdicare ſe in ſolidum ſuis in Noſtrorum uſum voluerint; ſolius P. Noſtri judicio committendam hanc abdicationem cenſuit; qui habita perſonarum locorumque ratione id ſtatuet quod in Domino expedire judicaverit. Si tamen quadriennii hujus tempore, ſive de annuo cenſu, ſive de rerum proprietate, in externos piasque cauſſas diſponere vellent, impediendi non eſſent.

Decretum hoc Novitiis declarandum.

Decretum vero hoc cenſuit Novitiis, iis quorum quoquo modo intererit, ſub initium ſui in Societatem ingreſſus prælegendum, ne quis poſtea ignorantiam prætexere poſſit.

XVIII. *in* MS. *d.* 25.

De hoſpitum Noſtrorum exceptione.

AD petitionem Congregationi factam, ut dignaretur ſtatuere modum, quo abuſus & exceſſus tollerentur, qui quibusdam locis non immerito timeri poſſe videbantur, in petenda & accipienda compenſatione à Noſtris, per Domos Collegiaque iter facientibus; Cenſuit Congregatio B. P. Noſtri, Majorumque veſtigiis fortiter inſiſtendo, magna ubique Noſtros caritate hoſpitio excipiendos, ut mutui amoris vinculo arctius in dies colligemur; maxime cum liberalior in Noſtros hoſpitalitas una è primis validisque inter nos conjunctionis cauſſis merito numerari debeat. Neque permiſſurum unquam Deum, ut irremuneratam relinquat benignitatem; ſed ingenti fœnore compenſaturum, ut non una in hanc diem Societatem variis Provinciis experientia docuit. Quare cenſuit, à nullo omnino hoſpitum noſtrorum quidquam in hoſpitalitatis compenſationem exigendum: ac nec ſpontaneas quidem oblationes Noſtrorum, à locorum Superioribus admittendas. Si tamen negotiorum cauſſa ad aliquem à Superiore ſuo locum deſtinatus, longiorem ibi moram trahere cogeretur, aut in confirmata invaletudine ad Noſtrorum aliquam Domum recuperandæ illius cauſſa mitteretur; æquitas poſtulare videtur, ut ſumptus hoſce graves pari caritate ac liberalitate compenſent Superiores à quibus mittuntur. Quod ſi quæ Domus ob majorem hoſpitum concurſum, rerumque temporalium tenuitatem ſubſidio egere videretur, poterunt Provinciales ex eis quæ libere eorum diſpoſitioni

Nihil ejus cauſſa exigendum vel admittendum.

Quandonam compenſandi ſumptus videantur.

Aut ſublevandi.

ſitioni diſtribuenda relinqvuntur, pro onerum varietate ac gravitate, loco illi ſuccurrere. quam rem Patri Noſtro commendandam cenſuit.

XIX. *in* MS. *d.* 26.

PLacuit deinde Congregationi, annuas præteritorum annorum litteras per varias Provincias primo quoque tempore imprimendas diſtribui. Inſequentium vero annorum Patri Noſtro commendandas cenſuit, ut certum aliquem, totius Societatis ſumptibus, ſi aliter commode fieri non poſſit, alendum illi operi præficere dignetur, ne diutius tanto ſpiritualium narrationum fructu univerſa Societas careat. *De annuarum editione.*

XX. *in* MS. *d.* 27.

CVm propoſitum eſſet Congregationi, ut de efficaci remedio proſpicere dignaretur, ad compeſcendum illos qui externorum pro ſe aut aliis interceſſiones in quacumque cauſſa vel munere procurant; Cenſuit Congregatio, procuratas à Noſtris externorum in quacumque cauſſa vel munere interceſſiones, tamquam omnis bene conſtitutæ Religionis peſtem, omni conatu eliminandas. Neque potuit non patrocinia hæc paullatim proſerpentia, ſine magno animorum ſenſu intelligere, ut à quibus pedetentim ad graviſſima incommoda damnaque prolapſuram Societatem non vanis indiciis rationibusque, niſi obviam primo quoque tempore malis iretur, præſentiebat. Quare ut in re perniciosiſſima, omnibus ſibi viribus occurrendum putavit. Serio proinde Superiores omnes monitos voluit, ut ad extinguenda minitantia hæc univerſo corpori mala, eam curam ſolicitudinemque adhibeant, quam & imminentis morbi magnitudo, & illorum in communem omnium parentem noſtram Societatem affectus jure ſuo poſtulat: invigilentque ne interceſſionum harum auctores fautoreſve impuniti abeant. Et licet non putaverit inpræſentiarum decretum hoc, peculiari præcepto ſub mortali obligante firmare, gravioribusque cenſuris Noſtros ab his patrociniis arcere; cenſuit tamen Superioribus injungendum, ut prima data opportunitate Noſtros omnes moneant, ut ſi quis externos ſibi aut alteri patronos ac interceſſores apud Superiores paraſſe deprehenſus fuerit, pro arbitrio Superiorum, ac in gravioribus cauſſis ex mente Patris Noſtri, pro delicti qualitate puniendum ſciat, ut vel à prætenſa re omnino excludatur, vel ad certum tempus ab omni in Societate dignitate obeunda removeatur, vel vocis tam activæ quam paſſivæ, ſi alias ad illam jus haberet, conceſſione privetur, vel alia pœna pro rei gravitate mulctetur. Si qui vero patronos

Interceſſione externorum Noſtri pro ſe vel pro aliis ne procurent.

Earum auctores puniendi.

Non procurata Superioribus aperienda & impedienda.

hoſce inſcii omnino interceſſionum harum patiantur; ubi primum molitiones tales intellexerint, teneantur patronorum horum conſilia Superioribus aperire, & quantum in ipſis eſt impedire. Quod ſi neglexerint, ſciant ſe pro rei magnitudine, Superiorum arbitrio puniendos. Iiſdemque legibus ac pœnis judicavit ſubjiciendos alios omnes, qui conſcii interceſſionum harum, ſilentio eas premunt, nec Superioribus indicant.

XXI. *in* MS. *d.* 28.

De Noſtris qui per varias Provincias ſparſi certis Miſſionibus ſunt addicti.

AD propoſitas de illuſtrioribus quibusdam Miſſionibus quæſtiones, eſſentne talibus per varias Provincias ſparſis certi ex iiſdem nationibus Superiores deſignandi, qui omnibus præeſſent. Secundo, eſſentne Aſſiſtentium, Provincialium ac Superiorum localium poteſtate eximendi, quo certius ſub uno Nationis ſuæ capite ad finem ſibi propoſitum gubernarentur. Tertio, concedendane illis è ſola gente ſua Novitiatus, Seminaria, Collegia; ac in iiſdem Philoſophiæ, Theologiæ, & humaniorum litterarum Profeſſores, ac Superiores etiam è gente ſua, quo commodius ab ejusdem linguæ & gentis Superiore inſtituerentur, magisque concordibus inter ſe animis agerent.

Non expedire, ut communem unum habeant ſuæ gentis Superiorem.

Cenſuit poſt maturam ſeriamque duarum actionum deliberationem, Primo, Non expedire Miſſionibus, cujuſcumque demum nominis, Superiores qui omnibus per varias Societatis Provincias ſparſis præeſſent, concedere: quod hæc gubernatio nova in Societate foret, & Nationum diſcrimina induceret, mutuæ animorum conjunctioni contraria.

Sed ut Aſſiſtentibus & Provincialibus ſubſint.

2. Omnes ubique Miſſionum harum iis Aſſiſtentibus ſubjiciendos, in quorum Provinciis ſedem fixerunt. quibus non difficile erit, Miſſionum illarum res concordibus animis magno miſſionum bono tractare. Provincialibus vero, locorumque apud quos verſantur Superioribus, ceterorum per omnia more ſubjacere debere; idque tam in negotiis tractandis, quam in litterarum ſcriptionibus & acceptionibus, librorum editionibus, perſonarum admiſſionibus, dimiſſionibus, transmutationibus, officiorum diſtributionibus, reliquisque denique omnibus, nulla præ reliquis exemptione conceſſa.

Collegia aut Novitiatus è ſola gente ſua habere non debent.

3. Non permittenda illis è ſola gente ſua Novitiatus, Collegia aut Noſtrorum Seminaria, conſultiusque eſſe, recepto in Societate omnium gentium more, aliis de Societate permiſceri, ne Nationum diſcrimina paullatim magno Societatis totius damno introducantur. Sed neque permittendum, ut in iis urbibus, in quibus Societas collegia ſua habet ſtudiaque, è ſola ipſi

gente

gente ſua Theologiæ, Philoſophiæ, & humaniorum litterarum Profeſſores habeant, multoque minus Superiores; quod hæc ratio aperte cum Societatis moribus pugnet. *Neque Scholas, Magiſtros aut Superiores.*

Quare nullo modo cenſuit Congregatio permittenda, quæ propoſitis Miſſionum quæſtionibus continentur. Neque enim ea, ſi propius conſiderentur, Societatis integritati, adeoque nec Miſſionibus ipſis conſultum putavit concedere. quinimo Societatis moribus, Miſſionumque felicibus ſucceſſibus arbitratur adverſari. Quæ omnia ſerio Congregatio Patri Noſtro pro ſuo in Societatem univerſam affectu totis animis commendavit. Quarum felicioribus in dies progreſſibus cum impenſe ſtuderet, tum Societatis univerſæ incolumitati cum primis invigilandum ſibi putavit. Quare ſi quid forte in ſupra recenſitis poſtulationibus uſpiam tentatum eſt, aut re ipſa quid opere expletum, id omne Patrem Noſtrum pro conceſſa ſibi à Domino prudentia, ubi commodum fore & expedire judicaverit, ad Decreti hujus formam, & communem vivendi Societatis rationem, ut deducere dignetur, rogavit. *Decreti executionem Generali commendavit.*

XXII. *in* MS. *d.* 29.

CUm propoſitum Congregationi fuiſſet, ut de remediis dignaretur proſpicere, quibus præſcindi & præcaveri importuna quorumdam de dimiſſione à Societate poſtulatio poſſit; *De iis qui importunius dimitti petunt à Societate.*

Cenſuit primo, Eos omnes qui dimiſſionem petunt, nulla juſta apparente cauſſa, & idonei alioquin ad Societatem judicantur, ſi Superiorum monitis non acquieſcant; teneri Provinciali ſuo cauſſas omnes, quas dimiſſioni obtendunt, cum propriæ manus ſubſcriptione proponere; affirmareque nullam aliam ſibi rogatæ dimiſſionis cauſſam ſupereſſe. Provincialis vero erit, cauſſas illas cum Conſultoribus diligenter examinatas, ad P. N. mittere, ſcribereque quid tam ipſe quam Conſultores ſentiant. Quas ſi P. Noſter non judicaverit ad dimisſionem ſufficientes & idoneas, ſub obedientiæ præcepto perpetuum illis Provincialis ſilentium indicat: eoſque ſi non obtemperent, pro delicti qualitate ſevere puniat, publica etiam animadverſione, ſi publica ad alios culpa promanavit. Sciantque tales ſe in conſcientia tutos non eſſe, ſed mortali culpæ ſubjacere, quamdiu in illa animi obſtinatione manent. *Cauſas ſcripto proponere tenentur, & Superiorum judicio acquieſcere.*

2. Imponitur præceptum & pœna excommunicationis latæ ſententiæ, Provinciali reſervatæ, tum in illos qui inconſulto Provinciali externos de dimisſione ſua in conſilium adhibent; tum in illos qui quocumque modo externorũ auxilio vel intercesſione ad dimiſſionem à Superioribus obtinendam *Externorum in ea re conſilio vel ope uti prohibentur.*

utun-

utuntur. Præcepti vero hujus transgreſſores, præter alias pœnas arbitrio Provincialis imponendas, longe ſibi difficiliorem facturos dimiſſionem ſciant.

Qui ſine juſta cauſſa dimisſionem extorquent, alium ordinem ingredi cogantur.

3. Illis, quibus è ſola importunitate, cum alia nulla juſta ſubſit cauſa, dimiſſionem concedere Societas cogitur, non niſi cum obligatione aliam intrandi Religionem, in qua regularis obſervantia vigeat, in poſterum concedendam, eamque obligationem Patentibus inſerendam: ac non niſi rariſſime permittendum, ut liber omnino talium quiſpiam ab omni votorum obligatione ad ſæculum redeat.

De iis qui fictis ex cauſſis vel ſtudio adſcitis dimittuntur.

4. Eos qui è cauſſis non veris, fraude ac dolo dimiſſionem à Societate obtinuerunt; aut ex cauſſis quidem veris & juſtis, gravibusque delictis, ſed ea intentione perpetratis, quo facilius dimiſſionem extorquerent; nullo modo tutos in conſcientia eſſe: & ejusmodi facultatem in conſcientiæ foro irritam, ac nullam prorſus eſſe: eosque in eodem foro omnibus ſubjacere Apoſtatarum cenſuris ac pœnis. Et ſi hoc in exteriore foro conſtiterit, poſſe Superiores contra eos agere, tamquam contra veros Apoſtatas, juxta Societatis privilegia & ſacrorum Canonum diſpoſitionem.

De iis qui ſecretas cauſſas obtendunt.

5. Qui ad dimiſſionem obtinendam ſecretas obtendunt cauſſas, quibus ſe ineptos ad religioſam diſciplinam, votorumque obſervationem contendunt, teneri ejusmodi cauſſas, ſi P. Noſtro ita videbitur, aperire Provinciali, & immediato ſuo Superiori, vel alteri; qui examinatis his causſis, ſententiam ſuam ad Generalem perſcribent, quo maturius aliquid de concedenda vel deneganda dimisſione ſtatui posſit. Quod ſi quis renuat prædictis Patribus, cum P. Noſter id expedire judicaverit, ſecretas illas cauſſas aperire, ſpe omni careat dimisſionis obtinendæ.

Qui ob gravem culpam dimittuntur, priusquam abeant, puniendi.

6. Qui ob publicam aliquam culpam gravem è Societate dimitti debent, non prius dimittantur, quam juxta culpæ quantitatem arbitrio Superiorum puniantur, etiam incluſione ad tempus, ubi uſus & conſuetudo id obtinuit.

XXIII. *in* MS. *d.* 30.

In eos qui deliberationum, informationumve ſecreta evulgant.

AD propoſitionem, qua petebatur, ut providere Congregatio dignaretur de efficaci remedio in illos, qui quæ in conſultationibus, Congregationibus tam Provincialibus quam generalibus, peracta ſunt, quæque in examinibus ad ſtudia, ad profesſionem, in informationibus ad gradum aut ad gubernationem evulgant; Cenſuit Congregatio, in re tam gravi, & à qua magna

pars

pars bonæ gubernationis dependet, ſtatio providendum. Quare monendos ſibi duxit Superiores omnes, ut magna diligentia huic tam noxiæ rei invigilent: tenerique in evulgationum harum auctores omni ſtudio inquirere; repertoſque pro rei gravitate, culpæque magnitudine, pro arbitrio ſuo punire, etiam uſque ad muneris Conſultorum, aliorumque non inferiorum privationem, quo reliqui horum exemplo ab hoc vitio terreantur.

XXIV. *in MS. d.* 32.

CUm propoſitum Congregationi fuiſſet, ut dignaretur diſcrimen aliquod certum in univerſo Sacerdotum, Scholaſticorum & temporalium Coadjutorum veſtitu Decreto ſuo ſtatuere; *De veſtitu Coadjutorum temporalium.*

Cenſuit primo, ſervandam regulam VI. Cuſtodis veſtium, ut ſottana dimidio palmo breviore, pallio vero ſottanis breviore uterentur Coadjutores: utque illi rei magna cura & diligentia, ſuperatis difficultatibus omnibus, incumberent Superiores. *Servetur Regula 6. cuſtodis veſtium.*

2. Circa capitis vero tegumentum iis qui in poſterum ad Societatem Coadjutores venturi ſunt, omni omnino clericalis pilei uſu, quo Sacerdotes & Scholaſtici uti conſueverunt, interdicendum eſſe: adempta cuicumque demum Superiori, etiam Generali, diſpenſandi cum illis facultate. Iis vero qui jam in Societate ſunt, permitti eorumdem uſum poſſe in illis Provinciis, in quibus conſuetudo talis invaluit. *Pileus clericalis in poſterum ne concedatur.*

Et cum interceſſiſſent huic Decreto aliqui Patres, petiiſſentque tempus ſibi concedi ad interceſſionis ſuæ rationes Congregationi proponendas, conceſſit Congregatio.

XXV. *in MS. d.* 34.

CIrca Spiritus augmentum ac promotionem à Deputatis Patribus delata hæc cenſuit Congregatio obſervanda. *Ad ſpiritus augmentum.*

Primum Viſitationem, cujus meminit Inſtructio pro ſpiritus renovatione, intelligendam eſſe quotidianam. Virum proinde fidum in ſingulis Domibus & Collegiis deſignandum, qui ei muneri vacet, neque idem ſemper in viſitando tempus teneat. Nulli interim concedendum, ut ad libitum dormiat, ſed ſurgendi orandique tempus ſingulis ſtatuendum. Quod ſi quis ordinario longiori tempore indiguerit, Provincialis conſulendus erit. In quibus omnibus ſuus viſitator ſtatuendus. Qualem etiam deſignare oportebit, tempuſque meditationi commodum, illis qui domeſticis occupationi- *Viſitatio quotidiana.* *Statum cuique tempus ſurgendi & orandi.*

tionibus orationis tempore diſtinentur; quales fere ſunt Æditujs, Ianitor, Coquus, quique Sacro tunc temporis deſerviunt. Qui vero extraordinariis occupationibus detinentur, Superiorem admoneant, ut hiſce incommodis tempori proſpiciat, ne qua die ab oratione vacent. Maxima vero ratio habeatur eorum qui in villis verſantur.

Orationis & examinis tempore ad portam vel eccleſiam non eundum.

2. Neminem orationis & examinis tempore ad portam vel eccleſiam ſine expreſſa Superioris facultate evocandum, niſi ſolemnioribus diebus, quibus confeſſionibus excipiendis vacatur. Quod ſi quis in templo fuerit (niſi audiendis pœnitentibus operam daret, aut aliud gravitas negotii aut perſonæ depoſceret) audito examinis ſigno, ad cubiculum ſe recipiat. Idemque judicium de iis qui ad oſtium Domus cum externis colloquuntur.

Horæ quadrans lectioni ſpirituali deſtinatus.

3. Superſit in poſterum ante examen veſpertinum quadrans integer, quem ſinguli, ut præfinitum ſibi tempus lectioni ſpirituali impendant, ſimulque ut ad matutinam orationem ſe præparent.

Annua exercitia ſerio & accurate facienda.

4. Detur opera, ut annua Exercitia ſpiritualia IX. Canone Congreg. VI. præſcripta, exacte ab omnibus fiant, omni omnino excuſatione & occupatione ſepoſita ac ſuperata; ita ut neque negotiis, neque confeſſionibus eo tempore diſtineantur. ſervata etiam in illis proportione methodoque, quibus integra exercitia fieri conſueverunt, præſertim quod ad receſſum ab omnibus.

XXVI. *in* MS. *d.* 35.

Humaniorum litterarum Magiſtri fovendi.

MAgiſtrorum litterarum humaniorum ſtudium, quod cum Societate longe lateque magno Reipublicæ Chriſtianæ emolumento crevit, tamquam rem unam è maxime optatis, & quæ ſaluti plurimorum commodiſſima eſt, quo poteſt Congregatio Superioribus omnibus affectu cenſuit commendandum, ut in tam laudabili munere deſudantes, quanta poſſunt benevolentia in Domino proſequantur, ſuosque omnes ad munus illud magna alacritate obeundum ac proſequendum adhortentur, ut in hoc tam utili eruditionis & cultus animarum genere fortiter inſiſtentes, præmia ab illo expectent, qui ſuorum labores non patitur irremuneratos.

Earum profeſſio non definienda triennio.

2. Cenſuit deinde, nullos certos in Societate annos, definitumve tempus, humaniorum litterarum profeſſioni obeundæ præſcribendum, multoque minus triennio illud concludendum: ſed à ſingulis Superioribus deſignandum in hac re tempus, quod ad majorem Dei gloriam futurum judicabunt.

3. Theo-

3. Theologos etiam poſt abſoluta Theologiæ ſtudia, ſive ante illa litteras haſce profeſſi fuerint, ſive non, pro Superiorum arbitrio illis applicandos. Quam rem Provincialibus omnibus ſerio commendatam eſſe voluit, ut in tam gravi tamque utili occupationum genere non tam propenſionis cujusque, quam communis boni, & gloriæ majoris Dei rationem habeant, omni reliquo affectu ſepoſito. *Theologis etiam imponenda.*

XXVII. *in* MS. *d.* 36.

LEctis Patrum, qui tam pro Indicis quam pro variis Europæ Provinciis intercesſerant, rationibus, poſt multa variaque in utramque partem à variis allata, cenſuit Congregatio. *Intercesſio circa pileos Coadjutorum.*

1. Nihil ſibi videri, in Coadjutorum capitis integumento mutandum in iis qui Societatem ingreſſi, Sacerdotum ac Scholaſticorum pileis utuntur. *Permittuntur clericales jam ingreſſis.*

2. Iis vero qui in poſterum in Europa ad eamdem Societatem acceſſuri ſunt, nullo modo uſum pilei clericalis, quo Sacerdotes Scholaſticique utuntur, cenſuit permittendum. Statuitque Congregatio, ſententiam hanc ſuam indiſpenſabilis decreti vim roburque habere, & obtinere debere. Quod etiam diſerte in poſterum indicandum voluit omnibus quotquot in Societatem admitti petierint, nec alia conditione admittendos. *Ingreſſuris decreto indiſpenſabili interdicuntur. Quod Novitiis in poſterum indicandum.*

3. De iis vero qui in utraque India, Orientali & Occidentali verſantur, nihil in præſentiarum ſtatuendum ſibi judicavit, ſed rem totam arbitrio P. Noſtri relinquendam, qui pro temporum varietate videbit, quid in Domino conſultum fuerit, ac fieri poterit. *De Indicis Provinciis res Generalis arbitrio relicta.*

XXVIII. *in* MS. *d.* 37.

CVm vero propoſitum fuiſſet, de Sanctorum reliquiis, quæ Domibus & Collegiis applicatæ ſunt, poſſentne à Noſtris aut Superioribus etiam aliis donari; Cenſuit Congregatio, Interdicendum in poſterum omnibus, uti & de facto Decreto hoc ſuo interdicit, ne Noſtrorum quisquam, non Superiorum localium, non Provincialium, ac ne Viſitatorum quidem, è quacumque etiam cauſa, ſive Noſtris ſive externis quidquam è talibus Sanctorum reliquiis donet aut largiatur. Quod ſi quis Decreto huic contravenire deprehenſus fuerit, eum judicio P. Noſtri pro rei gravitate puniendum. *Sanctorum Reliquiæ non alienandæ.*

XXIX. *in* MS. *d.* 38.

De Coadjutoribus qui certis Patribus operam navant. Vt ſtabiles non ſint, ſed ſubinde mutentur.

CVm propoſitum Congregationi eſſet, ut diſpicere dignaretur, conſultumne eſſet aliquibus Patribus certos Coadjutores aſſignari, qui peculiarem illorum curam ita haberent, ut à reliquis domeſticis muniis obeundis excuſarentur; Cenſuit Congregatio, nulli omnino certum aliquem ſtabilemque quocumque prætextu permittendum aut concedendum eſſe: ſed ſi quis ex quacumque cauſa Coadjutoris opera indigeret, illi Superiores pro negotiorum, temporum, atque occurrentium neceſſitatum varietate talem è domeſticis aliquem aſſignent, quem ad id muneris tunc commodiſſimum judicaverint; ita ut non ſemper idem, ne quidem ad egrediendum Domo, attribuatur. Quod ſi qui magis ſtabili indigerent, arbitrio id P. Noſtri ſtatuendum eſſe. Viſitatoribus tamen, & Provincialibus non judicavit Coadjutorem denegandum.

Excipiuntur Viſitatores, Provinciales, & alii arbitrio Generalis.

XXX. *in* MS. *d.* 40.

Regula Secretarii, & Subſtitutorum.

CEnſuit deinde Congregatio Secretarii Societatis, & Subſtitutorum illius regulas reliquorum more imprimendas, poſtquam à Deputatis examinatæ fuerint.

XXXI. *in* MS. *d.* 41.

Domos tertiæ probationis dotari, & admitti poſſe.

CVm vero quæſitum fuiſſet, Liceretne per Conſtitutiones tertiæ probationis dotatas reditibus annuiſque proventibus Domos admittere, ab aliis omnibus Societatis Domibus ac Collegiis ſeparatas; Cenſuit tales admitti poſſe, neque hanc rem Conſtitutionibus repugnare, quin magis conformem illis eſſe.

XXXII. *in* MS. *d.* 42.

Oblatum gradum ſuſcipere cunctantes. Quandonam vi voti teneantur.

AD quæſtionem, qua petebatur, quid cenſendum de iis eſſet, qui in cujuscumque impoſiti à Superioribus gradus ſuſceptione, difficiles ſe præbent, variiſque excuſationibus illorum voluntatem eludentes, in annos ſæpe plurimos, atque in totam etiam vitam rem protrahunt. Cenſuit Congregatio, omnes vi quarti voti in Congregatione v. explicati teneri Superiori certum gradum imponenti obedire; ita tamen ut rationes Provinciali, ac Patri Noſtro conſueto Societatis more proponere poſſint; quas ſcripto cenſuit proponendas. Verum Superiori illis examinatis in ſententia perſeveranti, & certum gradum abſolute ſtatuenti, licet non addat obedientiæ præceptum, teneri unumquemque obedire, imperatumque gradum ſuſcipere; ut

ſi non

ſi non fuerit obſecutus, cenſendus ſit in malo ſtatu eſſe, atque à Sacramentorum uſu & adminiſtratione excludendus. Sed neque conſultum putavit, P. Noſtrum cum talibus facile diſpenſare, ut toto vitæ tempore ſine certi gradus ſuſceptione perſeverent, ne horum exemplo alii cum gravi Societatis damno paria imitentur & audeant. Sed neque ad ſecundum examen admittendos, niſi rarius, & cum dubium aliquod de aptitudine interceſſit. Quam rem univerſa Congregatio cenſuit P. Noſtro commendandam. *Non permittendi ut ſine gradu maneant.* *Nec aliud examen facile concedendum.*

XXXIII. *in* MS. *d.* 44.

CVm varia à variis propoſita, Patribus pro ſtudiis ſuperioribus examinanda, tradita forent, illique judicium ſuum ad Congregationem retuliſſent; cenſuit ex oblatis hæc probanda, uti & decreto ſuo probat. *De Scholaſticis Societatis.*

1. Vt Philoſophi ſub ſingulorum annorum finem ſerio & ſigillatim examinentur, ſintne idonei Logici ad Phyſicam, Phyſici ad Metaphyſicam, Metaphyſici ad Scholaſticam Theologiam audiendam. Nemo vero è primo ad ſecundum annum, aut è ſecundo ad tertium admittatur, qui mediocritatem non attigerit, ut nimirum quæ audivit, bene intelligat, & rationem illorum poſſit reddere. Ad Theologiam vero Scholaſticam audiendam nemo admittatur, qui mediocritatem in Philoſophia non ſuperaverit; ut nimirum eam cum ſatisfactione tueri poſſit: niſi præclara ad gubernandum aut concionandum talenta in mediocri quopiam aliud viderentur exigere, nulla Provinciali diſpenſandi cum quoquam facultate relicta. Simili etiam ratione examinandi, qui vel univerſam Philoſophiam, vel partem illius, ante ſuum in Societatem ingreſſum audierunt, & idem per omnia de illis, quod de ſupra recenſitis, ſtatuatur juxta Regulam Provincialis XIX. §. 8. *Philoſophi ſingulis annis examinandi.* *Ad Theologiam non admittendi, niſi mediocritatem in Philoſophia ſuperarint.* *Aut talentum habeant gubernandi vel concionandi.* *Examinandi etiam qui ante ingreſſum Philoſophiæ ſtuduerunt.*

2. Vt qui Scholaſticam Theologiam audiunt ſub ſingulorum etiam annorum finem pari modo examinentur: nemoque ad inſequentem annum audiendum admittatur, qui mediocritatem non ſuperaverit, ut nimirum cum ſatisfactione tueri poſſit, quæ à Magiſtris ſuis audivit: niſi forte præclara cujuſpiam alioqui mediocris, ut dictum eſt, talenta aliud poſtularent. *Theologiæ auditores ſingulis etiam annis examinandi.*

3. Nemo vero ad quatuor votorum profeſſionem admittatur, niſi qui ſub finem anni quarti deprehenſus fuerit tantum eruditionis habere, quantum neceſſum foret ad Philoſophiam ac Theologiam cum ſatisfactione docendam, *Examen eorumdem ad profeſſionem.*

cendam, niſi forſan ad gubernandum, vel ad concionandum illuſtria talenta haberet, idque judicio P. Noſtri. Examen vero quod ſub anni quarti finem inſtituitur, ſit ut minimum horarum in unoquoque duarum, in quo varia è primis Philoſophiæ & Theologiæ capitibus percurrantur.

Examinatores in ſingulis Seminariis quatuor. Iuramento adſtricti.

4. Examinatores, qui in ſingulis Seminariis, tam Philoſophicis quam Theologicis, à P. Noſtro quatuor minimum deſignati, per ſecreta ſuffragia vota ferent, tenebuntur juramento tam de non revelandis ſuffragiis ſuis, quam de ſincero judicio, & eorum qui examinati ſunt, aptitudine ac eruditione ferendo; idque in examine quod fieri ſolet ſub finem anni quarti Scholaſticæ Theologiæ, quod inſtituitur in ordine ad quatuor votorum profeſſionem. In quo Examinatoris dubium ſuffragium pro nullo habendum erit.

Diverſi eſſe debent à Magiſtris examinandorum. Eorum loco alios ſubſtituere licet Provinciali.

5. Examinatores hi, quoad fieri poterit, non ſint eorum, qui examinantur, præceptores. Quod ſi vero Examinatorum unum pluresve contingeret aut vita defungi, aut gravioribus aliis diſtentos non poſſe examini intereſſe; erit Provincialis pro tempore de aliis proſpicere, qui iisdem juramenti legibus tenebuntur.

6. Nihil tamen univerſo hoc Decreto ſuo derogatum voluit Decreto XXIX. Congr. VI. in favorem humaniorum litterarum, & Indicarum linguarum facto.

Lectio moralis Theologiæ.

7. Duabus Theologiæ Scholaſticæ lectionibus, & ſacræ Scripturæ adjiciatur, ubi fieri poterit, quarta lectio moralis Theologiæ, qua ex profeſſo & ſolide, ſuccincte tamen, explicentur materiæ morales, quas Scholaſtici Profeſſores prætermittunt, vel non niſi breviſſime attingunt. Quam lectionem Noſtri biennio ſaltem audiant, alteroque biennio Scripturam ſacram. In qua tamen univerſa re regionum & provinciarum variarum ratio habeatur.

XXXIV. *in* MS. *d.* 45.

Triduo hebdomadæ ſanctæ à recreatione abſtinendum.

AD illud, quod quidam propoſuerant, placeretne Congregationi in poſterum abſtineri à recreatione in hebdomada ſancta, à feria quarta poſt decantatas tenebras, usque ad veſperam feriæ VI. incluſive. Cenſuit Congregatio ab omni illis diebus recreatione, in honorem ac reverentiam Dominicæ paſſionis abſtinendum.

XXXV.

XXXV. *in* MS. *d.* 46.

PRopoſita deinde quædam fuerunt, quæ à Patribus deputatis ad examinanda dubia circa Conſtitutiones, Regulas, ac Decreta à variis mota & diſcuſſa fuerant: Ac

Primo. Ad dubium §. 45. formulæ Congregationis Provincialis, motum circa illa verba, *Si vel unus Deputatorum cenſet eſſe dubium, multoque minus ſi Provincialis ita cenſeat.* Cenſuit Congregatio Decreto xxv. Congregationis vi. inſiſtendum. *Formula Cong. Prov. §. 45 declaratur.*

Cum deinde interceſſum eſſet ab uno è Patribus, & ad nova ſuffragia itum; Cenſuit Congregatio, è ſolo unius è deputatis, aut Provincialis dubio, aliis duobus abſolute oppoſitum ſentientibus, non eſſe propoſitas Congregationi Provinciali quæſtiones rejiciendas: ſed tunc tantum, quando vel unus abſolute affirmaret rem propoſitam eſſe de ſubſtantialibus Inſtituti, idque in ſubſtantialium favorem. *Quod vel unius deputatorum affirmat eſſe ſubſtantiale, proponi non poteſt.*

XXXVI. *in* MS. *d.* 47.

AD illud vero quod propoſitum erat, An facultates & Privilegia, cujuscumque demum generis ea forent, perſonalia, an alia, à locorum Superioribus, Provincialibus, Viſitatoribus conceſſa, morte illorum, vel munerum abdicatione ceſſarent, & à ſubſequentibus Superioribus nova eſſet illorum confirmatio petenda, & quando; Cenſuit conſultum ſibi videri, eos qui Superiorum maximeque Provincialium munus ineunt, teneri ut primum commodum illis fuerit, præſentes & coram monere ſubditos, ut privilegia & facultates à prædeceſſoribus conceſſas aperiant, ut eas ipſi vel confirment, vel abrogent, prout in Domino expedire judicaverint. Ceterum conceſſas ejuſmodi facultates usque ad hanc denuntiationem in ſuo robore permanere; qua facta, ſi illas ſubditi non aperiant, de facto ac re ipſa pro abrogatis haberi. Idemque judicium eſſe de facultatibus à Viſitatoribus conceſſis, quas etiam ſubditi rogati Provinciali indicare tenebuntur, licet non poſſint eas Provinciales, niſi Generali admonito, revocare. *Facultates & privilegia ab aliquo Superiore conceſſa. Novo Provinciali quando jubet, aperiri debent, ut eas confirmet vel abroget. Alioqui ceſſant. Etiam quæ à Viſitatoribus conceſſa ſunt.*

XXXVII. *in* MS. *d.* 48.

CVm deſideraſſent nonnulli, ut Viſitatorum Regulæ ſeu Inſtructiones ſerio examinarentur, num quid illis addi, num quid demi deberet; cenſuit Congregatio rem hanc univerſam P. Noſtri judicio committendam. *Viſitatorum regulæ.*

XXXVIII.

XXXVIII. *in* MS. *d.* 49.

Moriente novo Generali poſt reditum Electorum,

CVm vero rogatum eſſet, quid faciendum foret, ſi contingeret Generalem mori, electoribus à recenti electione in ſuis Provinciis conſtitutis, aut cum vicini Provinciis ſuis ſunt, v. g. ſi poſt aliquot ab electione menſes moreretur; quid vero, ſi contingeret electum Domo aut Vrbe abeſſe;

Congregationes Provinciales iterum cogendæ ſunt.

Ad primam propoſitæ quæſtionis partem cenſuit Congregatio, convocandas rurſus Provinciales Congregationes, & de novo procedendum ad mittendorum electionem, faciendaque reliqua omnia è formulæ præſcripto.

Quid facto opus, cum Domo abſens eligitur Generalis.

Quid, cum electus ab Vrbe propius aut longius abeſt.

Ad ſecundam cenſuit, ſi electum contingeret in Vrbe eſſe, non eſſe è Congregationis loco egrediendum, donec evocato omnia, quæ formula continentur, exhibita eſſent. Sed neque dum vocatur, illi aut alteri cuiquam quidquam de electione judicandum. Si vero Vrbe abeſſet, idque octo aut decem dierum itinere, vocandum eſſe, vacandumque interea temporis Congregationi ab omni rerum tractatione. Sin plures intercederent dies, longiusque abeſſet, pergendum videri Vicario in negotiorum tractatione; ſola Aſſiſtentium & Admonitoris electione ad Congregationis finem reſervata.

XXXIX. *in* MS. *d.* 50.

Promiſſio Societatem ingrediendi ad Coadjutores quoque ſpectat.

AD illud quod propoſitum fuerat, Vtrum promiſſio Societatem ingrediendi, quæ ſimplicium votorum formula continetur, peculiarisque voti vim habet, etiam ad Coadjutores temporales extendatur; Cenſuit Congregatio extendi.

XL. *in* MS. *d.* 51.

Subſtantialium catalogum non texendum. Sed in dubiis conſulendum Generalem.

CVm poſtulatus catalogus eſſet de ſubſtantialibus Inſtituti, de quibus in provincialibus Congregationibus noſtris non licet agere, Patresque deputati varia hujus generis exempla attuliſſent; cenſuit Congregatio, præter ea quæ in formula exprimuntur, videri conſultius à recenſendis aliis ſuperſedere: quod omnia brevi compendio comprehendi non poſſint. Ac ſi cui dubium obveniſſet, poſſe illum ad R. P. Noſtrum recurrere, ab eoque intelligere, quid de re tali ſentiendum videatur.

XLI. *in* MS. *d.* 52.

Deputationes privatæ ad Generalem rejectæ.

CVm propoſitum fuiſſet ab aliquibus, ut dignaretur Congregatio privatarum Deputationum deciſiones ad majorem Deputationem rejicere; quæ diſpi-

diſpiceret quænam ad Congregationem referenda eſſent, ne in longum Congregatio cum magno provinciarum incommodo traheretur; Placuit Congregationi rem ad dictos Deputatos Patres remittere, qui examinatas à privatis Deputationibus res diſpicerent, talesne eſſent, quæ merito Congregationi proponendæ forent.

XLII. *in* MS. *d.* 53.

AD propoſitam quæſtionem, qua petebatur, an impedimenta Societatis eſſentialia P. I c. III. §. 2. 3. non eſſent irritantia vota ſimplicia & quamcumque ſequentem profeſſionem; Cenſuit Congregatio è mente Conſtitutionum, & Congregationis v. illa primi generis & ordinis impedimenta quinque irrritantia eſſe, & pro talibus ab omnibus haberi debere: inhabilesque atque incapaces ipſo facto ad Societatis ingreſſum omnes eos ab illa haberi, & eſſe, qui aliquo talium impedimentorum tenentur. *Impedimenta Societatis eſſentialia irritant vota & profeſſionem.*

Interceſſione dein facta, cenſuit Congregatio ſtandum Decreto, nec interceſſioni deferendum. Et cum interceſſionem ſecundam alius quidam è Patribus interpoſuiſſet; conceſſit Congregatio, ut rationes, quas urgebat, audirentur & expenderentur, quo certius ſtatui poſſet, an huic interceſſioni locus concedi poſſet. Cumque interceſſum rurſus alio die fuiſſet ab uno è Patribus, rogataque Congregatio, ut dignaretur ob diverſas cauſſas ſuum hoc Decretum in præſentiarum ſuſpendere; atque ad hanc interceſſionem eo ſenſu acceptam acceſſiſſet is Pater, qui ſecundo loco interceſſerat; placuit Congregationi interceſſionem hanc de Decreti ſuſpenſione ſeu jure, ſeu gratia, eatenus admittere, ut auditis rationibus certius aliquid ſtatueret. Ceterum re poſtea agitata, & auditis rationibus quæ adferebantur, cenſuit ſuſpenſioni locum dandum non eſſe. *Interceſſiones.*

XLIII. *in* MS. *d.* 54.

AD illud vero quo petebatur, conſultumne cenſeret Congregatio à Summo Pontifice petere, ut omnis cognitio indagandæ veritatis in celatis in Societatis ingreſſu impedimentis, malitia nimirum an ignorantia id contigiſſet, penes ſolam Societatem reſidere; ut quæ punitio etiam illorum, qui ſtudio illa celaſſent, pro delicti hujus, atque aliorum in Societate commiſſorum qualitate, ad eamdem ſolam pertineret; Cenſuit Congregatio ad tollendas difficultates omnes, quæ à variis moveri poſſint, utrumque à ſua Sanctitate petendum. *Celatorum impedimentorum cognitio.*

XLIV. *in* MS. *d.* 55.

Prælatura & Dignitas in Societate idem eſt.

CVm quæreretur, an nomen Prælaturæ & Dignitatis in Conſtitutionibus votiſque noſtris expreſſum, pro eadem, an pro diverſa re accipienda forent; Aſſiſtentibusque Dignitatis nomen tribuendum eſſet; Cenſuit Congregatio ex mente P. N. Claudii, Dignitates ac Prælaturas extra Societatem, ut inter ſe diſtinguuntur, accipiendas eſſe, Profeſſorumque voto tam Dignitates quam Prælaturas caveri. In Societate vero Prælaturas à Dignitate non diſtingui, nec extra Prælaturas, Dignitates in ea cenſendas: nec Aſſiſtentes Prælatorum nomine cenſeri, aut Dignitatis in ea nomen obtinere.

Aſſiſtentium officium, nec prælatura nec dignitas.

Et cum interceſſum deinde fuiſſet ab uno ex Patribus circa hoc Decretum,

Cenſuit Congregatio, nihil deferendum interceſſioni; ſed ſtandum Decreto: Prælaturamque ac Dignitatem in Societate pro ſynonymis, juxta declarationem P. N. Claudii habendam: neque Aſſiſtentium in Societate Prælaturam aut Dignitatem continere.

XLV. *in* MS. *d.* 56.

An ſit caſus reſervatus, ſi quis Miniſtro dicat: Nolo facere.

CVm propoſitum fuiſſet, ſtandumne eſſet ordinationi P. N. Claudii dicentis, reſervatum caſum eſſe, ſi quis Fratrum diceret Miniſtro aliquid jubenti, licet non præcepto, *Nolo facere;* Cenſuit Congregatio, huic P. N. Claudii ordinationi, vel declarationi ſtandum eſſe: relicta tamen loci hujus explicatione prudentiæ Patris Noſtri.

XLVI. *in* MS. *d.* 57.

Negotiorum ad ſtatus rationem pertinentium exempla.

CVm vero rogatum eſſet, Quænam eſſent illa negotia ad rationem ſtatus pertinentia, quibus miſcere ſe Noſtri Canone XII. Congregationis quintæ generalis, ſub præcepto & pœna inhabilitatis ad officia, vocisque tam activæ quam paſſivæ privatione, prohibentur; Cenſuit Congregatio, è reſponſis P. N. Claudii commodam explicationem peti poſſe, cum ait: *Univerſe loquendo ea quæ pertinent ad ſolam conſcientiam directionemve Principum, aliorumque qui petunt conſilium; per Canonem non prohiberi. Quæ vero eo non referuntur, & à ſpirituali inſtructione diverſæ ſunt, tamquam à Canone aliena vitari debere.* & alibi: *Exemplo poſſe eſſe; Quæ ad Principum inter ſe fœdera, vel ad Regnorum jura & ſucceſſiones pertinent, vel ad bella tam civilia quam externa: ſi quis publicis harum rerum & ſimilium conſiliis intereſſet, aut tractandis iis operam re ipſa impenderet.*

XLVII.

XLVII. *in* MS. *d.* 58.

AD quæſtionem, Vtrum tertius vel quartus dies deſignatus in formula Congregationis provincialis ad mittendorum electionem, ſit à die, qua inchoata Congregatio eſt, excluſive an incluſive intelligendus; cenſuit cum P. N. Claudio intelligendum incluſive.

Tertius & quartus dies in formula Cong. provincialis, incluſive accipiendus.

XLVIII. *in* MS. *d.* 59.

VTrum conſultatio de impedimentis ſe excuſantium, & aliorum, facienda neceſſario ſit à Provinciali in Domo, in qua Congregatio habenda eſt, an vero in alia inſtitui poſſit; Cenſuit fieri poſſe in loco, in quo Provinciali commodum fuerit.

Impedimenta Congregandorum, ubi commodum eſt, examinet Provincialis.

XLIX. *in* MS. *d.* 60.

QVid faciendum, cum in Congregatione provinciali priore loco electus impedimenta proponit; audiendane illa ante ſubſtituti electionem, an poſt eam? Cenſuit cum P. Claudio audienda poſt ſubſtituti electionem.

Electi impedimenta poſt ſubſtituti electionem audienda.

L. *in* MS. *d.* 61.

AN contra Conſtitutiones & Inſtituti rationem videatur eſſe, admittere annuos perpetuos reditus Collegio alicui donatos, aut legatos, cum onere partem illorum annue Domi profeſſæ dandi, & erogandi? Cenſuit Congregatio, videri cum Inſtituto, & peculiari paupertatis Profeſſorum voto, noſtræque paupertatis puritate pugnare. Quare nullo modo perpetuos ejusmodi relictos Collegiis reditus admittendos, ne paullatim janua in Societate paupertati laxandæ aperiatur.

Collegia reditus perpetuos cum onere partem illorum Domibus profeſſis erogandi admittere non poſſunt.

LI. *in* MS. *d.* 62.

POſſitne Domus profeſſa emptam ſibi contiguam Domum, habitationi aliquando, aut ædificando templo neceſſariam, locare, locationisque pretio frui, dum ædificandi ſe commoditas obtulerit? Cenſuit Congregatio, ad breve tempus locare, & locationis pretio frui poſſe. Quod ſi ratione ejusmodi emptionis onus aliquod contraxiſſet, poſſe locationis illius pretio uti, donec ſe onere æris alieni exemerit.

Locationum pretio frui Domibus profeſſis quatenus liceat.

LII. *in* MS. *d.* 63.

QVæſitum cum eſſet, an Admonitor tempore Conſultoribus deſignato ſcribere teneatur Superioribus; Cenſuit Congregatio non teneri, nec quidquam regulæ addendum.

Admonitores an ſcribere teneantur.

LIII. *in* MS. *d.* 64.

Provincialis decreto de impedimentis abſentium ſtare Congregatio debet.

STandumne ſententiæ P. Claudii, ut de Provincialis decreto circa impedimenta alicujus abſentis ſervata formula Congregationis provincialis cap. III. §. 13. nihil à Congregatione ſtatui aut revocari poſſit; cenſuit P. N. Claudii ſententiæ ſtandum eſſe.

LIV. *in* MS. *d.* 65.

Dies 17. Septembris Societati colendus.

PLaceatne diem XXVII. Septembris peculiari à Noſtris veneratione; in gratiarum actionem confirmatæ natæque tunc primum Societatis coli; proque felici ejusdem ſucceſſu Patres omnes ſacra eo die peragenda Deo offerre, reliquos vero roſaria aliasque preces ac communionem ſacram? Placuit Congregationi, diem illum pro tali haberi, reliquaque eo modo peragi.

LV. *in* MS. *d.* 67.

Decretum Vicarii, circa §. 21. formula Cong. gener. approbatur. Ne cui liceat ullius electionem impedire, etiam ſi non ut alius eligatur.

CVm denique propoſitum fuiſſet, an decretum à P. Vicario nuper factum, excommunicationisque extenſio in illos omnes qui electionis ſinceritatem libertatemque quoquo modo, directe vel indirecte impedire conantur, formulis Societatis conformis fuiſſet; an cum iisdem pugnaret, aut quidquam rationi contrarium contineret; Patresque quibus ea res commiſſa fuerat, reſpondiſſent, decretum P. Vicarii, extenſionemque illius fieri ab illo & potuiſſe & debuiſſe, formulisque conformem eſſe; neque ullo modo contrariam aliquam ſententiam doctrinamve de invaliditate hujus præcepti differentem, in Societate ferendam, ſed tamquam pernicioſam ac ſcandaloſam habendam eſſe.

Probavit Deputatorum Patrum ſententiam Congregatio univerſa: atque ad omnem in poſterum qualemcumque dubitandi rationem tollendam; Cenſuit è §. 21. formulæ Congregationis generalis verba illa omittenda, *Alicujus eligendi gratiâ.* Quod ſi quæ gravior res occurreret, quæ remedium poſceret, Vicario Societatis tunc Superiori, aut ſane Patribus ante electionem pro detrimentis deputatis rem aperiendam eſſe.

LVI. *in* MS. *d.* 68.

De cura mulierum, quæ certis inter ſe legibus una vivunt.

ROgata Congregatio, ut de efficaci remedio aliquo provideret, ne Noſtros circa mulierum curam certis locis certisque inter ſe legibus in una domo conviventium, occupari & diſtineri paulatim permitteret.

Cen-

Cenſuit fortiter his initiis occurrendum: cum cura qualiſcumque talium Conſtitutionibus P. VI. cap. III. §. 5. regulisque XLVII. Præpoſiti, LXIV. Rectoris, ex profeſſo videatur adverſari; periculisque hæc res ſit non vulgaribus, multorumque oblocutionibus expoſita: maxime quod hæc cura alieniſſima ſemper à Societatis inſtituto miniſteriisque habita fuerit. Quare ſerio Superiores omnes monitos voluit, ut ab omni illarum directione ac promotione abſtineant; neque ſuorum quemquam quocumque prætextu patiantur illarum ſe rebus miſcere, aut peculiari modo fovere aut dirigere; ſed circa illas eo ſe modo habeant, quo circa alias templum noſtrum promiſcue frequentantes. Rogavitque Congregatio R. P. Noſtrum, ut ſi quæ neceſſitas occurrerit, Suam Sanctitatem de Summorum Pontificum Pauli Tertii & Iulii Tertii voluntate, deque gravibus ex hac re incommodis damnisque merito timendis, informare dignetur: ſimulque omni ſtudio invigilare huic malo, eaque remedia adhibere, quæ in hanc rem validiſſima & certiſſima judicaverit.

Alienam eſſe ab Inſtituto noſtro.

Ideoque ab illa Noſtris abſtinendum:

Et informandum, ſi res exigat, Pontificem.

LVII. *in* MS. *d.* 70.

PRopoſitum an Profeſſi, qui in aliena Provincia negotiorum cauſa verſantur, admitti juxta §. 4. Congregationis Provincialis debeant in Provincia in qua verſantur; quod ea res non videretur difficultatibus carere. Cenſuit Congregatio ſtandum formulæ, nec quidquam ex ea immutandum.

Profeſſi, qui negotiorum cauſa in alia ſunt Provincia, ad ejus Congregationem admittendi.

LVIII. *in* MS. *d.* 71.

PRopoſitum, quænam judicanda ſit Provincia, ad quam redire Congregationis cauſa poſſe dicitur Viſitator; Cenſuit eam eſſe, cujus erat cum ad viſitandum aſſumptus eſt.

Viſitatoris Provincia quæ dicatur.

LIX. *in* MS. *dec.* 72.

PRopoſitum item, qua nota cognoſci poſſet applicatum aliquem alicui Provinciæ. Cenſuit fieri aliquem de Provincia voluntate Patris Noſtri, verbo vel ſcripto expreſſa, vel applicatione illius ad aliquod Provinciæ munus ordinarium: ſive res effectum ſortiatur, ſive non; niſi revocata foret.

Quo pacto applicetur quispiam Provinciæ.

LX. *in* MS. *d.* 73.

PRopoſitum rurſus, an Provinciales per regulam CXII. mutuo conſenſu mutuis applicare Provinciis ſuis perſonas poſſint. Cenſuit, in temporariis poſſe; in perpetuis recurrendum ad Generalem eſſe.

A Provincialibus applicari, niſi ad tempus, nemo poteſt inconſulto Generali.

LXI. *in* MS. *d.* 74.

Exponitur §.6. formulæ Cong. Provin.

Circa §. 6. Congregationis Provincialis propoſitum fuit; cum quis in abſentis locum admittitur, ſi prior, cui jus competebat, ante electionem rediret, an intereſſe uterque Congregationi deberet. Cenſuit Congregatio, priore redeunte ſubſtitutum excludendum; verbaque illa formulæ, *ſi prior poſtea redierit*, intelligenda, ſi poſt electionem peractam.

LXII. *in* MS. *d.* 75.

Quid abſentes eliguntur, poſt peractas tantum electiones vocandi.

Circa §. 9. quando ad Congregationem vocandi ſint, qui abſentes eliguntur; Cenſuit, poſt electiones peractas, ad ſolam negotiorum tractationem vocandos: idque formulæ inſerendum.

LXIII. *in* MS. *d.* 76.

Impediti loco vocandus, qui electioni adeſſe poteſt, etiamſi non ſit proximus.

Circa §. 12. quid faciendum, ſi paulo ante Congregationem impedimentum alicui è Congregandis ſuperveniret, proximusque illi ſubrogandus longius abeſſet, quam ut tempeſtive adeſſe poſſit? Cenſuit eum è proximis vocandum eſſe, qui electioni tempori adeſſe poſſit.

LXIV. *in* MS. *d.* 77.

Incluſor ſecretis ſuffragiis eligendus.

Circa §. 14. Congregationis generalis quæſitum eſt, expediatne Incluſorem per ſecreta ſuffragia eligi, quibusque modis quatuor illius ſocii deſignandi ſint? Cenſuit per ſecreta ſuffragia Incluſorem ex Præpoſitis, vel Rectoribus, vel aliis de Societate eligendum: ſociorum vero deſignationem Vicarii arbitrio relinquendam: remque hanc formulis inſerendam.

LXV. *in* MS. *d.* 78.

Iudices ambitus quinque pro numero Aſſiſtentium.

Circa §. 21. in quo ambitus judices deſignantur deſumendi ex Aſſiſtentium nationibus, quæſitum eſt; an cum Germaniæ & Galliæ diſtinctæ nunc ſint Aſſiſtentiæ, Iudices quinque in poſterum creari placeret. Cenſuit quinque in poſterum Iudices è ſingulis Aſſiſtentiarum nationibus ſingulos deſignandos.

LXVI. *in* MS. *d.* 79.

Poſt decretam Congregationem generalem mutari Provinciales non poſſunt.

Circa §. 58. quo ſtatuitur Generalem mutare poſſe Provinciales, ſi id faciat ante Congregationem inchoatam; an non videretur conſultum, non licere illi Provinciales mutare poſt decretam Congregationem, quocumque illa modo decernatur? Cenſuit non tantum poſt inchoatam, ſed nec

poſt

poſt decretam Congregationem mutare illos poſſe, licet aliud ſextæ Congregationis decreto contineatur.

LXVII. *in* MS. *d.* 80.

PRopoſitum deinde fuit, placeretne eos, qui in altera Provincia negotiorum cauſa verſantur, extra numerum XL. vel L. admitti: cenſuit extra numerum admittendos. *Supra numerum dumtaxat.*

LXVIII. *in* MS. *d.* 81.

PRopoſitum etiam, placeretne non admitti, niſi in ſua Provincia admittendi eſſent, & in Provincia in qua verſantur intra XL. vel L. numerum ratione profeſſionis ſuæ numerarentur; Cenſuit non admittendos, niſi utriusque Provinciæ conditiones adeſſent. *Et quando locum alias habituri erant in utraque Provincia.*

LXIX. *in* MS. *d.* 82.

PRopoſitum rurſus de profeſſis, qui in aliena Provincia negotiorum cauſa verſantur, admittendine viderentur ad Provincialem Congregationem etiam illi, qui privata ſua, aut amicorum, aut quorumcumque externorum negotia tractant: ſimul etiam à quo judicium hujus rei petendum eſſet. Cenſuit hos ſolos admittendos, qui Societatis, Provinciarumque aut Collegiorum ſuorum negotia gerunt. Iudicium vero de negotiorum conditione, ſi per tempus liceat, à P. Noſtro petendum eſſe, aut ſane à Provinciali ipſorum proprio. *Et cum negotia tractant Societatis.*

LXX. *in* MS. *d.* 83.

CVm propoſitum fuiſſet circa variarum Provinciarum Viſitatorem, quam è commiſſis ſibi Provinciis deligere poſſet, ſi non rediret ad eam à qua aſſumptus fuerat; Cenſuit, in ea debere manere, in qua moriente Generali verſabitur, niſi in eam, à qua aſſumptus erat, redire mallet. *Plurium Provinciarum Viſitator.*

LXXI. *in* MS. *d.* 84.

CVm §. 6. Congregationis Procuratorum ſtatutum eſſet, intra ſeſquiannum à decreta Congregatione generali, cogendam illam eſſe; propoſitum fuit, an non placeret, ſeſquiannum in annum mutare. Cenſuit nihil immutandum. *Confirmatur §. 6. Congreg. Procur.*

LXXII. *in* MS. *d.* 85.

CVm vero rogatum eſſet, an demortui Generalis ordinationes, reſponſa ad Provincias, privilegiorum communicationes, particulares conceſſiones, & id genus alia, etiam cum Aſſiſtentibus tractata, ſed à generali Congre- *A Generali ſtatuta, vel conceſſa eo mortuo vim retinent, niſi à ſucceſſore revocentur.*

gregatione non approbata, vim ſuam obtineant mortuo Generali: an vero illarum obligatio aut conceſſio cum illius morte expirent. Cenſuit eamdem vim habere, quam vivo Generali habebant, donec à ſucceſſore revocentur.

LXXIII. *in* MS. *d.* 86.

Tractandorum ordo in Cong. gener.

CEnſuit Congregatio, in formula Congregationis generalis §. 64. quo tractandorum ordo exponitur, hæc ordine hoc ponenda. *Proponantur Congregationi primo loco, quæ P. Præpoſitus attulerit: deinde, quæ Provinciæ ſingulæ proponenda miſerunt, habitâ inter eas ratione antiquitatis Provincialium: tum quæ Aſſiſtentes, Provinciales, Sociique Provincialium,* juxta P. VIII. cap. VII. §. 2. littera A. Denique, quæ Procuratores, & alii de Congregatione, ſervato inter illos antiquitatis ordine.

LXXIV. *in* MS. *d.* 87.

Vicarius rem graviſſimam ducere debet, quam talem judicat major pars Aſſiſtentium.

CVm propoſitum fuiſſet, an, quamvis Vicarius judicet rem aliquam non eſſe graviſſimam, neque cum Aſſiſtentibus conſultandam, aut ad eorumdem plura ſuffragia decernendam, major tamen Aſſiſtentium pars contrarium judicat; teneatur Vicarius rem talem conſultandam, & ad plura ipſorum ſuffragia decidendam proponere; Cenſuit Congregatio, Vicarium rem talem ex mente plurium Aſſiſtentium teneri in conſultationem decidendam adducere.

LXXV. *in* MS. *d.* 88.

Vt in proponendis ad profeſſionem ordo ſervetur.

PEtitum deinde fuit, ut remedium aliquod ſtatueretur, ne qui ſtudia Theologica citius peregerunt, eos in profeſſione præcederent, qui ſerius illa ob litterarum humaniorum prælectionem abſolverunt, cum aut priores hi, aut pares illis vocatione ſunt. Cenſuit ſerio in primis Provincialibus omnibus commendandum, ut qui pares ſunt vocatione, ſimul ad gradum proponantur, niſi peculiaris aliqua gravisque ratio aliud ſuaderet, quam Generali aperire teneantur. conſultumque omnino eſſe, ut quorum ob docendi munus, aliasve occupationes dilata fuerunt ſtudia, eorum maxima ratio habeatur, idque vel tempus illis contrahendo, quo in miniſteriis poſt ſtudia probandi ſunt; vel aliis prorogando, ita ut vel doceant, qui ante non docuerunt, vel diutius in aliis miniſteriis occupentur, quo omnes ſimul, quoad fieri poterit, proponi poſſint. De iis vero, quos P. Noſter ſimul decrevit ſcripſitque promovendos, caveant Provinciales, ne unum alteri præ-

Itemq; in excipienda ſingulorum profeſſione.

præponant: curentque modis omnibus, ut recentiores antiquioribus poſtponantur, idque ſive per ſe ſive per alios vota illorum excepturi ſint.

LXXVI. *in* MS. *d.* 89.

CVm Canon tertius Congregationis primæ, in quo dicitur Generalis eſſe Regulas condere, videatur pugnare cum Canone XXI. Congregationis quartæ, in quo dicitur, Congregationis generalis eſſe leges condere; rogata Congregatio, ut dignaretur dubium hoc declaratione ſua tollere; Cenſuit, loca hæc nullo modo inter ſe pugnare, cum in Canone tertio Congregationis primæ agatur de poteſtate Regulas & Ordinationes condendi, prout illa inter ſe convertuntur, & pro ſynonymis habentur, ut non uno Conſtitutionum loco fit; quas condere & abrogare à Generalium voluntate pendet. In Canone vero XXI. Congregationis quartæ agitur de legibus condendis, quæ vim habeant Conſtitutionum & Decretorum generalium, quorum abrogatio à Generali non pendet. *Canonum conciliatio. Generalis regulas, id eſt Ordinationes condere poteſt. Non leges, quæ vim habeant Conſtitutionum.*

LXXVII. *in* MS. *d.* 90.

CVm propoſitum eſſet circa §. 7. Inſtructionis pro Scholaſticis, an triduana ante votorum renovationem recollectio, omnes de Societate, qui renovaturi ſunt vota, comprehenderet; Cenſuit omnes eâ comprehendi, omnesque illà teneri. *Triduana recollectio ab omnibus obſervanda qui vota renovant.*

LXXVIII. *in* MS. *d.* 91.

PRopoſuit deinde P. Noſter, placeretne Congregationi, in omni deinceps generali Congregatione, ex quacumque cauſſa illa indicta fuerit, Deputationem ſtatui ad detrimenta cognoſcenda, ſi qua forte aut in eam diem paſſa Societas foret, aut timeri meritò poſſent. Quam rem cum variis in medium allatis rationibus decernendam P. Noſter judicaſſet; cenſuit eam Congregatio Decreto ſuo confirmandam, deputandosque in omni generali Congregatione Patres detrimentis cognoſcendis. In quorum cognitione, ſi quid forte traditum foret, quod quocumque modo ad perſonam alicujus è Deputatis pertinere videretur; placuit tantiſper eam è Deputationis loco ſecedere; remque hanc univerſam juxta formulæ præſcriptum quatriduo finiendam eſſe. *Deputatio pro detrimentis in omni deinceps Congregatione gen.*

LXXIX. *in* MS. *d.* 92.

CEnſuit deinde, formulæ Congregationis generalis § 59. inſerendum, *eodemque modo ſingulæ ſeſſiones brevi aliqua oratione concludendæ.* Pro- *Brevis oratio in fine cujusque ſeſſionis.*

Suffragia in ipſo Congregationis Procurat. loco comburenda.

vincialis vero §. 16. *Brevique ceteris diebus in principio, & cujusque ſeſſionis fine facta oratione.* Formulæ vero Congregationis Procuratorum cenſuit inſerendum: *Suffragia à Secretario in ipſo Congregationis loco comburantur, non obſtante contrario ſextæ Congregationis decreto.*

LXXX. *in ms. d.* 93.

Quædam ex Inſtructionibus in Regulas vel alio translata.

QVædam è variis Inſtructionum locis ad alia transferenda viſa ſunt.

1. Ex §. 1. Inſtructionis Spiritus addendo §. 6. Inſtructionis de ordinandis, poſt verbum, Exegerit: *atque in vocatione ſua firmus & ſtabilis ſit.*

Biduum ad conciones domeſticas.

2. Ex §. 2. ejuſdem addendum regulæ Provincialis CXVII. *qui in aliquo Collegio male ſe gerit, non mittatur, ſi fieri poteſt, ad aliud, niſi juvetur ubi deliquit.*

3. Ex §. 5. addatur regulæ Cuſtodis veſtium poſt, Invenerit. *v. g. veſtes duplices, inſtrumenta itineris, & ſimilia.*

4. Ex Inſtructione ſextæ Congregationis de renovatione Spiritus, cap. IV. §. 3. addendum monitis ejuſdem §. 14. poſt Pretioſa: *quæ aurei unius valorem excedant.*

5. Ex eadem cap. IX. §. 4. addendum Inſtructioni pro viſitatione Provinciæ §. 8. poſt, Temporalium; *catalogum P. Natalis, quibus de rebus Noſtri recreationis tempore colloqui poſſunt.*

6. Ex Inſtructione pro Concionatoribus, §. 3. mutanda hoc modo regula LIV. Rectoris: *quibus ad ſe parandum, propter varias occupationes quibus Scholaſtici deſtinentur, bidui fere ſpatium pro Superioris arbitrio dandum erit.*

Quadrans ad tonos.

7. Ex §. 5. ejuſdem addendum regulæ Rectoris LVI. *Utilitas major erit, ſi quadrante horæ circiter præmoneantur, qui tonos facturi ſunt, themate illis asſignato.*

8. Ex §. 10. addendum regulis Concionatorum: *Qui in loca etiam remotiora concionaturi mittuntur, præter equum ſuum & ſocii, tertium pro ſarcinis ne addant. Cumque extra Collegia concionantur, victum potius quam pecuniam pro victu accipiant, idque apud Eccleſiaſticum, vel alium honeſtum civem, vel convenienti aliquo religioſis loco. Sit vero victus tenuis, & parcus, ut Religioſos decet. Viaticum porro non niſi neceſſarium pro ſolo itinere admittant.*

9. In

9. In §. II. Inſtructionis pro Concionatoribus, pro *non ultra triennium* ponatur *non diutius quam par eſt.*

10. Ex inſtructione ſecunda Congregationis ſextæ addendum regulæ LII. Provincialis: *His etiam, qui concionandi talentum habent, duo itidem, vel unus ſaltem annus concedatur, ut privato ſtudio ſacræ Scripturæ, legendisque Patribus, ac ſanctæ meditationi vacent.*

11. Ex Inſtructione III. pro Confeſſariis, §. I. addendum ad regulam 100. Provincialis: *Confeſſarii maturi ſint ætate, quantum fieri poteſt, ac multo magis ſpiritu & moribus.*

12. Ex §. 2. ejusdem addendum ad regulam XV. Sacerdotum: *Mulierum confesſiones non audiantur niſi ad crates, etiamſi ſint puellulæ.*

13. Ex §. 3. ad regulam XVII. Sacerdotum, poſt, Alloqui: *Id fiat in loco patenti, nec longum ſermonem,* &c.

14. Ex Inſtructione III. pro Confeſſariis in ſexta Congregatione, §. I. addendum monitis §. 9. poſt, Deprehenderetur: *Idemque omnino judicium eſſe debet de aliis Confeſſariis, Concionatoribus, Præceptoribus, & ſimilibus, erga pœnitentes, devotos, conſanguineos, & amicos: maxime vero de iis qui in Misſionibus verſantur.*

15. Ex Inſtructione VIII. de Novitiis ad regulam LX. Magiſtri Novitiorum, *& id quidem per annum,* pro eo quod erat, *per ſex menſes.*

16. Ex Inſtructione IV. Congregationis ſextæ ad regulam XV. Magiſtri Novitiorum, poſt Defectuum, addatur *tum ſuorum, tum alienorum.*

17. Ex Inſtructione V. Congregationis VI. pro Scholaſticis §. I. addendum regulæ XXXVIII. Rectoris: *Neque permittantur nimis colloqui cum externis aut amicis: ad januam vero, niſi de unius Rectoris expreſſa licentia non vocentur; quam raro admodum oportebit illis concedere: itemque invigilare ne prolixa ſint eorum cum externis colloquia.*

18. Ex §. 2. ejusdem addatur Regulis Scholaſticorum hæc nova regula: *Si magiſtros ſtudiorum cauſſa convenire debent, horam certam à Superiore deſtinatam habeant, extra quam illorum cubicula ſine peculiari facultate non adeant.*

19. Ex Inſtructione XIV. pro Coadjutoribus §. I. addendum Regulæ VII. Præfecti rerum ſpiritualium: *Diligentiam circa Coadjutores temporales, frequenter eos alloquendo, novos præſertim & infirmiores, ut quieti,* &c. & in fine:

 Medi-

Med tationis etiam capita illis ſuggerat, modum & fructum orationis exigat, dirigatque ubi opus fuerit.

LXXXI. *in* MS. *d.* 94.

Inſtructiones reliquæ ad directionem. Ordinationes Generalium contractæ.

Reliqua vero, quæ à Patribus ad ordinationes, Inſtructiones, formulasque recognoſcendas, atque in breviorem commodioremque methodum contrahendas deſignatis facta fuerant, probavit Congregatio, voluitque eam vim habere, quam reliquæ Generalium ordinationes habere conſueverunt. Inſtructiones vero tantum directionis vim retinere.

LXXXII. *in* MS. *d.* 99.

Remedia ſublevanda Collegiorum inopiæ.

Remedia etiam poſtulata, ne Collegia ſupra vires perſonarum numero vel oneribus graventur. Qua de re, hæc probavit Congregatio:

1. Ne plures in ſingulis alantur, quam per facultatem ali poſſunt: pauciores etiam.

2. Ne plures in Novitiatum admittantur, quam qui Provinciis neceſſarii ſunt.

Coadjutorum numerus.

3. Ne Coadjutores quartam partem in Collegiis, in Domibus vero profeſſis ne tertiam partem excedant.

4. Vt onera, ad quæ è fundationibus aut Conſtitutionibus Collegia non tenentur, ad tempus, ſaltem judicio Provincialis, omittantur; admonito tamen prius Generali.

5. Ne operariis, maximeque Coadjutoribus, deſit in quo occupentur.

6. Vt Rectores reliquique officiales tales adhibeantur, qui prudentes ſint œconomi: ordinationemque P. N. Claudii de rebus temporalibus commendatiſſimam habeant. Sed neque permittendum Rectoribus, ut œconomiæ domeſticæ formam in rebus alicujus momenti, inconſulto Provinciali, immutent.

7. Ne perſonarum ſine neceſſitate mutationes fiant. Superflua domi ne habeantur: non equi, non famuli plures: ſerveturque ordinatio P. N. Claudii circa peregrinantes data anno MDCXI. Caveantque Provinciales ne imponendis contributionibus Collegia gravent: quin magis ex iis quæ in poteſtate ſua habent, eorum indigentiam ſublevent.

8. Cauſſas æris alieni contracti in viſitationibus diligenter inquirant Provinciales; nec patiantur Superiores, quorum negligentia debita creverunt,

runt, ſine pœnitentiis abire; moneantque Generalem de talibus, ſi rei gravitas id poſtulaverit, à munere amovendis.

LXXXIII. *in MS. d.* 100.

CVm propoſitum fuiſſet, placeret ne Congregationi, aliquibus Societatis Theologis & Philoſophis committere, ut certas in utraque ſcientia ſummas conficerent, quæ maxime receptas Societatis opiniones è D. Thomæ Patrumque noſtrorum ſcriptis deſumptas ſolidæ & paucis complecterentur. ne tanta Noſtri libertate per varia Theologorum ac Philoſophorum placita vagarentur; Cenſuit nihil hac de re in præſentiarum ob varias gravesque à multis in medium allatas cauſas ſtatuendum, nec videri nunc idoneum huic rei tempus eſſe. *Summa Theologiæ & Philoſophiæ.*

LXXXIV. *in MS. d.* 101.

CVm poſtulatum eſſet, quænam eſſent illa, quæ negotiationis ſpeciem habent, à quibus Noſtri juxta Canonem XXV. Congregationis ſecundæ abſtinere jubentur; Cenſuit Congregatio, Varia illa eſſe, neque omnia recenſeri poſſe. Inter alia tamen numerari hæc poſſe. *Negotiationis vetita noſtris exempla.*

1. Conducere agros alienos, ut ex iis lucrum & quæſtum facias. Non tamen habere ſpeciem negotiationis, eos conducere ad prædiorum noſtrorum adminiſtrationem, vel animalium noſtrorum ſuſtentationem. *Agrorum conductio.*

2. Emere aliqua, ut noſtra poſtea induſtria carius vendantur. Emere tamen animalia ad prædiorum noſtrorum paſcua conſumenda, quæ poſtea divendantur, non cenſuit negotiationis ſpeciem habere: ſicut nec emere, quæ putantur uſibus Noſtrorum neceſſaria, quæ ſuperflua poſtea vendantur. *Emptio rei ut carius vendatur.*

3. Typographiæ ſumptus pro edendis Noſtrorum libris ſuppeditare, exemplaque damno, lucroque noſtro divendenda accipere. Quæ res, licet abſolute negotiatio Clericis interdicta non ſit, Noſtris tamen videtur omnino interdicenda, nec niſi graviſſimas ob cauſas à P. Noſtro permittenda. *Typographiæ ſumptus.*

4. Typographiam in Collegiis habere, in qua libri excuſi externis divendantur. In utraque tamen India, partibusque Septentrionalibus, pro libris piis, & ad Religionem ſpectantibus, Scholarumque noſtrarum, cum vel Typographi deſunt, vel Catholici deſunt; judicio P. Noſtri rem totam committendam cenſuit. *Typographia propria.*

LXXXV. *in* MS. *d.* 102.

De prædiis Collegiorum commutandis.

Rogatum deinde, ut Congregatio P. Noſtro commendare dignaretur, ut ampla variis locis Societatis prædia conſtituta, quæ & exiguos proventus annuos reddunt, & non ſine externorum offenſione poſſidentur, in meliores res magisque utiles commutari curet. Cenſuit P. Noſtro commendandum, ut huic rei invigilare dignetur multorum Collegiorum ac Provinciarum bono.

LXXXVI. *in* MS. *d.* 103.

De miſſione Sinenſi. An petenda à Rege facultas Evangelii promulgandi.

Cum propoſitum à Procuratore Sinenſi Miſſionis illius nomine fuiſſet, ut diſpicere Congregatio dignaretur, num conſultum arbitraretur, poſt tot annos excultæ Miſſionis illius, facultatem à Rege Sinarum petere Catholicæ Religionis liberè proſeminandæ; Re prius juſſu R. P. Noſtri Deo ab omnibus per ſacrificia commendata, cenſuit Congregatio, collaudato in primis ardenti Patrum nobiliſſimæ Miſſionis illius ſtudio, nihil in tanta terrarum diſtantia, temporumque ſibi ſuccedentium varietate, certo ſtatui poſſe: ſed rem univerſam Patrum, qui tot jam annos fortiter in illa Miſſione deſudant, experientiæ, & prudentiæ committendam: qui auditis amicis, viriſque litteratis, & in dignitate in illo Regno conſtitutis, id ſtatuant, quod è re Chriſtiana conſultum eſſe judicaverint. Adfuturum indubie tam piis Noſtrorum votis Deum, ſanguineque jam olim ſuo rigatum Regnum in fœcundam aliquando horreo ſuo inferendam meſſem excitaturum: neque paſſurum ut tam calentia Noſtrorum deſideria, irrito conatu elabantur. Progrederentur tantum quo cœpiſſent modo Patres, non laboribus, non ſanguini, non vitæ parcentes: paratum adſtare æternæ mercedis remuneratorem Deum. Cogitarent, ſudorem ſuum ſemen eſſe Sinenſium Chriſtianorum, quod centupla brevi fœneratione in fœcundas excitaret ſpicas magnus agrorum ſuorum rigator, & cultor Chriſtus: à quo & tempus diſcerent explicandæ per univerſum Regnum illud operæ, & Regiæ voluntatis inflectendæ. Interim commendatiſſimam tam generoſam, lateque patentem Miſſionem, univerſam Societatem precibus ſacrificiisque ſuis apud Deum habituram. Tantum pergerent, majorumque veſtigiis fortiter inſiſtendo, bona de Divina in Sinenſes munificentia, atque explicata dextera ſperarent. Fortiter agendo res creſcere: & à ſola generoſa manu triumphos ſperari poſſe cœlo inferendos.

LXXXVII.

LXXXVII. *in MS. d.* 104.

PRopoſitum deinde, an placeret formulis addere, triduum, aut quatriduum in poſterum concedendum ad intercedendum à Decreto rei alicujus facto, ultra quem terminum nulla interpoſita interceſſio valida eſſet. Cenſuit ſolum in poſterum triduum concedendum eſſe; omnemque interceſſionem extra illud tempus interpoſitam pro nulla habendam.

Intercedere decreto alicui poſt triduum non licet.

LXXXVIII. *in* MS. *d.* 105.

PRopoſitum an placeret in formula Congregationis generalis §. 82. expungi verba illa, *aut etiam alicujus eligendi gratia*, in quibus de Aſſiſtentium electione agitur: uti factum eſt in eadem formula, ubi de electione Generalis agebatur. Cenſuit verba illa expungenda eſſe.

Formula Cong. gener. correcta.

LXXXIX. *in* MS. *d.* 107.

CUm propoſitum eſſet, placeretne Congregationi Iudices, quorum erat de ambitu ante electionem Generalis cognoſcere, prorogare etiam in tempus electionis peractæ? ita ut poteſtas illorum extendatur in omne Congregationis tempus in illos, qui ab obitu Generalis usque ad novi Præpoſiti electionem contra Conſtitutiones, & formulas deliquiſſent, inquirendi, repertosque pro delicti modo puniendi, privando non tantum illos juxta formulam voce activa, aut paſſiva, idque ad tempus, aut in perpetuum; ſed inhabilitando etiam ad munia & officia, aliisque pro arbitrio pœnis afficiendo.

Iudices ambitus poſt electionem cum Generali cognoſcent de omnibus, quæ contra formulas commiſſa fuerint.

Cenſuit Congregatio tempus illud, poteſtatemque Iudicibus illis, eodem in omnibus modo, quo in quæſtione proponitur, concedendam, ac prorogandam eſſe, præſente ſemper Generali, cujus erit judicio huic præſidere, illudque pro prudentia, & paterno ſuo in omnes affectu dirigere. Cujus etiam perſonam, juxta Conſtitutiones, & formulas, ab omni hac diſquiſitione exemptam eſſe voluit; nec licere Iudicibus deſignatis ullam delationem in perſonam illius, aut electionem admittere, aut inquirere.

Ab his tamen contra Generalem nulla delatio admittenda.

XC. *in* MS. *d.* 108.

ROgatum, placeretne Ordinationum libris in Domibus, ac Societatis Collegiis, Conſuetudinum librum addere, quo Superiores, & Miniſtri ad manum habeant ea, quibus ordinem domeſticum certius dirigant. Placuit librum talem reliquis addi, in quem receptæ, & à Provincialibus approbatæ conſuetudines referantur: placuitque hunc etiam Viſitatoribus in viſitationibus probandum offerri.

Liber Conſuetudinum in ſingulis Domibus, & Collegiis.

XCI.

XCI. *in* MS. *d.* 109.

Ceſſat obligatio legenda Inſtructionis pro Confeſſariis. Conſultorum item ne quater ſcribant ad Generalem.

PRopoſitum deinde, an placeret in poſterum obligationem tolli, tertio quoque menſe Inſtructionem pro Confeſſariis legendi circa XVIII. regulam Sacerdotum, mulierumque viſitationes: ſimul etiam illam, qua jubebantur tam Provincialium, quam localium Superiorum Conſultores quater in annos ſingulos ad Generalem Præpoſitum ſcribere.

Cenſuit utramque in poſterum obligationem tollendam; ſcribendique modum, tempusque ad veterem normam, formulamque revocandum: qua nimirum Conſultores Provincialium menſe Ianuario, & Iulio; Conſultores vero Superiorum localium ſemel quotannis menſe Ianuario ad Generalem ſcribere jubebantur.

XCII. *in* MS. *d.* 111.

Humanarum litterarum ſtudia commendantur.

ROgata Congregatio, ut humaniorum litterarum ſtudium quam commendatiſſimum haberet. Placuit plurimorum hoc deſiderium: cenſuitque monendos Superiores eſſe, ut eo majoribus animis conatuque in hanc rem incumberent, quo plus fructus, utilitatis, gloriæque Dei ex hoc tam Societati proprio litterarum ſtudio merito ſperari poteſt. Quam etiam rem cenſuit P. Noſtro commendandam, ut pro ſuo in ſtudium hoc ſingulari affectu, quam commendatiſſimum habere dignetur.

XCIII. *in* MS. *d.* 112.

Qui falſo aliquem deferunt ad Vicarium, vel Deputatos. Iudicum ambitus arbitrio puniendi.

PRopoſitum deinde occaſione Decr. LXVII. qua pœna digni videantur, qui falſo aliquem ad Vicarium vel Deputatos Patres detuliſſent: quique in iis, quæ denuntiarent, maligne aut calumnioſe egiſſe deprehenſi fuiſſent. Cenſuit, pro qualitate delicti, Iudicum ambitus arbitrio puniendos: neque ullo modo permittendum, ut impunita criminandi ac detrahendi libertas cuiquam maneat.

XCIV. *in* MS. *d.* 113.

Formula judiciaria Generalis judicio relicta.

PRopoſita formula Iudiciaria à Patribus Deputatis compoſita, cenſuit Congregatio, nullo illam Decreto ſuo firmandam, ſed P. Noſtri prudentiæ rem totam committendam, qui eam quando commodum opportunumque, Provincialibus communicare dignabitur, maxime cum gravior aliqua neceſſitas id poſtulaverit.

XCV. *in* MS. *d.* 114.

PRopoſitum etiam, placeretne ſcholaſticæ Theologiæ Profeſſorum tempus ad certos ut plurimum annos revocare, quo plura in hoc tam utili Societatis ſtudio exerceri ingenia poſſent, fructusque ſcientiæ illius latius diffunderetur. Cenſuit univerſam hanc rem arbitrio Superiorum relinquendam.

Theologiæ profeſſio annis non definienda.

XCVI. *in* MS. *d.* 115.

AD propoſitam quæſtionem, Examinandine Theologiæ, ac Legum Canonumque Doctores eſſent, qui Societatem ingrediuntur, an ſine prævio examine ad quatuor votorum profeſſionem admittendi. Cenſuit Congregatio, in Legum Canonumque Doctoribus id obſervandum, quod P. v. cap. II. §. 2. littera B. continetur. Theologiæ vero Doctores, de quorum eximia eruditione nulla dubitatio eſſet, examinandos non eſſe: dubios vero examinandos eſſe, qui ſi mediocritatem non excedunt, ad quatuor votorum profeſſionem admittendi non erunt.

Theologiæ ante ingreſſum Doctores quandonam ad profeſſionem examinandi.

XCVII. *in* MS. *d.* 116.

CUm vero rogata Congregatio eſſet, ut circa ſecreta examinatorum ad profeſſionem ſuffragia, certum aliquem modum præſcriberet; Cenſuit ſingulos examinatores ſcribere ſuffragium ſuum debere tam ad Provincialem, quam ad Generalem, ſubſcripto nomine proprio. Sed Provinciali inſcribendas litteras, *ſoli*: qui in librum, non examinatorum nomina, ſed ſolum ſuffragiorum numerum referat, ea cautela, ut nec Socius ipſius in Examinantium ſuffragiorum cognitionem veniat; ignoretque quid examinantium quisque ſenſerit. Litteræ vero examinatorum ad Provincialem datæ comburantur.

Suffragia examinatorum quo pacto ferenda.

XCVIII. *in* MS. *d.* 117.

PRopoſitum deinde, A qua die biennium Novitiatus inchoari cenſeri debeat. Cenſuit à die, qua quis in Societatis Domum à Provinciali probationem inchoaturus in Sociorum numerum admittitur, in quacumque demum Domo, aut Collegio id fiat. Atque ita XXVI. regulam Magiſtri Novitiorum intelligendam eſſe.

Biennium Novitiatus quando inchoetur.

XCIX. *in* MS. *d.* 118.

PRopoſitum fuerat, placeretne formulas de aptis ad gubernandum, & gradum, in breviorem commodioremque rationem contrahi; alium-

Formula de promovendis, & aptis ad gubernandum.

que etiam modum informationes inſtituendi præſcribi; quod prior ratio, qua multis jam annis uſi ſumus, videretur nonnullis non levia ſecum incommoda habere. Cenſuit Congregatio, non facile à veteri formula, modoque recedendum: rem tamen univerſam Patris Noſtri judicio committendam.

C. *in* MS. *d.* 119.

De reditu Societatis in ditionem Venetum.

ROgata deinde Congregatio eſt, ut quo poſſet affectu, R. P. Noſtro Noſtrorum in Venetam ditionem reſtitutionem commendaret. Probavit hoc multorum ſtudium Congregatio univerſa; quod eo propenſius facit, quo Sereniſſimæ Reipublicæ illius in univerſam, jam inde à primordio naſcentis Societatis, voluntatem non poteſt non gratiſſima memoria recolere, ſperetque fore, ut depulſa tandem nube, quæ novem jam annos Societatem cum multorum admiratione tenuit, ſerenior dies eluceſcat, quo ſe ſuaque in Rempublicam illam veteri profundere more poſſit; ſanguinemque, vitamque etiam pro illius incolumitate, & ſalute ponere. Quare quanto conatu poteſt, unam hanc è florentiſſimis quondam Societatis Provinciis, nullo ſuo merito ereptam, Paternitati illius commendat, ut in omnem bene gerendæ rei occaſionem intentus, in eo laboret, ut Sereniſſima Reſpublica promptiſſimam illi ſerviendi, & obſequendi Societatis voluntatem intelligat: nec ab alio novennale hoc ſilentium illius, quam à ſtudio vitandæ cujuscumque offenſionis promanaſſe.

CI. *in* MS. *d.* 121.

Regulæ Secretarii & ſubſtitutorum.

PRopoſitæ Secretarii Societatis & Subſtitutorum illius Regulæ à Deputatis, ut Decreto XL. ſtatutum fuerat, examinatæ & recognitæ: quædam etiam additamenta ad Regulas Procuratoris Generalis; rogataque Congregatio, placeretne eas eo modo edi. Cenſuit edendas, omniaque hæc P. Noſtri judicio committenda.

DE-

DECRETA

Octavæ Congregationis Generalis.

Dec. I. *in* MS. *ſeſſ.* 41.

INſtituti ſunt juxta formulam can. 7. §. 72 Deputatorum ordines duo ex omnibus Aſſiſtentiis. Prior, ut cum P. Generali ſecerneret ex variis tum Provinciarum, tum privatorum poſtulatis, quæ tractanda in Congregatione, quæve ad Generalem remittenda, quæ demum rejicienda viderentur. In quem electi fuerunt pluribus ſuffragiis, P. Thomas Reyna Provincialis Siciliæ, P. Florentius de Montmorency Rector Duacenſis, P. Stephanus Charlet Aſſiſtens Galliæ, P. Petrus Gonzales de Mendoza Aſſiſtens Hiſpaniæ, P. Joannes de Mattos Aſſiſtens Luſitaniæ. *Electio Deputatorum pro ſeligendis.*

In poſteriorem Deputatorum ordinem pro examinandis detrimentis, quæ paſſa eſt Societas, lecti ſunt ex Italia P. Franciſcus Piccolomineus Provincialis Neapolitanus, ex Gallia P. Bartholomæus Iaquinotius Rector Divionenſis, ex Germania P. Goſwinus Nickel Rector Duſſeldorpienſis, ex Hiſpania P. Franciſcus Pimentel, ex Luſitania P. Nunius d'a Cunha. *Electio Deputatorum pro detrimentis.*

Dec. II. *in* MS. *ſeſſ.* 42.43 44.

VLtimo die quatridui ad capiendas informationes pro electione novorum Aſſiſtentium deſtinati, electus eſt ad plura medietate ſuffragia Aſſiſtens Italiæ P. Thomas Reyna Provincialis Siciliæ, tertio ſcrutinio. Hiſpaniæ P. Petrus de Mendoza, Provincialis Caſtellæ, primo ſcrutinio: Germaniæ P. Florentius de Montmorency Rector Duacenſis tertio ſcrutinio: Galliæ P. Bartholomæus Iaquinotius Rector Divionenſis primo ſcrutinio: Luſitaniæ P. Nunius d' à Cunha ſecundo ſcrutinio. Tum vocatis ad Congregationem Secretario Societatis cum Procuratore Chilenſi, quæſitoque Procuratoris Generalis morbo impediti ſuffragio, electus eſt ad plura medietate ſuffragia Admonitor P. Stephanus Menochius Provincialis Romanus, ſecundo ſcrutinio. *Electio Aſſiſtentium.* *Electio Admonitoris.*

Vt eſſet facilior breviorque tractandorum in Congregatione deciſio, cenſuit Congregatio, inſtituendas eſſe varias Deputationes ad ea diſcutienda prius, quæ poſtea forent à Congregatione decidenda, relicta earum *Electio Deputatorum.*

 diſtin-

diſtinctione ac deputandorum electione arbitrio P. N. Generalis: fueruntque hujusmodi Deputationes omnino undecim: ſcilicet ſex ad recognoſcendas Conſtitutiones, Regulas, Decreta, Formulas & Ordinationes, tum impreſſas, tum ſcripto transmiſſas; ut ſi quæ dubia occurrerent, explicarentur; & defectibus adhiberentur remedia: una ad ſpiritualem profectum promovendum: una item ad excitandum zelum animarum in Miſſionibus aliisque Societatis miniſteriis: duæ ad fovenda ſtudia literarum, tum ſuperiorum tum humaniorum: ultima ad conformandam rerum temporalium adminiſtrationem. In has vero Deputationes, præter paucos aliis addictos muneribus, Patres omnes Congregati diſtributi ſunt.

Dec. III. *in* MS. *ſeſſ.* 47.

Profeſſi quatuor Votorum pro officio Procuratoris.

VIſum eſt Conſtitutionibus & menti S. Ignatii congruentius, ut quatuor votorum Profeſſi non fungantur ordinarie Procuratoris munere: neque ſit in arbitrio Provincialium in eo, prout libuerit, diſpenſare: quod à quibusdam Provinciis poſtulatum fuerat. Quia tamen magna eſt plerisque in locis idoneorum Coadjutorum Spiritualium penuria, commendandum putavit Congregatio P. Noſtro, ut, quamdiu durabit hæc neceſſitas, Provincialibus hanc diſpenſationem petentibus facilem ſe præbeat.

Dec. IV. *in* MS. *ſeſſ.* 50.

De diſſolvendis aliquibus Collegiis Provinciæ Romanæ.

QVod provincia Romana propoſuerat de tribus Collegiis, Spoletano, Sorano & Montis Sancti diſſolvendis: cenſuit Congregatio de duobus poſtremis rem arbitrio P. Noſtri committendam; ut poſt pleniorem informationem, tentatis remediis quibus ea collegia, ſi fieri poteſt, ad commodum ſtatum perducantur, auditisque tandem Aſſiſtentibus id ſtatuat, quod è re Societatis fore videbitur: vitata ſemper Principum & Civitatum offenſione & Societatis invidia. Quod maxime curandum erit in Collegio Sorano, ob antiqua & æterna memoria digniſſima Boncompagnæ familiæ in Societatem beneficia, Spoletanum vero major pars retinendum cenſuit.

Dec. V. *in* MS. *ſeſſ.* 52.

ET cum propoſitum eſſet ſimile poſtulatum Provinciæ Neapolitanæ, deſignataque ſex Collegia diſſolvenda (nimirum Capuanum, Salernitanum, Amantheanum, Adrienſe, Paulenſe, Bibonenſe, cum Reſidentia Monopolitana in ſpem futuri collegii admiſſa) eamdem poteſtatem P. Noſtro, cum iisdem cautionibus Congregatio fecit: niſi quod major pars cenſuit retinenda eſſe Collegia, Capuanum ac Salernitanum, nec alia ſimul dimittenda, ſed ſenſim captatis occaſionibus. *Idem pro Provincia Neapolitana.*

Dec. VI. *in* MS. *ſeſſ.* 54.

CIrca numerum Profeſſorum ad Congregationem Provincialem vocandorum, quem aliquæ Provinciæ augeri petierant, ne Rectorum multitudo antiquiores Profeſſos, ut fieri ſolet, excluderet; cenſuit Congregatio nihil innovandum. *Numerus Profeſſorum non augendus pro Congregatione Provinciali.*

Dec. VII. *in* MS. *ſeſſ.* 55.

AVditâ informatione circa poſtulatum Provinciæ Lugdunenſis de Domo Profeſſa Gratianopolitana in Collegium ſaltem inchoatum commutanda; cenſuit Congregatio ejus rei poteſtatem R. P. Generali faciendam. *Domus Profeſſa Gratianopolitana commutanda in Collegium.*

Dec. VIII. *in* MS. *ſeſſ.* 56.

QVamvis dubium id eſſe non poſſet, cenſuit tamen Congregatio apertius declarandum, aliquibus id petentibus, munus docendi Grammaticam & literas humaniores, eo fine & modo, quo apertis ad majorem Dei gloriam & proximorum ſalutem ſcholis, eas docendas ſuſcepit Societas; proprium eſſe ipſius miniſterium, nec certo temporis ſpatio, nec certis perſonis addictum, ſed quamdiu Superioribus in Domino videbitur, etiam à Sacerdotibus atque etiam Profeſſis exercendum. *Munus docendi Grammaticam & humaniores literas proprium Societatis.*

Dec. IX. *in* MS. *ſeſſ.* 57.

QVod petebatur, ut ii, qui abſolutis ſtudiis Societatem inierunt, & in aliis miniſteriis probati ſunt, antequam promoveantur ad gradum, mittantur ad domum tertiæ probationis, vel in Collegiis ſecedant ad aliquot menſes colligendi animi cauſa; Congregatio non cenſuit exigendum: ſed ſatis eſſe, ſi, quæ jam conſtituta ſunt, & ex uſu Societatis promotioni ad gradus præmitti ſolent, exacte ſerventur. *Qui in Societatem ingrediuntur abſolutis ſtudiis, non tenentur ad tertium annum.*

*Dec.*X.*in* MS.*ſeſſ.* 59.

Fol. 85. Congregationes Provinciales congregentur, ut moris eſt, etiam poſito Brevi Pontificio de cogenda Congregatione Generali.

VT ſatisfaceret aliqvorum dubitationi, declaravit Congregatio Conſtitutionem Summi Pontificis de Congregatione Generali cogenda quolibet novennio non impedituram, quominus Congregationes Provinciales etiam cogantur more ſolito quolibet triennio; tum ob alias cauſas; tum, ut videatur, an ſit expectandum novennium ad cogendam Generalem. Quod ſi viſum erit expectandum, tunc Congregatio Provincialis, quæ tertia erit poſt ultimam Generalem, Deputatos eliget cum ſuo Provinciali Romam venturos.

*Dec.*XI. *in* MS. *ſeſſ.* 64.

Enitendum per P. Generalem, ut noſtri removeantur à Cura Monialium.

QVamvis non ſit opus novo Decreto, ut Societatis à cura Monialium immunitas, Conſtitutionibus ſatis firmata, commendetur P. Noſtro: qui tamen munus ordinarii earum Confeſſarii, noſtri, qui ſunt in urbe Carpenſi, ſubire coacti ſunt à ſacra Congregatione Cardinalium Sanctæ Inquiſitionis; enixe rogandum cenſuit Congregatio, ut illud onus adeo alienum ab Inſtituto Noſtro, quam prudentiſſime ac fortiſſime poterit, excutere omnino conetur.

Dec. XII.*in* MS.*ſeſſ.* 65.

De ſignis benevolentiæ & charitatis exercendis erga Patres Ordinis Prædicatorum.

CVm Reverendiſſ. P. F. Thomas Turcus, Magiſter Generalis Venerabilis ordinis Prædicatorum in Generaliſſimo Capitulo, ad plurima & maxima ejus Ordinis in Societatem noſtram vetera merita illud noviſſimum pro ſua in nos benevolentia ſingulari adjecerit, ut & Societatem univerſam & ſingulas ejus perſonas, non ſine honorifico teſtimonio, omnibus charitatis ac venerationis officiis, ſuis Religioſis colendam diſtricte præceperit; decrevit Generalis Congregatio, ut quod jam à P. N. Generali piæ memoriæ Mutio ordinatum fuit, id nunc totius Societatis ſenſu & auctoritate diſtrictius præcipiatur. Vt ſcilicet noſtri omnes ubique gentium de venerabili ordine univerſo, de ſanctis ejus inſtitutis, eximia doctrina, ac præclare geſtis cum ea commendatione privatim ac publice loqui, cum eisque peramanter agere, & mutuæ hoſpitalitatis, cæterisque omnibus charitatis officiis certare ſtudeant, eo cultu ac veneratione, quæ & minimam hanc noſtram Societatem decet & religioſiſſimæ familiæ, natu ac dignitate majori, maxime debetur.

Dec.

Dec. XIII. *in* MS. *ſeſſ.* 65.

DEinde cum recitatum eſſet edictum ante duos circiter annos à Venerabili Congregatione Caſſinenſi per occaſionem Comitiorum vulgatum, & jam tum à P. N. Generali piæ memoriæ Mutio Societati univerſæ communicatum ad beneficii memoriam, ſimulque grati animi & mutuæ in religioſiſſimos illos Patres charitatis, ac venerationis vicem ad omnes Socios transmittendum; quo edicto Societatis exiſtimationem libello quodam ſub nomine (ut quidem ipſi, & nos pariter opinamur, mentito) D. Conſtantini Caſſinenſis Monachi & Abbatis edito, inſigniter læſam dolent, ſimulque damnata ſuppoſiti autoris levitate & audacia ſuum de Societate honeſtiſſimum judicium nobis pariter ac ceteris omnibus conteſtantur: cenſuit Congregatio, hujusmodi ſenſum ac judicium venerabilis ordinis ſingularis beneficii loco habendum colendumque eſſe: decrevitque nomine totius Societatis hanc illi viciſſim gratiam cum ſumma amoris ſignificatione referendam; ut tum ipſis cum ceteris quibuscumque teſtaretur, plane ab initio nobis perſuaſum eſſe ejusmodi traductionem Societatis ab ejus Ordinis, qui & religioſiſſimus eſt, & optime ſemper de ipſa meritus, ſenſu ac pietate omnino alienam fuiſſe.

Aguntur gratiæ ordini Patrum Caſſinenſium Congregationis Italiæ pro beneficio in Societatem collato.

Dec. XIV. *in* MS. *ſeſſ.* 68.

ACtum eſt, poſtulantibus pluribus, de nova Decretorum editione: qua, rejectis, quæ ſunt ſuperflua vel reformata, aut etiam abrogata, ceteris vero certo materiarum ordine ad normam Conſtitutionum collocatis, commoditati pariter & doctrinæ legentium conſuleretur.

Nihilominus communi conſenſu probatum eſt reſponſum Patrum Deputatorum; ſcilicet, cum nova illorum editio curabitur, retinenda quidem eſſe Decreta, ſicuti nunc edita ſunt, propter utilem & gratam notitiam rerum in ſingulis Congregationibus Generalibus geſtarum: addendas tamen in fine, vel ad marginem cujusque Decreti citationes aliorum Decretorum, quæ de iisdem rebus in aliis Congregationibus facta ſunt, mutando, derogando, extendendo &c. Immo ejusmodi Indiculum quam primum conficiendum eſſe, unde juvari interim poſſint legentes.

Liber Decretorum aliarum Congregationum retinendus, prout jacet.

Dec. XV. *in* MS. *ſeſſ.* 70.

QVæſitum & agitatum eſt diu: An ſtatuenda ſit pœna Superioribus localibus, qui ſine facultate Provincialis, aut probabili cauſa, notabili ſumma æris alieni gravaverint Domum; in qua pœna ne R. quidem P. Generalis diſpenſare poſſit; & quæ tandem eſſe debeat: Et, an ſimilis pœna conſtituenda ſit Provincialibus gravantibus Domos & Collegia pluribus perſonis, quam pro tempore alere poſſint.

Non eſt ſtatuẽda pœna, infligenda Superioribus gravantibus Collegia ære alieno; ſed ſit in arbitrio Patris noſtri Generalis.

Cenſuit vero Congregatio non ſtatuendam quidem de novo certam pœnam culpæ, quæ poteſt eſſe admodum varia. Verumtamen P. Noſtro ſummopere voluit commendatum, ut, pro ſuo in Societatem affectu, ejuſmodi Superiores incurioſos & negligentes, vel etiam prodigos rei familiaris Collegiorum ac Domorum, quæ Chriſti pauperum eſt patrimonium, & à qua etiam res ſpirituales & bonus Societatis ſtatus ac progreſſus tantopere pendet, impunitos eſſe minime patiatur: ſed Provincialium (vel in gravioribus cauſis ſuo ipſius) judicio pœnam irroget non imparem culpæ juxta Decret. 81. Cong. 7.

Quod ipſum deinde intellectum voluit etiam de Provincialibus, ſi ipſorum culpa aliquod ejuſmodi acciderit rerum temporalium detrimentum.

Dec. XVI. *in* MS. *ſeſſ.* 73.

De promovendo Græcarũ literarum ſtudio.

DIu actum eſt de ineunda ratione excitandi in noſtris Collegiis ſtudium Græcarum literarum. Et quamvis enituerit ardens multorum Patrum deſiderium, ac prudens zelus ſublevandi ejuſmodi ſtudia decretis aliquibus remediis opportunis, cujuſmodi multa à Patribus ad humaniores literas Deputatis, aliisque Congregatis ſolerter excogitata fuerint, & in medium allata.

Cenſuit nihilominus Congregatio, nihil aliud decernendum, quam enixe commendandum P. Noſtro, ut hanc curam promovendi literas Græcas, in quibus tantum eſt adjumenti ad omnes, quas profitemur, diſciplinas capeſſendas atque tradendas, tantum luminis ad Sacrorum voluminum explanationem, tantum præſidii ad hæreſes expugnandas, tantum noſtræ Societatis decoris & ornamenti, ſimulque gloriæ Chriſti & Eccleſiæ Catholicæ; non

non in minimis ſuæ Providentiæ partibus collocet. Et Superioribus tum localibus, tum Provincialibus mandet, ut quicquid hac de re in ratione ſtudiorum, præſertim pro noſtrorum Scholarium inſtitutione, præſcriptum eſt, eo curioſius exigant, qvo alicubi incurioſius præſtari conſvevit.

Dec. XVII. *in* MS. *ſeſſ.* 76.

DVo totidem Provinciarum contraria poſtulata conjunctim propoſita ſunt: unum, ut praxis a Patribus Noſtris Claudio & Mutio obſervata, (non admittendi noſtros ad Profeſſionem, prius quam annum trigeſimum tertium expleverint) Congregationis decreto firmaretur: alterum ut tolleretur, ac deinceps liceret id tempus Profeſſione antevertere. Et; recitatis utriusque poſtulati rationibus, una cum Patrum pro Ordinationibus non impreſſis Deputatorum judicio ; Congregatio ejusmodi judicium ſequuta. Decrevit, eam praxim deinceps retinendam, ita tamen, ut ea ætas non ſit conditio neceſſaria ad valorem Profeſſionis. Et quamvis fuerit interceſſum & quæſtio biduo agitata, iterum tamen Congregatio voluit eam praxim ſuo decreto firmandam. Nihilominus cum poſtera die adhuc dubitaretur, cujusmodi decreto fuiſſet ab aliquibus ſuffragatum, num ſtatuenti, & ad modum legis perpetuæ obliganti; an vero ſolum approbanti eam conſvetudinem, ſine nova obligatione veteri ordinationi adjecta, ſententiis per breves clauſulas repetitis, placuit majori parti ejusmodi Decreto ſolum approbari eam conſvetudinem, citra novam Obligationem, & Patri Noſtro commendari.

Approbatur praxis anni 33. ſine nova Obligatione pro Profeſſione.

Dec. XVIII. *in* MS. *ſeſſ.* 77.

CVm pridie ex Hiſpania ad Congregationem Generalem veniſſet P. Ferdinandus de Mendoza, Præpoſitus Domus Profeſſæ Hiſpalenſis, primus Electorum a Congregatione Provinciali Bæticæ, in cujus locum (quod tempore opportunæ profectionis ægritudine legitime impeditus judicabatur) ſubrogatus fuerat Subſtitutorum primus P. Ioannes de Armenta Rector Collegii Malacitani, qui Congregationi Generali tres jam menſes interfuerat: Pater Noſter neutro interim admiſſo retulit ad Congregationem ſuo & P. P. Aſſiſtentium judicio videri utrumqve, ſive ex jure, ſive ex æqvitate admittendum. Ceterum videret Congregatio, qvid decerneret? Quæ omnium quidem ſuffragiis P. Noſtri & Patrum Aſſiſtentium judicium approbavit: verum tamen cenſuit, rem poſtea a Patribus ad recognoſcen-

Pater Ferdinandus de Mendoza, primus electus Bæticæ.

das formulas Deputatis mature examinandam, & tandem a Congregatione certi aliquid ſtatuendum: ne in poſterum expenſæ una cum laboribus & periculis duplicentur. Ambo itaque admiſſi ſunt.

Dec. XIX. *in* M.S. *ſeſſ.* 82.

De electione Aſſiſtentium extra Congregationem Generalem.

PLurium Provinciarum poſtulatum fuit: ut juxta intellectum Conſtitutionis p. 9. c. 5. §. 3. Aſſiſtentes in locum demortui eligendi a P. Generali non ante nominentur, quam conſulti Provinciales non modo non repugnaverint, ſed omnino approbaverint electionem, vel omnes vel major pars: quia, ſi ante moneantur, vel etiam a ſuis Provinciis evocentur, non videtur conſtare libertas approbationis.

Et nihilominus, poſtquam fuit totis fere tribus ſeſſionibus de intellectu prædictæ Conſtitutionis & Decretorum præclare diſceptatum, obtinuit ſententia: Non eſſe derogandum conſvetudini a pluribus Generalibus uſurpatæ, monendi Aſſiſtentes in locum deficientium eligendos prius, quam conſulti Provinciales approbaverint electionem: ſed eandem conſvetudinem P. Noſtri arbitrio ac poteſtati permittendam eſſe.

Dec. XX. *in* MS. *ſeſſ.* 84.

Non electo Superiore loco, ejus miniſter.

AD propoſitam quæſtionem: Ad quem pertineat Vicaria adminiſtratio Collegii vel Domus, quando mortuo Rectore vel Præpoſito, nec nominato Superiore, aditus ad Provincialem facile haberi non poteſt: Congregatio ſequuta judicium Patrum ad recognoſcendas Conſtitutiones Deputatorum ſtatuit, ſicut abſente, ita etiam moriente Superiore alicujus loci, hujus curam ad Miniſtrum pertinere, etiam in Domibus Profeſſis, quamvis ipſe Profeſſus non ſit. Licere nihilominus Superiori, cum domo aut vita excedit, alium nominare, qui eam curam habeat, ſi Provincialis cito moneri non poſſit, aut alia gravis cauſa id ſuadeat.

Dec. XXI. *in* M.S. *ſeſſ.* 84.

Obſervetur Decretum 27. Congregationis Septimæ.

VNdecim omnino Provinciarum, multorumque privatim Patrum Profeſſorum poſtulatum fuit; ut VII. Congregationis Generalis Decretum 27. de operimento Capitis Fratrum Coadjutorum ab hac Congregatione non tantum omnimodam firmitatem ac robur acciperet, ſed etiam ad uſum revocaretur. Quod ubi relatum eſt, inprimis recitato aliquot

quot Patrum Deputatorum in utramlibet propoſiti partem ſcripto atque judicio, quæſitum eſt: Num videretur hac de re ſecretis ſuffragiis decernendum; an vero ſententiis de more in commune collatis? Et placuit majori parti, juſtis de cauſis decerni ſecretis ſuffragiis.

Cum vero, poſt hujusmodi Decretum, inſtitiſſent aliquot patres, ut antequam res adeò gravis ſecreta ſuffragatione decerneretur, rationes ſaltem in medium afferrentur, vel certe (ne quid quisque in hac cauſa ſenſiſſet ullo umquam tempore conſtare poſſet) in ſcriptis, & ſine nomine deferrentur ad Patrem Secretarium in Congregatione recitandæ; conſtitutum eſt, ſcripto intra triduum afferendas.

Quo elapſo, lectisque utriusque partis rationibus, ſecretorum ſuffragiorum plus quàm duabus tertiis partibus decreta eſt obſervatio & executio ejus Decreti 27.

Dec. XXII. *in* MS. *ſeſſ.* 85.

OBlata quæſtione cujusdam Provinciæ de vi renovationis Votorum ad primam eorumdem nuncupationem confirmandam. *Renovatio Votorum poteſt habere vim primæ nuncupationis.*

Viſum eſt Congregationi firmitatem Votorum, quæ in Societate poſt biennium Novitiatus emittuntur, & veritatem Religioſi ſtatus noſtrorum Scholarium non eſſe ſub diſcrimine opinionum, quantumlibet probabilium, relinquendam. Atque adeò quod olim Patres Noſtri piæ memoriæ Claudius & Mutius declararunt: vitia, quæ forte contigerint in prima nuncupatione votorum ob defectus ætatis, biennii aliosque ſimiles, ceſſantibus ejusmodi defectibus, qualibet conſveta renovatione Votorum emendari, præſenti Decreto conſtituit. Declarans, quod in Conſtitutionibus dicitur: *Renovare vota non eſſe obligatione nova ſe obſtringere; ſed ejus, qua obſtricti ſunt, recordari*: intelligendum eſſe (ut hactenus intellectum eſt) quando renovatio priori ſupervenit obligationi; non vero quando nullam invenit obligationem. Et hoc ipſum in Regulis Magiſtri Novitiorum exprimendum; & ab eodem Magiſtro aperte explicandum Novitiis, cum vota poſt biennium debent emittere: ut intelligant renovationes Votorum a ſe deinceps de more Societatis faciendas habere vim primæ nuncupationis, ſi forte ex prædictis defectibus, prima Vota vim ſuam non obtinuerint.

Dec. XXIII *In* MS. *ſeſſ.* 87.

Conficiatur Indiculus eorum, quæ in Societate ſub gravi culpa & pœna præcipiuntur.

CVm rogata eſſet Congregatio, ut juberet confici inprimique Catalogum eorum quæ in Societate ſub gravi culpa vel pœna præcipiuntur vel prohibentur; ut ſaltem ſemel in anno, prælegatur in menſa: Cenſuit utrique poſtulato annuendum. Statimque juſſit, a Patribus ad ordinationes non impreſſas Deputatis, ejuſmodi Catalogum confici a Congregatione, prius quàm diſſolvatur, recognoſcendum.

Dec. XXIV. *In* MS. *ſeſſ.* 87.& 90.

Præceptum Patris Mutii de non procurandis & admittendis externorum intercesſionibus approbatur quoad primam partem.

RElata petitione cujusdam Provinciæ, ut præceptum P. noſtri Mutii piæ memoriæ de non procurandis, nec admittendis externorum interceſſionibus ad aliquas Provincias miſſum anno 1643. Februarii 7. recognoſceretur, eique moderatio aliqua adhiberetur: & audita Patrum ad Ordinationes non impreſſas, Deputatorum ſententia qui ſcenſuerant moderandum eſſe ita, ut prima ejus Ordinationis pars maneret præcepto firmata; reliquæ duæ ad præcidendos ſcrupulos, vim tantum Ordinationis obtinerent.

Viſum eſt Congregationi ejuſmodi præceptum non modo moderandum, verum etiam antiquandum. Verumtamen cum eſſet interceſſum, repetitis ſententiis majori ſuffragiorum parte obtinuit interceſſio, & in omnibus approbatum fuit judicium Patrum Deputatorum: ut ſcilicet prima illius Ordinationis pars maneret priſtino præcepto firmata, cui Congregatio nullum robur conferret; reliquæ vero duæ, ad præcidendos ſcrupulos ſolius Ordinationis vim obtinerent. Ceterum poteſtatis R. P. Noſtri fore præceptum pro ſua prudentia habita boni communis, locorum ac temporum ratione; vel adſtringere, vel laxare.

Dec. XXV. *In* MS. *ſeſſ.* 88.

De Caſibus reſervatis.

DE caſibus reſervatis relatum eſt a Patribus ad recognoſcendas Ordinationes impreſſas Deputatis:

1. Cum in parvis Collegiis aut Reſidentiis, in quibus quatuor aut quinque morantur ex noſtris, difficile ſit Confeſſario ſalvo ſigillo ad Superiorem recurrere pro obtinenda facultate abſolvendi a reſervatis, ſi quando acciderent; videri conſultius, ut Confeſſarius pœnitentem abſolvat eum onere ſe præſentandi Provinciali, aut alteri Superiori, ſi brevi ſit in ejus Collegium aut Domum diſceſſurus. Atque hoc reſponſum Congregatio ſua autoritate firmavit.

Abſolutio reſervatorum in parvis Collegiis & Reſidentiis.

2. Quod

2. Quod in Ordinationibus dicitur, idem eſſe ſervandum Confeſſariis Superiorum localium, ſi quando (quod Deus avertat) in aliquem caſum reſervatum inciderent: Videri magnum onus, nec ſatis ejusmodi Superioribus eſſe proviſum, aut ſigillo ſi Provinciali ſe ſiſtere teneantur ſive per ſe, ſive per alium, & fortaſſe magis expedire, ut hoc onus differatur in tempus, quo Superior loco movebitur. *Abſolutio reſervatorum pro Superioribus localibus.*

His in conſultationem adductis, diuque agitatis, magis placuit Congregationi liberam poteſtatem abſolvendi Superiores locales a reſervatis, committi a Provinciali uni ex Confeſſariis Collegii aut Domus, quem ipſe deſignaverit.

3. Id quoque quod eodem loco dicitur: Idem ſervandum eſſe Confeſſariis Provincialium, cum præſens non eſſet is, qui ad eum finem a Generali eſſet deſtinatus Vix videri in praxim reduci poſſe ſine periculo violandi ſigillum, aut ſine maximo onere Provincialis, ſi Generali per ſe, vel per alium ſiſtere ſe teneatur. Ideoque tutius fore, facultatem abſolvendi Provincialem a reſervatis Socio ipſius abſolute concedere. *Abſolutio pro Provincialibus.*

Quod quidem Deputatorum judicium Congregatio ſua autoritate ſancivit.

Decr. XXVI. in MS. ſeſſ. 88.

NUper a Patribus Societatis in Luſitania degentibus ad Generalem Congregationem transmiſſum fuit exemplum cujusdam decreti, editi a Reverendiſſimo Abbate Generali, & admodum Reverendis Definitoribus Religioſiſſimæ S. Benedicti Congregationis Luſitaniæ in Monaſterio Tibanenſi die 29. Octob. 1645 ad hoc ſpecialiter congregatis. In quo, poſtquam ſummum ſtudium erga Societatem profeſſi ſunt, ac teſtat in hiſtoria Benedictina Luſitano Idiomate nuper vulgata ab admodum Reverendo Magiſtro Fratre Leone a S. Thoma, ejusdem Congregationis Monacho, quædam referri ex exiſtimato Conſtantino quodam Cajetano, quæ a venerabili Caſſinenſi Congregatione, ut Societatis exiſtimationi contraria, ita minus probabilia, quam fides hiſtorica poſtulat, publico Decreto judicata ſunt; eadem ipſi a primo autore ſine fundamento vulgata, aut excogitata, & minus conſiderate a ſecundo relata, certe a communi ſuæ Congregationis ſenſu prorſus aliena declarant. Quibus auditis cenſuit Congregatio, in primis Venerabilibus illis Patribus, totique religioſiſſimo *Aguntur gratiæ Patribus Caſſinenſibus Congregationis Luſitaniæ pro beneficio in Societatem collato.*

ſiſſimo cœtui quam maximas gratias haberi, agique oportere, quod æquitate, ac charitate religioſiſſimo Ordine plane digna bonam Societatis exiſtimationem etiam adverſus ſuos ipſorum alumnos defendendam ſuſceperint. Deinde hujus quoque recentis beneficii notitiam publico Decreto ad omnes Socios tum hodiernos, tum poſteros tranſmittendam; ut & quantum Sanctiſſimo ordini Societas debeat, intelligant univerſi, & omnibus charitatis ac venerationis officiis parem illi gratiam referre contendant.

Dec. XXVII. *in* MS. *ſeſſ.* 89.

DEcretum, quod ſeſſione 67. P. Noſtro proponent, conficiendum Congregatio commiſit, quo removeatur noſtrorum offenſio, ſi quando in acceptandis Collegiis vetus formula quintæ Congregationis, ut neque antea, ita deinceps non obſervetur; & hac ſaltem temporum conditione Pater noſter utatur ut Regula, ſeſſ. 70. relatum ad Congregationem, ab eaque approbatum hujusmodi fuit:

In qualibet fundatione Collegii viginti ſaltem alantur.

Quandoquidem Collegia minora ex formula in 5. Congregatione decreta ſubductis Scholaribus, qui ex formula ſecundæ Congregationis in eisdem inſtitui jubebantur, ut Præceptoribus & operariis ſuccedere poſſent ad operis perpetuitatem, non plures fere alere poſſe oportebat, quam viginti: jamque ſingulæ Provinciæ habent majora Collegia, in quorum Seminariis earumdem Scholares ſimul commodius & utilius inſtituuntur: viſum eſt Congregationi, non fore contra vetera Decreta, neque contra bonum commune, ſi deinceps admittantur aliqua Collegia, in quibus viginti ſaltem Socii degere commode, ac ſuſtentari poſſint. Excipiuntur Indicæ & Tranſalpinæ regiones, de quibus nihil adhuc præſcribendum videtur.

Dec. XXVIII. *in* MS. *ſeſſ.* 92.

EX reſponſis a Patribus Deputatis ad Formulas relatum eſt de modo eligendi Vicarium, vivente adhuc Generali.

In caſu Impotentiæ Generalis judicium de eligendo Vicario ſpectat ad Aſſiſtentes.

Primum quidem, cum poſſit accidere, ut Generalis propter gravem ægritudinem, aut ſenium factus ſit inutiliſ ad Societatis gubernationem, adeo ut rebus ſui muneris vacare non poſſit, nec aliquando vacaturus ſperetur: & interim tamen Vicarium ſibi ſubſtituere aut non poſſit aut nolit. Cui periculo non ſatis videtur conſultum, ſi Vicarius poſſit

poſſit eligi a Provincialibus cum approbatione duorum Præpoſitorum localium, vel Rectorum uniuscujusque Provinciæ per literas pluribus ſuffragiis; quod nec Provinciales abſentes facile ſcire ſtatum Generalis, nec a ſe invicem diſſiti, ſine alicujus prærogativa proponendi eligendum, petendi, recipiendique ſuffragia, (quorum nec definitus eſt numerus) & electum declarandi, eam tractationem inchoare poſſint, nedum perficere.

An propterea videretur decernendum vel declarandum, ſpectare ad Aſſiſtentes, qui omnium optime noſſe poſſunt ſtatum Generalis, judicare, utrum ſit eligendus Vicarius; & eundem monere, ut eligat, ſi poſſit, niſi id ſua ſponte faciat. Utque in re tanti momenti conſultum ſit bono publico, & ne ob defectum capitis, totum corpus Societatis detrimentum patiatur, ad formulam juramenti, quo Aſſiſtentes ſe obſtringunt, ſi accidat aliquid ex iis, quæ ſufficiunt ad Præpoſitum ſuo officio privandum ſe fideliter Societati denunciaturos; addendum eſſe, idem facturos, ſi ob gravem morbum, aut ſenium Generalis, ſit eligendus Vicarius.

3to Decrevit Congregatio, Aſſiſtentium eſſe judicare quando ſit ſubſtituendus Vicarius Generali adhuc viventi, ſed inutili ad Societatis gubernationem: ipſumque Generalem monere, ut eligat, ſi posſit: niſi ſponte id faciat; ceterum nihil hac de cauſa ipſorum juramento addendum.

Dec. XXIX. *in MS. ſeſſ.* 129.

Cetera ad electionem Vicarii pertinentia, Definitoribus paulo poſt electis commiſſa ſunt.

Definitores porro, approbante Congregatione, cenſuerunt in prædicto caſu eligendum eſſe Vicarium juxta formulam eligendi ipſum mortuo Generali. Quod non obſcure ſignificatur Conſt p. 8. c 4. lit. A. Et quamprimum ab eodem Vicario conſultis Aſſiſtentibus, debere moneri Societatem de ſtatu Generalis, & exquiri ſuffragia Provincialium & duorum Præpoſitorum localium, vel Rectorum uniuscujusque Provinciæ in Europa quatuor votorum profeſſione antiquorum: ex quibus ſuffragiis appareat, quid major pars cenſeat eſſe faciendum pro bono Societatis. Literæ vero Provincialium, ac duorum illorum Superiorum aperiendæ erunt a Vicario coram omnibus Aſſiſtentibus, & Secretario Societatis. Eodem tempore ipſi Aſſiſtentes dabunt ſua ſecreta ſuffragia: & omnibus lectis atque inter ſe collatis ſuffragiis,

De electione Vicarii datâ impotentiâ Generalis.

fiet

fiet, quod major pars judicaverit. Interea vero Vicarius jam electus Societatem gubernare debebit eo prorſus jure, quod in officio ipſius continetur.

Dec. XXX. *in* MS. *ſeſſ.* 91.

An eligendi ſint Definitores.

VT brevius expedirentur, quæ tractanda ſupererant, actum eſt de eligendis Definitoribus ad res determinandas, quas eis Congregatio ſpecialiter committendas judicaret. Et ſequenti die ad plura medietate ſuffragia decretum eſt, eligendos eſſe Definitores decem numero, binos ſcilicet ex ſingulis Aſſiſtentiis.

Dec. XXXI. *in* MS. *ſeſſ.* 93.

Definitorum electio.

ET quidem ex Italiæ Aſſiſtentia electi ſunt primo loco P. Franciscus Piccolomineus Provincialis Neapolitanæ, ſecundo P. Valentinus Mangionius: ex Germaniæ P. Odoardus Knottus Provincialis Angliæ, & P. Goſwinus Nickel Rector Duſſeldorpienſis: ex Galliæ P. Bartholomæus Jaquinotius & P. Stephanus Charlettus, ille novus, hic vetus Aſſiſtens: ex Hiſpaniæ P. Franciscus Aquado, & P. Petrus de Aviles, Provinciales Bæticæ: ex Luſitaniæ P. Nunius d' a Cunha novus Aſſiſtens, & P. Hieronymus Vogado Provincialis Luſitaniæ, ſinguli ad plura medietate ſuffragia, petitâ etiam ab abſentibus cauſa ægritudinis, & ſecundo ſcrutinio, præter P. de Aviles, qui electus eſt primo.

Dec. XXXII. *in* MS. *ſeſſ.* 96.

Poteſtas Definitorum.

ACtum deinde eſt de poteſtate illis danda. Et placuit dari plenam juxta Formulam, & Decreta quartæ Congregationis Generalis: ut ſcilicet omnis quæſtio a Congregatione illis commiſſa & omnis interceſſio (ſive una, ſive duæ fierent) ab illis terminarentur: iis exceptis, quæ pertinent ad Conſtitutiones & magna Collegia diſſolvenda.

Dec. XXXIII. *in* MS. *ſeſſ.* 97.

Declaratio validitatis cujusdam Profeſſionis.

ROgata Congregatio ut declararet: quid ſentiendum ſit de valore Profeſſionis alicujus: qui, cum ſibi conſcius eſſet ſe non impleviſſe trgeſimum tertium annum ætatis, id vel non interrogatus ultro non aperuit; vel interrogatus diſſimulavit. Cenſuit Profeſſionem quidem in utroque eventu fuiſſe ac fore validam: ejusmodi tamen defectus non debere a P. Noſtro impunitos dimitti.

Dec.

Dec. XXXIV. *in* MS. *ſeſſ.* 97.

ROgata ulterius ut declararet: An ſit valida Profeſſio emiſſa in manibus alicujus Prælati, cui honoris cauſa Provincialis id detulit, cum ipſe præſens eſſet, vel præſentes alios Profeſſos haberet.

Profeſſio in manibus Prælati externe invalida.

Iudicavit Congregatio, nullius eſſe valoris ob defectum poteſtatis in admittente: quia facultas Provincialibus delegata ex Generalium intentione non ſemel eorumdem reſponſis expreſſa non extenditur ad hunc caſum.

Dec. XXXV. *in* MS. *ſeſſ.* 99. & 103.

CVm eſſet poſtulatum, ut Congregatio declararet: An ætas quindecim annorum ad Probationem & ſeptemdecim ad Vota ſimplicia Societatis ita ſit neceſſaria, ut ſi quis absque diſpenſatione Generalis, ante completum decimum quintum ad Probationem, & decimum ſeptimum ad Vota admittatur; Probatio & Vota ſint irrita: poſt quæſtionem variis utrimque ſententiis ſapienter agitatam.

De ætate in admittendis ad Societatem & Vota ſimplicia.

Tandem longe major Patrum numerus in eam ivit ſententiam; ut Congregationis autoritate definiatur id, quod pluribus jam Generalium reſponſis declaratum fuit: Probationem inchoatam ante decimum quintum & Vota emiſſa ante decimum ſeptimum annos expletos, minime rata eſſe, nec ſufficere, ut vovens cenſeatur verè Religioſus.

Admiſſio in Societatem ſine diſpenſatione ante decimum quintum annum & emiſſio Votorum ante 17 annos expletos, invalida.

Et tamen cum aliquis Patrum interceſſiſſet, iterumque hac de re diu diſceptatum eſſet, abrogato præcedenti Decreto definitivo, conſtitutum eſt in poſterum, ut Provinciales ſine Generalis diſpenſatione non habeant facultatem admittendi ad probationem ante quindecim; nec ad Vota Societatis ante ſeptemdecim expletos annos: ita ut irritum ſit defectu poteſtatis, quicquid contra fuerit factum.

Provinciales non poſſunt admittere, nec concedere Vota, niſi quis expleverit annum 15 & 17. reſpective.

Dec. XXXVI. *in* MS. *ſeſſ* 104.

CVm aliqui Patres propoſuiſſent conſiderandum: Num indicenda eſſent ſuffragia pro Rege Catholico, eique nomine Congregationis agendæ gratiæ ob magnos ſumptus, quos fecit, facitque indies in Indicis Miſſionibus: Cenſuit Congregatio utrumque cumulate præſtandum.

Indicenda ſunt ſuffragia pro Rege Catholico.

Dec XXXVII. *in* MS. *ſeſſ.* 104. 128.

A Patribus Deputatis pro ſtudiis Superioribus plura relata ſunt: ex quibus, quæ proxime ſequuntur, Congregatio ipſa conſtituit.

Relata a Patribus Deputatis pro ſtudiis ſuperioribus.

De dando ſuffragio circa mediocritatem

1. Vt Examinatores ad Profeſſionem ſuo in ſuffragio explicent: An ſaltem mediocritatem attingant illi, qui non habent tantum doctrinæ, quantum neceſſarium eſt ad Profeſſionem quatuor Votorum, ut videant Superiores, num habenda ſit ratio aliorum talentorum.

De juramento circa aptitudinem legendi.

2. Quod dicitur in formula juramenti eorumdem Examinatorum de doctrina neceſſaria ad Philoſophiam ac Theologiam cum ſatisfactione docendam; intelligendum eſſe in iis locis, in quibus eſt idoneorum auditorum ac diſputantium concurſus.

De approbatis ad Profeſſionem & Theologiam.

3. Vt nemo deinceps cenſeatur habere doctrinam neceſſariam ad Profeſſionem quatuor Votorum, qui non tulerit quatuor Examinatorum tria ſuffragia clara & minime dubia. Totidemque reqvirantur, ut Auditores Theologiæ a ſecundo ad tertium, & a tertio ad quartum annum pergere poſſint. Nam, ut a primo ad ſecundum tranſeant, duo ſufficient.

Tria ſequentia a PP. Definitoribus decreta ſunt, & a Congregatione approbata.

De theſibus aſſignandis pro Profeſſione.

4. In examine ad Profeſſionem aſſignandæ ſunt Theſes a Superiore cum Præfecto ex Inſtructione 9. § 3. & præſcribendi quatuor menſes, ultra quos examen non differatur, tam iis, qui in quarto Theologiæ anno verſantur, quam ceteris qui poſt abſoluta ſtudia ante ingreſſum, aut poſt alias in Societate occupationes examen ſubeunt. Quod ſi intra præfinitum hoc tempus quatuor menſium non fiat examen; Concluſiones mutandæ erunt ab eodem Superiore cum Præfecto ſtudiorum. Singuli autem licet non neceſſario a ſingulis examinandi ſunt tam in Philoſophia, quam Theologia, quando de utraque Theſes habent.

5. Ad dubitationem: An Provinciales poſſint, inconſulto Generali, ſtatuere, ut Theologi in eo ſtudio progrediantur, quando mediocritatem Examinatorum judicio non ſuperarint, modo præclara in iis ad gubernandum aut concionandum talenta eluceant:

Provinciales ſtatuant circa Patres, qui judicio Examinatorum non ſuperant mediocritatem in Theologia.

Cenſuere PP. Definitores, Provinciales id poſſe cum iis, qui mediocritatem attigerint, & talenta ejusmodi præclara habuerint. Si autem alterum iſtorum deſit, non poſſe diſpenſare ex Decreto 33. Congregationis ſeptimæ. Itaque & de mediocritate doctrinæ conſtare debet judicio Examinatorum, & de excellentia talenti judicio Conſultorum & aliorum gravium

gravium virorum, quos in conſilium adhibere tenetur juxta §. 8. reg. 19. Provincialis in Ratione ſtudiorum.

6. Ad ſervandam per omnes Provincias uniformitatem in examine Metaphyſicorum PP. Definitores judicarunt quinque in poſterum de eorum doctrina judicium ferre debere juxta Rationem ſtudiorum: & tria ſuffragia neceſſaria fore, ut ad Theologiam Scholaſticam admittantur. *De ſuffragiis pro Metaphyſicis.*

Dec. XXXVIII. *in* MS. *ſeſſ.* 106. 107. 112.

EX iis, quæ ad profectum in Spiritu Deputati P.P. propoſuerunt, hæc cenſuit Congregatio. *De ſpiritus augmento.*

2. Commendandum P. Noſtro, ut quomodo judicaverit in Domino expedire per Provinciales urgeat executionem eorum, quæ de Spiritualibus exercitiis quotannis per octiduum obeundis conſtituta ſunt. *Provinciales promoveant exercitia ſpiritualia.*

2. Ne Superiores locales ab iis obeundis immunitatem dare poſſint: & ſoli Provinciales rationes audiant, quibus aliquis videatur excuſandus. *Superiores locales non poſſint in eis diſpenſare.*

3. De lectione Spirituali nihil quidem communi Decreto addendum ad illum quadrantem, quem Congregatio ſeptima illi pariter ac præparationi futuræ meditationis præfinivit. Ceterum ad Superiorum providentiam ſpectare eos dirigere, quibus non ſatis eo Decreto conſultum videatur. *De lectione ſpirituali.*

4. Vt ad fovendum in fratribus Coadjutoribus ſpiritum Orationis puncta matutinæ meditationis illis omnibus breviter dentur a Præfecto rerum Spiritualium, vel ab alio a Superioribus deſignato. *Puncta meditationis pro fratribus.*

Dec. XXXIX. *in* MS. *ſeſſ.* 106.

AD quæſitum illud: An ſit ferendum quod alicubi permittitur, ut aliqui degant in aliqua Domo vel Collegio hoc ſolo nomine, quod ſolvunt quantum neceſſe eſt ad ipſorum ſuſtentationem: cum interim excludantur alii digniores & utiliores. *Qui degunt in Collegiis, non ſolvant quod neceſſarium eſt pro ſua ſuſtentatione.*

Cenſuit Congregatio, hunc morem a P. Noſtro omnino corrigendum.

Dec. XL, *in* MS. *ſeſſ.* 113.

POſtulante P. Procuratore Groanæ Provinciæ, Congregationis autoritate decretum eſt, quod P. N. Mutius b. m. eidem Provinciæ jam con- *Judicium ferendum ab Examinatoribus linguarum Indicarum.*

conceſſerat: ut Examinatores de lingvis Indorum jurati ferant judicium de ipſarum peritia ſufficienti ad Profeſſionem.

Dec. XLI *in* MS. *ſeſſ.* 115.

Commutatio Legatorum.

AD poſtulatum: ut non liceat Superioribus, ſeu localibus, ſeu Provincialibus uti facultate commutandi legata, vel etiam a viventibus donata, de qua eſt mentio in Comp. Privil. Ver. Commutatio. §. 4. Reſpondit Congregatio, uſum ejus facultatis Generali reſervandum.

Dec. XLII. *in* MS. *ſeſſ.* 116.

Impedito electo eligit r alius, ultimo loco ſubſtituendus.

AD quæſtionem: An mortuo vel legitime impedito & declarato, durante Congregatione Provinciali, aliquo ex electis pro Congregatione Generali, eligendus ſit alius præter tres ſubſtitutos?

Cenſuit Congregatio eligendum alium poſtremo loco ſubſtituendum.

Dec. XLIII. *in* MS. *ſeſſ.* 116.

Triennium Superiorum localium.

DE altera quæſtione huic tempori quo ex nupero Summi Pontificis Brevi Præfecturæ certo temporis ſpatio definitæ ſunt, ſane opportunâ: Quando incipiat officium Rectoris vel Præpoſiti? cum hoc jure noſtro non ſit conſtitutum; jus vero commune hac parte non facile accommodetur Societatis uſui, qui etiam non ſatis conſtans hactenus fuit: ſtatuit Congregatio officium & autoritatem Superiorum localium atque adeo triennium Præfecturis definitum inchoari a die authenticæ renunciationis ipſorum in Collegio vel domo quibus præficiuntur: ſive ipſi præſentes ſint, ſive abſentes.

Dec. XLIV. *in* MS. *ſeſſ.* 121.

Petenda Confirmatio Privilegiorum a Sede Apoſtolica.

ROgata Congregatio, ut ſtatueret confirmationem Privilegiorum Societatis ſuo nomine per P. N. cum expedire judicaverit, a ſede Apoſtolica poſtulandam; id enixe P. Noſtro commendatum voluit.

Dec. XLV. *in* MS. *ſeſſ.* 121.

Præſcribenda forma pro informationibus.

ROgata iterum, ut P. Noſtro committeret, quod Congregatio Septima Decr. 99. commiſit Prædeceſſori de præſcribenda formula modoque inſtituendi Informationes; hoc ſimiliter voluit P. Noſtro commendatum.

Dec. XLVI. *in* MS *ſeſſ.* 125.

Vicarius poteſt dimittere Profeſſos & Formatos.

ROgata ulterius, ut cenſeret, num præſtaret, vacante Generalatu, Vicarium habere poteſtatem dimittendi e Societate Profeſſos, & Formatos:

tos: Cenſuit eſſe e re Societatis, ut Vicarius talem habeat poteſtatem, qua ex cauſis graviſſimis, & ad plura cum Aſſiſtentibus ſuffragia uti poſſit. Eamque proinde vi præſentis Decreti illi communicat.

Dec. XLVII. *in* MS. *ſeſſ.* 125.

CUm eſſet poſtulatum, ut Martyrologium deinceps non veſperi, ſed mane legeretur ad menſam, ut Sacerdotes tempori intelligant, quomodo ſit ordinandum Officium: ſtatuit Congregatio ita faciendum. *Martyrologium legatur mane.*

Dec. XLVIII. *in* MS. *ſeſſ.* 125.

PRopoſitum eſt Congregationi, ut cenſeret; Num Procurator Generalis in Congregatione Provinciali activum ſuffragium habere debeat ſupra numerum. Cenſuit, habere debere tale ſuffragium, & talimode. *Procurator Generalis ſupra numerum.*

Dec. XLIX. *in* M.S. *ſeſſ.* 125.

ROgata deinde, ut decerneret ſupplicandum ſuo nomine Summo Pontifici, ut juberet Sanctum Patrem Ignatium officio duplici coli in Eccleſia univerſa: decrevit ſupplicandum. *De officio duplici S. Patris Ignatii.*

Dec. L. *in* MS. *ſeſſ.* 126.

EXpoſuit Provincia Poloniæ noſtros, qui in eo regno verſantur, in ſuis miniſteriis impediri a quibusdam Epiſcopis; neque permitti, ut Immunitatibus & Privilegiis a Sede Apoſtolica Societati conceſſis utantur, ſicut in aliis Regnis. Et ſubinde poſtulavit, ut nomine Congregationis liceret Patri Noſtro agere cum Summo Pontifice ad hæc impedimenta, quantum fieri poterit, amolienda. Cenſuit Congregatio, annuendum poſtulato, atque hoc negotium Patri Noſtro commendandum. *Cum Summo Pontifice pro tuendis privilegiis.*

Dec. LI. *in* MS. *ſeſſ.* 126.

DEmum rogata Congregatio, ut in gratiam Miſſionum Indicarum, ex omnibus Superioribus Reſidentiarum, quas alicubi vocant Doctrinas, ei, qui primariam Provincialis judicio deſignandam adminiſtrat, liceret adeſſe Congregationi Provinciali; annuendum cenſuit: Et cum eadem gratia peteretur Superiori totius Miſſionis Hollandicæ, eandem ſimiliter conceſſit. Ita tamen, ut uterque ſupernumerarius ſit, quando jure antiquitatis intereſſe non poſſunt. *Superiores Reſidentiarum Miſſionum Indicarum & Hollandicæ in Congregatione Provinciali interveniant.*

Dec. LII. *in* MS. *ſeſſ.* 128.

Quæ ſequuntur Decreta a PP. Definitoribus confecta ſunt, & a Congregatione approbata.

Iudicati impediti, nec ad Congregationem Generalem, nec Provincialem, nec Procuratorum admitti poſſunt.

DVbitatum fuit : Quid cenſendum de iis, qui impediti ne venire poſſent ad Congregationem Generalem : poſtea, ceſſante impedimento, veniunt : licet Provincialis cum Subſtitutis in eorum locum diſceſſerit Romam?

Cenſuere Patres Definitores in caſu propoſito Provincialem cum ſuis Conſultoribus, qui aderunt, & ceteris omnibus præſentibus, qui in Congregatione Provinciali jus ſuffragii habent; ad plura ſuffragia judicare debere, an impedimentum ſit legitimum & an congruum tempus ſit ad hoc ipſum judicium ferendum, ut iter in urbem tempeſtive poſſit inſtitui: excluſo ſemper in hac deliberatione eo, de cujus impedimentis agitur, juxta Congregationis Provincialis Formulam §. 10. & in poſterum eo etiam, qui proxime ſubrogandus eſt, ſi prior ille impeditus cenſeatur. Cui judicio ſic facto acquieſcendum ita, ut iis, qui ea ratione judicantur impediti, nihil juris reliquum ſit ad Congregationem Generalem, aut Procuratorum : & eadem Formula §. 41. & 13. Quod de Congregatione etiam Provinciali intelligendum eſt: ut ſcilicet ii, qui prædicto modo cenſentur impediti, omni jure excidant ad eam accedendi: & ſi reipſa veniant, admitti non debeant.

Dec. LIII. *in* MS. *ſeſſ.* 128.

AD dubitationem: Vtrum Procuratores Indiarum, qui in Provinciis Luſitaniæ & Bœticæ commorantur, admittendi ſint ad Congregationem Provincialem pro Generali futura convocatam, ſi Profeſſi ſint, & in dictis Provinciis, ſi ex iis eſſent, ſuffragii jus haberent, & in ſuis itidem, ſi adeſſent.

Procuratores Indiarum in Luſitania & Bœtica quando admittendi in Congregatione Provinciali

Cenſuere PP. Definitores; Procuratores Indiarum eo ſolum nomine, quod Procuratores ſunt, ad Congregationem Provincialem in Provinciis Luſitaniæ & Bœticæ pro Generali futura convocatam, minime admittendos eſſe, juxta ſenſum Form. Cong. Provincialis, §. 5. At ſi contingat, Procuratores ejusmodi Profeſſos eſſe quatuor Votorum, & ratione antiquitatis habere jus ſuffragii in illis Provinciis, ſi ex iis eſſent, & in ſuis etiam, ſi adeſſent, admittendos ad Congregationem Provincialem etiam pro Generali futura coactam, ex ejusdem Formulæ §. 8. qui propterea cum quinto non pugnat.

Facultas Provincialium quoad contractus.

Dec. LIV. *in* MS. *ſeſſ.* 128.

PEtitum eſt, ut declararetur : An & qualem facultatem habeant Provinciales in ſuis Provinciis ex vi muneris faciendi contractus in bonum

Provin-

Provinciæ, vel Collegiorum, aut Reſidentiarum ſuarum.

Cenſuere PP. Definitores Provinciales facultatem habere faciendi contractus in bonum Provinciæ vel Collegiorum, aut Reſidentiarum in ſuis Provinciis: & ſic intelligendam Regul. Provincialis 9. At quamvis id valide poſſint, nullo tamen modo facere debere, contradicente, aut etiam inconſulto Superiore locali, niſi urgens neceſſitas contrarium ſuaderet: in quo caſu monere debebunt Generalem, quas ob cauſas id fecerint.

Dec. LV. *in* MS. *ſeſſ.* 128.

AD propoſitum, ut Pater Noſter adſciſcat loco Coadjutoris temporalis Sacerdotem, qui adſtet ad ejus januam pro admittendis iis, qui cum eo agere volunt. PP. Definitores cenſuerunt omnino rem hanc judicio ac voluntati Patris noſtri relinquendam. At, quoniam inſtitit, ut mentem ſuam Definitores aperirent; judicarunt, videri ſibi nullam eſſe cauſam, cur fieret iſta mutatio, quæ ſecum etiam aliqua afferre poſſet incommoda. Poſſe tamen Noſtrum, quoties viſum fuerit, uti opera Sacerdotis alicujus in iis, quæ opportunius tali perſonæ committenda judicaret.

Non eſt addendus Socius Sacerdos Patri Noſtro.

Dec. LVI. *in* MS. *ſeſſ.* 128.

AD obtinendum, ut Noſtri a negotiis ſecularibus etiam cognatorum & propinquorum abſtineant: Definitores cenſuerunt Provinciales, ſub cujusque loci viſitationem monere debere P. Noſtrum, ſi quemquam hujus culpæ reum deprehenderint: & quid in remedium pœnamque conſtituerint. Et rogandum, ut primo quoque tempore removeantur, quos hujusmodi negotiis implicitos eſſe conſtiterit.

De removendis noſtris a negotiis Secularibus.

Dec. LVII. *in* MS. *ſeſſ.* 128.

VIſum eſt Reviſoribus generalibus concedendum, ut in ſua ipſorum Provincia paſſivam vocem habeant in electione pro mittendis ad Congregationem Generalem. Quod idem a paritate rationis, dicendum eſt de Subſtitutis & aliis omnibus, qui Romæ toti Societati operam navant, & ex alia Provincia aſſumpti ſunt.

Reviſores & ſubſtituti Secretarii habent vocem paſſivam in ſuis Provinciis.

Dec. LVIII. *in* MS. *ſeſſ.* 128.

IS, qui ſine culpa & ſine ulla penitus cauſa e Societate expulſus eſt ita, ut invalida ſit dimiſſio, in priſtinum ſtatum absque Novitiatu reſtitui debet. Si autem valida dimiſſio ſit, & qui dimittitur ſolutus eſt Votis; non niſi poſt expletum biennium ad Vota admittendus eſt, quamvis in Probationibus diſpenſare cum illo poſſit Provincialis, juxta Ordinat. General. Cap. 1. §. 2.

De dimiſſis quando denuo admittuntur.

Dec.

Dec. LIX. *in* MS. *ſeſſ.* 128.

De eleemoſynis pro Collegiis.

QVod habetur Ordinat. General. Cap. 1. §. 14. Collegia, quæ poſſunt alere 12. Scholares, non poſſe admittere eleemoſynas; deſumptum eſt ex Conſtit. p. 4. cap. 2. § 6. ubi ſolum dicitur, ob populi ædificationem nec petendas eleemoſynas, nec illas, aut dona ulla admittenda: ad quem finem ædificationis Congregatio 3. Decr. 25. declaravit tam intelligentiam, quam praxim Conſtitutionis exigendam eſſe. Cui declarationi ſtandum eſt: nec cenſendum per Ordinationem obligationem aliam, quam ſimplicis Conſtitutionis, inductam.

Dec. LX. *in* MS. *ſeſſ.* 128.

pro remediis ſublevandæ Domorum & Collegiorum inopiæ, PP. Definitores approbarunt ſequentia.

1.

Numerus Sociorum deſignandus in quo libet Collegio juxta ſtatum temporalem.

VT numerus in poſterum admittendorum ab adm. R. P. N. determinetur, conſiderato cujusque Provinciæ ſtatu temporali. Imo, ut nulli in aliquibus Provinciis ad tempus admittantur, ſi id ſua Paternitas omnibus perpenſis expediens, aut neceſſarium fore judicabit.

Servetur Decretum 82. Congregationis Septimæ.

2. Vt ſervetur Decr. 82. Congr. 7. Ne Coadjutores quartam partem in Collegiis, in Domibus vero Profeſſis ne tertiam partem excedant: & potius adhibeantur famuli, quam præſcriptus ille numerus excedatur. Interim vero, donec ad hanc Regulam veniatur, nulli Coadjutores admittantur.

Provinciales habeant deſcriptum numerum Sociorum, qui ſupra vires Provinciæ aluntur.

3. Provincialis habeat numerum Sociorum, qui in ſua Provincia reperiuntur ſupra numerum eorum, qui ex reditibus, & ordinariis eleemoſynis ali poſſunt, ut ſupernumerarios iſtos per Collegia & Domos diſtribuere queat, proportione (quantum fieri poterit pro cujusque loci facultate) ſervata. Inprimis autem tentanda ſunt omnia, ut ne Seminaria, cum irreparabili Provinciarum damno, ruant in pejus. Juventur autem, quantum fieri poteſt, vel iis applicando Noſtrorum Legitimas, & alia Provincialis diſpoſitioni permiſſa; vel contributione aliorum Collegiorum, vel alia ratione, juxta Decr. 18. Congr. 6. Nominatim vero exonerentur, ſubmovendo perſonas ad propria eorum miniſteria abſolute non neceſſarias.

Redditio rationum per ſuperiores & Procuratores.

4. Superiores locales & Procuratores, quando ſuo ſinguli defunguntur officio, coram ſucceſſore & miniſtro Domus, aut Collegii rationem domeſticæ oeconomiæ reddant, & ſuo chirographo ſignent quantum acceperint, quantum Succeſſori rem tradant; atque hanc etiam

Succeſſor

Succeſſor ſua manu confirmet, juxta Ordinationem P. Mutii bo. me. ad Provincias transmiſſam 31. Martii 1640.

5. Poſtremo fiat hac de re Inſtructio adm. R. P. N. judicio comprobanda, & communicanda Provinciis, ut Congregatio hæc faciendum cenſuit. *Fiat inſtructio.*

DECRETA

Nonæ Congregationis Generalis.

CVm indicta fuiſſet Congregatio ad 8. Decembris, & nec dum Patres Provinciæ Toletanæ, Caſtellanæ ac Luſitanæ conſtituto die adveniſſent, ſicut nec Vice-Provincialis Angliæ; habita inter reliquos Patres conſultatione juxta §. 3. officii Vicarii Generalis, viſum eſt quatuor aliis diebus expectandum. Quare inchoata eſt tantum Congregatio die 13. Dec. an. 1649. *Prorogatio Congregationis.*

Dec. I. *in* MS. *Act.* 5.

DIe 21. Decemb. quæ fuit D. Thomæ Apoſtolo ſacra, cum eſſet plena & legitima Congregatio, quamvis adhuc PP. Luſitani & Vice-Provincialis Angliæ deſiderarentur, poſt expenſum rite integrum quatriduum in dandis & accipiendis informationibus, electus eſt in Præpoſitum Generalem P. Franciſcus Piccolomineus Provincialis Provinciæ Venetæ primo ſcrutinio, ac promulgatum Decretum à P. Florentio de Montmorency Aſſiſtente Germaniæ & defuncti Generalis Vicario in forma conſueta. *Electio Præpoſiti Generalis.*

Dec. II. *in* MS. *Act.* 8.

ABſentibus Patribus Luſitanis probavit Congregatio, quod P. Generalis propoſuerat, ut dilata Aſſiſtentis Luſitaniæ electione, procederetur ad electionem aliorum quatuor. Ideoque conſtituto ad capiendam informationem quatriduo, quod integrum eſſe debere judicatum eſt, ob intercurrentem Natalis Domini & ineuntis Anni Sancti celebritatem, Italiæ Aſſiſtens electus eſt P. Fabricius Banſus Provincialis Mediolanenſis, ſecundo ſcrutinio: Germaniæ P. Goswinus Nickel, primo ſcrutinio: Galliæ P. Franciſcus Annatus, idem qui proxime officio illo defunctus erat, ſecundo ſcrutinio; *Electio Aſſiſtentium quatuor, & Admonitoris.*

Hiſpaniæ P. Franciſcus de Montemayor, Provincialis Arragoniæ, primo ſcrutinio: omnes ad plura medietate ſuffragia. Qui ubi juramentum de more præſtiterunt; ad Congregationem vocati ſunt Secretarius Societatis, Procurator Generalis & Procurator Iaponiæ: itumque denuo in ſuffragia pro electione Admonitoris, & electus eſt ad plura medietate ſuffragia ſecundo ſcrutinio P. Io. Stephanus Menochius, qui jam defuncti Generalis Admonitor fuerat.

Dec. III. *in* MS. *Act.* 8. & 9.

Deputationes variæ.

VT facilior eſſet ac brevior tractandorum in Congregatione deciſio, varias Deputationes inſtitui placuit, relicta Patris Generalis arbitrio earum diſtinctione, ac Deputandorum electione, fueruntque eæ Deputationes numero ſeptem. 1. De Profectu in Spiritu. 2. De Inſtituto ac Formulis. 3. De Miſſionibus. 4. De Studiis. 5. De Paupertate. 6. De Detrimentis & executione. Vltimo, De Rebus temporalibus. Et in has Deputationes, paucis exceptis, qui aliis muneribus addicti erant, Patres omnes diſtributi ſunt.

Dec. IV. *in* MS. *Act.* 11.

Petenda moderatio in vacatione Superiorum.

PLurium Provinciarum Poſtulatum ac deſiderium fuit, nominatim Caſtellæ, Aquitaniæ, Neapolitanæ, Bohemiæ, Toletanæ, Aragoniæ, Auſtriæ & Rheni Inferioris, ut à Sanctiſſimo Domino noſtro Innocentio ea ſaltem decreti ab ipſo de Superiorum vacatione facti moderatio obtineatur: ut quod neceſſitas & aliorum Ordinum uſus exigit, nobis quoque liceat è Rectoribus ac Præpoſitis Provinciales conſtituere. Cui Poſtulato ad unum omnes nullo prorſus diſſentiente annuendum cenſuerunt, & Patri noſtro enixe commendaverunt, ut, prima data occaſione, eam Decreti moderationem non ſolum pro Provincialibus, ſed etiam pro Viſitatoribus à Sua Sanctitate totius Congregationis nomine poſtularet.

Dec. V. *in* MS. *Act.* 12. 27. & 38.

Contra Machinatores novarum Provincialium.

ROgata eſt Congregatio, ut fortiſſimis remediis occurreret paucorum factionibus, qui cum offenſione plurimorum, & emendicato Externorum auxilio, contra Superiorum voluntatem, novarum Provinciarum erectiones extorquere conantur. Cenſuit autem Congregatio, factioſos ejusmodi, quales in Poſtulato exprimuntur, eſſe Societatis per-

tur-

turbatores, eosque omnibus perturbatorum pœnis ſubjectos eſſe voluit, extendendo, in quantum opus eſſet, ad illos quæcumque in Superioribus Congregationibus adverſus Societatis perturbatores conſtituta fuere.

Cumque poſtmodum poſtulatum etiam fuiſſet, ut hoc Decretum ad eos quoque extenderetur, qui per ſimiles factiones legitimas Provinciarum diviſiones impedire conantur; ad iſtos quoque extendendum Congregatio decrevit. *Contra impedientes legitimas diviſiones.*

Dec. VI. *in* MS. *Act.* 13.

CVm poſtulatum eſſet à Congregatione Decretum, quo intelligerent omnes, deſperandum ſibi eſſe de Profeſſione quatuor Votorum, niſi ad præſtantem doctrinam parem virtutem adjunxerint; cenſuit Congregatio nullo ejusmodi Decreto opus eſſe, cum Conſtitutionibus & Pontificum Bullis, ea de re apertiſſime cautum ſit. In ordine tamen ad praxim, frequenter id eſſe Noſtris inculcandum, monendosque ſerio Informatores ad gradum, ut coram Deo in conficiendis Informationibus diſpiciant, num is, de quo agitur, ejus ſit virtutis, quæ mediocritatem excedat: idem vero etiam injungendum Provincialibus & Conſultoribus: atque ut de hoc capite nominatim privatis literis ad Patrem Noſtrum perſcribant. *Profeſſi ſuperent mediocritatem in virtute.*

De illo autem exceſſu, in quo conſiſtat, & unde dignoſci poſſit; probavit Congregatio judicium Deputatorum pro rebus Spiritualibus: qui explicandum cenſuere per analogiam ad ſimilem exceſſum in doctrina, juxta Decretum 44. M. S. Congregationis Septimæ: cenſendum nimirum excedere mediocritatem in virtute, qui regulariter, & ut plurimum in rebus, quæ occurrunt, operantur ſecundum exigentiam virtutis, ſperaturque idem facturos in difficilioribus, ſi quæ id exigeret occaſio: qui parvos defectus religioſe cavent: &, ſi quando labantur, reprehenſiones & pœnitentias libenter atque humiliter excipiunt & culpam emendant: qui in quotidiano virtutum exercitio Superioribus æque ac domeſticis ſatisfaciunt. Qui tales ſunt, eam virtutis menſuram attigiſſe, quæ ſufficiat ad Profeſſionem quatuor votorum: contrarium vero de iis ſentiendum, qui hunc perfectionis modum non attigerint. *In quo conſiſtat exceſſus ſupra mediocritatem in virtute.*

Dec. VII. *in* MS. *Act.* 13.

QVoniam jampridem à P. Claudio bo. me. commendatum erat, ut in ordinariis Sanctorum Litaniis, quæ quotidie ex pia conſuetudine recitantur, vel Ave maris ſtella, vel Salve Regina ſubjungeretur; Congregatio inductum hunc in Societate morem laudans atque *Vniformitas in cultu quotidiano Deiparæ.*

approbans, ad inducendam uniformitatem ſtatuit, ut ubique Ave maris ſtella, ſub tuum præſidium, & Oratio Defende quæſumus, quotidianis Sanctorum Litaniis adjungantur.

Dec. VIII. *in* MS. *Act.* 14.

Conferentiis Caſuum quinam debeant intereſſe.

QVoniam plerisque in locis & præſertim in Domibus Profeſſis conferentia Caſuum conſcientiæ languere videbatur, propter eorum multitudinem, qui ſe ab ea exemptos dicunt; petitum eſt à Congregatione, ut aliquo Decreto huic incommodo provideret. Non cenſuit tamen Congregatio ullum ea de re conſtituendum eſſe Decretum, ſed Patris Noſtri ordinationem poſſe abunde ſufficere: quæ inſiſtendo Regulis 13. 14. & 15. Provincialis in ratione ſtudiorum, itemque priorum Generalium Reſponſis declaret, præter eos, qui Theologiam ac Philoſophiam actu profitentur, & eos, quos Provincialis eximendos judicaverit, nullis aliis Sacerdotibus licere, vi Regulæ à Caſuum conferentiis abeſſe: in eximendis vero ſolius invaletudinis, vel gravis cauſæ habendam eſſe rationem.

Dec. IX. *in* MS. *Act.* 15.

De ſubrogandis pro abſentibus in Congr. Prov.

AD quæſtionem: quomodo intelligendum eſſet, quod in Formula Congregationis Provincialis §. 12. dicitur; poſt electionem neminem eſſe pro abſente ſubrogandum; Congregatio reſpondit, de completa electione, etiam Subſtitutorum, intelligi debere.

Dec. X. *in* MS. *Act* 15.

De renunciatione Authentica Superiorum.

DEcretum 43. ſeſſ. 116. M. S. Congregationis octavæ intelligendum eſt de ordinaria Superiorum renunciatione. In caſibus vero extraordinariis, cum res urget, & in loco, ubi præficiendus eſt Superior, fieri renunciatio non poteſt, ob impedimentum belli v. g. vel peſtilentia, decrevit Congregatio ſatis eſſe, ſi fiat in loco, ubi major pars ſubditorum fuerit: vel, ſi id etiam nequeat, in eo, quem Provincialis aptiorem judicaverit.

Quid agendum, ſi Provincialis fiat inutilis, intra Europam.

Dec. XI. *in* MS. *Act.* 16.

CVm quæſitum eſſet, ut Congregatio declararet, quid ſit faciendum, quando Provincialis propter ægritudinem, vel alia de cauſa inutilis ad gubernandam Provinciam redditus Vice-Provincialem conſtituere

aut

aut non vult, aut non poteſt; cenſuit, ſi omnium Conſultorum conſenſu, vel etiam trium (quarto ſcilicet excluſo, qui de jure ſuccedere deberet, ſi is Conſultor ſit) certo ac ſine dubitatione Provincialis ad munus exercendum factus incapax omnino judicetur in Provinciis Europæ remotioribus, hoc eſt, extra Italiam, & Inſulas Italiæ adjacentes conſtitutis; Provinciam regendam ab eo, cui, mortuo Provinciali, de jure id competit, donec à Patre noſtro reſponſum habeatur.

Quod ſi Conſultores Provinciæ, aut eorum aliqui, forte præſentes non adſint, ubi Provincialis tunc verſatur, ſinceram ad eos de ſtatu Provincialis informationem mittant Provincialis Socius & ejus loci Superior, in quo tunc Provincialis reperitur, ut ex ea Conſultores judicium ferant.

Dec. XII. *in* MS. *Act.* 17.

Occaſione ordinationis à P. Mutio bo. me. ad Provincias miſſæ 11. Junii 1639. quæſitum eſt, an præcepta Superiorum perſonis particularibus impoſita, mortuis aut amotis Superioribus durare deberent, donec à Succeſſore vel Superiore relaxentur. Re autem diligenter diſcuſſa, cenſuit Congregatio plurimum expedire, ut ejuſmodi præcepta perſeverent: monendos tamen Superiores, ne facile ac ſine magna cauſa talia præcepta imponant.

Præcepta Superiorum durant donec revocentur.

Cum vero unus de Patribus decreto interceſſiſſet; rogatis iterum ſuffragiis, longe majore eorum parte confirmatum eſt.

Dec. XIII. *in* MS. *Act.* 18.

Viſum eſt Congregationi declarandum, votum Profeſſorum denunciandi eos, qui ambiunt, obligare ad denunciandos etiam non Profeſſos ambientes: & ad hoc, in quantum opus eſſet, præſenti Decreto eam obligationem extendendam.

Profeſſi tenentur denunciare etiam non Profeſſos ambientes.

Sed, cum eſſet interceſſum contra hujusmodi extenſionem, rogatis iterum ſuffragiis, interceſſioni datum eſt, ut nulla fieret extenſionis expreſſio.

Cumque iterum interceſſum eſſet adverſus totum Decretum: longe major pars cenſuit, illud retinendum, debereque omnes, qui Profeſſionem emittunt, intelligere eam obligationem illo voto contineri.

Dec. XIV. *in* MS. *Act.* 18.

Vicarius in caſu mortis non nominet Vicarium.

OB varia, quæ oriri poſſent, incommoda Congregationi propoſitum fuit, num Vicario Generali præſcribendum eſſet, ut in omnem eventum mortis nominaret etiam ipſe alium Vicarium: ſed Patres in ea re nihil innovandum cenſuerunt.

Dec. XV. *in* MS. *Act.* 20.

Aſſiſtentes officio defuncti locum habent in Congr. Prov.

ÆQuum viſum eſt, ut Aſſiſtentes officio perfuncti in Congregationibus Provincialibus ſuæ Aſſiſtentiæ locum ſupra numerum habeant, ſi forte per antiquitatem non haberent: ſicut de Provincialibus in Formula dicitur.

Dec. XVI. *in* MS. *Act.* 21.

De ſupplendo loco Provincialis abſentis in Congr. Gener.

VIſum etiam, ut in Congregatione Generali, abſente ab initio, & ante electiones, quacunque ex cauſa, Provinciali aliquo, in ejus locum ſuccedat, & inter Provinciales ſedeat, qui de jure illi mortuo ſuccederet: ſervato tamen loco Provinciali, aut etiam alteri, ſive nominato ab ipſo, ſive de jure immediatius ſuccedenti, ſi poſtea advenerit.

Dec. XVII. *in* MS. *Act.* 24.

Scriptio ſuffragii aliena manu.

PEtitum eſt, an cœtus, aut quicumque alius, qui non niſi aliena manu ſuffragium ſcribere poteſt, habendus ſit legitime impeditus à Congregatione Provinciali. Et cenſuit Congregatio, hoc ſolo nomine quod quis ſuffragium non niſi aliena manu ſcribere poſſit, non debere nolentem excludi: at, ſi talis ſe excuſet, poſſe ejus excuſationem acceptari.

Dec. XVIII. *in* MS. *Act.* 24.

De Collegiis inchoatis.

QVæſitum fuit, quænam Domus cenſeri debeant inchoata Collegia, quorum Superiores jus habeant ad Congregationem Provincialem: declaravitque Congregatio eas tantum Domos Collegia inchoata cenſeri, quæ à Patre noſtro non tantum in ſpem futuri Collegii, ſed etiam, quamvis ad complementum multa deſint, acceptatæ ſunt in Collegium, & Superiores habent à Patre Noſtro aut de expreſſa ejus commiſſione conſtitutos, qui ſint, & in poſterum nominentur Rectores, vel etiam ſint horum Vice-Rectores: Superiores autem, qui à Provincialibus inſtitui poſſunt, & amoveri, & non ſunt Vice-Præpoſiti, aut Vice-Rectores, nullum habent jus ad Congregationem Provincialem.

Dec. XIX. *in* MS. *Act.* 26.

AD uniformitatem in omnibus Provinciis obſervandam ſtatutum eſt, ut in publicis ceremoniis, in Miſſis ac Veſperis, quando cantantur in noſtris Eccleſiis, in Sacramentorum adminiſtratione, & in aliis officiis Eccleſiaſticis ritus ubique Romanus obſervetur: ita ut nihil uſpiam, quod ritui Romano contrarium ſit, uſurpetur.

Nihil contrarium Ritui Romano uſpiam uſurpetur.

Dec. XX. *in* MS. *Act.* 26.

CVm poſtulatum eſſet, ut ſtatueretur, quid agendum, ſi forte in judicio de ambitu in Congregatione Provinciali reus appellaret ab ordinariis Iudicibus, aut eos tanquam ſuſpectos recuſaret; Congregatio approbans judicium Deputatorum cenſuit, quod de appellatione in Congregatione Generali §. 23. Formulæ dicitur acquieſcendum eſſe ſententiæ ſine appellatione, extendendum ad Congregationem Provincialem: ita tamen, ut ſi quis factam ſibi putet injuriam poſſit poſtmodum apud P. Generalem expoſtulare, cum Congregatio Provincialis juriſdictionem in eum non habeat.

De appellatione vel recuſatione in judicio de ambitu in Congr. Prov.

De recuſatione ſtatutum eſt, reum audiendum, accitis in recuſatorum locum totidem ex proxime antiquioribus Profeſſis: quibus ſi videatur juſtam cauſam recuſandi habuiſſe, ab iisdem in cauſa ambitus judicandum: ſin minus, rejecta recuſatione judicandum à Iudicibus in Formula deſignatis.

Dec. XXI. *in* MS. *Act.* 27.

VIſum eſt Congregationi ſuo Decreto firmare, quod jam uſu receptum eſt, ut in obitu eorum, qui officio Aſſiſtentis aliquando functi ſunt, præter ſuffragia ordinaria, tria Sacra & tres Coronæ in tota eorum Aſſiſtentia indicantur: per reliquam vero Societatem Sacrum unum, & una Corona: ſimiliter pro Secretario Generali per totam Societatem Sacrum unum, & una Corona recitetur: denique pro Provincialibus in iis Provinciis, quas gubernarunt unum Sacrum, & una Corona adjiciantur.

Suffragia extraordinaria pro Aſſiſt. Secret. & Provincialibus.

Dec.

Dec. XXII. *in* MS. *Act.* 22. & 34.

Negotia tractanda in Congr. Prov.

POſtulatum fuit, ut Congregatio explicaret, quæ & cujusmodi ſint illa negotia, de quibus in formula Congregationis Provincialis §. 48. dicitur tractari poſſe in Congregatione Provinciali. Sed id ſatis intelligi ex ipſa Formula, ac proinde nihil ea de re eſſe addendum Congregatio judicavit.

Dec. XXIII. *in* MS. *Act.* 34. 42.

Querimonia adverſus Profeſſores aliquos Philoſophiæ.

REIatæ ſunt aliquot Provinciarum querimoniæ adverſus Philoſophiæ Profeſſores, quod inutilibus quæſtionibus tempus terant, perturbato ordine materias tractent, nimiam ſibi opinandi licentiam aſſumant. Congregationis autem, juxta Deputatorum pro ſtudiis judicium, ſententia fuit ſufficienter incommodis hujusmodi proviſum in Ratione ſtudiorum per Regulas Præfecti ſtudiorum & Profeſſorum Philoſophiæ, neque aliud deſiderari, præter Provincialium & Rectorum vigilantiam: remque hanc totam Patri Noſtro plurimum commendavit: cujus etiam prudentiæ remiſit pleraque monita, quæ iidem Deputati ſuggeſſerant, quod nec ipſi judicaſſent à Congregatione decernenda.

Dec. XXIV. *in* MS. *Act.* 9. 34. & *ſeqq.*

De minuendo numero Præceptorum.

DEcem Provinciarum Poſtulatum fuit, ut numerus Præceptorum & Cenſurarum minueretur. Re autem diligenter à Deputatis pro detrimentis examinata, & eorum judicio Congregationi expoſito, cenſuerunt Patres præcepta toti Societati communia, quæ nempe ex Dec. 23. (in M.S. ſeſſ. 77.) Congregat. 8. typis mandata ſunt, abroganda non eſſe.

Idem judicium fuit de quatuor aliis non impreſſis. Quorum primo præceptum P. Claudii de doctrina circa delectationem veneream deliberate quæſitam extenditur ad deliberate admiſſam. Secundo vetatur, ne quis ulla ratione procuret impedire executionem Decreti de pileo Coadjutorum. Tertio, ne quis legat, aut retineat libros quosdam contra Societatem ſcriptos ſine licentia. Quarto, ne quis à die indictæ Congregationis Provincialis per ſe, vel per alium directe vel indirecte procuret, ut in Electorum, aut Subſtitutum pro Congregatione Genera-

nerali, aut in Procuratorem vel Subſtitutum pro Congregatione Procuratorum, ipſe vel alius includatur, aut alius excludatur, neque pro ſe ſuffragium ferat. Denique in Præcepto aliquibus Provinciis impoſito, de interceſſionibus externorum, quod pertinet ad illas non admittendas expungendum cenſuerunt; quod vero pertinet ad illas non procurandas, ita leniri voluerunt, ut omnes intelligant, de interceſſionibus tantum iis agi, quæ liberam Superioribus gubernationem non relinquunt.

Ex aliis Præceptis quarumdam Provinciarum propriis cum aliqua cenſuiſſent abroganda, quædam ad Patrem Noſtrum remittenda, quædam etiam relinquenda; declaravit Congregatio non eſſe intentionis ſuæ, ut Præceptis non abrogatis ullum novum robur ex eo accedat, quod ab ipſa abrogata non fuerint.

Dec. XXV. in MS. Act. 37.

QVoniam variis Decretis ſancita eſt pœna in perturbatores Societatis, rogata eſt Congregatio, ut, quinam cenſendi eſſent tales, declararet. Et in particulari, An qui audacter contra Inſtitutum, Conſtitutiones & Decreta obloquuntur, pro perturbatoribus habendi eſſent. Qua in re judicium Deputatorum pro Inſtituto à Congregatione probatum fuit: videlicet perturbatores Societatis ſine dubio eſſe, qui in Decretis indicantur, præſertim 90. M. S. Congregationis V. & 14. M. S. Congregationis VI. quique à Paulo V. deſcribuntur in Bulla *Quantum Religio*: his vero adnumerandos eſſe, qui libellis ſcriptis aut impreſſis Societatem, ejusque vivendi aut gubernandi modum, aut Superiores traducunt: quippe ita palam, ac paſſim de Inſtituto obloquuntur, ut cenſeri poſſint velle alios in ſuam ſententiam pertrahere. *Quinam cenſendi Perturbatores Societatis.*

Cum autem ulterius quæſitum eſſet, quænam forma probationis requireretur ac ſufficeret, ut quis damnari poſſet pœnis contra perturbatores impoſitis; cenſuit Congregatio ſatis eſſe, ſi de crimine certo conſtet, juxta morem Societatis in Conſtitutionibus, & in Pontificum Bullis approbatum.

Dec. XXVI. *in* MS. *Act.* 38.

Executio urgenda.

CVm à Congregatione poſtulatum eſſet remedium efficax ad executionem urgendam, judicium Deputatorum pro detrimentis & executione ab eadem Congregatione approbatum fuit: remedium ex nova Ordinatione petendum non eſſe, ac proinde ſupereſſe tantum, ut P. Generalis, quod ab ipſo ſperant univerſi, viros ſelectos & diſciplinæ ſtudioſos Collegiorum & Provinciarum gubernationi præficiat, illosque ſua autoritate foveat ac defendat: remiſſos gravi pœnitentia correctos, & ante triennii finem, ſi opus eſt, exauctoratos in ordinem redigat. Idque Congregatio Patri Noſtro commendatiſſimum eſſe voluit.

Dec. XXVII. *in* MS. *Act.* 39.

Fugitivi incurrunt excomm. ipſo facto.

QVorumdam fugitivorum occaſione rogata Congregatio eſt, ut valido aliquo remedio huic malo occurreret. Re autem mature ac diligenter conſiderata, fugitivos noſtræ Societatis ipſo facto excommunicatos eſſe Congregatio voluit & decrevit.

Dec. XXVIII. *in* MS. *Act.* 39. & 40.

De jure Viſitatoris ad Congr. Prov.

REelatum eſt probatumque judicium Deputatorum pro Inſtituto & Formulis de jure Viſitatorum, quorum munus expiravit per mortem Generalis, ad Congregationem Provincialem: videlicet, ratione officii nullum jus ad Congregationem Provincialem Viſitatori competere ſecluſa Profeſſionis antiquitate: ac proinde optionem illam, de qua in Formula §. 4. antiquitatem Profeſſionis ſupponere. Et quidem, ut ingrediatur in alienam, quam viſitavit, debebit tum in illa, tum in ſua antiquitatem habere, ut in eadem Formula §. 8. de Profeſſis aliarum Provinciarum dicitur. Poſita autem Profeſſionis antiquitate, ſi velit ingredi Congregationem in aliena Provincia, quam viſitabat, ingredietur ſupra numerum: ſi redeat ad ſuam & in ea ſaltem Profeſſionis antiquitatem habuerit, intra numerum ingredietur.

Cum autem adverſus hoc Decretum aliqui Patres interceſſiſſent; auditis interceſſorum rationibus, rogatiſque denuo Patrum ſententiis, Decretum plusquam duabus tertiis ſuffragiorum partibus confirmatum eſt.

Dec.

Dec. XXIX. *in* MS. *Act.* 41.

MOta de Principum Confeſſariis quæſtione: An, & qua ratione admitti deberent ad Congregationem Provincialem in aliena Provincia, in qua tam Principes, quam ipſi ordinarie, aut ad longum tempus degunt? cenſuit Congregatio, rem hanc totam ex talium Confeſſariorum ad eam Provinciam, in qua Principes ordinarie degunt, applicatione pendere: ideoque in Formula nihil horum Confeſſariorum occaſione eſſe immutandum.

De Confeſſariis Principum in aliena Provincia.

Dec. XXX. *in* MS. *Act.* 44.

CVm propoſitum eſſet à P. N. Generali, placeretne Congregationi declarare per Societatem nullo modo ſtare, quo minus ab ipſa dimiſſi poſt vota ſimplicia ad officia & beneficia quæcumque admittantur; Patres ſummo conſenſu omnes ſtatuerunt, nec eſſe, nec fuiſſe, nec fore unquam ad mentem Societatis, ut dimiſſi hujusmodi impediantur, quominus officia vel beneficia conſequi poſſint, ſi alia quapiam ex cauſa indigni non ſint: id enim à nobis exigere, quod Conſtitutionum par. 2. cap. 3. §. 5. & ſeqq. circa dimittendos commendatur.

De dimiſſis ex Societate.

Dec. XXXI. *in* MS. *Act.* 44.

DEputatorum pro ſtudiis relatum eſt reſponſum ad Poſtulatum, quo remedium petebatur adverſus quosdam Theologiæ Profeſſores, qui, omiſſis utilibus & magis neceſſariis quæſtionibus, minus utiles minusque neceſſarias ſectantur: videlicet: remedium non aliunde accerſendum, quam à diligenti eorum obſervatione; quæ Ratio Studiorum præſcribit: ac proinde nullum ea de re novum Decretum eſſe ſtatuendum; quædam tamen in ordine ad executionem commendari poſſe à N. P. Generali, quorum præcipua capita ſuggeſſerunt. Et hoc totum judicium Congregatio probavit.

Querela adverſus quosdam Theologiæ Profeſſores.

Dec. XXXII. *in* MS. *Act.* 44. 45.

AD promovenda humaniorum literarum & linguarum præſertim ſtudia cenſuerunt iidem Deputati, præter ea, quæ hactenus in favorem horum ſtudiorum ſtatuta ſunt, decerni etiam poſſe, ut auditores Theologiæ, qui ſub finem quarti anni mediocriter in Theologia profeciſſe

Periti linguarum proponantur ad profeſſionem quatuor votorum.

 inve-

invenientur, proponi poſſint Patri Generali ad Profeſſionem quatuor votorum promovendi, ſi compertum ſit judicio Provincialis & Conſultorum excellere illos in cognitione linguæ Græcæ, cum ſufficienti notitia Hebraicæ: ſumto (ubi minus id conſtaret) accurato & non perfunctorio ea de re experimento, ſi illi, quorum intererit, illud ſubire voluerint. Quod judicium Congregatio probavit, & Decretum 29. M. S. Congregationis VI. in favorem humaniorum literarum ad iſtos extendit.

Dec. XXXIII. *in* MS. *Act.* 46. 47.

Declaratio muneris ordinarii.

MVnus ordinarium, quo Congregatio VII. Decreto 72. M. S. ait applicationem fieri alicui Provinciæ, Congregatio probans judicium Deputatorum cenſuit eſſe munus quodcumque fixum & ſtabile ad eam Provinciam, de qua agitur, proprie pertinens: & quidem à Patre Noſtro impoſitum, ſive ad definitum tempus, ut eſt munus Provincialis, Præpoſiti, Rectoris; ſive indefinitum, quale eſt Lectorum Theologiæ, S. Scripturæ, Procuratoris &c. Ceterum inſuper declaravit, abſoluto munere, quod de jure vel conſuetudine præfixum terminum habet, quale eſt Provincialis, Rectoris &c. applicationem ceſſare: in ceteris, quibus præfixus non eſt terminus, applicationem durare, donec de perſonis ea ratione applicatis fuerit aliter à Patre Noſtro conſtitutum.

Dec. XXXIV. *in* MS. *Act.* 47.

De eligentibus Vicarium.

CIrca formulam eligendi Vicarium Generalem §. 1. cenſuit Congregatio: Primo, Nomine Profeſſorum, qui apud Generalem fuerint, intelligi eos, qui fuerint in eadem Vrbe. Secundo, Aſſiſtentibus, ſi præſentes fuerint, jus competere ad electionem Vicarii, etiam ſecluſa Profeſſionis antiquitate. Cum autem unus interceſſiſſet contra ſecundam partem hujus Decreti, quatenus ſupponebat jus illud jam eſſe acquiſitum Aſſiſtentibus; rogatis iterum ſententiis, Decretum confirmatum eſt, explicatumque intelligendum eſſe de jure intra numerum præfixum à Formula.

Dec. XXXV. *in* MS. *Act.* 48.

V. Præpoſiti & V. Rectores non ſuccedunt Provinciali morienti.

QVod circa Decretum 67. M. S. Congregationis IV. declaraverat P. Vincentius Carrafa, nempe neque Vice-Præpoſitis, neque Vice-Rectoribus jus eſſe ſuccedendi in locum Provincialis demortui; Congregatio judicium Deputatorum pro Inſtituto ſecuta ſua auctoritate confirmavit.

Dec.

Dec. XXXVI. *in* MS. *Act.* 49. 52.

ROgata fuit Congregatio, ut diſpiceret, num Procuratoribus Indiarum præſcribendus eſſet aliquis terminus, quo adveniente eorum officium expiret, careantque omni jure ſpectante ad illud. Cenſuit autem Congregatio nullum talem terminum illis eſſe præſcribendum: ſed, ſi ex conſenſu Patris Noſtri permittantur ſubſiſtere in Europa, quamdiu ſubſtiterint, tamdiu eorum officium, & jus, quod habent ad Congregationem Generalem, illis conſeſſum permanere, etiam ad plures Congregationes, niſi forte alius ejusdem Provinciæ Procurator advenerit: eo enim in caſu Congregatio cenſuit priorem Procuratorem debere locum cedere poſteriori. Sed cum adverſus ultimam hanc Decreti partem interceſſum eſſet, quatenus per adventum alterius Procuratoris prior non ſolum ab officio, ſed etiam ab omni alio jure ipſi conjuncto excludi videbatur, obtinuit interceſſio, ut ſtatueretur ſolum adveniente alio Procuratore, prioris Procurationem ceſſare, & omne jus, quod illi competit, ut Procurator eſt, abſtrahendo ab omni alio jure, ſi quod habet.

De Procuratoribus Indiarum.

Dec. XXXVII. *in* MS. *Act.* 49.

PRobavit Congregatio judicium Deputatorum pro Inſtituto & Formulis, ut numerus quatuor Informatorum tam ad gradum, quam ad gubernandum retineatur: & ut ex uno aut altero loco Formulæ tollatur, quod de accepta à quinque vel ſex Patribus informatione habetur.

Numerus Informantium ad gradum vel gubern.

Dec. XXXVIII. *in* MS. *Act.* 53.

AVdita ac diligenter examinata informatione circa Poſtulatum Provinciæ Toletanæ de diſſolvenda Domo Profeſſa Toletana; cenſuit Congregatio Poſtulato eſſe annuendum, & ut Patris Noſtri judicio vel Collegio Toletano adnectatur, vel in ſecundum Collegium convertatur.

Domus Prof. Toletana diſſolvenda.

Dec. XXXIX. *in* MS. *Act.* 54.

REtulerunt Deputati pro Inſtituto judicium ſuum de quibusdam examinis & Conſtitutionum locis, quibus male intellectis impugnatores Societatis abutuntur, & quæ majoris declarationis gratia ad eos remiſſa fuerant: quorum judicium in omnibus Congregatio probavit. Illa vero loca ſunt, quæ ſequuntur:

Explicatio locorum aliquot in Conſtitutionibus.

§. 1. Primus locus eſt Examinis cap. 4. §. 41. ubi dicitur: *Si & ipſe & Societas, vel Superior Domus, contenti fuerint, in corpus Societatis admitti poterit.* Manifeſtum eſt ex contextu ibi ſermonem eſſe de primis votis, quæcunque illa ſint, ſive Scholaſticorum, ſive Coadjutorum formatorum, ſive Profeſſionis, quæ initio Societatis ſæpe fiebant exactis duobus probationis annis: ut mirum non ſit, ſi ea votorum emiſſio tam voventi, quam Societati libera eſſe dicatur.

§. 2. Secundus locus eſt ex cap. 6. Examinis §. 8. *Coadjutores tam Spirituales, quam temporales, exacto biennio, quod experimentis & probationibus datur, & uno adhuc anno, ſi Scholaſtici fuerint, (ut prius eſt declaratum) ſi velint in Societate manere, & ipſa, vel Superior ejus contentus fuerit; oblationem ſuam trium votorum faciunt, &c.* Hic locus ita intelligendus eſt, ut per illas voces (*ſi velint*) conditio & diſpoſitio neceſſaria ſignificetur, quam ab ipſis Societas exigit, ut illos ad ulteriora vota admittat. Non quod ipſis liberum & licitum ſit nolle, (ſi jam prima vota poſt probationem emiſerint) ſed quod, ſi nolint aut repugnent, non debeat illos Societas ad ulteriorem gradum promovere, ſed vel expectare diutius, donec melius diſpoſiti ſint, vel, ſi ita judicaverit, illos à ſe dimittere.

§. 3. Tertius locus eſt ex cap. 7. Examinis §. 1. *Libera tamen manebit Societas, nec tenebitur ad eos admittendos ad Profesſionem, nec in Coadjutores formatos, & tunc ipſi etiam ſuis votis ſoluti erunt.* Senſus hujus loci non eſt, iſtos ſola non admiſſione ad gradum ulteriorem ſuis votis exſolvi, ut ſatis patet ex pluribus Examinis, Conſtitutionum & Bullarum locis, ſed, quia Societas, quos judicat non eſſe unquam admittendos ad Profeſſionem vel vota Coadjutorum formatorum, dimittit; per dimiſſionem, non vero per non admiſſionem illi ſuis votis ſoluti dicuntur.

§. 4. Quartus locus eſt in eodem cap. §. 8. ubi de Scholaſticis poſt abſoluta ſtudia dicitur: *Examinantur particulatim iisdem interrogationibus, & examine, quo prius, quam ad ſtudia mitterentur, interrogati ſunt, ut plenius ſtabilitas, vel etiam mutatio, ſi accidiſſet, cognoſcatur.* Putatur autem his verbis alludi ad cap. 3. Examinis §. 14. ubi interrogatur, qui admit-

admitti poſtulat: *Num deliberatum habeat animi propoſitum, vivendi & moriendi in Domino cum hac, & in hac Societate* IESV; quaſi perinde liberum ſit Scholaſtico poſt ſtudia & priora vota recedere, atque ante emiſſa priora illa vota. Intelligendus eſt autem eodem plane modo hic locus, quo de ſecundo dictum eſt: hæc enim interrogatio aliò non ſpectat, niſi ut Societati conſtet, num hic Scholaſticus eam in ſua Vocatione firmitatem retineat, quæ ut conditio neceſſaria exigitur, ut ad ulteriora vota admittatur.

Quintus locus petitur ex Par. 5. Conſt. c. 4. §. 3. *ubi dicitur de votis Scholaſticorum, ea in cujuſquam manibus non emitti.* Et ibidem lit. D. *ea vota, ut ſoli Deo offeruntur, ita neminem ea admittere &c.* Verum hoc loco ideo dicuntur vota Scholaſticorum ſoli Deo offerri, & non homini, & in nullius manibus emitti, atque à nemine admitti; quia in illorum Formula nulla fit hominis mentio, ſed ad ſolum Deum tota promiſſio dirigitur. Non tamen inde ſequitur, Scholaſticos edentes vota illa in Societatem ipſam non admitti ſeu non incorporari, nec ei obſtringi: uti patet ex titulo ejuſdem capitis, qui eſt: *De admittendis Coadjutoribus formatis & Scholaſticis:* & ex titulo totius illius partis, qui eſt: *De iis, quæ ad admittendum in Corpus Societatis pertinent:* & mox ex cap. 1. §. 1. ubi dicuntur Scholaſtici approbati *cooptari in corpus Societatis* aliisque locis Conſtitutionum. Præterea ex Bulla Gregorii XIII. quæ incipit: *Aſcendente Domino*, ubi dicuntur ſimiliter Scholaſtici *cooptari in Corpus Societatis, eique ex parte ipſorum perpetuo obligati eſſe &c. Societati per ea ipſa vota ſe dedicare atque actu tradere &c. Societatem in eos ex vi votorum jus acquirere:* & ſimilia. §. 5.

Dec. XL. *in* MS. *Act.* 55. & 56.

PRopter difficultates, quæ ob locorum diſtantiam oriri poſſent in Indiis, ſi contingeret, aut morbo, aut alio caſu Provincialis, aut Viſitator ita redditus eſſet incapax ad officii munus exercendum, ut Succeſſorem declarare aut non poſſet, aut non vellet; Congregatio Deputatorum pro Miſſionibus judicium approbans, quæ ſequuntur, conſtituit. *Quid agendum, ſi Provincialis vel Viſitator in Indiis fiat inutilis.*

1. Vt ſi de Provinciali agatur, & ea Provincia Viſitatorem habuerit; ille, auditis Conſultoribus, de tota re judicet, & de Succeſſore, via in illis partibus ordinaria, provideat. §. 1.

2. Si

§. 2. 2. Si nullus eſſet Viſitator aut ſi Viſitator ipſe redditus eſſet inutilis ad officium exercendum; ad utrumque hunc caſum extendatur Decretum hujus Congregationis in ſimili caſu factum pro Provinciis Europæ ab Vrbe remotioribus: augendo tamen pro Indiis numerum eorum, qui de impedimento judicare debebunt, usque ad ſeptenarium: in quo ſeptenario (ſi de Provinciali agatur) erunt Conſultores Provinciæ & ex antiquioribus Profeſſis præſentibus, aut vicinioribus tot alii; quot ad explendum ſeptenarium neceſſarii erunt: quos omnes Socius Provincialis, ſi præſens aderit, aut eo abſente, Profeſſorum præſentium antiquior monere debebit: & ex ſeptem illis quinque ſaltem Provincialem prorſus eſſe inutilem judicare debebunt, antequam de Succeſſore cogitent.

§. 3. 3. Si de Viſitatore ageretur, Provincialis ejus Provinciæ, in qua tunc Viſitator fuerit, intra numerum ſeptenarium continebitur (niſi forte longiſſime abeſſet, & periculum eſſet in mora) eritque Provincialis monere ceteros: non habebit tamen in eo judicio niſi ſuum ſuffragium, ut ceteri. Et, ſi quinque judicent Viſitatorem factum eſſe prorſus ad ſuum munus exercendum inutilem, & ille duarum ad plurium Provinciarum Viſitator fuerit, tenebuntur huic judicio Provinciæ omnes acquieſcere.

§. 4. 4. Si Provincialis aut Viſitator quinque minimum ſuffragiis (ut dictum eſt) judicatus fuerit ad munus exercendum factus inutilis; Iudices aperiant literas ſequentis gubernationis & ſuccedat, qui in illis nominatus fuerit: ſi vero nullæ forte tales literæ haberentur; tunc munus Viſitatoris (ſi de illo agitur) ceſſet omnino: ſi autem de Provinciali agatur Decretum 67. M. S. Congregationis IV. pro Europa factum, in hoc caſu ad Indias extendatur, & ſuccedat, qui de jure ſuccedere debebit.

Dec. XLI. *in* MS. *Act.* 56.

De inſtructione pro adminiſtratione rerum temporalium.

CVm propoſitum eſſet Congregationi, placeretne confirmare, aut certe probare Inſtructionem pro rerum temporalium adminiſtratione, ex Decreto 60. in M. S. ſeſſ. 128. Congregationis VIII. confectam; Placuit, (quod etiam Deputatis pro rebus temporalibus viſum eſt) eam, ut meram Inſtructionem, probare, manentibus tamen in ſua vi Decretis, Ordinationibus & Regulis, quæ in ea referuntur, aut citantur. Placuit tamen etiam majori parti, ut, quod pro Rectore §. 5. de mutuo dicitur, ex Inſtructione tollatur.

Dec.

Dec. XLII. *in* MS. *Act.* 57.

AD inducendam in Aſſiſtentiis omnibus uniformitatem, & inter eos, qui ad Profeſſionem quatuor votorum proponuntur, quandam æqualitatem; viſum eſt ordinaria & communi Aſſiſtentiis omnibus lege ſervandam à Provincialibus eſſe hanc regulam: ut eos, qui ſtudia omnia ante ingreſſum in Societatem abſolverunt, ad Profeſſionem quatuor votorum, neque ante decimum annum currentem proponant, neque ulterius etiam eos differant: eos autem, qui ſtudia omnia in Societate perfecerunt, neque ante decimum ſeptimum annum currentem proponant, neque ulterius item eos proponere differant: reliquos denique, qui ſtudia Philoſophiæ aut Theologiæ partim ante ingreſſum in Societatem, partim in ipſa Societate decurrerint, intra duos prædictos terminos, citius aut tardius, proponant, pro ratione annorum integrorum, quibus ante ingreſſum illis ſtudiis operam dederint.

De tempore proponendi ad Profeſſionem quatuor votorum.

Dec. XLIII. *in* MS. *Act.* 59.

QVoniam modus loquendi, quo uſa eſt Congregatio V. Decreto 67. MS. dubium aliquibus injeciſſe dicebatur; An caſus, qui in Decreto Clementis VIII enumerantur, reſervati eſſent in Societate; Declaravit Congregatio tales omnes caſus eſſe, & fuiſſe ſemper ex illo tempore in Societate reſervatos: & ad tollendam omnis dubitationis occaſionem, modum illum loquendi, tum in Decreto illo 67. MS. Congregationis V. tum in titulo *de caſibus in Societate reſervatis* uſurpatum, immutandum eſſe atque emendandum; ut ubi in Decreto 67. MS. dicitur (præter reſervatos) ponatur (reſervati permiſſos) in titulo vero, *de caſibus in Societate reſervatis*, ubi dicitur (omnibus Regularibus reſervantur) ponatur reſervari permittuntur.

De caſibus reſervatis in Decreto Clementis VIII.

Cum à Patre Noſtro propoſitum fuiſſet, num in locum P. Nicolai Zucchii de Congregationis conſenſu abſentis vocandus eſſet primus Subſtitutus Romæ exiſtens P. Fabius Albergatus Rector Collegii Romani eo, quod inſtaret electio Aſſiſtentis Luſitaniæ, re in deliberationem adducta, major pars cenſuit, prædictum Subſtitutum in locum P. Nicolai Zucchii advocari debere.

Subrogatus in locum abſentis ad electionem Aſſiſtentis.

Dec. XLIV. *in* MS. *Act.* 61.

CVm ante finem Congregationis, Patres Luſitani tandem adveniſſent, indicto capiendis informationibus quatriduo, ultima die illius quatridui, mane, ad plura medietate ſuffragia electus eſt Aſſiſtens Luſitaniæ P. Ludovicus

Electio Aſſiſtentis Luſitaniæ.

vicus Brandanus primo ſcrutinio, qui ſtatim conſuetum in ea re juramentum ex Formulæ præſcripto præſtitit.

DECRETA
Decimæ Congregationis generalis.

Dilatum initium Congregationis.

VLtimo die Anni 1651. in quem indicta fuerat Congregatio ad eligendum novum Præpoſitum Generalem in locum P. Franciſci Piccolominei 17. Iunii vita functi; cum P.P. Electores, qui convenerant, duas tertias longe ſuperarent; conſultationem cum iis habuit Vicarius Generalis P. Goswinus Nickel, an eſſent expectandi qui brevi ſperabantur affuturi Patres quinque Provinciarum, Caſtellanæ, Bæticæ, Toletanæ, Poloniæ & Bohemiæ (nam de Luſitanis nulla ſpes erat) & viſum eſt pluribus expectandum, differendumque Congregationis initium in diem 7. Ianuarii An. 1652. quo dicti Patres, nonnullis exceptis, omnes adfuerunt: prorogatum eſt tamen tempus electionis in diem 21. propter aliqua, quæ prius diſcutere ac definire neceſſe fuit in ordine ad electionem.

Dec. I. *in* MS. *Act.* 10.

Electio Generalis.

DIe igitur 21. Ianuarii, qui fuit Dominicus & S. Agneti ſacer, omnibus, quæ formula præſcribit, rite ſervatis, ad plura medietate ſuffragia electus eſt Præpoſitus Generalis R. P. Alexander Gottifridus, Provincialis Provinciæ Romanæ: confecto promulgatoque de more ſuper ea re decreto, à P. Vicario.

Dec. II. *in* MS. *Act.* 13. 14. 15.

Adminiſtratio bonorum.

CVm expoſitum fuiſſet Congregationi, multa committi, paupertati noſtræ non ſatis conſentanea, in adminiſtratione bonorum, antequam noſtri ſe iis abdicent; cenſuit Congregatio Patri noſtro impenſe commendandam, prout etiam commendavit executionem Decreti 17. Congregationis 7. circa renunciationem bonorum à noſtris faciendam, poſt vota Religionis ſimplicia: maxime vero illud, ne cuiquam permittatur ſuorum bonorum adminiſtratio vel liber uſus, etiam eo tempore, quo Dominium retinet: Commendavit inſuper, ut renunciationis formulam recognoſci curet, iiſque verbis concipi, ut quantum fieri poſſet artificia vel effugia nulla proſint eludere volentibus obſervationem eorum, quæ Societas tam ſtudioſe, tamque ſollicite ſibi cordi eſſe ſemper demonſtravit.

Dec.

Dec. III. *in* MS. *Act.* 16.

QVod dicitur in formula Congregationis Provincialis §. 7. electos, ex iis qui in Congregatione locum non habuerunt, poſt electiones peractas, vocandos, ſi commode fieri poterit, ut Congregationi deinceps ad negotiorum tractationem interſint; cenſuit Congregatio intelligendum etiam de Subſtitutis.

Subſtituti in Congregatione Provinciali.

Dec. IV. *in* MS. *Act.* 17. & 18.

CVm ob varia, quæ enumerata fuere, incommoda petitum eſſet, ut Congregatio tempus cogendæ, ad electionem novi Generalis, Congregationi aſſignatum in 8. p. Conſt. c. 5. §. 2. prorogaret; Cenſuit hæc, per Conſtitutionem ſufficienter proviſum, cum prorogationem permittat; ſi forte neceſſitas eam poſtulaverit: hujus tamen neceſſitatis examen, Vicario & Aſſiſtentibus pro tempore futuris, ita commendandum eſſe; ut in dubio, potius in partem affirmantem inclinent; quod & fecit.

Tempus cogendæ Congreg. Gener.

Dec. V. *in* MS. *Act.* 20. 21.

VLtimo die quatridui ad electionem Aſſiſtentium indicti, qui fuit Februarii primus, electus eſt tertio ſcrutinio Aſſiſtens Italiæ P. Ioannes Aloyſius Canfalonerius, Rector Collegii Mediolanenſis: Germaniæ primo ſcrutinio is, qui proxime officio defunctus fuerat, P. Goſwinus Nickel: Galliæ, ſecundo ſcrutinio P. Petrus Caſtæus, Provincialis Campaniæ: Hiſpaniæ, primo ſcrutinio, P. Alphonſus Jannez, Provincialis Toletanæ: omnes ad plura medietate ſuffragia. Abſentibus Patribus Luſitanæ Provinciæ electionem proprii Aſſiſtentis, Congregatio remiſit ad P. Noſtrum eo modo faciendam, quo extra Congregationem ſubſtituuntur Aſſiſtentes in locum demortuorum. Præſtito de more ab electis juramento, vocati ſunt Secretarius Societatis, & Procuratores, qui jus habent ex formula ad electionem Admonitoris, & electus eſt primo ſcrutinio ad plura medietate ſuffragia P. Valentinus Mangionus.

Electio quatuor Aſſiſt. & Admonitoris.

Dec. VI. *in* MS. *Act.* 23. 24.

PEtentibus aliquibus Provinciis deliberatum eſt; an qui ſuffragium ferunt de ſcholaſticis noſtris, ſive ad publicos actus admittendis, ſive promovendis ad ulteriora ſtudia, ſicuti & Rectores, qui ſuffragantium vota excipiunt, adſtringi debeant juramento ad ſecretum: & quamvis Congregatio cenſuit non eſſe adſtringendos; decrevit tamen omnibus ſignificandum ea de re perquam ſerio deliberatum eſſe, commendatumque Patri Noſtro, ut efficacibus

Secretum in examinibus.

remediis ſervari curet ſecretum hujusmodi, & executioni mandari, quod præſcribitur decreto 23. Congregationis VII. quo monentur Superiores, ut omni ſtudio inquirant in evulgationum auctores, compertosque pro rei gravitate ac culpæ magnitudine puniant, etiam usque ad muneris privationem.

Dec. VII. *In* MS. *Act.* 32.

Suffragia in electione Secretarii Congregat. Generalis.

SErvetur quod eſt in Conſt. p. 8. c. 6. L. D. ut in electione Secretarii Congregationis, & Aſſiſtentis electionis duo antiquiores Profeſſi, una cum Vicario, ſuffragia videant; idque addatur formulæ, cum ſe dabit occaſio.

Dec. VIII. *in* MS. *Act.* 34.

Facultates Vicarii Generalis.

COngregatio cenſuit, declarandum id quod hactenus praxis obtinuerat, Vicarium Generalem habere omnem poteſtatem & facultates ad gubernandam Societatem, quas habet Præpoſitus Generalis, exceptis iis, quæ in regulis officii Vicarii excepta ſunt, nec à poſterioribus deinde Congregationibus ſunt conceſſa: ac nominatim ad illius quoque intentionem dici debere ſacrum, quod dicitur ſingulis hebdomadis ad intentionem Præpoſiti Generalis.

Dec. IX. *in* MS. *Act.* 34. 35. 39.

Superiores nominati à Generalis defunctio.

SI contingat, eos, qui nominati ſunt Superiores à Generali defuncto nondum intellecta ipſius morte, munus injunctum deprecari; Cenſuit Congregatio à Vicario & Aſſiſtentibus ita audiendos, ut ſi probentur eorum rationes, nominati nullo Superiorum privilegio fruantur, ſed maneant in ſtatu priſtino, donec ab electo Generali vel confirmetur nominatio, vel mutetur.

Procuratores Indiarum.

Quod ſi Procuratores Indiarum eſſent nominati ad officium, v. g. Viſitatoris vel Provincialis extra Europam, ii non priventur jure, quod habent veniendi ad Congregationes Generales, niſi adeo fuiſſet expreſſa voluntas Generalis, circa ipſorum diſceſſum ex Europa, ut Decretum 36. Congregationis IX. locum haberet.

Dec. X. *in* MS. *Act.* 35.

Præſes Congregationis Generalis moriente Vicario.

SI contingat Vicarium è vivis decedere ante electionem Generalis, quando jam advenere Electores omnes, vel duæ tertiæ illorum partes, ſive inchoata Congregatio, ſeu nondum ſit; antiquisſimus Asſiſtentium debebit Congregationi, & electioni præeſſe, prout in caſu fere ſimili præſcribitur in c. 5. §. 53. Form. Congregationis Generalis.

Dec.

Dec. XI. *in* MS. *Act.* 35.

OCcaſione aliquorum, quæ propoſita ſunt ad Cenſores librorum in Provinciis ſpectantia, Congregatio probavit judicium Patrum ad hoc ſpecialiter deputatorum, decrevitque primo Regulas Reviſorum Generalium, quas iterum recognoſcendas curavit & approbavit, Provinciis omnibus communicandas. Secundo, loco Regulæ 15. quæ eſt ultima, reponendum & ſervandum, quod ſequitur. *Reviſores librorum.*

Qui deſignabuntur in Provinciis ad cenſendos libros, qui forte Romam non mittentur, ſuperiores Regulas habeant, ſeque perinde, ac Generales Romæ Reviſores, teneri ſciant, ut, quæ in iis continentur, cautiones omnes in libris examinandis obſervent: ſed præcipuo quodam ſtudio ſervare conentur ea, quæ præſcribuntur ſuperioribus Regulis 6. 7. 8. 9. Qui vero extra ordinem libros edendos à Provinciali accipient; ſic accipere debebunt, ut eorum auctores id neſciant, quo majori cum libertate ac ſinceritate judicare de iis poſſint. Omnes autem Reviſores ſuas cenſuras eidem Provinciali tradent, qui eas Romam ad Generalem mittet; & cum Reſponſum acceperit, non permittet libros edi, donec illi certo conſtiterit emendata eſſe, quæ Generalis emendanda judicaverit. Quod ſi Provincialis ipſe aliquid edere volet, id non faciet, niſi conſulto prius Generali ſervatoque, quem ille præſcripſerit, ordine. Porro à Cenſoribus examinari debebunt, non ſolum tractatus librorum, ſed præambula etiam, ac præfationes, admonitiones, epiſtolæ liminares, atque ipſi etiam tituli, ne quidquam indiſcuſſum edatur, omneſque offenſionum cauſæ, quantum in nobis erit, præcidantur. Iam, ſi poſt correctionem contingeret, Auctorem aliquid addere, vel immutare, inſciis Superioribus, quod eſſet alicujus momenti, Superiores id ſevere, pro gravitate delicti, punire meminerint.

Dec. XII. *in* MS. *Act.* 36.

IN electionibus, quæ fiunt in Congregatione Provinciali, videantur ſuffragia à Provinciali & Secretario, eritque hoc exprimendum in formula, quando recudetur. Et in univerſum in ejuſmodi Congregatione nulla ſunt publicanda ſuffragia, quæ à duobus ſaltem viſa non fuerint. *Suffragia in Congregatione Provinciali.*

Dec. XIII. *in* MS. *Act.* 40.

CVm quæreretur, quid facto opus ſit Iudices, qui interſunt publicis Theologiæ diſputationibus, formare nequeant judicium certum de ſufficientia doctrinæ ad Profeſſionem quatuor votorum, ſive id contingat ob fre- *Iudices de doctrina in theſibus publicis.*

 quentes

quentes nimis interlocutiones Profeſſorum, ſive ob defectum ex parte Argumentantium, ſive alia ſimili ex cauſa; cenſuit Congregatio, dandam in primis operam, ne ſimilia umquam accidant, nimirum ita inſtituendo diſputationes, & tales deſignando argumentantes, ut ejusmodi hæſitatio timeri nequeat. At ſi nihilominus contingat, ut unus aut alter judicum non poſſit formare judicium, nec ex reliquorum ſuffragiis res in alterutram partem poſſit definiri; tum Provincialis ſubſtituat pariter unum, aut alterum ex iis, qui forte diſputationibus interfuerunt, (ſi viri graves ſint & ad judicandum idonei) ut jurati Judicum loco ſuffragium ferant: ſi vero vel hi deſint, vel nec ex horum ſententia, de ſufficientia doctrinæ ſatis conſtet; quam primum ad examen recurrat, juxta reſponſum alias datum à P. Franciſco Piccolomineo piæ mem.

Dec. XIV. *in* MS. *Act.* 49.

Oratio de SS. Ignatio & Xaverio.

COngregatio annuendum cenſuit pio quorumdam poſtulato, ut ſub finem Litaniarum poſt Orationem, Defende &c. adderetur Oratio, Deus, qui glorificantes te &c. in honorem SS. Ignatii & Franciſci Xaverii.

Dec. XV. *in* MS. *Act.* 54.

Iuramentum PP. Electorum in Congregatione Generali.

CVm die 5. Martii P. Generalis incidiſſet in morbum, ex quo ſeqvuta eſt octava poſt die, hoc eſt 12. ejusdem menſis, inexpectata mors, omnibusque luctuoſa, poſt exequias; juxta formulam, præſide veterum Aſſiſtentium antiquiſſimo, P. Fabritio Banſo (quod nullus eſſet nominatus Vicarius) indictum eſt biduum ad electionem novi Generalis: ſed cum occaſione ſuperioris electionis dubitatum eſſet à quibusdam, ſi contingeret plura fieri ſcrutinia, an non eſſet ad ſingula repetendum à ſingulis juramentum; Congregatio declarandum cenſuit, prout præſenti decreto declarat, juramentum primo ſcrutinio præmiſſum complecti totam electionem, ac ligare jurantes etiam pro ſequentibus ſcrutiniis, atque hanc ſemper fuiſſe, & eſſe Societatis mentem.

Dec. XVI. *in* MS. *Act.* 55.

Electio novi Generalis.

DIe 17. Martii, quæ fuit Dominica Paſſionis, omnibus, quæ formula præſcribit, rite ſervatis, electus eſt ad plura medietate ſuffragia, Præpoſitus Generalis R. P. Goſwinus Nickel, Aſſiſtens Germaniæ; & decretum electionis à Congregationis Præſide promulgatum de more.

Dec. VII. *In* MS. *Act.* 56. 57.

Confirmatio Aſſiſt. & Admonit.

CVm eſſet liberum Congregationi vel nuper electos Aſſiſtentes confirmare, vel novos eligere; ſecreto ſcrutinio, paucis admodum diſſidentibus,

bus, cenſuit eſſe confirmandos: & vocatis dein iis, qui jus habent ad electionem Admonitoris, ſecreto pariter ſcrutinio confirmatus eſt idem, qui prius fuerat electus. Et cum quæreretur, an Aſſiſtentes confirmati præſtare denuo deberent juramenta; Congregatio judicavit ſatis eſſe, ſi ratum haberent jam antea præſtitum, quod & fecerunt. Et quia novus Aſſiſtens fuit eligendus pro Germania; uno die ad informationem conceſſo, electus eſt primo ſcrutinio P. Chriſtophorus Schorrer, Provincialis Germaniæ Superioris, ſtatimque juramentum præſtitit in formula expreſſum.

Dec. XVIII. *in* MS. *Act.* 76.

CVm duo fuiſſent Congregationi propoſita, circa præceptum de non procurandis externorum interceſſionibus, Primum, ut explicarentur verba illa Dec. 24. Congregationis IX. *Quæ liberam Superioribus gubernationem non relinqvunt.* Secundum, ut remedium tandem univerſale & efficax circa hujusmodi peſtem pro tota Societate adhiberetur; Inprimis Congregatio cenſuit prædicta verba interpretatione non indigere, cum ſatis pateat, per illa prohiberi procuratas externorum interceſſiones, quæ Superiores impediunt, aut ſaltem difficilem eorum reddunt gubernationem, quo minus pro ſuo judicio & voluntate, juxta inſtitutum noſtrum de rebus & perſonis ſibi ſubjectis diſponant. Deinde cenſuit, primam impoſiti à P. Mutio præcepti partem, de non procurandis externorum intercesſionibus aliquibus tantum Provinciis impoſitam, ad omnes Provincias extendi debere, ſuo decreto, prout de facto extendit & confirmavit: cum iis tamen cautionibus, quas adhibuerunt Congregationes 8. & 9.

Interceſſiones externorum.

Præceptum P. Mutii.

D E C R E T A
Vndecimæ Congregationis
Generalis.

CVm ex Decreto Innocentii X. Pontificis Maximi de habendis Congregationibus Generalibus ſingulo quoque novennio, haberi Congregatio hujusmodi deberet ante exeuntem Martium currentis anni 1661. impetratum eſt à S. D. N. Alexandro VII. ut, pro majore eorum, qui ad illam conventuri eſſent, commoditate, illius cogendæ tempus usque ad inſequentem Majum ejusdem anni prorogaretur.

Ad

Deſiderati initio Congregationis. Ad diem itaque 8. Maji, in quem indicta à R. P. N. Generali Goſwino Nickel erat Congregatio, cum adeſſent Patres omnes, quibus jus erat conveniendi, exceptis Patribus Luſitanis & Sardis, ac P. Io. Baptiſta Vivet, Rectore Barcinonenſi, qui tamen eo die expectabatur, nullaque affulgeret juſta ſpes adventus, neque Subſtitutorum è Sardinia pro Vice-Provinciali & Sociis luctuoſum ad oſtia Tiberina naufragium paſſis, neque Luſitanorum Patrum; viſum fuit inchoari oportere Congregationem ſine dilatione, adeoque inchoandam eſſe poſtridie ejus diei.

Dec. I. *in* MS. *Act.* 5.

De eligendo Vicario Generali. CVm R. Pater N. Generalis oſtendiſſet Congregationi, ſe ob ſenii gravitatem & corporis impedimenta, non poſſe amplius tot ac tantis officii ſui laboribus parem eſſe, & eo animi vigore, quo oporteret, Societatis gubernationem adminiſtrare, ideoque ultro rogaret, ut Vicarius ſibi daretur, vel ad tempus vel perpetuus, & cum jure, vel ſine jure ſucceſſionis, prout ipſi Congregationi videretur præſenti ſtatui rebusque Societatis magis conducere: Congregatio obſequendum duxit voluntati chariſſimi optimeque meriti Parentis ſui. Quo tamen certum opportunumque conſilium in tanta re commodius caperet, indixit biduanam deliberationem & ceſſationem interim à conſeſſibus: adjecit P. N. Congregatione probante, præcepti obligationem de re, dum geritur, nemini vulganda.

Dec. II. *in* MS. *Act.* 6.

Eligendus Vicarius cum jure Succeſſionis. EXacto biduo ad deliberationem indicto, convenerunt Patres ad decernendum ſecretis ſuffragiis (nam id petierat P. N. Generalis & Congregatio approbaverat) cujusmodi Vicarius eligendus in præſens videretur? omniumque, ſolis quinque exceptis, concors ſententia fuit, eligendum Vicarium perpetuum, cum jure ſuccedendi. Electio autem viſa eſt differenda tantiſper, dum conveniri ſuper ea opportunius poſſet ſummus Pontifex ad Vrbem, unde tunc aberat, rediturus propediem.

Dec. III. *in* MS. *Act.* 7. 8. &c.

Abſentia P. Noſtri. P. N. Generalis à dirigendæ Congregationis officio, ob invaletudinem revocatus, vices ſuas P. Dominico Langa Aſſiſtenti Hiſpaniæ, & Aſſiſtentium antiquiſſimo commiſit, nec amplius ulli conventui interfuit. Cum autem ageretur de poſtulato duarum Provinciarum, ut jurati ferant judicium, qui judicaturi ſunt de excellentia talenti, quod ſupplere poteſt defectum doctrinæ requiſitæ ad Profeſſionem, poſt longam & accuratam diſceptationem,

De excellentia talenti ad profeſſionem non exigendum juramentum.

judica-

judicatum tandem eſt, magno ſuffragiorum concurſu, duas tertias non parum ſuperante, non eſſe juramentum ejusmodi exigendum, & ſufficere ad Poſtulati finem, ſi præſcriptæ in Congregationum Decretis pro ſubjecta materia cautiones adhibeantur. Et cum poſtridie Patrum unus intercesſiſſet auditæque eſſent illius rationes, cenſuit Congregatio, non eſſe intercesſioni deferendum.

Dec. IV. *in* MS. *Act.* 16.

HAbita declaratione mentis Patris N. Generalis de poteſtate, quam habiturus eſſet Vicarius mox eligendus, ſtatuit Congregatio, ut libellus ſupplex offerretur Summo Pontifici, quo communi nomine Congregationis & Patris N. Generalis poſtularetur Apoſtolica benedictio, & facultas, quatenus opus eſſet, ad eligendum Vicarium perpetuum cum jure Succesſionis, & cum univerſali ac libero exercitio poteſtatis. Deſignatio autem Patrum, qui libellum offerrent, permiſſa fuit P. Generali. *Petenda facultas eligendi Vicarium perpetuum.*

Dec. V. *in* MS. *Act.* 17. 18. 19. 20.

OBlatus Congregationi patentibus literis Provincialis Sardiniæ, quibus P. Iacobum Cartam ejus Provinciæ ſubditum Romæ agentem, Procuratorem conſtituit ad negotia cum approbatione Patris N. Generalis; rogata eſt Congregatio: Placeretne, illum admitti? Cenſuit illa admittendum & quidem de jure, ſed ad negotia tantum poſt electionem Vicarii. *Procurator Sardiniæ admiſſus ad negotia.*

Dec. VI. *in* MS. *Act.* 20.

PVblice lectum eſt Breve Pontificium, quo ample & plene tribuitur Congregationi petita facultas eligendi Vicarium Generalem perpetuum cum futura ſucceſſione ac cum univerſali & libero exercitio poteſtatis. Cumque omnia jam eſſent ſatis expedita, placuit inchoari die proxime ſequenti quatriduum ante electionem, proponique Interrogatorium & fieri cætera, quæcumque ad negotium tranſigendum requirebantur. *Breve Pontificium de eligendo Vicario perpetuo impetratum.*

Dec. VII. *in* MS. *Act.* 17. & 20.

DE formula juramenti præſtandi in electione Vicarii, ſtatuit Congregatio, ut eadem eſſet, quæ in Generalium electionibus uſurpatur, ſola Vocis *Generalis* in voces *Vicarii Generalis cum jure ſuccedendi* mutatione. *Formula eligendi Vicarium perpetuum.*

Similiter retinendam cenſuit formulam Decreti, quæ in Generalium electionibus enunciatur, ſola mutatione vocis *Generalem* in voces *Vicarium Generalem cum jure ſuccedendi, & poteſtate, juxta Breve Apoſtolicum, datum 1. Iunii 1661.*

Dec. VIII. *in* MS. *Act.* 22.

Electio Vicarii.

DIe 7. Iunii qui felicibus auſpiciis incidit in tertium diem feſtum delapſi in cœtum Apoſtolorum & Diſcipulorum Spiritus Sancti, omnibus rite ſervatis, acceptiſque à P. N. Generali ob invaletudinem abſente ſuffragiis, electus eſt primo ſcrutinio, Vicarius Generalis perpetuus, cum jure ſuccedendi & poteſtate, juxta Breve Apoſtolicum, R. P. Ioannes Paulus Oliva, elector Provinciæ Romanæ, & confectum promulgatumque de more ſuper ea re decretum eſt, à Patre Dominico Langa Præſide Congregationis.

Dec. IX. *in* MS. *Act.* 23.

De vocabulo Nationis in formula.

AD inſtantem Aſſiſtentium electionem viſum eſt ſtatuere pro hac vice & nullo ad futuras Congregationes præjudicio, ut nomen *Nationis*, ex qua eligi deberent, juxta formulam § 78. ſumeretur, non ut Synonymum Aſſiſtentiæ, ſed pro ſola ea complexione nationum, ex quibus una Aſſiſtentia componitur.

Dec. X. *in* MS. *Act.* 24.

Electio quatuor Aſſiſtentium.

DIe 12. Iunii, qui erat ultimus quatridui indicti ad Aſſiſtentium electionem, electi ſunt Aſſiſtentes: Italiæ P. Alexander Fliſcus, Præpoſitus Domus profeſſæ Mediolanenſis primo ſcrutinio; Germaniæ P. Carolus de Nogelle, Subſtitutus Secretarii Societatis pro Aſſiſtentia Germaniæ, tertio ſcrutinio; Galliæ P. Claudius Boucher, Provincialis Franciæ primo ſcrutinio; Hiſpaniæ P. Sebaſtianus Izquierdo, Rector Collegii Complutenſis, ſecundo ſcrutinio. Electione Aſſiſtentis Luſitaniæ judicatum eſt ea die ſuperſedendum, ob abſentiam PP. Luſitanorum. Electi autem præſtiterunt de more juramentum, vocato poſt electiones omnes peractas ad hoc ipſum præſtandum P. Carolo de Noyelle, qui cœtui non intererat.

Dec. XI. *in* MS. *Act.* 25. & 26.

Electio admonitoris.

P. Dominico Langa P. N. Generalis jam ab annis aliquot Admonitore ultroneam officii illius abdicationem non ſemel apud Congregationem, & apud P. N. proponente atque urgente, ac tandem impetrante, electus eſt in admonitorem, tum Generalis, tum Vicarii, P. Nicolaus Zucchius, ſecundo ſcrutinio.

Dec. XII. *In* MS. *Act.* 25. 26. 27.

Petenda abrogatio Brevis Innoc. X.

AVdito poſtulato plurium Provinciarum de petenda à Pontifice abrogatione Brevis Innocentii X. *Proſpero felicique ſtatui &c.* Cenſuit Congregatio conſenſu plane unanimi, tentandam eſſe Brevis totius abrogandi poſtu-

poſtulationem; qua minime ſuccedente, ſingillatim pro partibus ſupplicaretur; factaque deinde de ſingulis, poſt allatas & diſcuſſas prius in partem utramque rationes, propria ſuffragatione confirmatum eſt primo, nullo prorſus diſſentiente, petendam abrogationem triennii præfixi gubernationi Superiorum, & imperatæ poſt triennium exactum quietas. Secundo, de Congregationum novennalium abrogatione concors ſimiliter fuit omnium, duobus ſolis exceptis, conſenſio.

Dec. XIII. *in* MS. *Act.* 27. & 28.

PRopoſita eſt quæſtio: an impetrata abrogatione Congregationum novennalium, non videretur nihilominus fore ex re Societatis, ſi ab hac ipſa Congregatione terminus aliquis, ſeu negativus, ſeu poſitivus Congregationibus habendis præfigeretur. Reſponſum eſt concordibus ſententiis non fore; adeoque nec tunc terminum ullum præfigendum, etiam non obſtante Decreto à Congregatione octava facto, ante electionem, ut habetur in actis MS.

Nullus terminus cogendæ Con. Gen. præfigendus à Soc.

Dec. XIV. *In* MS. *Act.* 29.

POſtulatum fuit, ut Congregatio decerneret, ſatisne ſit ad profesſionem quatuor votorum obtinendam, ſi in prævio ad eam examine, mediocritatem excedant in Doctrina; qui fuerunt in celebri aliqua univerſitate donati gradu Doctoris in Theologia? cum hoc illis aſſerere videatur Congregationis VII. decretum 96. & favere Regula 19. Provincialis §. 14. in Ratione ſtudiorum.

De Doctoribus Theologiæ ante ingreſſum in Soc.

Decrevit Congregatio, ſatis eſſe, idque ſtatutum videri in laudato Decreto, cui nullatenus derogatum ſit per §. 3. Decret. 37. Congregationis VIII.

Dec. XV. *In* MS. *Act.* 29. & 30.

ROgata Congregatio, ut declararet cujusmodi ſit obligatio ex §. 6. Dec. 7. Congregationis VII. expendendi in cauſſas pias fructus bonorum, quorum poſſesſionem noſtri retinent? Declaravit: relicta in ſuo vigore paupertatis obligatione, intuitu Subditi bona posſidentis nullum Provinciali per laudatum Decretum in materia votove paupertatis gravamen imponi, neque valorem Actuum elidi, quibus ipſe de fructibus illis alter diſponat aut diſponi permittat.

De obligatione expendendi fructus bonorum.

Dec. XVI. *in* MS. *Act.* 31. 43. 62.

CUm poſtularetur diſſolutio duorum Collegiorum male omnino conſtitutorum; Congregatio fecit P. Vicario amplam poteſtatem diſſolvendi non

Facta poteſtas diſſolvendi parva Collegia.

non ſolum dicta duo Collegiola, ſed & alia quæcumque ejusdem notæ ac rationis, non tantum in Provincia Romana aut Neapolitana, ubi major hujus rei urget neceſſitas, ſed univerſim in tota Societate & occaſione hinc accepta eidem commendavit, ut ſe in admittendis novis Collegiis exhiberet plane difficilem.

Poſuit etiam in ipſius poteſtate & arbitrio, poſtulatam translationem Domus Probationis Moguntinæ in Provincia Rheni Superioris Aſchaffenburgum; & Salinenſis in Provincia Lugdunenſi Veſuntionem; commutationem item Domus Profeſſæ Villaviçoſæ in Provincia Transtagana in Collegium.

Dec. XVII. *in* MS. *Act.* 31.

Donatio Scholaſtici poteſt rata haberi poſt ipſius mortem vel profeſſionem.

DElato ad Congregationem judicio Patrum pro Paupertate Deputatorum, de poteſtate Præpoſiti Generalis ad admittendam & ratam habendam poſt donantis mortem, vel profeſſionem, donationem à Scholaſtico Societatis ante factam certo alicui Collegio: Probavit judicium Congregatio, ſuoque decreto firmatum voluit eſſe in poteſtate Generalis admittere, & ratas habere donationes hujusmodi, non obſtantibus contrariis reſcriptis Præpoſitorum Generalium.

Dec. XIIX. *in* MS. *Act.* 32.

Contra imprimentes libros ſine facultate.

PRopoſitum eſt Congregationi ab ipſo P. Vicario de quærendo parandoque efficaci remedio ad fortiter comprimendam pernicioſam libertatem edendorum librorum ſine facultate, ſeu proprio, ſeu alieno, aut etiam ſuppreſſo nomine. In quo cum multa à multis eſſent ſolerter excogitata & inter opinandum adducta, convenit Congregatio communiore conſenſu in ea, quæ ſeqvuntur:

1. Vt in Autores animadvertatur gravibus certisque pœnis incurrendis: puta privatione officii, vocis item activæ & paſſivæ inhabilitate etiam ad dignitates & Prælaturas Societatis, pœnis etiam corporalibus, pro delicti gravitate Superioris arbitrio decernendis.

2. Vt hæc ipſa pœnarum capita ad complices & conſcios etiam Superiores ea proportione extendantur, qua ipſi magis minuſve vel Scriptoris conſilia promovendo, vel eadem non revelando, vel ex officio non impediendo in præſentem Societatis perniciem dedecusque peccaverint.

3. Vt librorum nomine intelligi etiam debeant libelli & folia (ut vocant) volantia, ac demum quicquid prælo ad publicam lucem committitur.

4. Vt

4. Vt præſumtio fraudis contra illos ſtare cenſeatur, à quibus accepta ſcripta Externi vulgaverint.

Dec. XIX. *in* MS. *Act.* 34. 35. 40.

Venerationi particulari proſequendus Ven. Ordo Prædicatorum.

CVm perveniſſet ad Congregationem per unum aliquem è PP. Electoribus notitia Epiſtolæ ab Reverendiſſimo P. F. Ioanne Baptiſta de Marinis, Magiſtro Generali Venerabilis Ordin. Prædicatorum, ad dilectos ſibi in Dei filio univerſos & ſingulos ejusdem Venerabilis Ordinis Fratres directæ, ejusque manu ſubſcriptæ ac ſigillo munitæ, & ab Ordinis Secretario traditæ, in qua Decreta aliquot continentur in honorem commendationemque Societatis in Comitiis Generalibus Ordinis condita: Cenſuit Congregatio, nulla etiam majori expectata hujus rei notitia, huic provocationi honorariæ reſpondendum inprimis honorifica gratiarum actione, nomine ſuo eidem Reverendiſſ. P. Mag. Generali deferenda, tum deinde gravi ad noſtros omnes commendatione, quam ex Congregationis VIII. ſenſibus voluit renovatam: Nimirum ut Illuſtriſſimum natuque majorem in Eccleſia ordinem ſanctitate, doctrina, rebusque præclare geſtis de illa optime meritum peculiari benevolentia complectantur; de illo magnifice ſentiant, & loquantur; aliisque venerationis ſignificationibus & charitatis officiis proſequantur.

Dec. XX. *in* MS. *Act.* 35. 37. 44.

Collegia poſſunt gravari ad ſolvendum annuam penſionem Domui profeſſæ durante fabrica.

EX occaſione fabricæ Templi & Domus profeſſæ Neapolitanæ adductum eſt in quæſtionem; an poſſint Collegia aut Domus Probationis Societatis ſalva paupertate propria noſtrarum Domorum profeſſarum, gravari à Teſtatore ſeu Fundatore ad exædificandum Domui profeſſæ Templum vel Domum collatis in eam rem certis reditibus annuis, quamdiu fabrica duraverit, etiamſi contingeret eam ad triginta, vel quadraginta & amplius annos durare; ſuper qua quæſtione multum ac diligenter diſcuſſa approbavit tandem Congregatio uno fere conſenſu judicium Patrum pro paupertate Deputatorum; nimirum, nequaquam eſſe contra paupertatem Domorum profeſſarum, quod in quæſito proponitur, ſi nempe res tranſigatur ad eumdem modum, quo facta & transacta Neapoli proponebatur. Cæterum pertinere ad providentiam ſuperiorum, ne diutius, quam juſta neceſſitas tulerit, Domus profeſſæ talibus reditibus fruantur. Et cum nihilominus aliquis contra interceſſiſſet, auditæ ſunt illius rationes dictisque iterum ſententiis probatum firmatumque eſt decretum jam ſancitum unanimi plane conſenſu.

Dec. XXI. *In* MS. *Act.* 36. 37.

Menda in Decretis Congr. correcta.

RETulerunt ad Congregationem Deputati pro Conſtitutionibus & Decretis: In editione Decretorum tum Romana anni 1616. tum Antverpienſi anni 1635. vere mendoſum eſſe textum Decr. 23. Congregationis ſecundæ, ubi in adjuncto Definitorum Decreto leguntur hæc verba (quod ſi aliquis imperfectionem ſecutus particulari alicui Societatis noſtræ loco intra Provinciam) cum legi debeat (extra Provinciam) ut habent originalia manuſcripta, & colligitur manifeſte ex adverſativa particula paulo poſt adjuncta: ſi vero alicui Collegio intra Provinciam.

Item mendum irrepſiſſe in Decretum 51. Congregationis V. & in Cap. 5. Ordinat. General. ubi enim in Decreto legitur, placuiſſe Congregationi, ut poſtularetur diſpenſatio ſuper illa parte Decreti Clementis VIII. quæ jubet deputari Confeſſarios, qui *(à reſervatis abſolvant)* & in Ordinatione, impetratam eſſe diſpenſationem, ne teneantur Superiores deputare Confeſſarios, qui *(à reſervatis abſolvent)* legendum eſſe *(à non reſervatis)* ut conſtat ex textu decreti Pontificii, adeoque inſerendam eſſe in utroque loco particulam negativam *(non)* ante vocem *(reſervatis.)*

Agnovit Congregatio ita plane, ut Deputati retulerant rem ſe habere, ac proinde etiam decrevit, emendandos dictos mendoſos textus ad eum modum, quem iidem Deputati propoſuerunt.

Dec. XXII. *in* MS. *Act.* 37.

Contra laxas opiniones in moralibus.

COmplurium Provinciarum poſtulatio fuit, ut cum Societas ita nunc paſſim male audiat, & traducatur, quaſi nimis laxas in moralibus opiniones doceat, & in praxi ſequatur, aliquod adhibeatur efficax tanto malo remedium. Congregatio amplexa judicium Deputatorum pro ſtudiis ſtatuit: Primo monendos ſerio Profeſſores Theologiæ moralis, caute omnino ut doceant, neque quod aliquid probabile reputent, illico ſibi licere arbitrentur illud in publico ſcripto verbove protrudere: ſed ad id attendant maxime, quod monet Congregatio V. Dec. 41. an communi Scholarum ſenſui congruat, ac præterea ſcandalum vel offenſionem aliquam uſpiam parere poſſit. Superiores autem, ſi quos novitatum amantes aut parum cautos in docendo compererint, à munere docendi ſubmoveant, ſpeque omni illius privent, pœnis etiam aliis, ſi forte opus iis eſſe ſenſerint, coerceant.

2. In librorum editione, onerandam cenſorum fidem, & conſcientiam, ſeve-

ſeveros ut ſe potius, quam molles exhibeant; neque aliquid etiam dubii ad Societatis famam periculi ſine gravi cenſura abire patiantur: & ſi quid tale occurrerit, Patri noſtro ſincere & fideliter prodant.

3. In privatis congresſibus & reſponſis diligenter cavendum noſtris, ne aliquid promant, quod vulgari minime vellent; nunquam autem ſcripto reſpondeant in rebus præſertim gravioribus, niſi conſulto & probante Superiore.

4. Texendum Elenchum Sententiarum in morali periculoſarum, exquiſito primum Provinciarum ſenſu de ſententiis, quæ apud ſingulas, ſcandalum aut offenſionem aliquam habent adjunctam, eumque mittendum ad ſingulas, & in ſingulis examinatum iterumque Romæ recognitum ac probatum rite communicandum omnibus.

Dec. XXIII. *in* MS. *Act.* 39. & 40.

CVm permulta eſſent in medium allata ad paupertatem noſtram conſervandam in ſua puritate & reſtituendam etiam, ſicubi labefactata videretur, eaque inprimis, quæ à Patribus Deputatis, pro paupertate fuerant ſoler-ter excogitata: Cenſuit tandem Congregatio communi conſenſu committendum P. Vicario, ut ipſe pro ſua prudentia ex iis illa eligeret, quæ magis apta & opportuna eſſe judicaverit.

Dec. XXIV. *in* MS. *Act.* 42. 45. 47. 48.

AVdito judicio Patrum Deputatorum pro ſtudiis, probavit Congregatio ſuoque Decreto ſancivit. *De examinibus in ſtudiis.*

1. Vt Metaphyſici juxta Regulam 23. Præfecti ſtudiorum & à tertio ad quartum Theologiæ annum gradum facturi, unius horæ ſpatio examinentur.

2. Vt in reliquis tum Philoſophiæ, tum Theologiæ annis, media minimum hora ſubeatur examen; Provinciæ, quæ ex longo jam uſu plus ei temporis tribuunt conſuetudinem ſuam retineant.

3. Vt examinis annui materia ſit ea omnis, quæ à Magiſtris toto anni currentis ſpatio tradita fuerit, iis exceptis, quæ ſub ipſum examinis tempus decurruntur, Præfecti ſtudiorum judicio deſignandis, ſive de cætero Theſes ad examen adhibeantur, ſive non.

4. Vt, qui ante ingreſſum in Societatem Philoſophiæ aliquid aut Theologiæ audiverint, examinentur, ut præſcribit Regula 19. Provincialis §. 5. in Ratione ſtudiorum: niſi mallent, quod emenſi ſunt, illorum ſtudiorum

rum iter remetiri; quod quidem, niſi Superior juſtas ob cauſas negandum cenſuerit, poterit illis ultro concedi.

5. Vt ad habendum actum Theologicum ſeu parvum ſeu magnum, poſſit aliquis admoneri, requirantur Examinatorum ſuffragia tria, clara & minime dubia, quæ illius ad actum cum ſatisfactione habendum, capacitatem ſpeciatim enuncient.

6. Si quis habiturus actum magnum ab argumentaturis concluſionem impugnandam, vel argumentum proponendum inquiſiverit, is, nulla habita ratione judicii ex actus ſucceſſu conſecuti, ad examen, more aliorum, pro profeſſione ſubeundum omnino revocetur. Qui vero in actu parvo id feciſſet, excidet ſpe omni actus magni, & complices aut adminiſtri hujus dedecoris, ſi qui fuerint, pro ratione culpæ à Superioribus puniantur. Demum Judices oneratam ſciant conſcientiam ſuam, ſi, cum aliquid fraudis interveniſſe cognoverint, quo de doctrina defendentis judicium debeat non mediocriter variari, ex ſolis præciſe reſponſis & actus ſucceſſu ferant judicium.

Adhæc Congregatio præcipua ratione commendatum voluit P. Vicario, ut de Theologicorum actuum numero contrahendo, nec non de nimiis inter eos Magiſtrorum locutionibus compeſcendis, quoad prudenter poterit, ſatagat.

Cum autem interpoſita eſſet interceſſio contra eam partem hujus decreti, quæ horam unam integram examini à 3. ad 4. Theologiæ annum ſubeundo præfigit, auditis interceſſoris rationibus confirmavit Congregatio quod jam ſanciverat.

Dec. XXV. *in* MS. *Act.* 43.

De Majoratibus Hiſpaniæ.

DE Majoratibus Hiſpaniæ quæſitum eſt, an Decretum 18. Congregationis V. vetans admiſſionem in Societatem ſine facultate Generalis, perſonæ Majoratus jure gaudentis, illam etiam irritam & nullam reddat? Congregatio expenſis variis ea de re Generalium reſcriptis & audito judicio PP. Deputatorum pro Conſtitutionibus cenſuit, nequaquam invalidam aut irritam eſſe hujusmodi admiſſionem.

Dec. XXVI. *in* MS. *Act.* 43. & 44.

Agendæ gratiæ Sanctiſſimo D. N. ob reditum in ſtatum Venetum.

QVoniam à tempore, quo Societas noſtra reverſa eſt in Sereniſſimæ Reipublicæ Venetæ ditionem, nunc primum convenit in unum corpus totum Ordinem repræſentans; cenſuit Congregatio ad conteſtandum univerſæ Societatis gratum animum ob tam ſingulare & immortale beneficium, quo vindi-

vindicata eſt fama integritatis noſtræ, & ablatum opprobrium, quod paſſim jactabant in nos Hæretici, ſummas quam humillime gratias, nomine totius Ordinis, agendas eſſe ſanctiſſimo D. N. Alexandro VII. cujus auſpiciis, Paſtorali providentia & ſapientiſſimo ductu, perfectum feliciſſime ſuſpeximus negotium, quod complures antea, magno quidem animi affectu, ſed eventu irrito ſæpius tentaverant.

Deinde placuit, ut nomine pariter Congregationis conſcriberentur literæ ad Sereniſſimam Rempublicam Venetam, ad conteſtandam gratam beneficii, adhuc recentis in Noſtrorum receptione memoriam, & ad teſtificandum ſummum omnium Noſtrorum pro viribus inſerviendi Reipublicæ deſiderium. *Etiam Sereniſſimæ Reipublicæ.*

Denique quia præcipuus hujus tam exoptati reditus, ſecundum illius Auctorem Sanctiſſimum D. Noſtrum, adminiſter extitit Illuſtriſſ. & Reverendiſſ. D. Carolus Carrafa, tunc Sedis Apoſtolicæ apud Sereniſſ. Rempublicam, nunc apud S. Cæſ. Majeſtatem Nuncius, erga illum quoque ſimili literarum euchariſticarum officio fungendum eſſe Congregatio conſenſu unanimi decrevit. *Etiam Illuſtriſſimo Nuncio Apoſtolico.*

Dec. XXVII. *in* MS. *Act.* 43.

ROgata eſt Congregatio, prohibere, ne deinceps literæ, quæ ad Deputatos ad Congregationem Generalem ſcribentur, à Superioribus Generali inferioribus aperiri aut retineri poſſint, ſicut nec ad illas reſponſa, quod hæ ſæpe literæ negotia contineant, ſoli Congregationi aut Generali communicanda; cenſuit Congregatio omnino concedendum literis ac reſponſis hujusmodi hoc privilegium, illudque idem ad electos in congregatione Provinciali Procuratores extendendum. *De literis ad electos ad Cong. Gen. vel Procur.*

Dec. XXIIX. *in* MS. *Act.* 27. 45. 47.

CVm ſpes nulla ſupereſſet adventus Patrum ex Luſitania, viſum fuit Congregatione, non differre diutius Aſſiſtentis electionem (quam à ſe faciendam & non remittendam exemplo Congregationis decimæ ad P. Vicarium jam ante decreverat) deſignavitque ex ſpeciali diſpenſatione, quatuor Patres Luſitanos Romæ degentes, ſed ad Congregationem non pertinentes, à quibus peti poſſent informationes, ſub iisdem tamen cautionibus, quibus obſtringuntur ii, qui ad Congregationem pertinent; ac tandem ultimo die quatridui ad eam indicti, ſervatis omnibus, quæ formula præſcribit, electus eſt primo ſcrutinio in Aſſiſtentem Luſitaniæ P. Gaſpar de Govea. Electioni *Electio Aſſiſtentis Luſitaniæ.*

interfuerunt,Congregatione permittente,ſed ſuffragium non tulerunt,P.Secretarius Generalis,Procurator Generalis & Sardiniæ.

Dec. XXIX. *in* MS. *Act.* 46.49.50.59.60.61.

De poteſtate Vicarii Generalis.

OB caſus novitatem, electi ſcilicet Vicarii cum univerſali ac libera poteſtate & cum jure ſuccedendi, placuit Congregationi, illius poteſtatem magis explicatè & expreſſè declarare:

1. Declaravit: Exercitium univerſale poteſtatis collatum fuiſſe Vicario, non cumulative, ita ut in duobus, Generali nempe & Vicario,æquo jure reſidere deberet: ſed privative: id eſt ita,ut penes ſolum Vicarium deberet ſubſiſtere, atque adeo non poſſet Generalis ullam illius ſibi partem aſſumere; ita ut, ſi ſecus aliquid ab eo fieret, illicite & invalide fieret; illudque exercitium ſic explicatum, quatenus opus eſſet, eidem Vicario de novo contulit ſuffragatione ſecreta,quæ dum inſtitueretur,parantem excedere P. Vicarium,Congregatio retinuit, voluitque præſentem adeſſe. Permiſſum tamen,quod petebat, abſtinere uti à ferendo ſuo, ſic ab inſpiciendis aliorum ſuffragiis, quorum proinde inſpectio demandata eſt Profeſſorum antiquiſſimo.

2. In caſu obitus vel mutationis alicujus ex Aſſiſtentibus, declaravit Congregatio; & quatenus opus eſſet, decrevit nominationem novi Aſſiſtentis pertinere ad P. Vicarium, & quidem unice, audito tamen ſuper hac re P. Generalis conſilio & requiſito ad nominati confirmationem ſuffragio.

3. Declaravit,& quatenus opus eſſet,decrevit, in caſu gravis infirmitatis ipſius Vicarii, poſſe ipſum ſubſtituere ſibi alium Vicarium ad regendam per id temporis Societatem.

4. An vero in caſu mortis, ſi forte contingeret Vicarium mori ante Generalem,poſſit Vicarius nominare ante mortem,Vicarium,à quo poſt illam Societas regatur? vel certe ad quemnam pertineat tunc providere Societati de Vicario? poſt agitatam in aliquot ſeſſionibus quæſtionem, cum P. Vicarius ſemetipſum ſpontanea juris ceſſione excluſiſſet, eamque excluſionem ipſius rogatu Congregatio admiſiſſet, eadem cenſuit, nominationem Vicarii in caſu propoſito deferendam eſſe P. Generali ſuperſtiti. Simul autem decrevit, ut caſu, de quo agitur, eveniente, ſtatim fiat ea nominatio: nomineturque aliquis ex iis,qui Vicario viventi adeſſe ſolebant,ut formula præſcribit,vel ex iis,qui proxime degunt: tum novus ille Vicarius Congregationem generalem ad electionem novi capitis ſtatim indicat, atque

interea

interea Societatem gubernet poteſtate libera & independente, ſed ea duntaxat, quam habet ex communi jure Societatis, Vicarius Generalis demortui.

Dec. XXX. *in* MS. *Act.* 51. & 52.

ACtum fuit in Congregatione per plures ſeſſiones de promovendo augendoque in Societate Spiritu ſeu ſtudio rerum Spiritualium, & cum multa in eam rem à multis præclare dicta eſſent, totaque Congregatio magnum omnino zelum præ ſe ferret ejus rei ſolide inſtaurandæ, judicavit nihilominus, abſtinendum ſibi à novis eo ſuper oneribus decernendis, ſed impenſe tamen voluit P. Vicario ac per eum Provincialibus & Superioribus aliis commendatum, ut hanc rem, utpote rerum omnium noſtrarum animam, præcipua ac perpetua cura verſent, executionem urgendo eorum, quæ ad eam promovendam habet Societas ſatis copioſe præſcripta. *De promovendo in Societate Spiritu.*

Dec. XXXI. *in* MS. *Act.* 54.

POſtulavit Procurator Malabaricæ; An qui ex Europa in Indiam veniunt virtute, doctrina, aliisque de jure noſtro requiſitis ad Profeſſionem quatuor votorum inſtructi, expectare nihilominus ad eam emittendam illic debeant alios, qui vocatione antiquiores ſunt, ſed ſtudia nondum abſolverunt? *De promovendis ad Profeſſionem.*

Cenſuit autem Congregatio eos nequaquam debere expectare, & univerſe declaravit, nusquam antiquiores à minus antiquis debere expectari, quando minus antiqui habent omnia expedita & antiquiores, vel quia ſtudia non abſolverunt, vel defectu ætatis legitimæ, vel alterius requiſiti ex parte ipſorum, non ſunt adhuc ad profitendum expediti.

Dec. XXXII. *in* MS. *Act.* 54.

CVm quæreretur, ad quem Superiorem, Rectorem ſcilicet, & Provincialem, pertinere cenſendi ſint, qui in aliena Provincia iisque urbibus diverſantur, in quibus non eſt Societatis Domicilium? Reſpondit & ſtatuit Congregatio, ad propinquiorem utique Rectorem cenſendos eſſe pertinere, & ad Provincialem, cui hujusmodi Rector ſubeſt. *Diverſantes in aliena Provincia.*

Dec. XXXIII. *in* MS. *Act.* 57.

PRoponente P. Vicario, & probante Congregatione decretum eſt, indicendum in Societate univerſa ſacrum unum, & coronam itidem unam pro *Sacrum & corona indicta pro S. D. N.*

pro S. D. N. Alexandro VII. in aliquale gratitudinis noſtræ ſpecimen pro tot illuſtribus beneficiis & Apoſtolicis benedictionibus, quibus Congregationem hanc eſt impertitus.

Dec. XXXIV. *in* MS. *Act.* 54.

Petenda confirmatio Pontificia decretorum de Vicario.

ETſi videbatur non poſſe dubium eſſe ullum, quin omnia, quæ ad electionem P. Vicarii collatamque in eum poteſtatem pertinent, rite acta eſſent in Congregatione, cui ſcilicet ad ea omnia ſufficiens poteſtas adfuerat, tum ex noſtris Conſtitutionibus, tum ex Brevi Pontificio, tum denſque ex conſenſu & approbatione ipſius P. Generalis, qui propria ſyngrapha conteſtatus fuerat Congregationi ſe omni meliori modo, quoniam videbat ita expedire Societati noſtræ, illa omnia rata habere; tamen ad rerum geſtarum complementum judicavit & decrevit Congregatio, ſupplicandum Pontifici, ut eadem omnia Pontificio diplomate confirmare dignaretur, quo perennis atque immobilis firmitatis robur accipiant.

Confirmavit Sanctiſſ. diplomate dato 30. Aug. 1661.

Dec. XXXV. *in* MS. *Act* 61.

Congregatio Provincialis una in medio novenni.

SVſcepta eſt deliberatio, an ſi Pontifex renueret abrogare Decretum Innocentii X. de Congregationibus novennalibus videretur pergendum in uſu Congregationum Provincialium triennalium? in qua deliberatione, quia agendum erat de mutandis abrogandisve aliqva ſui parte Conſtitutionibus, & Congregationum Generalium decretis, quæſitum eſt primo: placeretne de propoſita quæſtione tractari? & cum placuiſſet, dictæ ſunt ſententiæ fueruntque non pauci, qui cenſerent omittendas omnino Congregationes Provinciales omnes intermedias, qvæ ſcilicet fiunt ad electionem Procuratoris. Sancitum tamen eſt, ut pro hac vice duæ intra decurſum novennii haberentur, in medio, una ad eligendum Procuratorem, in fine altera, ad electionem mittendorum ad Congregationem Generalem.

Dec. XXXVI. *in* MS. *Act.* 62.

Decretorum & Canonum extractio.

EXemplo nonnullarum aliarum Congregationum commiſſa eſt Patri Vicario, Decretorum & Canonum ex actis extractio, & cum Provinciis communicatio. Quo facto, negotiis omnibus jam expeditis, habuit P. Vicarius inſignem & loco & tempori aptiſſimam ad Patres Congregatos paræneſim; tum deinde, actis Deo gratiis, ex præſcripto formulæ inter mutuos amplexus, cum maxima charitatis ſignificatione, finis impoſitus eſt huic Congregationi XI. die 27. Julii 1661.

FINIS.

IN-

INDEX
Eorum quæ in
DECRETIS
continentur.

Primus numerus Congregationem indicat, ſecundus Decretum, tertius paginam.

Vbi A littera eſt inſerta, Decretum ante Electionem factum ſignificat, ſive ex prioribus.

A.

AD Actum Theologicum propugnandum requiruntur tria ſuffragia. XI. 24. §. 5. p. 1000. Inquirentes argumentum, vel concluſionem ante Actum Theologicum puniendi XI. 24. § 6. p 1000 Actuum Theologicorum numerus contrahendus XI. 24. pag. 1000.

Admiſſio, ſine diſpenſatione Generalis, ante annum ætatis 15. ad Probationem, & ad Vota ſimplicia ante 17. invalida eſt. VIII. 35. pag. 961 Admittendus ad Congregationem Provincialem in ſuis Provinciis Superiores primæ Reſidentiæ in Indiâ, & totius Miſſionis Hollandicæ VIII 51. pag. 965. Quando admittendi ad Congregationem Provincialem Procuratores Indiarum, qui commorantur in Bœticâ, & Luſitaniâ, VIII. 53. pag. 966. Quando denuo admittendi Dimiſſi. VIII. 58. pag. 967.

Admonitor P. Generalis profeſſus quatuor votorum eſſe debet. II 22. p. 754. IV. 15. p. 823. poteſt eſſe unus ex Aſſiſtentibus I. 81. p. 720. IV. 15. p. 823. electus ad plura ſuffragia. I. 81. p. 720. II. 22. p. 754. III. 30. p. 782. ad plura medietate eligi debet. V. 68. p. 869. Eodem die quo Aſſiſtens electus, ſed à prandio. II. 22. p. 754. III. 17. p. 784. electus die ſequenti. IV. 17. p. 824. eodem die & actione electus. VII. 8. p. 911. Ejus officium durat usque ad electionem novi Generalis. II. 35. p. 758. Litteræ ipſius ad alios, vel aliorum ad ipſum non referendæ. VII. 14. p. 914. In caſu mortis vel abſentiæ, alius à Generali ſubſtituitur, eodem modo quo Aſſiſtens. III. 42. p. 792. IV. 24. p. 826.

Admonitoris electio. VIII. 20. p. 954. Confirmatio. X. 17. p. 990.

Adventus jejunium, vel à carnibus abſtinentia I. 96. p. 724. V. 27. p. 848. VI. 9. p. 877.

Ædificia Domorum & Collegiorum qualia eſſe debeant. I. 113. p. 731. eorum forma ad Generalem referenda. II. 84. p. 768.

Ætas quænam requiratur, ut quis poſſit ſine diſpenſatione recipi, & emittere Vota ſimplicia? VIII. 35. p. 961.

Ambitus Iudices ex quatuor nationibus ex quibus Aſſiſtentes. IV. 49. p. 833. quinque deinceps creandi pro numero Aſſiſtentium. VII, 65. p. 934. eorum pote-

ſtas poſt electionem prorogata, & qualis ſit. VII. 81. p. 940.

Annuæ litteræ quadrimeſtrium loco inſtitutæ. II. 37. p. 759. in earum exemplaribus adhibita moderatio. IV. 38. p. 830. earum impreſſio P. Generali commendata. VII. 19. p. 917.

Apoſtatæ etiam ii qui poſt vota ſimplicia deficiunt. IV. 53. p. 834. an revocandi ſint cum aliam religionem ingrediuntur. I. 24. p. 704. Apoſtatarum pœnis obnoxii, qui fictis cauſſis, vel ſtudio procuratis, dimiſſionem extorquent. VII. 22 §. 4. p. 920. an ad Scholas noſtras admittendi qui à Societate defecerunt. I. 119. p. 731.

Appellationes reorum de Ambitu non admittendæ in Congregatione Provinciali. IX. 20. p. 975.

Arcula in eccleſiis noſtris ad colligendas etiam pro aliis eleemoſynas non ponenda. II. 78. p. 767.

Aſſiſtentium electio VIII. 2. p. 947.

Orationes Generalium contractæ vim habent eamdem quam antea. VII. 81. p. 940.

P.

PAupertatis puritas valde Noſtris commendata XI. 23. p. 999. Obligatio in Superiore, ad expendendos fructus bonorum, quæ Noſtri poſſident, in cauſas pias, non pertinet ad votum paupertatis. XI. 15. p 995. Donatio Scholaſtici facta Collegio ante mortem, vel vota ultima, poteſt, etiam poſt mortem Donantis, vel ultima Vota, admitti, ſeu rata haberi à Generali XI. 17. p 996. Collegia poſſunt gravari ad ſolvendos cenſus annuos Domui

mui

mui Profeſſæ, durante illius fabrica, etiam ad multos annos. XI 20. p. 997.
Pecunia ex Provincia, aut regno contra edicta regia non extrahenda. II. 15. p. 752.
Perturbatores Societatis quinam cenſendi IX. 25 p. 977.
Perturbatores Societatis graviter coërcentur. V. 54. p. 861. Eos inquirere, & deferre Provinciales jubentur. VI 2. p 874.
Philoſophia ſic interpretanda, ut Theologia ancilletur. III. 47. p. 793. opinionum philoſophicarum delectus. V. 41. p. 854. Ariſtotelis interpretes, qua cautione legendi III. 47. p 793. Philoſophicus curſus ſcribendus. V. 70. p. 870.
Pœna non eſt ſtatuenda, infligenda Superioribus gravantib9 Collegia ære alieno; ſed relinquenda arbitrio P. Generalis. VIII. 15 p. 952.
Polonia ſub Aſſiſtentia Germaniæ VI. 35. §. 15. p. 898.
Poloniæ Procurator III. 48. p. 793. De Tartaris, & Mahumetanis in Polonia diſpenſare poteſt Generalis, ut admittantur. VI. 28. p. 891.
Pontifici S. D. N. Alexandro VII. agendæ gratiæ, nomine Congr. ob reditum Societatis in Statum Venetum XI. 26. pag. 1000. Pro ſua Sanctitate indictum Sacrum, & Corona per Societatem. XI. 33. p. 1004.
Præceptum P. Mutii, de non procurandis, nec admittendis interceſſionibus Externorum, approbatur, quoad primam partem. VIII. 24. p. 956. Conficiatur indiculus eorum, quæ in Societate ſub gravi pœnâ, & culpâ præcipiuntur. VIII. 23. p. 956. Præcepta tenent, etiam mortuo, vel amoto Superiore, qui impoſuit. IX. 12. p. 973. Præceptorum numerus an ſit minuendus. IX. 24. p. 976. præcepta typis mandata non ſunt abroganda. IX. 24. p. 976. Præcepta alia quatuor non impreſſa, nec abroganda. ib. Præceptum de non admittendâ interceſſione Externorum expungendum. ibid. Præceptum de non procurandâ interceſſione Externorum explicatur. ibid. Præceptum P. Mutii, de interceſſionibus Externorum, ad omnes Provincias extenditur. X 18. p. 991.
P. P. Prædicatorum Ven. Ordo ſpeciali veneratione à Noſtris proſequendus XI. 19. p. 997. De ſignis benevolentiæ, & Charitatis exercendis erga P. P. Ordinis Prædicatorum. VIII. 12. p. 950.
Præmia Scholaſticis externis danda, non noſtro ſumptu. I. 123. p. 733.
Præſentandi jus retentum I. 136. p. 736.
Præſes Congregationis Generalis, moriente Vicario, quis? X. 10. p 988.
Principum in familiaritatem Noſtri ne ſe inſinuent. V. 48. p. 857. Inſtructio pro illorum confeſſariis approbata VI. 21. p. 885. aulas ſequi noſtri, ut Theologi, aut confeſſarii, niſi ad unum, vel alterum menſem, non debent. II. 40. p. 759.
Privilegia Societatis. I. 103. p. 728. ſubditis communicari quomodo poſſint, declarat Generalis. I. 141. p. 737. Privilegiorum aliquot uſu Noſtri rege poſtulante abſtinent in Hiſpania, in gratiam Inquiſitionis. V 21. p. 846.
Privilegiorum confirmatio petenda VIII. 44 p 964. Agendum cum Summo Pontifice pro tuendis Privileg VIII. 50. p. 965.
Proceſſiones à Noſtris non faciendæ: poteſt tamen diſpenſare Generalis, ubi expedire videbitur. III. 35. p. 790. à publicis, ut eximamur curandum: ſi declinari non poſſint, cum ſuperpelliceis procedendum, eo loco, & ordine, quo ſtatuent, qui vocant. ibid. Romana à Congregatione abrogata à Pontifice retineri juſſa. Ibid.

Procu-

Procurator generalis ad Congregationem generalem admittendus poſt electionem.III.44. p.792. admitti debet ad Congregationem Provinciæ. VI. 25. §.11. p.888. In diſſolvendis Collegiis ſuffragium non habere illum ſtatuit quarta Congregatio,IV.23. p.825. eadem ut habeat decernit.IV.27.p.827.

Procuratores Provinciarum ad Congregationem generalem admittendi poſt electionem. I.3. p.688. III.1 p.780. Nulli venire debent præter Electores, quando Congregatio cogitur ad ſolam electionem.II.2. p. 746. Vnus, aut duo eligi poſſunt à Congregatione Provinciæ, quando Generalis, aut Vicarius ad negotia tractanda adducendos ſignificavit. Ibid. Quo loco, & ordine ſedeant. III.1.p.780. IV.64.p.837. In Aſſiſtentium electione ſuffragium non habent, III.1. p.780.

Procuratores Indiarum, ſi tempore Congregationis ſint in Europa, in eam admittendi, etiam ad electionem, ſi ad hoc ſint electi.II.75. p.767. Interſunt Electioni Aſſiſtentium, qui ad hoc electi.V.77.p.872. quomodo ad hoc electi cenſeantur. IV. 41. p.831. Quod ſi non adfuerint, eligi ad negotia tractanda poſſunt in Luſitania, & Bætica. II.75. p. 767. III. 48. p. 793. Procuratores Indiarum,qui in Luſitania,& Bætica commorantur, Congregationem Provincialem pro generali futura ingredi non debent. VI.25.§.12 p.898. nec ad Congregationem generalem in poſterum mitti. VI. 35.§.6.p.898.

Procurator Generalis Societatis in Congregatione Provinciali habet ſuffragium activum ſupra numerum VIII. 48. p.965 Procuratores Indiarum in Luſitania & Bœtica commorantes, quando admittendi ad Congregationem Provincialem.VIII.53. p. 966. Procuratores Indiarum quamdiu habeant jus ad Congregationem Generalem.IX.36. p.981.

Procurator Sardiniæ,&Polon.III.48.p.793.

Procuratores jus habent in electione Admonitoris.II.22 p.754.

Procuratores Romam ituri pecuniam ſibi undecumque datam conſignent Provinciali,ut ab eo neceſſariam accipiant.VI. 26.§.6.p.890.

Procuratores negotiorum alunt ii, quorum agunt negotia.II 82.p.768 Iidem expenſas faciant in externos Procuratores, Sollicitatores, Advocatos,&c.II.83. p.768.

Profeſſi parere debent Superioribus etiam non profeſſis.III.21 p.786. ab obſervatione regularum communium non eximuntur.IV.22.p.825. jus ſuccedendi non habent.I.38.p.706. In Collegiis habitare, ut operarii ſine ſcrupulo poſſunt. VI. 18. p. 881. commendatum habeant, ut pueros aliquando juxta votum per ſe inſtituant.I.138 p 737. per dies 40. doctrinam Chriſtianam docere intra annum profeſſionis debent.II.58 p.764. Profeſſis liberum non eſt abeſſe à Congregatione Provinciæ VI. 35. §. 2 p. 896. poſt indictam Congregationem Provinciæ applicati ſupra numerum in eam admittendi.VI.19.§.2.p.883.

Profeſſio in manibus Prælati externi invalida VIII.34. p. 961. Approbatur praxis Anni 33. ſine nova obligatione pro Profeſſione.VIII.17.p.953. Declaratio validitatis cujusdam Profeſſionis, VIII. 33. p. 960. In Examine ad Profeſſionem explicandum eſt in ſuffragio, aut quis attigerit Mediocritatem.VIII.37.p. 962. Iuramentum Examinatoris, de aptitudine ad docendū, quomodo intelligatur. VIII.37. p.962. De approbatis ad Profeſ. & Theologiam.

logiam. ibid. De Theſibus aſſignandis in examine ad Profeſſionem. ibid. Ad Profeſſionem quando quis proponendus. IX. 42. p. 985. Ad Profeſſionem provehendi, qui in Græca lingua excellunt. IX. 32. p. 979. De excellentia talenti ſupplentis doctrinam requiſitam ad Profeſſionem, non exigendum juramentum. XI. 3. p. 992. Ad Profeſſionem quatuor votorum, admitti poſſunt Doctores Theologiæ ante ingreſſum, ſi excedant mediocritatem. XI. 14. p. 995. Habentes requiſita omnia ad Profeſſionem, non debent exſpectare antiquiores ſe in Societate carentes aliquo requiſito ex parte ſua. XI. 31. p. 1003.

Profeſſio 4. votorum, an ad eos tantum reſtringenda, qui Philoſophiæ, & Theologiæ curſum audierunt. IV. 14. p. 823.

Profeſſioni edendæ certum tempus conſtitui non debet. V. 36. 37. p. 847. nullæ item addendæ cæremoniæ præter Conſtitutiones. I 36. p. 706. Ad profeſſionem admittendi litterarum humaniorum, Indicarumque linguarum cognitione inſignes. VI. 15. p. 880.

Profeſſi quatuor votorum utrum poſſint eſſe Procuratores. VIII. 3. p. 948. Numerus Profeſſorum non augendus pro Congregatione Provinciali. VIII. 6. p. 949. Profeſſi poſſunt dimitti à Vicario. VIII. 46. p. 964. Profeſſi ſuperent mediocritatem in Virtute. IX. 6. p. 971. Profeſſi tenentur denunciare, etiam non Profeſſos, ambientes. IX. 13. p. 973. Quinam Profeſſi habeant jus ad electionem Vicarii Generalis. IX. 34. p. 980.

Profeſſis trium votorum vota etiam ſimplicia poſt profeſſionem facienda ſunt. IV. 54. p. 835.

Protectores Collegiorum, quales habere liceat. I. 112. p. 731.

Provinciarum dividendarum auctores Societatis Perturbatores. IX. 5. p. 970. Provinciarum legitimas diviſiones impedientes Societatis Perturbatores. ib. Provinciæ uni per quod munus cenſeatur quis applicatus. IX. 33. p. 980. In Provincia aliena diverſantes, ubi non eſt Collegium, ſubſunt Superiori vicinioris Collegii, ſeu Domûs. XI. 32. p. 1003.

Provinciarum inſtitutio Generali relicta, ita ut novis jus ſit veniendi ad Congregationem. I. 108. p. 730. & rem cum Aſſiſtentibus diligenter conſideret. II. 36. p. 758. eadem poteſtas illi confirmata. IV. 6. p. 810. applicatio ad Provinciam à quonam & quomodo fiat. VII. 59. 60. p. 933.

Provincialis poteſtas ordinaria, & extraordinaria à Generali declaranda. II. 10. p. 750. viſitare quotannis Provinciam debet arbitrio Generalis. I. 111. p. 731. quorum expenſis alatur, & iter faciat. II. 82. p. 768. ſuffragium habet in diſſolvendis Collegiis. IV. 23. p. 825. Suffragia quot habeat in Congregatione. VI. 35. §. 8. p. 897. Duo habet extra Europam in conſultatione ad eligendum Procuratorem. VI. 35. §. 13. p. 898. Applicare aliquem Provinciæ an poſſit. VII. 60. p. 933. Iudicat de impedimentis congregandorum, ſed impedire neminem debet. VI. 35. §. 4. p. 897. VII. 48. p. 931. decr. 53. p. 932. Provinciali impedito, vel mortuo, quis ejus loco venire ad Congregationem generalem debeat. VI. 35. §. 3 p. 896. Triennio gerit officium juxta Conſtitutiones. II. 68 p. 766. Vltra trienium gubernare vetuit Clemens VIII. eoſque viſitari, & rationem reddere juſſit. V. 64. p. 868. Provinciali mortuo quis Viceprovincialis ſuccedat. IV. 56. p. 835.

Provincialis à quo poſſit abſolvi à reſervatis. VIII. 25. pag. 957. Provincialis non poteſt

poteſt admittere ad Probationem ante 15. & ad Vota ſimplicia ante 17. ætatis annum VIII. 35. p. 961. Penes Provincialem eſt ſtatuere de iis, qui judicio Examinatoris, non ſuperant mediocritatem. VIII. 37. p. 962. Provincialis promoveat Exercitia Spiritualia. VIII. 38. p. 963. Facultas Provincialis ad contractus. VIII 54. p. 966. Provincialis habeat deſcriptum numerum Sociorum, qui ſupra vires Provinciæ aluntur. VIII. 60. p. 868. Provincialis judicet, quinam eximendi à conferentia caſuum. IX. 8. p. 972. Provinciali facto inutili in Europâ, quid agendum. IX 11. p. 972. Provincialis abſentis locus ſupplendus in Congregatione Generali. IX. 16. p. 974. Provinciali defuncto ſuffragia extraordinaria decernuntur. IX. 21. p. 975. Provinciali mortuo non ſuccedunt Vicepræpoſiti, neque Vice-rectores. IX. 35. p. 980. Provinciali in Indiis facto inutili, quid faciendum. IX. 40. p. 983. Provincialis quando debeat proponere promovendos ad profeſſionem quatuor votorum. IX. 42 p. 985.

Q.

QVatriduum informationem ante electionem Generalis, & in eo præſtanda. I. A. 6. 19. p 690 698. II. A. 26. p. 745. Intra quatriduum, ſi qui veniant, deliberabit Congregatio, an ſuffragia ſint habituri. II. A. 26. p. 745.

R.

REcreationis quotidianæ hora retinenda. VI. 6. p. 876. Recreatio ceſſat triduo hebdomadæ ſanctæ. VII. 34. pag. 926. Scholaſticorum hebdomadaria, domi, vel in vinea, quomodo traducenda. VI. 40. §. 7. & § 9. p 904. 905.

Rectores intra annum per ſe vel per alium doctrinam Chriſtianam docere debent. II. 65. p. 765. Eorum officia nullum tempus præſcribendum. II. 68. p. 766. V. 35. p. 650. ultra triennium durare vetuit Clemens VIII. V. 64. p. 868. Rectores profeſſi in Congregatione ſedent ordine ſuæ profeſſionis inter profeſſos. VI. 25. §. 3. p. 887. Rectores Convictorum, & Seminariorum à Congregatione Provinciæ excluſi. V. 81. p. 873. VI. 25. §. 1. p. 886.

Redditio rationum per Superiores & Procuratores. VIII. 60. p. 968.

Reditus petitionum publicarum, an retinendi. I. 122. p. 733.

Regularum ſummarium integrum conſervandum. II. 57. p. 763. Generali emendandum committitur. III. 27. p. 788.

Regulæ communes ab omnibus obſervandæ, etiam profeſſis. IV. 22. p. 825. Scholaſticorum bis, aut ter ſingulis annis legendæ. II. 66. p. 765.

Regulæ communes, & officiorum Generali commiſſæ, ut recognoſcantur. I. 133. p. 736. II. 57. p. 763

Regulas condere ſolius eſt Generalis, & eorum qui auctoritatem ab eo acceperint. I. 14. p. 738.

Reliquias Sanctorum Eccleſiis applicatas alienare, vel uſurpare non licet. VII. 28. p 923.

Renovatio Votorum quibus feſtis facienda. II 64. p. 765. Eam præcedat triduana recollectio. VI. 19. p. 892. VII. 77. p. 937.

Renovatio Votorum aliquando habet vim primæ nuncupationis. VIII. 22. p. 955.

Reviſores habent vocem paſſivam in ſuis Provinciis. VIII. 57 p. 967. Reviſoribus librorum quid obſervandum. X. 11. p. 988.

Pro Rege Catholico indicenda ſuffragia. VIII 36. p. 961.

Ritus

Ritus Romanus ſervandus ubique in Ceremoniis Eccleſiæ. IX 19. p. 975.

Roſarium, an quotidie recitandum. VI. 40. §. 4 p. 904. ejus bene dicendi modus conſcribendus. I 103. p. 728.

S.

SAcerdos Socius non eſt addendus P. N. Generali niſi ipſo volente. VIII. 55. p. 967.

Saracenorum genere orti ad ſocietatem non admittendi. V. 52. 53. p. 861. ultra quintum gradum non excluduntur, niſi ſit in famia. VI. 28. p. 891.

Scholis Noſtris an excludendi, qui à Societate defecerunt. I. 119. p. 732. Munus docendi literas Humaniores proprium Societatis VIII. 8. p. 949.

Scholaſtici Magiſtrorum cubicula quomodo ingredi poſſint. VI. 40. §. 5. p. 904. Eorum colloquia cum externis. VI. 40. §. 1. p. 904. recreatio hebdomadaria, quomodo tranſigenda domi, & in vinea. VI. 40. §. 7. & 9. p. 904. 905.

Scholia Conſtitutionum facienda decernuntur. I. 51. p. 711. Fieri non placet. IV. 34. p. 829.

Scribendi formula à quinque Patribus confecta. II. 16. p. 752.

Secreta deliberationum, & alia evulgantes puniendi. VII. 23. p. 910.

Secretariæ Romanæ ſcriptores Provinciarum contributione ali non probat Congregatio. IV. 18. p. 814.

Secretario Societatis defuncto ſuffragia extra-ordinaria ſtatuta. IX. 7. p. 971. Secretarius electionis Generalis dum eligitur, qui videre debent ſuffragia. X. 7. p. 988.

Secretarius electionis in prima, & ſecunda Congregatione electus in quatriduo. I. A. 14. p. 695. eligendus ante quatriduum. III. A. 2. p. 776. præcedit Aſſiſtentem. I. A. 14. p. 696. ejus juramentum, & officium. ibid. 15. 16. 17. p. 696. & II. 80. p. 768. Nudo capite ſtare jubetur. I. A. 16. p. 697. Sed hoc non probat ſecunda Congregatio. II. A. 24. p. 744. Hujus officium terminat finis electionis, vel Congregationis. II. 80. p. 768.

Secretarius Congregationis generalis, vel idem qui ante electionem confirmatur, vel novus eligitur. II. 80. p. 768. Duo item Patres eligendi, ad ſuffragia numeranda, & conficienda decreta cum Secretario. ibid. Decreta confirmata leget ante finem Congregationis, & in libro deſcripta ſua manu ſubſcribet, & ſigillo muniet Societatis. II. 81. p. 768.

Secretarius Præpoſiti Generalis, ſi profeſſus eſt 4. votorum ad Congregationem Provinciæ admittendus. IV. 11. p. 822. VI. 25. §. 12. p. 888. ad Generalem vero, poſt electionem, etiam non profeſſus. IV. 11. p. 822. Informationes ab eo peti poſſunt. IV. 11. p. 822. Suffragium in diſſolvendis Collegiis non habet. IV. 23 p. 825. habere jubetur. IV. 27. p. 827. Secretarii regulæ recognitæ. VII. 101. pag. 946. excudendæ VII. 30. p. 914.

Seminarium noſtrorum in qualibet Provincia, ſaltem unum ſit II. 9. p. 749.

Seminaria Clericorum quando, & quomodo admitti poſſint. II. 18. p. 753.

Septembris dies XXVII. quomodo in Societate celebrandus. VII. 54. p. 931.

Sepultura, & funus Noſtrorum. I. 109. p. 730. IV. 4. p. 819. externorum in Eccleſiis noſtris. I. 121. p. 733.

Sinarum miſſio. VII 86. p. 342.

Solvere, id quod neceſſarium eſt ad ſuſtentationem, non debent ii, qui in Collegiis degunt. VIII. 39. p. 963.

Spiritus augmentum. VIII. 38. p. 963. cura de Spiritu promovendo ſummopere com-

commendata P. Vicario. XI. 30. p. 1003.

Pro Studiis Superioribus relata à Patribus Deputatis. VIII. 37. p. 961. De dando ſuffragio circa Mediocritatem. ib. p. 962. De juramento circa aptitudinem docendi. ib. De Approbatis ad Profeſſionem, & Theologiam. ibid. De Theſibus aſſignandis pro examine ad Profeſſionem. ib. De ſuffragiis pro Metaphyſicis. ib. p. 963. Provincialis ſtatuat circa eos, qui non ſuperant mediocritatem. ibid.

Subſtantialia Inſtituti, quæ ſint. V. 44. 45. p. 856. decr. 58. p. 866. Subſtantialium catalogum texendum non videri. VII. 40. p. 928. De ſubſtantialibus in Congregatione agere non licet. I. 16. p. 702. quæ ad ea pertinent immutari non poſſunt. II. 6. p. 748. Contra illa in Congregatione Provinciæ agere non licet. IV. 26. p. 826. etiam cum dubium eſt an talia ſint. VI. 12. p. 879. quando unus Deputatorum dubitat VI. 19. §. 3 p. 884. quando abſolute affirmat. VII. 35. p. 927. Qui contra ſubſtantialia aliquid proponunt, caſtigandi arbitrio Generalis. VI. 12. p. 879.

Subſtituti Secretarii habent vocem paſſivam in ſuis Provinciis. VIII. 57. p. 967. Subſtituti in Congregatione Provinciali ad negotia admittendi. X. 3. p. 987.

Suffragium circa Mediocritatem dandum eſt in examine ad Profeſſionem. VIII. 37. p. 962. Quot ſuffragia requirantur ad Profeſſionem, & ad procedendum in Theologia. VIII. 37. p. 962. Quot ſuffragia Metaphyſicis, ut ad Theologiam admittantur. VIII. 37. p. 962. Suffragium aliena manu exhibitum, etiam validum. IX. 17. p. 974. Suffragia extra-ordinaria Aſſiſtentibus, Secretario, & Provincialibus ſtatuta. IX. 21. p. 975.

Suffragia in negotiis ſecreta eſſe non debent, neque ferri poſt auditas deliberationes. III. 13. p. 783. VI. 22. p. 884. plura medietate in rebus gravioribus decernendis, in reliquis ſatis eſt, ut plura ſint. II. 7. p. 748.

Suffragiorum numerus, non qualitas in electione ſpectatur. I. A. 4. p. 689.

Suffragia cui data ſint, manifeſtari non debet. VI. 35. §. 11. p. 898. ſervanda donec ſolvatur Congregatio, & tunc comburenda. I. A. 18. p. 698. comburenda ſtatim poſt decretum electionis promulgatum. II. A. 21. p. 743. decr. 25. p. 744. In Congregatione Provinciæ, & Procuratorum ſtatim à Secretario comburenda, ſed non neceſſe, ut eodem loco. VI. 25. §. 6. p. 887. In Congregatione Procuratorum ſtatim & eodem loco. VII. 78. p. 937.

Suffragia pro Noſtris defunctis. III. 40. p. 791.

Superintendentis nomen, vel officium an in Societate uſurpandum. II. 86. p. 769.

Superiores locales à quo poſſint abſolvi à caſibus reſervatis. VIII. 25. p. 957. Non eſt ſtatuenda pœna infligenda Superioribus gravantibus ære alieno Collegia, ſed relinquenda arbitrio Generalis. VIII. 15. p. 952. Superiores locales neminem poſſunt eximere ab Exercitiis Spiritualibus obeundis ſingulis annis. VIII. 38. p. 963. Superiores primæ Reſidentiæ in Indiâ & totius Miſſionis Hollandicæ admittendi ad Congregationem Provincialem in ſuis Provinciis. VIII. 51. p. 965. Reddenda à Superioribus ratio. VIII. 60. p. 968. Superiorum renuntiatio quando authentica. IX. 10. p. 972. Superiore mortuo, vel remoto, adhuc tenent ejus præcepta. IX. 12. p. 973. Superiores inchoatorum Collegiorum, qui habeant jus ad Congregationem Provincialem

lem. IX. 18. p. 974. Superioribus incumbit munus executionis. IX. 26. p. 978. Superiores nominati à Generali defuncto. X. 9. p. 988.

Superioribus localibus non præfigendum triennium, non prorogandæ tamen nimium præfecturæ. V. 35. p. 850. an ad reddendam officii rationem adſtringendi. V. 33. 34. p. 850.

Superpellicei uſus in Laicis qui Miſſis inſerviunt. I. 95. p. 724. in Lectionibus ſacris. I. 110. p. 731. IV. 10. p. 821.

T.

TArtari an admitti poſſint ad Societatem. VI. 28. p. 891.

Theologi ut ſingulis annis procedant in Theologia, quot requirantur ſuffragia; & quot ut admittantur ad Profeſſionem. VIII. 37. p. 962.

Ad Tertium annum Probationis non tenentur, qui abſolutis ſtudiis, in Societatem ingrediuntur. VIII. 9. p. 949.

Theologiæ moralis lectio inſtituenda præter Scholaſticas. VII 33 §. 7 p. 926.

Theologiæ profeſſores tamdiu doceant, quamdiu Superioribus videbitur. VII. 95. p. 945.

Theſes pro examine ad Profeſſionem à quibus aſſignandæ; & quando commutandæ. VIII. 37. p. 962.

S. Thomæ doctrina Noſtris ſequenda. V. 41. p. 853.

Triennium Superiorum localium quando incipiat, & deſinat. VIII. 43. p. 964.

Typographiæ ſumptus an ſuſcipere Noſtris liceat. VII. 84. §. 3. p. 941.

V.

VAcationum generalium Inſtructio cum Scholaſtici in prædio verſantur. VI. 40 §. 8. p. 905.

Venetæ ditionis exilium. VII. 100. p. 946.

Venetum Collegium in Domum profeſſam converſum. II. 25. p. 756.

Veſperarum cantus. I. 39. p. 707. II. 17. p. 752.

Vicarius paribus ſuffragiis qualitatem habet præcedendi. I. A. 4. p. 689. ei ſubeſſe debent omnes Officiales. ibid. 5. ſi de ambitu notetur, ad quos deferendus. 9. p. 694. Miſſam die electionis celebrat, vel is quem deſignarit. 10. p. 694. Quorum opera uti poſſit ante quatriduum. 14. p. 695. jurat de ſyncera publicatione ſuffragiorum. 15. p. 696. abſolvit Electores à cenſuris. ibid. primus dat ſuffragium. 16. p. 696. promulgat electum, & format decretum. ibid.

Vicario eligendo ſex minimum adeſſe debent. II. 50. p. 761. nec plures quam quadraginta. VI. 27. §. 1. p. 890. Ejus officium non tantum ad convocandam, ſed etiam ad gubernandum Societatem ſe extendit. I. 43. p. 708. prorogare poteſt tempus indicendæ Congregationis una cum Aſſiſtentibus. I. 44. p. 708. Declarat cum iiſdem quo die & loco futura ſit. VI. 35. § 19. p. 899. conſultare tenetur, & ſtatuere cum Aſſiſtentibus de re, quam major illorum pars graviſſimam judicat. VII. 74. p. 936. unicum habet ſuffragium inter Deputatos de detrimentis. II. 92. p. 770. Officio defunctus ſedet inter Provinciales ordine ſuæ profeſſionis. III. 2. p. 780. Vicarium nominare ante mortem debet Generalis. IV. 20. p. 815.

Vicarius poteſt dimittere Profeſſos & Formatos. VIII. 46 p. 964. In caſu impotentiæ Generalis, judicium de eligendo Vicario eſt penes Aſſiſtentes. VIII. 28. p. 958. De electione Vicarii, data impotentia Generalis. VIII. 29 p. 959. Vicarius in caſu mortis non nominet Vicariū IX. 14. p. 974.

p. 974. Vicarius Generalis à quibus eligendus. IX. 34. p.980. Vicarii Generalis facultates. X. 8. p 988. Vicario moriente quis Præſes Congregationis Generalis X. 10. p.988. Vicarius tempus cogendæ Congregationis Generalis prorogare poteſt. X.4 p.987. Vicarius Generalis perpetuus, cum jure ſucceſſionis, proponitur à R.P. N. XI. 1. p. 992. Decernitur ut eligatur. XI. 2. p. 992. Petenda facultas eligendi à ſummo Pontifice. ibid. 4. p. 993. Et obtenta. ibid. 6. p. 993. Electus R. P. Joannes Paulus Oliva. ibid. 8. p. 994. Poteſtas Vicarii Generalis perpetui. XI. 29. p. 1001. Confirmata à Pontifice XI. 34. p. 1004. In obitu Aſſiſtentis poteſt nominare alium. XI. 29. §. 2. p. 1001. In caſu infirmitatis ſuæ poteſt ſibi ſubſtituere alium Vicarium. XI. 29. §. 3. pag. 1001. Si moriatur ante Præpoſitum Generalem, quid agendum? XI. 29. §. 4. p. 1001.

Vicarii officium in ſecunda Congregatione conſcriptum. II. p. 770. in tertia approbatum. III. 33 p. 789. & p. 811.

Vice-Rector & Vice-Præpoſitus non ſuccedit Provinciali mortuo. IX. 35. p. 980.

Virtus Profeſſorum debet excedere mediocritatem. IX. 6. p. 971.

Viſitator non habet jus ad Congregationem Provincialem, vi muneris. IX. 18. p. 978. Viſitatore facto inutili in Indiis, quid agendum? IX. 4. p. 970.

Viſitatoris officium in Europa expirat per mortem Generalis. IV. 3. p. 819. in qua Provincia Congregationem ingredi poſſit. VI. 35. § 6. p. 897. quænam ejus Provincia cenſenda ſit. VII. 58. p. 933. decr. 70. p. 939. quorum expenſis alatur, & iter faciat. II. 81. p. 768. Viſitatorum regulæ recognitæ. VII. 37. p. 927.

Vniformitas in cultu quotidiano Deiparæ. IX. 7. p. 972. Vniformitas ubique ſervanda in Ceremoniis Eccleſiæ juxta Ritum Romanum. IX. 19. p. 975.

Vniverſitatum cathedræ publicæ qua ratione admitti à Societate poſſint. I. 118. p. 732. II. 24. p. 756. univerſitas Valentina non admiſſa propter adjunctas conditiones. II. 21. p. 754. In Noſtris univerſitatibus neminem promovendum ad ullam facultatem, quam Noſtri non profitentur. II. 70. p. 766.

Vota ſimplicia Societatis in ſolemnia mutanda non eſſe. I. 94. p. 713. eorum obligatio. II. 63. p. 765. qui poſt illa deficiunt, ut Apoſtatæ puniendi. IV. 53. p. 834. Ne in illis diſpenſare poſſint Nuntii Apoſtolici, curandum. I. 142 p. 737. eorum formulæ nihil adjiciendum. V. 4. p. 840. Promiſſio in his contenta peculiaris voti vim habet. V. 5. p. 841. etiam in Coadjutores. VII. 39. p. 928. quod Novitiis inſinuari debet. V. 50. p. 858. Bis tantum quotannis renovanda. IV. 55. p. 835. renovationis feſta mutari à Generali poſſunt. II. 64. p. 765.

Vota ſimplicia profeſſorum, eorumque formula approbata, & executioni mandata. I. 102. p. 727. correcta uno loco. III. 46. pag. 793. his addi promiſſionem de ſubſtantialibus inſtituti non placuit. IV. 26. pag 826. Emitti debent etiam à profeſſis trium votorum. IV. 54. p. 835. Eorum transgreſſio eſt caſus reſervatus. 5. 77. p. 872.

Vota in ſeculo emiſſa, in Noſtris ceſſant, dum in Societate manent. I. 131. p. 735.

Votorum renovatio quando poſſit habere vim primæ nuncupationis. VIII. 22. p. 955. Vota ſimplicia nuncupata à Noſtris ante annum ætatis 17. invalida. VIII. 35. p. 961. neque poteſt in eo diſpenſare Provincialis. ibid. Votum Profeſſorum, denunciandi Ambientes, obligat etiam de non Profeſſis. IX. 13. p. 973.

CANO-

CANONES CONGREGATIONVM GENERALIVM SOCIETATIS IESV.

Juxta editionem excuſam.



ANTVERPIÆ,

Apud JOANNEM MEVRSIVM.

SVPERIORVM PERMISSV.

AD
LECTOREM.

NOVERIT Lector hic citari Decreta juxta ordinem, quo in MS. digeruntur, & numerum, qui eſt in fronte Decreti cujuſque ſecundo loco poſitus, & minutiore charactere expreſſus.

CANONES
EX DECRETIS CONGREGATIONUM GENERALIUM EXTRACTI.

CANONES
PRIMÆ CONGREGATIONIS GENERALIS,
Auctoritate Quartæ recogniti.

I.

NOSTRI, qui ante ingreſſum in Societatem habebant beneficia, non cogantur ea relinquere ante profeſſionem, niſi jubente Generali, Commiſſario, vel Provinciali, poſt primum annum probationis. *Tit. 6. d. 61.*

Circa Exa. c. 4. §. 5. Beneficia quando relinquenda.

2. Si quæ beneficia perſonis de Societate conferantur, ſive curata ſint, ſive ſimplicia, ne admittantur. *Tit. 6. d. 60.*

Exa c. 4. §. 5. Beneficia non admittenda.

3. Solus Præpoſitus Generalis auctoritatem habeat regulas condendi: & alii eam dumtaxat, quam ab ipſo acceperint: & cum eâ ſi quid ordinabunt, tranſmittant Præpoſito, ut id examinet; & ſi videat expedire, confirmet. *Tit. 6. d. 64.*

Circa 1. p. Conſt. in Proœm. decl. §. 1. Solus Generalis condit regulas.

Procem. decl. §. 1. Conſtitutiones firmæ habendæ. d. 1.

4. Conſtitutiones firmæ, ac ratæ habendæ, & etiam obſervandæ ſunt, prout in exemplari originali Patris noſtri IGNATII habentur. *Tit.* 2. *d.* 1.

P. 1. c. 3. §. 5. Ordo militum Chriſti.

5. Sæculares, qui emittunt vota in ordine militari vocato Chriſti, poſſint ad Societatem noſtram admitti, licet credatur non emiſſuros profeſſionem apud nos. *Tit.* 6. *d.* 50.

Circa 3. p. Conſt. c. 1. §. 5. Benedictio menſæ. a Cong. 4. d. 71.

6. In benedictione menſæ, & gratiarum actione ſequendus eſt uſus Romanus communis, & id in refectorio (nam in privatâ, *a* & ſecundâ mensâ, antiqua conſuetudo retineri poteſt) & non ſedendo benedictio, & gratiarum actio fiat. *Tit.* 6. *d.* 20.

Circa 4. p. Conſt. c. 1. §. 3. Protectores.

7. Habeantur amici, qui protectionem ſuſcipiant Collegiorum; ſed nomina, quæ jurisdictionem dicant, vitanda ſunt, ne aliquando eorum aliqui plus ſatis ſibi ſumant. *Tit.* 6. *d.* 33.

P. 4. c. 1. § 4. Quibus ſepultura concedenda.

8. Concedenda eſt ſepultura in noſtris eccleſiis, qui Collegiorum noſtrorum fundatores extiterunt, vel fundationes juverunt: Principibus etiam, & Præſatis, qui id voluerint. Aliis autem perſonis, etiam benemeritis, non eſt id ſine facultate Præpoſiti Generalis concedendum. Quicumque tamen illi fuerint, non videntur ea officia pro eis publicè dicenda, quæ pro noſtris fratribus defunctis dicere ſolemus: & obſervetur ne cuiquam præjudicium fiat hujusmodi ſepulturis, & ut nullus Noſtrum ſponte ſe offerat ad eam licentiam petendam, & ne jus ſepulturæ poſteri eorum, qui ibidem ſepeliuntur, acquirant. *Tit.* 6. *d.* 42.

P. 4. c. 1. § 4. Exequiæ Principum. a Declaratur in 4. Cong. d. 72.

9. *a* In morte Principum, quando pro eis exequiæ publicæ fieri ſolent per eccleſias civitatis, poſſunt in noſtris eccleſiis hujusmodi exequiæ celebrari cum feretro ſine pompâ; celebrando ſcilicet Miſſas, vel ſi uſus patriæ habet, etiam recitando Officium defunctorum modo noſtro ſimplici, ut fieri ſolet in ſepulturis Noſtrorum. *Tit.* 6. *d.* 41.

P. 4. c. 2. §. 4. Capellaniæ.

10. Non expedit, ut Capellaniæ, quibus inſerviunt Clerici ſæculares, quos Noſtri poſſint eligere, in noſtris eccleſiis erigantur. *Tit.* 6. *d.* 55.

P. 4. c. 2. §. 5. Ædificia.

11. Modus imponatur ædificiis Domorum & Collegiorum, quod in nobis eſt, ut ſint ad habitandum, & officia noſtra exercendum utilia, ſana, & fortia: in quibus tamen paupertatis memores eſſe videamur. Vnde nec ſumptuoſa ſint, nec curioſa. De Eccleſiis tamen nihil dictum eſt. *Tit.* 6. *d.* 34. *Can.* 9. *Cong.* 2.

12. Noſtris præſcribendum non eſt, ut omnes in eumdem locum orationis causâ conveniant. Quod de ordinariâ oratione intelligitur, non de extraordinariâ, quæ pro re natâ publice ad tempus inſtitui poteſt. *a* Cum Novitiis tamen in oratione ante cœnam diſpenſari poterit, ubi Præpoſitus Generalis expedire judicaverit. *Tit.6.d.*19. P.4.c.4.§.3.&4. *Orare ſimul.* *a* Cong.4.d.70.

13. Initio concionum ſemper ſalutetur B. Virgo, ſive prooemium præmittatur, ſive non. Superpelliceo autem utendum eſt inter concionandum; ſtola verò juxta patriæ morem adhibeatur, vel non. In lectionibus ſacræ Scripturæ ad populum ſuperpelliceum eſt adhibendum, *b* niſi in iis regionibus, & locis, ubi in hujusmodi lectionibus non eſt ſuperpellicei uſus. *Tit. 6.d.*37. P.4.c.8.§.3. *Conciones.* *b* Cong.4.d.14.

14. Chriſtiana doctrina canendo doceri poteſt, ubi ad majorem ædificationem id fore obſervabitur. *Tit.6. d.*58. P.4.c.8.§.6. *Doctrina Chriſtiana.*

15. Cathedræ publicæ in Vniverſitatibus, aut alibi, cum eâ diſceptatione ſuffragiorum, & oppoſitione, quæ ſolet fieri, non ſunt admittendæ: ſi tamen ſponte offerantur ab Vniverſitatibus, aut Rectoribus earum, & gratis prælegatur, nec quiſquam ſe opponat, cum quo ſit diſceptandum, admitti poſſent conſulto Generali. *Tit.9.d.*39. P.4.c.12. & 14. *Cathedræ in Vniverſitatibus.*

16. Proponi, & dari poſſent munuſcula quædam (quæ præmia vocantur) ſcholaſticis externis, ut eâ ratione inflammentur ad ſtudia litterarum: dummodò fratribus noſtris ne dentur, nec externis noſtro ſumptu: & ſervetur modus honeſtus & religioſus. *Tit.6.d.*44. P.4.c.13.§.3. *Præmia ſcholaſticis.*

17. Conſtitutio Capitis decimi ſexti quartæ partis, pertinens ad correctionem externorum ſcholaſticorum, ut jacet, eſt retinenda & ſervanda: ſicubi tamen neceſſe fuerit, poterit diſpenſare Præpoſitus Generalis. *Tit.*2 *d.*21. P.4.c.16.§.5. *Corrector.*

18. In ſcholis noſtris, cùm Univerſitatum curam ſuſcipimus, eos etiam admittere debemus, qui à Societate poſt emiſſa vota defecerunt, niſi ex admiſſione grave ſcandalum ſequeretur: de quo judex erit Præpoſitus Provincialis. *Tit.6.d.*40. P.4 c.17.§.3. *Dimiſſi quando ad ſcholas admittendi.*

19. Quæ inſignia ferre debeant Doctores & Magiſtri de Societate in Vniverſitatibus, cùm publicis actibus præſident, pertinet ad Præpoſitum Generalem determinare, ut ipſe Conſtitutiones Vniverſitatum declaret. Non autem incommodum eſt, ſi Noſtri in his publicis actibus portent aliqua inſignia, in pileo præſertim, ut ſunt fila illa ſerica, quæ ponuntur in medio pilei. *Tit.6.d.*52. P.4.c.17.§.8. *Inſignia doctoratus.*

Circa 5.p. Conſt.c.3.§.2. *Ceremoniæ in profeſſionibus.*

20. Conſtitutiones quintæ partis circa profeſſiones emittendas ſervandæ ſunt, nec ceremoniæ addendæ. *Tit.2.d.22.*

5.p c.3.§.3. *Votum de pueris inſtruendis.*

21. Inſtitutio puerorum in doctrinâ Chriſtianâ, præter id quod ad probationes pertinet, valdè commendatur profeſſis, ut hoc pium opus, juxta litterarum Apoſtolicarum, & Conſtitutionum rationem exequantur. Pater quidem noſter IGNATIVS injunxit ſingulis profeſſis, ut ſemel per quadraginta dies id facerent. *Tit.6.d.59.Can.20.Cong.2.*

P.5.c.4. *Vota ſæculi ſuſpenſa.*

22. Vota, quæ Noſtri cùm adhuc eſſent in ſæculo emiſerunt (agitur autem de aliis, quàm de Religionis determinatæ) in noſtrâ Societate ſuſpenſa ſunt, etiam ſi per profeſſionem non tollantur: & ita obligationem eorum ceſſare, dum in Societate manent, intelligatur. *Tit. 6.dec.53.*

Circa 6.p. Conſt.c.2.§.15. *Coadjutorum habitus.* a Cong.3. decr.32.

23. Eâ indumenti ratione utantur Coadjutores temporales, quâ ipſi à noſtris Sacerdotibus, & à ſæcularibus hominibus diſtinguantur; ſitque veſtitus eorum honeſtus juxta morem patriæ. *a* Et pileorum quidem ratio Generalis arbitrio relinquitur, ſic tamen ut prædicta diſtinctio ſervetur. *Tit. 6.d.16.*

Barba.

24. Noſtri barbam ne nutriant. *Tit.6.d.35.*

P 6.c.3 §.4. *Cantus Miſſæ, &c.*

25. Servanda eſt Conſtitutio tertii capitis ſextæ partis, quæ dicit; Veſperas cantari poſſe, non item Miſſam; & non niſi ex graviſſimâ causâ diſpenſet Præpoſitus Generalis, ut Miſſa cantetur, & id tantùm Dominicis diebus & feſtis. *Tit.2.d.25.Can.24.Cong.2. & Can.9.Cong.3.*

P.6.c.3. lit.B. *Pileus pro inſervientibus Sacro.*

26. Coadjutores temporales, qui inſerviendi Miſſis officium habent, Clericali pileo utantur. Quòd ſi alicubi expedire judicetur, ut dum inſerviunt, ſuperpelliceo utantur, petatur facultas à P. Generali. *Tit. 6. d.16.*

P.6.c.4.§.3. *Defunctorum habitus.*

27. Obſervetur circa veſtitum Sacerdotum mortuorum, quod de viventibus dicitur in Conſtitutionibus; ut ſcilicet utamur eo modo, quo Sacerdotes honeſti ejus regionis, in quâ verſamur, uti ſolent. Fratres verò, qui Sacerdotes non ſunt, ſepeliantur eo modo induti, quo alii Clerici honeſti, qui Sacerdotes non ſunt, ſepeliri ſolent. *a* Poterit tamen P. Generalis diſpenſare, ubi viſum illi fuerit magis in Domino expedire ad communem ædificationem, ut non Sacerdotes in eo veſtimenti genere ſepeliantur, quo dum viverent, utebantur. Quod autem attinet ad Officium pro defunctis,

a Cong.4. dec.2.

ctis, Conſtitutiones ſerventur, ubi in eccleſiâ noſtrâ funus celebratur, & numerus ſufficiens Noſtrorum erit: ubi enim alterutrum deeſſet, poſſent externi vocari ad funera Noſtrorum. *Tit.6.d.*30.*P.*6.*c.*2.*§.*15.

28. Si Præpoſitus Generalis extra Vrbem mitteretur, vel ſponte iret, non ad tempus breve, arbitrio ipſius relinquendum eſt, an aliquos ex Aſſiſtentibus ſecum habere debeat, necne, prout negotia conficienda erunt plura, vel pauciora: ut ſocium tamen ſemper aliquem eorum apud ſe habere deberet. *Tit.6.d.6.* Circa 8. p. Conſt. c. 1. §. 7. *Aſſiſtentes cum Generali Romam exeuntes.*

29. Poterit Præpoſitus Generalis Provincialibus injungere, ut quotannis viſitent Domos & Collegia ſuarum Provinciarum, vel eorum arbitrio id relinquet; & ipſemet Conſtitutiones in hac parte interpretetur. *Tit. 6. d.* 32. P.8.c.1.§.7. *Provinciales viſitent quotannis.*

30. In menſâ Sacerdotes præcedent alios ad eum gradum non promotos: inter ipſos autem Sacerdotes, aut inter ceteros, qui Sacerdotes non ſunt, nullus ordo conſtituatur. *Tit.6.d* 27. P.8.c.7.§.2. *Ordo in menſâ.*

31. De carceribus tenendis jus quidem eſt penes Societatem, uſus autem Præpoſito relinquitur. *Tit.6.d.*37. Circa 9.p. Conſt. c.3.§.10.& 11. *Carceres.*

32. Non expirat poteſtas Provincialium & aliorum officialium per mortem Præpoſiti Generalis, nec per electionem novi: neque licet eidem Præpoſito mutare hujuſmodi officiales (*a* qui ab ipſo Generali creantur) uſque ad diſſolutionem Congregationis, niſi eidem Congregationi aliquem eſſe mutandum videretur. *Tit.*1.*d.*1.*Can.*23.*Cong.*4. P 9.c.3.§.18.&15. *Provinciales, &c. non expirant in morte Generalis.* *a* Cong.4. Decr.69.

33. Commiſſarii non erunt officiales ordinarii, ſed prout viſum fuerit Præpoſito Generali expedire. Poſt mortem verò Præpoſiti expirat (in *b* Europâ) Commiſſariorum poteſtas. Nec ratione officii ſuffragium habebunt ad electionem novi Præpoſiti, niſi alioqui eligerentur inter illos ternos de eâ Provinciâ, in qua verſabuntur tempore Congregationis Provincialis; ad quam vocari debebunt, & eligi poterunt, ut veniant ad Congregationem generalem. *Tit.6.d.*12. & 13.*Can.*35.*Cong.*2. P.9.c.3.§.20. *Commiſſarii.* *b* Cong 4. Can. 23.

34. Cùm dicatur capite quarto nonæ partis, providentiam Societatis circa Præpoſitum Generalem eſſe primùm circa externa, ſecundò circa corpus, tertiò circa animam: & in capite ſequenti dicatur, quòd per Aſſiſtentes exerceat Societas hanc providentiam, qui in tribus dictis dicent & facient, P.9.c.4.§.2.3.& 4.& c.5. §.2. *Auctoritas Aſſiſtentium circa Generalem.*

 quod

quod in Domino judicaverint expedire: Declaratur, quòd verba illa, *Dicere*, & *Facere*, ita ſunt intelligenda, ut conjunctim ad tria referantur; Facere quidem, & dicere, ad duo priora; Dicere vero, id eſt Admonere per perſonam ad id deputatam, ad tertium tantùm. *Tit.6.d.*3.

P.9.c.5. §.3. *Aſſiſtentis adverſa valetudo.*

35. Sine conſenſu Societatis non poteſt dimitti officium Aſſiſtentis, etiam ob adverſam valetudinem in äëre Romano. Quòd ſi per Societatem id licebit, Conſtitutionum ordo in alio ſubſtituendo ſervetur. *Tit.6.d.*5.

P.9.c.5.§.3. *Aſſiſtens quando à Pontifice mittitur.*

36. Si Pontifex quempiam ex Aſſiſtentibus aliquò mittere vellet, diſcretioni Generalis relinquitur, an eum informare debeat, ut potius alium mittat: ut plurimùm tamen informari ab eo Pontificem oportet. *Tit.6.d.*7.

P.9.c.5.§.3. lit.A. *Quando à Generali.*

37. Si mittatur Aſſiſtens à Præpoſito extra locum, in quo ipſe reſidet; non ſe excuſare debet, ſed obedire. Ipſius tamen Præpoſiti erit Conſtitutionum meminiſſe, quæ non eſſe facilè ablegandum quempiam Aſſiſtentium ſtatuunt. *Tit.6.d.*4.

P.9.c.5. §.3. *Aſſiſtens quando malè ſe gerit.*

38. Si malè ſe gereret Aſſiſtens, adeò ut indignus videretur eo loco; poſſet interim ſuſpendi ab officii executione à Præpoſito Generali: non tamen omnino removeri, niſi de conſenſu Societatis, juxta Conſtitutiones. Poterit tamen alius à Præpoſito conſtitui, prout illæ dicunt in caſu mortis, & diuturnæ abſentiæ. *Tit.6 d.*8.

P.9.c.6.§.8. *Secretarius ne idem ſit qui Aſſiſtens.*

39. Licet in unam perſonam coincidere poſſit Secretarii & Aſſiſtentis officium, melius eſt tamen diverſis perſonis hæc officia committi. *Tit.6.d.*10.

FOR-

F O R M V L A

Circa p. 6. Conſt. c. 2. §. 3. & p. 10. §. 6.

Votorum ſimplicium,

Quæ profeſſi emittunt poſt profeſſionem juxta Conſtitutiones, extracta ex primâ Congregatione generali, & recognita à tertiâ. *Cong.* 1. *Tit.* 6. *d.* 23. *&* *Cong.* 3. *dec.* 70.

I.

EGo N. profeſſus Societatis IESV promitto Deo omnipotenti, coram ejus Virgine Matre, & totâ curiâ cœleſti, & coram R. P. Præpoſito Generali, vel coram N. locum Generalis Præpoſiti tenente, numquàm me acturum quacumque ratione, vel conſenſurum, ut quæ ordinata ſunt circa Paupertatem in Conſtitutionibus Societatis, immutentur, niſi quando ex causâ juſta rerum exigentium videretur paupertas reſtringenda magis.

2. Præterea promitto, numquàm me acturum, vel prætenſurum, ne indirectè quidem, ut in aliquam prælationem vel dignitatem, in Societate eligar vel promovear.

3. Promitto prætereà, numquàm me curaturum, prætenſurumve extra Societatem prælationem aliquam vel dignitatem; nec conſenſurum in mei electionem, quantum in me fuerit; niſi coactum obedientiâ ejus, qui mihi præcipere poteſt ſub pœnâ peccati.

4. Tum ſi quem ſciam *a* aliquid prædictorum duorum curare, vel prætendere, promitto illum, remque totam me manifeſtaturum Societati, vel Præpoſito ejus.

a Cong. 3. d. 70.

5. Inſuper promitto, ſi quando acciderit, ut hac ratione in Præſidem alicujus Eccleſiæ promovear; pro curâ, quam de animæ meæ ſalute, ac rectâ muneris mihi impoſiti adminiſtratione gerere debeo; me eo loco, ac numero habiturum Præpoſitum Societatis Generalem, ut numquàm conſilium audire detrectem, quod vel ipſe per ſe, vel quivis alius de Societate, quem ad id ipſe ſibi ſubſtituerit, dare mihi dignabitur. Conſiliis verò hujusmodi ita me pariturum ſemper eſſe promitto, ſi ea meliora eſſe, quàm quæ mihi in mentem venerint, judicabo: omnia intelligendo juxta Societatis IESV Conſtitutiones, & Declarationes. In tali loco, tali die, menſe & anno, &c.

CANO-

CANONES
SECVNDÆ CONGREGATIONIS GENERALIS,
Auctoritate Quartæ recogniti.

Dec. 61. *Cong.* 4.

1.

Circa Exam.c.1. §.12.& 13. *Domus Probationis.*

CVRETVR, ut in quavis Provinciâ Domus aliqua probationis, vel conjuncta Collegio (in habitatione tamen diſtincta) vel ſeparata quàm citò commodè fieri poterit, inſtituatur: & biennio, ac benè probentur Novitii, non litterarum, ſed mortificationis, ac profectus ſpiritualis ſtudio vacando. In ſecundo tamen anno poſſet à Provincialibus, ex commiſſione Generalis, circa ſtudium diſpenſari; habitâ ratione perſonarum, locorum, & temporum, prout in Domino expedire judicabitur. Novitii verò non modò ad vota emittenda non ſunt hoc biennio inſtigandi, ſed ſi ſponte emitterent, non ſunt admittendi ad ea renovanda cum aliis, qui biennium expleverunt; ſed ſeorſum *a* ab illis ipſi Novitii ſimul inter ſe id faciant. *Dec.* 19.

a Cong.4. d.73.

Exa.c.4. §.7. *Don.*

2. Nomen illud honorificum, *Don*, ubi eſt inſigne nobilitatis ſæcularis, de Societate noſtrâ omnino tollatur. D. 104.

Circa 3.p.Conſt. c.1.§ 9. *Diſtributio bonorum.*

3. Circa diſtributionem bonorum ex patrimoniis fratrum noſtrorum provenientium, qui ea in ſubſidium Societatis dare cupientes, Præpoſiti Generalis judicio diſpenſationem relinquunt; probatur quod idem P.Præpoſitus ſenſit, ut ſcilicet ſervetur Conſtitutio capitis primi partis tertiæ, expreſsè mentione factâ illorum verborum, quæ in eadem Provinciâ diſtributionem faciendam inſinuant. Et ea quæ continentur quarto capite Examinis de diſpoſitione bonorum, ita intelligenda ſunt, ut inſtructio quædam generalis ſit, & lex, quâ Noſtri debeant bona ſua in veros pauperes diſtribuere, pro devotione tamen ſuâ. Quæ verò in parte tertiâ, capite primo, paragrapho nono continentur, intelligantur in particulari de illis bonis, quæ fratres

Can.3.Cong.3.

fratres in beneficium Societatis, ſive in particulari, ſive in generali diſtribuere ex ſuâ devotione volunt. In quo caſu, ſi Rectores, & Provinciales, juxta Declarationem ejusdem loci, illis repræſentent, perfectius eſſe, ut bona ſua diſpoſitioni Præpoſiti Generalis relinquant; tunc declaratum eſt, ut hæc bona in eadem Provinciâ tantùm, & non alibi P. Generalis debeat diſtribuere. Et ad hanc legem & intellectum, quæ in nonâ parte, capite tertio, paragrapho ſexto habentur, interpretanda ſunt; ſi quo pacto de noſtris fratribus intelligi poſſunt. Quod ſi aliquis imperfectionem ſecutus, particulari alicui Societatis noſtræ loco extra Provinciam applicare bona ſua velit; proponendum erit illi, ut diſpoſitioni Præpoſiti Generalis relinquat qui ea diſtribuet juxta formam ſuperius præſcriptam: alias ea bona à Societate noſtra non admittantur; ſed ea teneatur ipſe in veros Chriſti pauperes extra Societatem diſpenſare. Si vero ea alicui Collegio intra Provinciam aſſignaverit, ſit in manu Præpoſiti Generalis poteſtas probandi eam applicationem, vel improbandi. Atque in hunc modum Conſtitutiones hæ poſthàc conciliandæ, atque obſervandæ ſunt. *Dec.* 28 *&* 22.

4. Caſus reſervati, qui à R. P. Noſtro Lainez editi ſunt, retineantur. Declaratio vero, & ampliatio, vel reſtrictio caſuum ſpectat ad R. P. Generalem. *Dec.* 79. P. 5. c. 1. §. 11. *Caſus reſervati.*

5. In ſingulis Provinciis, ubi & quando commode fieri poterit, curetur ſaltem unum inſtitui Seminarium Societatis perfectum, ad formandos Profeſſores & alios operarios vineæ Chriſti, in humanioribus litteris, Philoſophia, & Theologia, ut toti Provinciæ poſtea ſufficiant: ſed ubi noſtri docendi munus obituri ſunt, paulatim, non præpropere, huic negotio promovendo dent operam. *Dec.* 13. Circa 4. p. Conſt. in proœm. §. 1. *Seminaria Noſtrorum.*

6. Adhibeatur in poſterum moderatio in multitudine Collegiorum admittenda: rogatque P. Præpoſitum Generalem Congregatio, & ſerio commendat, ut potius applicet animum ad roboranda, & ad perfectionem adducenda Collegia jam admiſſa, quam ad nova admittenda. Et ſi quæ ex iis, quæ offeruntur, admittenda exiſtimaret, ejusmodi ſint, ut ad commune bonum Eccleſiæ Dei magnum momentum habitura videantur: & quoad ejus fieri poſſit, ita dotata, vel eam rerum vitæ neceſſariarum commoditatem habentia, ut non tantum operarii ſuſtentari poſſint, ſed & is etiam numerus ſcholaſticorum, juxta formulam datam pro accipiendis Collegiis à R. P. Noſtro Lainez, qui pro Seminario ſit eidem Collegio futurus ad ſui conſervatio- P. 4. c. 2. §. 1. *Multiplicitas Collegiorum.*

nem: nec admittantur, licet hæc omnia ſuppeterent, ſi non haberet Societas Rectores, ac Magiſtros, & demum operarios in vita & doctrina idoneos, ut huic muneri poſſe ſatisfacere, auditis Aſſiſtentium ſententiis, judicaret; & quidem ſine aliorum Collegiorum detrimento. *Dec.* II. *Cong.* 3. *d.* 30.

P.4.c.2.§.2. Collegia non bene fundata quo modo retinenda.

7. Si qua Collegia ſint hactenus abſque ſufficienti dotatione fundata, in quibus nec Noſtri legant, nec ſcholaſticos alant; poterunt tamen illa hac ratione retineri, ſi ex fructibus videlicet eorum, per publicam aliquam perſonam conſervatis, detur opera ut plene fundentur. Noſtri tamen interim bonis illis non utantur; ſed ex eleemoſynis vivant; ac ſimul dent operam, ut prædicta Collegia ſufficienter etiam aliunde dotentur. *Dec.* 90. *Can.* 6. *Cong.* 3.

P.4.c.2.§.4. Vniones beneficiorum.

8. Vniones beneficiorum, quæ curam animarum habent, non admittantur. *Dec.* 78.

P.4.c.2.§.5. Ædificiorum idea ad Generalem.

9. Ad R. P. Generalem referenda eſt forma, & modus ædificiorum noſtrorum conſtruendorum, ut ille juxta Decretum præteritæ Congregationis, quod ſibi in Domino viſum fuerit, ſtatuat. *Dec.* 103. *Can.* II. *Cong.* I.

P.4.c.2.§.5. Expenſæ pro Generali, Provinciali, Commiſſario, &c.

10. Procuratorem, qui negotia agit cum externis, vel Romæ, vel alibi, alere debent ii, quorum negotia agit. Provinciales vero, Commiſſarios, Generalem etiam ipſum, alet ea Domus vel Collegium, ubi erunt. Quibus quando in itinere fuerint, expenſas facient ii, quibus erit bono illud iter, ſi tamen pro Societatis gubernatione, vel negotiis iter faciunt. *Dec.* 101.

P.4.c.2.§.5. Expenſæ pro Procuratore & Sollicitatore.

11. Pro Sollicitatore, pro Advocato, pro Procuratore, & aliis officialibus externis; ſi quid præterea ad actionem, vel expeditionem alicujus negotii, vel litterarum Apoſtolicarum, vel Regiarum, & hujuſmodi aliarum, expendetur; id ſolvere debent ii, in quorum gratiam illud fuerit expenſum. *Dec.* 102.

P.4.c.2.§.6. Non plures alantur.

12. Ne plures in Collegiis teneantur, quam ali poſſint, ſive ex reditibus, ſive ex eleemoſynis conſuetis. *Dec.* 39.

P.4.c.3.lit.B. Seminaria Epiſcoporum quando admittenda.

13. Seminaria Epiſcoporum gubernanda ne admittantur. Si tamen fundatio perpetua & inſignis eorum ita fieret, ut ſimul etiam conjunctum

Colle-

Collegium noſtrum valde promoveretur, vel de novo inſtitueretur, & abundaret Societas operariis idoneis, & libera eidem gubernatio committeretur, poſſent, ex diſpenſatione Præpoſiti Generalis, & non aliter, admitti. Non dentur tamen hujusmodi Seminariis ſeparati Præceptores ab iis, qui in Scholis noſtris pro Societatis noſtræ Inſtituto prælegunt. *Dec.* 23. *Can.* 5. *Cong.* 4.

P.4.c.4.§.5. *Renovatio Votorum quando facienda.*

14 Quamvis in Conſtitutione capitis quarti, quartæ partis deſignentur feſta Paſchæ, ac Nativitatis Domini, quibus renovent vota Scholaſtici: tamen cum colligi poſſit ex declaratione ejus loci, poteſtatem eſſe in Superiore Rectoris immediato, in aliquo particulari caſu mutandi illa feſta; facile interpretari poſſumus, in Generali Præpoſito eſſe facultatem in univerſum illa feſta mutandi: quod traditio univerſalis à tempore ipſius Patris noſtri IGNATII, uſu, & conſuetudine hactenus corroborata confirmat. *Dec.* 83.

P.4.c.10.§.10. *Ad Doctrinam Chriſtianam quando Rectores tenentur.*

15. Rectores cum teneantur ex Conſtitutione, & Declaratione capitis decimi partis quartæ, Doctrinam Chriſtianam legere vel docere per quadraginta dies; per ſe vel per alium id præſtare debent intra annum, poſtquam officium Rectoris inierit, continenter quadraginta diebus, vel interpolatim; primo quidem, quemadmodum doceri ſolent pueri, deinde etiam per conciones, ſi ita Superior cenſuerit. Præter illum annum, eo quidem nomine non tenebitur Rector; ſed alio poterit communi, ut in quodam Decreto definitum eſt de Profeſſis, & Coadjutoribus formatis. *Dec.* 84. *Infra Can.* 20.

P.4.c.10.lit.L. *Regulæ Scholaſticorum quando legendæ.*

16. Ex Declaratione ultima capitis decimi quartæ partis colligitur, illas intelligi Conſtitutiones eſſe legendas, quæ ſunt propriæ Scholaſticorum noſtrorum. Illæ vero, cum contineantur in regulis Scholaſticorum, fit ut illæ regulæ ſint legendæ publice bis aut ter ſingulis annis. Eas autem curabit P. Generalis, ſi opus fuerit, emendandas. *Dec.* 85.

P.4.c.15 §.2.&3. *Breves curſus artium.*

17. Non expedit, ut breves curſus Artium, vel Theologiæ inſtituantur: ſed ſi qui ex iis, qui futuri ſunt Coadjutores ſpirituales, ad altiora ſtudia non videantur promovendi; ii humaniorum litterarum ſtudio, & compendio Dialectices contenti ſint: quibus ſtudiis inſtructi, caſus conſcientiæ audire poterunt. *Dec.* 88.

P.4.c.15.§ 4. *Vniverſitatum noſtrarum promotiones.*

18. Non probatur, ullum ad aliquam in noſtris Vniverſitatibus facultatem eſſe promovendum, quam Noſtri non profiteantur. *Dec.* 89.

P.4.c.15. §.4. *Examina Sacerdotum externorum.*

19. Quemadmodum hactenus factum eſt in quibusdam locis: ut Noſtri ita examinent promovendos ad ordines, aut curæ animarum, verbo Dei, vel confeſſionibus audiendis præficiendos, ut ſimul judicium ferant de illorum ſufficientia & admiſſione; ita de cetero ne fiat: quandoquidem judicamus non eſſe conſentaneum noſtro Inſtituto. Quod ſi examinandi miniſterium effugere nulla ratione poſſimus, illud tamen retineamus, ut judicium de admittendis vel non admittendis non feramus: ſed illud omnino Prælatis relinquamus. Poſſit tamen diſpenſare R. P. Generalis, ubi hoc utile & expediens eſſe in Domino judicaverit. *Dec.*91. *Declaratur in* 4. *Cong. Can.*7.

Circa 5.p.Conſt. c.3.§.3.lit.B. *Ad Doctrinam Chriſtianam quando tenentur Profeſſi & Coadjutores.*

20. Quivis Profeſſus quatuor vel trium votorum poſt editam profeſſionem, quivis etiam Coadjutor ſpiritualis formatus poſt ſua vota, intra annum per quadraginta dies continuos, vel interpolatos, Doctrinam Chriſtianam pueros atque rudes perſonas docere teneatur. Præterea verò hoc tam ſanctum exercitium viſum eſt admodum R. P. Generali commendandum, ne ullo umquam tempore illius oblivio in noſtros animos irrepat, cum illud in votorum noſtrorum formula complectamur. Curet itaque idem R. P. Generalis, ut Noſtri frequentius, quemadmodum ipſi in Domino expedire viſum fuerit, in hoc tam pio opere exerceantur. *Dec.*77. *Can.*21. *Cong.*1.

Circa 6.p.Conſt. c.2.§.2. *Ceſſio juris bonorum immobilium.*

21. Congregatio, totius Societatis nomine, ceſſit cuicumque juri, provenienti ex conceſſione Concilii Tridentini, ad habenda bona immobilia in communi, in Domibus Profeſſorum, vel eorum Eccleſiis; ut juxta noſtras Conſtitutiones, & vota, quæ poſt profeſſionem emittuntur, paupertatem in profeſſis, ac ipſorum Domibus retineremus. *Dec.*48.

P.6.c.2.§.6.&10. *Eleemoſyna.*

22. Quamvis ex eleemoſynis vivat Societas, & opus bonum ſit eleemoſyna Societati collata, atque ad bona omnia inducere quosvis poſſimus; tamen ad majorem ædificationem, paupertatis noſtræ ſinceritatem & puritatem, placuit præcipere Noſtris omnibus, ut nulli externo ſuadeant (nam de Noſtris in Conſtitutionibus & Decretis dictum eſt) ut nobis potius quàm aliis pauperibus dent eleemoſynam; ſed contenti ſimus, ubi petimus eleemoſynas quotidianas, illas ſimpliciter ac plane amore Dei petere. Ad donationes vero quascumque, ſive legata, ſimpliciter etiam, & plane poſſimus tantum noſtras neceſſitates explicare: definitionem tamen ejus devotioni relinquamus, à quo petimus has eleemoſynas; ac proponere tantum illi poſſimus, ut ad orationem, & alia media accurrat, quibus poſſit de donatione,

P.3.c.1.§.9. & Can.3.Cong.3.

tione, vel legato conſtituere, juxta id quod Dominus inſpiraverit, & ratio recta ſuaſerit. *Dec.* 75.

23. Non ſit arcula in noſtris eccleſiis ad eleemoſynas accipiendas pro aliis, cum pro nobis omnino neceſſe ſit eam poni non poſſe; ut non rem tantum evitemus, quæ nobis prohibita eſt, ſed rei illius omnem ſpeciem. *Dec.* 97. P. 6. c. 2. §. 8. *Arcula in Eccleſiis.*

24. Iuxta Conſtitutiones, & Decreta præteritæ Congregationis, & habita ratione finis quem ipſæ Conſtitutiones intendunt; poſſit Præpoſitus Generalis cantum Miſſæ, & Veſperarum in hunc, vel illum locum inducere, prout in Domino expedire judicaverit. Vbi autem inductus eſſet, ſi inutilis ad finem noſtri Inſtituti, & proximorum ædificationem videretur; vel deeſſent qui bene id munus præſtare poſſent; committitur Præpoſito Generali, ut eum valeat revocare ac prohibere, ſi ita viſum ei fuerit. *Dec.* 22. *Can.* 25. *Cong.* 1. *&* *Can.* 9. *Cong.* 3. P. 6. c. 3. §. 4. *Cantus Miſſæ, & Veſperarum.*

25. Omnia quæ ſpeciem habent ſæcularis negotiationis, in colendis videlicet agris, vendendis in foro fructibus, & ſimilibus, intelligantur prohibita eſſe Noſtris. *Dec.* 80. P. 6. c. 3. §. 7. *Negotiatio.*

26. Lites forenſes, pro rebus præſertim temporalibus, fugiant Noſtri omnes; & id curent Provinciales efficere. Ac primum compromiſſione rem adnitantur componere. Quod ſi nulla ratione id poſſint aſſequi, tamen non intendat quiſquam è Noſtris litem hujusmodi, nec omnino litem aliquam, abſque conſenſu Præpoſiti Generalis, aut ejus, cui expreſſe ſuas vices ad hanc rem ille commiſerit. Noſtris autem ſi lis intendatur, curent Provinciales primum, vel à parte, vel à Iudice peti, vel id conſequi per Principem, ut prius conſuli poſſit Generalis Præpoſitus, quam liti reſpondere cogantur. Nam fieri poterit, ut Generalis Præpoſitus jubeat cedere noſtros liti, & potius detrimentum temporale pati, quam litibus operam dare, etiam pro re alioqui debita. *Dec.* 74. P. 6. c. 3. §. 7. *Lites.*

27. Curabit P. Generalis, ut qui ſunt è Noſtris concionaturi publice, qui etiam confeſſiones audituri, ii ſint ad ea munera obeunda ſufficienter inſtructi; hoc enim ad ejus adminiſtrationem attinet. Retineatur tamen privilegium à Sede Apoſtolica conceſſum, ut Noſtri poſſint concionari, etiam ſi non ſint ad ordines promoti. *Dec.* 81. Circa 7. p. Conſt. c. 4. §. 5. & 6. *Concionatores, & Confeſſarii bene inſtruantur.*

28. Quædam ſunt in ratione ſcribendi, quæ in Declarationibus primi capitis octavæ partis continentur, quæ modo bene obſervari non poſſunt: Circa 8. p. Conſt. c. 1. §. 9. *Ratio formulæ ſcribendi.*

unde remedium per aliquam immutationem Conſtitutionum in ea parte adhibendum eſt. Rectores & Præpoſiti locales ſcribant ſingulis hebdomadis ad ſuum Provincialem in Europa, juxta Conſtitutiones. In India vero, & Braſilia, ut ſuis Provincialibus viſum fuerit commodum & opportunum. Miſſi autem ad fructificandum in agro Domini, ſcribant ad eum, quem deſignaverit ille à quo miſſi ſunt, ſingulis hebdomadis, vel quoties ipſis fuerit præſcriptum. Et illis quidem reſcribant ſui Superiores ſemel in menſe juxta Conſtitutiones; his vero reſpondebitur, quoties judicaverit is, qui illos miſit. Provinciales, omnium provinciarum Europæ ſcribant ordinarie ad P. Generalem, ſemel quolibet menſe: Rectores autem, & Præpoſiti locales tertio quoque menſe. Ita tamen hæc accipiantur, ut extraordinarie poſſint ſcribere, quoties neceſſitas urgebit. Provinciales vero Indiæ, & Braſiliæ ſcribant Præpoſito Generali, quando ſe obtulerit navigationis commoditas. Rectores autem, & Præpoſiti locales ex Indiis ſemel, ex Braſilia vero bis in anno, ſi ſe obtulerit occaſio. Præpoſitus Generalis ad Provinciales ſcribat ſecundo quoque menſe; ad Rectores vero, & Præpoſitos locales ſexto quoque menſe; niſi aliqua neceſſitas prius ad reſpondendum ſuadeat. Reliqua, quæ ſpectant ad res, de quibus ſcribendum eſt; & ad modum, ad quale anni tempus annuas litteras ſcribere debeant, hoc totum Patri noſtro Generali relinquitur, ut ipſe pro ſua prudentia ſtatuat, quid facto opus ſit. Rectores Collegiorum, & Præpoſiti locales catalogum Patrum & Fratrum conficiant; & informationem communem ſemel in anno ordinarie, & ad ſuos Provinciales mittant, qui illos ad Præpoſitum Generalem mittent. Materia vero & modus conſcribendi hos catalogos, à Patre Noſtro Generali præſcribatur. *Dec.*73. *Can.*12. *Cong.*4.

P.8.c.2.§.1. & lit.B. *Tempus Congregationis generalis.*

29. Nullum tempus certum Congregationi generali cogendæ præſcribatur: ſed tertio quoque anno veniant ſimul ex omnibus Provinciis Procuratores, qui profeſſi quatuor votorum, & viri maximè idonei ſint, à Congregatione Provinciali electi; & habeant jus ſuffragii ſimul cum Aſſiſtentibus, & ipſo P. Generali, qui duo ſuffragia habebit, ad decernendum an cogi debeat Congregatio generalis, necne. *Dec.*24. *Cong.*4. *Dec.*10 *& in For. Congr. Proc.* §.1. *& in For. Congreg. Prov.*1.

P.8.c.3.§.1. *Provinciarum, Inſtitutio.*

30. Provinciarum inſtitutio juxta prioris Congregationis Decretum, Præpoſito Generali relinquatur: qui tamen non niſi re diligenter conſiderata,

derata, & cum Aſſiſtentibus communicata, Provincias inſtituere ad commune Societatis bonum debeat. *Dec.* 52. *Cong.* 1. *Tit.* 6. *d.* 29. *Cong.* 4. *Dec.* 9.

31. Antiqui Aſſiſtentes (quorum officium usque ad novi Generalis electionem durat) in Congregatione generali inter Provinciales habeant locum, ſecundum ordinem, & tempus ſuæ profeſſionis, ad ſuam ſententiam dicendam. Novi vero ſi in ipſa Congregatione jam ſint, maneant in ſuis locis, pro ejus Congregationis tempore, in qua electi ſunt: ſtatim tamen ſua poteſtate, & munere fungi incipiant, in iis, quæ juxta Conſtitutiones eis legitime conveniunt circa P. Præpoſitum. Nam quod ad Congregationem ipſam attinet, nihil ii, niſi ſuum ſuffragium, ut ceteri habent. *Dec.* 25. & 51. *Cong.* 1. *Tit.* 6. *d.* 11. *In Form. Cong. gener.* §. 6. P. 8. c. 7. §. 2. *Locus Aſſiſtentium in Congregatione Generali.*

32. Sua legitima poteſtas ad mutationes perſonarum, conſtare debet Præpoſito Generali, cui Conſtitutiones eam tribuunt; ſive ab uno in alium locum ejuſdem Provinciæ, ſive diverſæ, mutari conveniat: & etiam Provincialibus intra ſuas Provincias, juxta Conſtitutiones. Curandum tamen eſt per Superiorum prudentiam, ut non ſine cauſa alicujus momenti, nec cum detrimento eorum, à quibus aliqui removentur, tales mutationes fiant. *Dec.* 16. Circa 9. p. Conſt. c. 3. §. 2. & 9. *Mutatio perſonarum.*

33. Ut triennium deſignatum eſt Provincialibus, quo officium gerant ſuum, ut habetur tertio capite nonæ partis Conſtitutionum; non videtur ſimiliter agendum in Rectoribus, nec addendum præterea ad Conſtitutiones, quæ de hoc nihil decernunt. *Dec.* 87. P. 9. c. 3. §. 14. *Triennium Rectoribus non præfigendum.*

34. Superintendentis officium, vel nomen, uſurpandum non eſt in Societate, niſi ubi pro arbitrio P. Generalis neceſſitas, vel magnitudo Collegii utrumque poſtulaverit: nec enim nomen tantum retinendum eſt. *Dec.* 105. P. 9. c. 3. §. 16. *Superintendentes.*

35. Commiſſarii ad viſitandas Provincias tertio vel quarto quoque anno, vel quando Præpoſito Generali, & cum qua auctoritate, & jurisdictione videbitur, mittantur. Alii, qui continuum, & quaſi ordinarium officium habeant in Provinciis remotis, non conſtituantur, juxta Decretum primæ Congregationis: ſed cum neceſſitas, vel utilitas magni momenti hoc officium judicio Præpoſiti Generalis requiret, pro re nata poſſint hujuſmodi Commiſſarii ab eo inſtitui: qui cum ſatisfactum fuerit cauſæ, propter quam inſtituti fuerint, pro ejuſdem Generalis arbitrio, eodem officio defungantur. *Dec.* 15. P. 9. c. 3. §. 20. *Commiſſarii quales, & quando eſſe debeant.* Can. 33. Cong. 1.

36. Pa-

P 9.c.6.§.5. Generalis Præpoſitus Domus Romanæ.

36. Pater Generalis erit Præpoſitus Domus Romanæ: & habebit alios officiales, quorum opera utatur ad gubernationem particularem ejusdem Domus. *Dec.*67.*&* 92.*Can.*26. *Cong.*4.

P 9.c.6.§.10. Aſſiſtentes aliis non occupentur.

37. Aſſiſtentes officio ſibi à Congregatione generali commiſſo incumbant, juxta Conſtitutiones: nec aliis occupentur miniſteriis, quibus à ſuo officio avocentur, vel impediantur. *Dec.*93.*Can.*27. *Cong.*4.

Circa 10. p. Conſt. §.11. Noſtri ne ſequantur aulas.

38. Nec Principibus, nec Dominis aliis ſæcularibus, aut Eccleſiaſticis, aſſignari debet aliquis ex noſtris religioſis, qui aulas eorum ſequatur, & in eis habitet, ut Confeſſarii, aut Theologi, aut alio quovis munere fungatur: niſi forte ad perbreve tempus unius vel duorum menſium. *Dec.*57.

FORMVLA

Acceptandorum Collegiorum,

Data à R. P. N. Lainez Generali Præpoſito Societatis IESV, de qua fit mentio Canone ſexto ſecundæ Congregationis generalis.

I.

Circa 4. p. Conſt. c. 2. §. 1. & 2.

CONSIDERATIS operibus, & miniſteriis, quibus ad Dei gloriam, & animarum profectum Societas noſtra occupatur; & conſiderata etiam obligatione caritatis, qua ex Inſtituto tenemur in illis perſeverare; re prius præmeditata, & cum Patribus Aſſiſtentibus ad conſultationem adducta, & Domino commendata, Viſum eſt mihi, ut in Collegiis, quæ deinceps Divina Majeſtas fundare dignabitur; novæ à nobis obligationes non admittantur. Sed qui Divino inſtinctu, & Dei obſequio, quod Deo præſtatur in Societate, ac utilitate, qua Dei gratia proximi juvantur, commotus, Collegium aliquod fundare voluerit; pure & libere absque conditione, vel modo, donationem faciat dotationis, quam Domino Deo noſtro offerre vult. Societas vero non ex nova obligatione, ſed ex illa ſua antiqua, quam (ut diximus) habet, curet, ut ſecundum numerum eorum, qui ex tali fundatione ſuſtentari poterunt, in tali Collegio numerus operariorum conſtituatur, qui quidem in illo juxta noſtrum Inſtitutum ſe exerceant in vinea Domi-

Domini: de cujus Divina bonitate ſperamus, ſi Chriſtiana hac ſimplicitate, quæ ipſi innititur, progrediamur, Societatem perſeveraturam puriorem, nec deſituram illud præſtare, ad quod ſecundum ſuam vocationem obligatur: Fundatoris etiam intentio ita implebitur: ſimulque tollentur hinc inde cauſæ inquietudinis, quæ ex humanis cautionibus oriri poſſunt, & ſolent. quæ quantumvis caute, & circúmſpecte tranſigantur, nihilominus ſemper ab humana aſtutia labefactari poſſunt, ut ipſa experientia oſtendit: quæ tam in aliis Religionibus, quam in multis noſtræ Societatis locis, nos docet, prædictum modum fundationis, partibus omnibus bene cedere ad Divinum obſequium, & commune bonum, quod optatur.

2. In Collegio, ubi tres ponuntur Præceptores litterarum humaniorum, quartus etiam eſſe debet, qui illis ſubſtitui poſſit; & tres Sacerdotes, in quibus unus Rector ſit, reliqui duo utilitati ſerviant animarum. Vbi vero tales ſeptem operarii ſunt, convenit totidem ſaltem ibi Scholares alere, ut illud perpetuum opus eſſe queat, ſuccedentibus his in Sacerdotum, & Præceptorum locum, ubi aut morte, aut ægritudine, aut aliis de cauſis non poſſent officio ſuo fungi. Eſt etiam præter hos neceſſarius Miniſter unus, cum Coadjutoribus quinque, videlicet Ianitore, Sacriſta, Coquo, Emptore, & quodam alio, qui eos in omnibus adjuvet. Minimum itaque Collegium viginti conſtabit ex Noſtris: ultra quos providendum erit, unde Corrector, qui de Societate non ſit, alatur ad eos caſtigandos pueros, qui Scholas frequentabunt, prout illi ab ipſis Præceptoribus præſcribetur.

3. Si Collegium quinque Præceptores habeat ad humanas litteras, Latinas, Græcas, & Rhetoricam profitendum; ſubſtitutos alios duos habeat neceſſe eſt: nec non quatuor, quinqueve Sacerdotes, ut præter illos quinque Præceptores ſupradictos, eorum unus lectionem Caſuum conſcientiæ poſſit profiteri; ut Sacerdotes illius regionis, qui parum erunt in iis verſati, hac in parte, quæ eis eſt neceſſaria, juvari poſſint, quo ipſi melius officium ſuum faciant ad Divinam gloriam. Vbi vero tales undecim, aut duodecim Magiſtri, ac Sacerdotes conceduntur, totidem ſaltem Scholaſtici inſtituendi erunt ad operis perpetuitatem, ut ſuperius dictum eſt. Miniſter etiam unus, cum ſex Coadjutoribus. Itaque minimus numerus complebit triginta, extra Correctorem, in ſimilibus Collegiis.

4. Si Collegium præter ſupradicta, Artium liberalium curſus volet ſuſcipere; ultra illum numerum Noſtrorum, viginti addendi erunt, partim Præcepto-

ceptores,partim Diſcipuli; ita ut omnes ſimul conficiant numerum quinquagenarium.

5. Si Societas alicujus Univerſitatis, aut generalis ſtudii curam ſuſceptura eſſet, adjungeretque ſupradictis ſcholaſticam Theologiam, & Sacram Scripturam; hujusmodi onus admittere non debebit, niſi commode provideatur, unde ſeptuaginta,aut iis plures Collegæ poſſint ali; ut ſuperiori numero accedant viginti,partim Præceptores,& partim Diſcipuli. Et expediret, ut hic numerus adhuc augeretur, quo non tantum opus hujusmodi perpetuo duraret; verum etiam ex eo Collegio inſignes aliqui operarii poſſent excerpi,ad commune bonum in his & illis locis promovendum.

6. In Collegiis, ubi Societas proprias non habet ſcholas, præter ſcholaſticorum numerum,ſunt etiam neceſſarii Rector,ac Miniſter: & ſi magnus numerus inibi eſſet,adhuc Subminiſter: Coadjutores vero ſecundum numerum Collegarum. In hujusmodi vero Collegiis collocari poterunt operarii ſecundum commoditatem, quam habet Societas, & diſpoſitionem meſſis in populo.

CANONES
TERTIÆ
CONGREGATIONIS
GENERALIS,
Auctoritate Quartæ recogniti.

Dec. 61. *Cong.* 4.

I.

Circa Exam. c. 4. §. 2. *Promiſſio bona diſtribuendi.*

ACTUS ille, quo is, qui in Societatem admittitur, promittit ſe poſt primum annum bona ſua diſtributurum, nec votum eſt, nec ſolum propoſitum; ſed promiſſio ſimplex illa conditione affecta,ſcilicet; ſi is perſeveraverit, & Superior illi injunxerit. Conſtitutio vero ut ſonat,obſervanda eſt: praxis autem Conſtitutionis hujus judicio Præpoſiti Generalis, qui majus Dei obſequium intuebitur,eſt relinquenda. *Dec.* 29.

Circa 1.p.Conſt. in proœ. decl. §. 1.

2. Nullo modo expungendæ ſunt Conſtitutiones, quæ ratione temporum, vel alias ob cauſas in praxi non ſunt:ſed potius oportet, ut inviolatæ perma-

permaneant; ut quales à ſanctæ memoriæ R. P. noſtro IGNATIO acceptæ ſunt, tales omnino ad poſteros transmittantur. *Dec.* 33. *Cong.* 1. *dec.* 4.

Conſtitutiones nunquam expungendæ.

3. Eadem Provincia, in qua primò capite tertiæ partis Conſtitutionum, diſtribuenda eſſe dicuntur bona Noſtrorum, quæ illi Societati dare volunt; intelligenda eſt, in qua ſunt ipſa bona, non autem in qua quis Societatem ingreditur, aut verſatur. Sumitur autem provinciæ nomen more Societatis, prout ſcilicet uni Præpoſito Provinciali ſubeſt. Quod ſi in eadem Provincia ſint plura Dominia diverſis Principibus ſubjecta, diligenter ſervetur eadem Conſtitutio; ut ſcilicet in transferendis hujuſmodi bonis ex uno Dominio in aliud ejuſdem Provinciæ, habeatur ratio Regum, Principum, ac aliorum Potentatuum, ne illis cauſa ullius offenſionis detur; ſed ad majorem ædificationem omnium, & ſpiritualem utilitatem animarum, & ad Dei gloriam omnia cedant. Præter hæc autem, ſi quæ aliæ difficultates orientur, eas prudentia & auctoritas P. Generalis ſubmovebit. *Dec.* 26. *Can.* 3. *Cong.* 2.

Circa 3. p. Conſt. c. 1. §. 9. *Quænam Provincia in qua ſunt bona diſtribuenda.*

4. Quamquam Noſtris, qui de bonis ſuis diſpoſituri ſunt, liceat pactiones cum ſuis parentibus, & quibuſcumque aliis de legitima parte, & aliis bonis ad ſe pertinentibus inire: admonendi tamen ſunt illi prius, Societatem ipſam ad ea bona nullum jus habere. Sed ne pactiones hujuſmodi fiant, niſi prius Generalis Præpoſitus informetur de conditione diſponentis, & de re tota; & univerſa hujus rei praxis ex ipſius judicio exerceatur. *Dec.* 61.

P. 3. c. 1. §. 9. *Diſpoſitio bonorum non ſine Generali.* P. 6. c. 2. §. 12. & in 1. Cong. T. 2. Dec. 24.

5. Regula illa de ſeparata menſa Superiorum, de qua in prima Congregatione facta fuit mentio, de cetero vim non obtineat. Per hoc tamen non excluditur antiqua illa conſuetudo à Patribus Generalibus cum ratione obſervata, tam in ſua menſa, quam ut etiam cum aliis ex cauſa diſpenſetur, prout in Domino magis expedire exiſtimaverit ipſe R. P. Generalis. *Dec.* 60. *Cong.* 1. *Tit.* 4. *d.* 5.

P. 3. c. 2. §. 3. *Menſa ſeparata Superiorum.*

6. Collegia, in quibus propria Collegiorum munia non exercentur, vel quia inchoata quidem, ſed non plene conſtituta ſunt; vel quia ædificandi neceſſitas non patitur Noſtros legere, nec Scholaſticos illic ali; Præpoſitus Generalis judicabit, an & quamdiu ex eleemoſynis, vel ex reditibus vivere debeant: & faciet quod in Domino expedire judicaverit. *Dec.* 67. *Cong.* 2. *Can.* 7.

Circa 4. p. Conſt. c. 2. §. 2. & 6. *In Collegiis inchoatis quomodo vivendum.*

7. Tam intelligentia, quam praxis illius Conſtitutionis capitis ſecundi partis quartæ, §. 6. in qua dicitur, Nec eleemoſynas, nec dona ulla admittenda eſſe in iis Collegiis, quæ duodecim Scholaſticos præter Præcepto-

P. 4. c. 2. §. 6. *Eleemoſynæ in Collegiis.*

res, ex propriis reditibus alere poſſunt; exigenda eſt ad finem ædificationis: & arbitrio Patris Generalis relinquitur, ut habita ratione hujus finis, & Conſtitutionis uſum præſcribat; & eamdem interpretetur; & ſi opus eſſet, in ea diſpenſet. *Dec.* 37.

P. 4. c. 14. §. 3.

Ariſtotelis interpretes.

8. R. P. noſter Præpoſitus Generalis commendatum magnopere habeat, ut Præceptores noſtri, qui Ariſtotelem interpretantur, non niſi cum magno delectu interpretes eos legant, qui contra Chriſtiana dogmata impie ſcripſerunt, & maxime ad ea impugnanda, quæ Chriſtianæ veritati adverſantur: & ita Philoſophiam interpretentur, ut veræ Theologiæ ſcholaſticæ, quam nobis commendant Conſtitutiones, ancillari, & ſubſervire faciant. *Dec.* 72.

P. 4. c. 12. §. 1. & c. 14. §. 1.

Circa 6. p. Conſt. c. 3. §. 4.

Cantus in noſtris eccleſiis.

Can. 25. Cong. 1.

9. Cantus in eccleſiis Societatis inductus, juxta declarationem capitis tertii partis ſextæ, ſit devotus, ſuavis, & ſimplex, non figuratus, aut firmus: & in iis tantum locis retineatur, ubi per Noſtros, non admiſſis externis, commode exerceri poteſt; & finis ſequitur, quem prædicta Conſtitutio proponit juxta Canonem vigeſimum quartum Congregationis ſecundæ: locum tamen habeat diſpenſatio, præſertim inter hæreticos, & infideles, quoad inductionem, retentionem, modum, & qualitatem cantus, pro arbitrio Præpoſiti Generalis. *Dec.* 58.

P. 6. c. 3. §. 4.

Proceſſiones.

10. Proceſſiones à Noſtris deinceps ne fiant. Liberam tamen habeat Præpoſitus Generalis facultatem diſpenſandi circa eas retinendas, ubi ad Dei gloriam, & proximorum ædificationem (præſertim ubi uſu receptæ ſunt, & maxime inter hæreticos, & ubi converſioni infidelium opera datur) expedire viderit. Quod ſi Noſtri ad publicas ſupplicationes procedere cogantur, ſuperpelliceis utantur: ut ſicut in veſtitu ſequi debemus, ita etiam in hujusmodi proceſſionibus communem honeſtorum Clericorum habitum ſequamur. De loco tamen, & ordine procedendi, ſtatutum eſt, relinquendum id eſſe arbitrio, & diſpoſitioni eorum, à quibus Noſtri ad proceſſiones vocantur. *Dec.* 57.

P. 6. c. 4. §. 3. & 4.

Suffragia pro Noſtris defunctis.

11. In ſingulis Provinciis ſervetur mos antiquus in ſuffragiis faciendis pro iis, qui in Provincia moriuntur: ut ſcilicet in eo loco, ubi quis deceſſerit, ſinguli Sacerdotes tria Sacra, & ſinguli fratres tres coronas; in aliis vero Provinciæ locis, duo Sacra faciant, & duas coronas recitent. Pro aliis vero, qui extra Provinciam obeunt, ſinguli Sacerdotes cujusque Provinciæ ſemel in quavis hebdomada Miſſæ ſacrificium offerant, & ſinguli fratres unam coro-

nam

nam orent. Præterea de obitu cujusque ſignificetur per univerſam Societatem, ut omnes Sacerdotes in Miſſis,vel per Collectam,vel alia ratione; reliqui vero in ſuis precationibus illius animam Deo commendent, pro cujusque devotione. *Dec.* 62.

12. Ad religioſam diſciplinam, & paupertatis rationem pertinet, ut in peregrinationibus & profectionibus, Noſtri, quos ipſorum Superiores id præſtare poſſe judicaverint, in toto, vel in parte,pedeſtri itinere utantur: & ob eam cauſam Præpoſitus Generalis eam hac in re moderationem per ſe, & Provinciales adhibeat, quæ Societatis noſtræ Inſtituto conſentanea ſit: curabitque, ut in equitando ſolius neceſſitatis, ſive perſonæ, ſive negotiorum, quam Superiores mittentes judicabunt, ratio habeatur. *Dec.* 59. Circa 7. p. Conſt.c.2. lit.G. *Pedeſtre iter.*

13. Profeſſi trium votorum, ſeu non Profeſſi, cum Rectores vel Miniſtri ſunt, Sacerdotes tamen, Profeſſis quatuor votorum, qui apud illos verſantur, ſeu etiam divertunt ex itinere, juxta Regulæ communis præſcriptum, præeſſe poſſunt ac debent. Profeſſi autem hujusmodi quatuor votorum ad obedientiam illis præſtandam, ac ſubjectionem,juxta communem locorum, ubi illi præſunt, ordinem ac Regulas, teneantur. Neque id adverſatur Declarationi tertii capitis octavæ partis, aut Decreto primæ Congregationis. Quæ cum decernit, ne Profeſſi trium votorum, aut alii non Profeſſi, quatuor votorum Profeſſis præeſſe poſſint; de præſidentia in Domibus profeſſis, vel integris Provinciis, ubi ſubditos communiter Profeſſos eſſe quatuor votorum oportet juxta Conſtitutiones, intelligendum eſt. *Dec.* 31. *Can.* 11. *Congr.* 4 Circa 8. p. Conſt.c.3. lit.A. *Profeſſi 4. votorum Rectoribus,&c. ſubſint.* P. 8. c. 3. lit. A. & in 1. Cong. t. 2. dec. 28.

14. Sardiniæ Procurator ſine Congregatione Provinciali poſſit venire ad generalem, & ad alia jus habere ſuffragii, præterquam ad Generalis, & Asſiſtentium electionem. Eligetur autem à Viceprovinciali, & Conſultoribus, ac profesſis quatuor votorum, qui eo in loco,ubi aderit Viceprovincialis,fuerint. Hoc autem intelligatur, quamdiu Sardinia non fiet ſeparata Provincia. Simili modo ex Luſitania pro India, & Braſilia; ac ex Bætica pro Peru, & nova Hiſpania Procuratores mitti poterunt; ſi alii electi non ſufficient ad negotia tractanda, judicio Congregationis Provincialis Luſitaniæ, & Bæticæ: ad quam etiam pertinebit hujusmodi Procuratores eligere. *Dec.* 73. *in* 4. *Congreg. d.* 16. P. 8. c. 3. §. 1. *Procuratores Sardiniæ & Indiarum.* In 2. Cong. Dec. 94.

15. Vicarius Generalis, qui poſt obitum Prepoſiti extiterit, electo novo Gene- P. 8. c. 3. §. 1.

Vicarii officio functi locus in Congregatione. Generali ad Congregationem generalem accedet, & locum inter Provinciales, juxta antiquitatem ſuæ profeſſionis, habebit. *Dec.* 3.

Procurator gener. quando admittatur in Congr. 16. Procurator Generalis, qui Romæ fuerit tempore Congregationis generalis, ad eam deinceps admittatur poſt Præpoſiti electionem. *Dec.* 68. *Congr.* 4. *Dec.* 5.

Circa 9. p. Conſt. c. 3. §. 17. *Domus Profeſſæ erigendæ.* 17. Committitur R. P. Præpoſito Generali, ut videat, an Domus Profeſſorum in magnis civitatibus, quæ Societatem habere deſiderant, erigi debeant: & an curandum ſit, ut plures hujuſmodi Domus Profeſſæ, & pauciora Collegia habeantur. Eidemque commendat, ut erigendis ejuſmodi Domibus animum applicet: ipſius tamen prudentiæ tempus, & locum, & modum relinquit, quo id effici debeat. *Dec.* 37.

P. 9. c. 3. §. 17. *Fundator Domus Profeſſæ.* 18. Domus Profeſſæ Fundatorem habere poſſunt, quemadmodum & Collegia. Fundator autem Profeſſæ Domus ille cenſeri debet, qui dat eccleſiam neceſſariis rebus ad cultum Dei ornatam; præterea Domum ſupellectili domeſtica, & libraria ſufficienter inſtructam. Pro hujuſmodi autem Fundatore ea ſuffragia in ipſa Domo, & Provincia, in qua Domus erigitur, exhibebuntur, quæ Conſtitutiones quartæ partis capite primo pro Collegiorum Fundatoribus in tota Societate exhiberi præſcribunt, excepta candelæ traditione. *Dec.* 63.

P. 9. c. 5. §. 2. *Admonitoris ſubſtitutio.* 19. Si contingat Admonitorem Præpoſiti Generalis alio mitti, poterit idem Præpoſitus alium ei ſubſtituere, ſi tantum ad breve tempus ſit abfuturus. P. 9. c. 5. §. 3. & in 4. Congr. Can. 25. In caſu autem mortis, aut diuturnæ abſentiæ, eadem in alio ſubſtituendo ratio ſervetur, quæ in ſubſtitutione Aſſiſtentium ſervanda eſt. *Dec.* 66.

P. 9. c. 5. §. 2. *Aſſiſtentium ſubſtituti.* 20. Non eligantur à Congregatione ſubſtituti Aſſiſtentium. *Dec.* 19.

CANONES
QVARTÆ CONGREGATIONIS GENERALIS,
Auctoritate ejusdem confecti.

Dec. 61. *Cong.* 4.

I.

Circa Exam. §. 41. & 42. OMNES, qui poſt biennium probationis vota ſimplicia Societatis cum promiſſione ingrediendi eamdem Societatem emiſerint, ſive illi ſint Coad-

Coadjutores temporales, ſive Scholaſtici, eamdem per omnia obligationem ſubeunt: ac proinde ut Apoſtatæ, ſi defecerint, juxta privilegia Societatis, & litteras Apoſtolicas puniri poterunt. *Dec.* 64.

Votum ingrediendi Societatem.

2. Gradus Indifferentium, de quibus in Examine capite octavo dicitur, non duret poſt biennium: ſed eo exacto determinentur ad aliquem gradum aliquem, nempe vel Scholaſtici, vel Coadjutoris temporalis; prout Superior illos aptos eſſe, & expedire communi bono judicaverit. *Dec.* 63.

Exam. c. 8. *Gradus Indifferentium.*

3. Verſio Conſtitutionum à tertia Congregatione generali uſque ad hanc approbata, auctoritate hujus quartæ Congregationis, nonnullis locis ab ipſa Congregatione ad veritatem Autographi emendatis, confirmatur: & P. Generali committitur, ut ſecundum hujuſmodi correctiones Conſtitutiones denuo imprimantur; & ejuſmodi editio deinceps in univerſa Societate pro vulgata habeatur. *Dec.* 38. *&* 59. *Cong.* 3. *Dec.* 54.

Circa 1. p. Conſt. in proœm. Decl. §. 1. *Verſio Conſtitutionum.*

4. Nulla Domus, vel Collegii diſſolutio facienda eſt ſine generali Congregatione, ſi ad illam differri ulla ratione poſſit. Quod ſi neceſſitas plane cogat, jus ſuffragii indubitatum habent ad hujuſmodi diſſolutionem Præpoſitus Generalis, & omnes Provinciales. Non oportebit tamen ſuffragium Provincialium, qui extra Europam ſunt, propter nimiam eorum diſtantiam, exquirere; niſi illius Provinciæ, in qua eſſet Domus, vel Collegium, de cujus diſſolutione ageretur. Aſſiſtentibus vero in hoc caſu, ſicut & Procuratori Generali, & Secretario Patris Præpoſiti, ab hac Congregatione jus ſuffragii datur: & ita eorum, ſicut & Provincialium, ſententia exquirenda erit, ac etiam duorum antiquiſſimorum Profeſſorum cujuſque Provinciæ: quorum omnium major pars ſuffragiorum ſufficit ad id ſtatuendum, de quo deliberatur. Ita enim intelligenda eſt Declaratio capitis ſecundi partis quartæ, littera A, cui reſpondet quod habetur in Bulla Iulii Tertii, anni milleſimi quingenteſimi quinquageſimi; nimirum cum de diſſolvenda Domo, vel Collegio extra Congregationem, per tranſmiſſas litteras agitur. *Decr.* 28. *&* 32.

P. 4. c. 2. §. 3. & lit. A. *Collegii, aut Domus diſſolutio.*

5. Quamquam optandum valde eſſet, ut Societas, quoad ejus fieri poſſet, Convictorum Scholaſticorum cura liberaretur; prudentiæ tamen Generalis committitur, ut pro ratione regionum, & perſonarum expendat, quid in hac re ad majus Dei obſequium, & commune Societatis bonum maxime expediat. *Dec.* 18. *Can.* 13. *Cong.* 2.

P. 4. c. 3. lit. B. *Convictores.*

6. Con-

P. 4. c 4. §. 4. Hora precandi.

6. Conſuetudo orandi in Societate quotidie per horam integram, præter tempus duplicis examinis quotidiani, tamquam pia & ſalutaris, ex hujus quartæ Congregationis Decreto, omnino retinenda eſt. *Dec.* 8.

P. 4. c. 15. §. 4. Examinatores Sacerdotum externorum.

7. Cum in examinatione promovendorum ad ordines, curam animarum, &c. duplex fieri poſſit judicium, unum de eorum in doctrina ad munus, pro quo examinantur, ſufficientia; alterum de vitæ, ac morum probitate, & aliis, quæ eos ex omni parte dignos reddere ſolent, ut ad hujuſmodi munus admittantur; non prohibentur Noſtris, quin poſſint in examinandi munere (ſi quando illud neceſſe ſit exercere) de doctrinæ ſufficientia ferre judicium: ſed interdicitur ſolum, ne de eorum admiſſione decernant; cum ad eam ultra doctrinæ ſufficientiam, vitæ Probitas, ac alia requirantur, de quibus eſſet Noſtris tum difficile, tum etiam odioſum velle judicare. Poſſit tamen diſpenſare R. P. Generalis, ubi hoc utile & expediens eſſe in Domino judicaverit. *Dec.* 74.

Circa 5. p. Conſt. c. 1. §. 3. Nullum tempus certum admittendi ad gradus. In Exam, c. 4. §. 42. & 3. & c. 1. §. 3.

8. Quoad ad tempus admittendi Noſtros ad ſtatus Societatis attinet, conſideratis difficultatibus, & rationibus in contrarium allatis, Congregatio decrevit, nihil eſſe innovandum, & hanc rem totam P. Generalis judicio, ac prudentiæ, juxta Conſtitutiones committendam; ſimulque illi commendavit, ut quod illæ hac de re præſcribunt, accurate ſervari curet, memor hoc ad Societatis conſervationem vehementer pertinere. *Dec.* 13.

P. 5. c. 4 lit. H. Bis in anno renovatio votorum.

9. Noſtri, qui in Domibus habitant, & Collegiis, bis tantum quotannis ſua vota renovent, juxta praxim à tempore Patris noſtri IGNATII ſanctæ memoriæ ſervatam. *Dec.* 66.

Circa 7. p. Conſt. c. 2. §. 1. Vota ſimplicia Profeſſorum.

10. Profeſſi trium votorum emittere debent poſt ſuam profeſſionem vota ſimplicia, quæ Profeſſi quatuor votorum poſt ſuam profeſſionem emittere ſolent. *Dec.* 65. *p.* 10. §. 6.

P. 6. c. 3. §. 3. Omnes ſubduntur regulis.

11. Omnes de Societate, etiam Profeſſi, & Coadjutores formati, ad obſervationem omnium Regularum communium Societatis tenentur: nec id repugnat Conſtitutionibus ſextæ partis capite tertio, paragrapho tertio. *Dec.* 27. *Cong.* 3. *Can.* 13.

Circa 8. p. Conſt. c. 1. §. 9. Annuæ litteræ.

12. Poſthac ex omnibus Provinciis ſingulæ annuæ litteræ mittantur Romam; ut ex illis omnibus una epiſtola fiat, quæ ad ſingulas eaſdem Provincias mittenda ſit: quæ quidem conficietur ab aliquo ex Noſtris ad hanc rem perficiendam idoneo, qui ſumptibus Provinciarum in Collegio Romano alatur. Expenſæ vero ad exempla annuarum per externos deſcribenda etiam à Provinciis ſolventur. *Dec.* 43. *Cong.* 2. *Can.* 28.

13. Cum

13. Cum Procuratores ex Provinciis extra Europam, Romam ad Generalem mittuntur, ſive electi fuerint à Congregationibus Provincialibus, ſive à ſuis Provincialibus, cum ſuis Conſultoribus qui aderunt, & ceteris omnibus præſentibus, qui in Congregatione Provinciali jus ſuffragii habent, modo Profeſſi ſint quatuor votorum, & ad hoc electi, jus habeant ſuffragii in electione Generalis. Et ita declaratur Decretum nonageſimum quartum ſecundæ Congregationis, ut illi à ſuis Provinciis electi eſſe intelligantur, quicumque alterutro prædictorum modorum electi fuerint. *Dec.* 46. *In Form. Congr. Prov.* §. 24. 25. 26.

P. 8. c. 2. lit. B. Procuratorum extra Europam jus in Congregatione generali.

14. Aſſiſtentes in quibuscumque Congregationibus generalibus quacumque ratione cogantur, interſint, & jus ſuffragii habeant auctoritate hujus Congregationis. *Dec.* 52. *Cong.* 1. *T.* 6. *d.* 11. *&* *Cong.* 2. *d.* 2. *&* 4.

P. 8. c. 3. §. 1. Aſſiſtentium jus in Congregatione generali.

15. Secretarius Præpoſiti Generalis, ſi ſit profeſſus quatuor votorum, admittendus eſt ad Provincialem Congregationem, cum ſuffragio activo & paſſivo, quocumque in caſu illa cogatur: non item ad Congregationem Procuratorum, qui ex Provinciis tertio quoque anno in Vrbem ad Generalem mittuntur, niſi fuerit electus Procurator in Congregatione Provinciali. Ad Congregationem vero generalem poſt electionem Præpoſiti, ſive ille Profeſſus ſit, ſive non, admittendus eſt, cum jure ſuffragii ad alia omnia, præter quam ad Aſſiſtentium electionem. Et informationes tam pro Præpoſito Generali, quam pro Aſſiſtentibus & Admonitore eligendis, in quatriduo ab eo, ſicut ab aliis, capi poterunt. *Dec.* 15.

P. 8. c. 3. §. 1. Secretarius Generalis quando ad Congregationes admittendus.

16. Præter duos electos ad Congregationem generalem, cum eam Vicarius convocavit, non adducantur Procuratores, niſi Vicario & Aſſiſtentibus ad plura ſuffragia neceſſarium viſum fuerit, ad gravia negotia tractanda poſt electionem: & tunc ex omnibus Provinciis eligantur in Congregationibus Provincialibus unus, aut duo, ad plura medietate ſuffragia: *a* qui quidem in Congregatione ſuffragium activum, & paſſivum habebunt, juxta Conſtitutiones, ſi vel Coadjutores ſpirituales formati, vel Profeſſi trium, vel quatuor votorum fuerint, non aliter. *Dec.* 40.

P. 8. c. 3. §. 1. De iis qui extra numerum ad Congregationem generalem vocantur.

a Cong. 2. Dec. 3. A. 8. c. 3. lit. A. & c. 6. lit. B.

17. Quotieſcumque cogenda eſt Congregatio generalis, fiant ſemper Congregationes Provinciales ad eligendos eos, qui comitaturi ſunt Provincialem: & ita ſervanda eſt Conſtitutio, octavæ partis, capitis tertii, paragraphi primi, non obſtante Decreto tertio Congregationis ſecundæ. *Dec.* 42. *&* 44. *Cong.* 2. *Dec.* 2.

P. 8. c. 3. §. 1. Cogendæ ſemper Congregationes provinciales, ante generalem.

P. 8. c. 4. §. 1. Vicarium nominare debet Generalis.

18. Senſus Conſtitutionis partis octavæ, capite quarto, paragrapho primo, eſt, ut Præpoſitus Generalis ante obitum ſuum Vicarium nominet, qui morientis locum ſuſtineat. Hujus vero Conſtitutionis praxim Congregatio Patri Noſtro Præpoſito ſerio commendat; ut ſcilicet antequam ex hac vita decedat, Vicarium ſibi nominet. *Dec.* 26.

P. 8. c. 7. §. 2. Locus Procuratorum in Congregatione generali.

19. Procuratores, qui Profeſſi fuerint quatuor votorum, ſedeant in Congregatione generali inter Electores, juxta ordinem antiquitatis ſuæ profeſſionis: reliqui vero omnes poſt Electores hoc ordine ſequantur, ut ſcilicet primo loco ſint Profeſſi trium votorum, ſecundo Coadjutores formati, tertio ceteri omnes juxta antiquitatem ſui gradus in Societate. *Dec.* 75. *Cong.* 1. *Tit.* 2. *Dec.* 31. *& Tit.* 6. *Dec.* 27. *& Con.* 2. *D.* 106. *& Form. Cong. gen.* §. 6. *&* 60.

P. 8. c. 7. §. 3. Quando definitores eligendi.

20. Definitores in Congregatione generali duobus in caſibus eligi poſſunt, altero quidem, cum rebus agitatis hinc inde in una, vel pluribus Congregationibus, nihil manifeſte in alteram partem conſtitui videretur, prout in Conſtitutionibus habetur; altero vero ad celeriorem negotiorum expeditionem, ut citius Congregatio abſolvi poſſit. Et quidem in priori caſu, ad duas ſaltem tertias partes ſuffragiorum, in poſteriori vero ad plura medietate ſuffragia, ſtatui oportet, an Definitores eligendi ſint, necne. Ipſorum autem Definitorum electio, in utroque caſu, ad plura medietate ſuffragia fieri debet. Et ita deinceps intelligendæ, & practicandæ ſunt Conſtitutiones, & Decreta. Ad Definitores vero poſterioris generis pertinet ea definire quæ illis ſpecialiter Congregatio commiſerit, & cum ea poteſtate, quam illis tunc dandam eadem judicaverit. *Dec.* 48. 1. *Cong. Tit.* 2. *Dec.* 32.

Circa 9. P. Conſt. c. 3. §. 8. *Declarationes Generalis ſunt ad praxim.*

21. Præpoſitus Generalis, auctoritate ſua ordinaria Conſtitutiones, & Decreta generalia declarare poteſt. Hæ tamen declarationes non habent vim legis univerſalis; ſed valent tantum ad praxim bonæ gubernationis: cum Congregationis generalis, cujus eſt leges condere, ſit etiam eas hoc modo declarare. *Dec.* 24.

P. 9. c. 3. §. 14. Provinciali morienti in Europa, quis ſucceſſor.

22. Si quis Provincialium Europæ moriatur, nullo ſucceſſore per Generalem nominato, nec ipſe Provincialis moriens aliquem Viceprovincialem deſignaverit; tunc Præpoſitus Domus Profeſſæ, vel ſi plures ſint Domus Profeſſæ, antiquiſſimus Profeſſorum ex earum Præpoſitis ſit Viceprovincialis, donec Generalis provideat. Quod ſi nulla in ea Provincia ſit Domus Profeſſa, ſuccedat in Viceprovincialem Rector maximi Collegii, ſi Profeſſus quatuor votorum ſit; aut ſi ille non fuerit talis Profeſſus, ſit antiquiſſimus ſimi-

ſimilium Profeſſorum ex ceteris Rectoribus. Si vero contingat nullum quatuor votorum Profeſſum eſſe Rectorem, ſit nihilominus antiquiſſimus Profeſſus quatuor votorum Provinciæ tantiſper Viceprovincialis, quoad Generalis, aut Vicarius alium nominaverit. *Dec.* 26.

23. Nominationes Provincialium, & aliorum Superiorum ordinariorum ubivis, atque etiam Commiſſariorum, & Viſitatorum extra Europam, non expirent per mortem Generalis, qui eos nominavit; etiam ſi nondum executioni mandatæ fuerint, cum moritur; ſed robur ſuum obtineant, & omnino executioni mandentur, quousque ejus ſucceſſor aliud ſtatuerit: quamvis in Europa officium & poteſtas Commiſſariorum, ac Viſitatorum per mortem Præpoſiti Generalis expiret. Mandata autem, & ordinationes quæcumque, non expirant per obitum Generalis mandantis, & ordinantis: ſed robur ſuum obtinent, & executioni mandari debent, ſi ante ejus mortem non fuerint mandata, donec ſucceſſor ejus aliud ſtatuerit: exceptis illis quibus deſignantur aliqui ad Profeſſionem admittendi, niſi illa deſignatio jam ſcripto miſſa eſſet à Generali ad Provincialem. *Dec.* 6.

P. 9. c. 3. §. 14. & 15. *Nominationes Superiorum in obitu Generalis non expirant.* Can. 33. Cong. 1. *Commiſſarii & Viſitatores in Europa expirant.* In officio Vicarii. §. 9.

24. Admonitor Patris Generalis eligi poſſit ſive ex numero Aſſiſtentium, ſive extra numerum eorumdem pro uniuscujusque arbitrio & conſcientia, dummodo Profeſſus ſit quatuor votorum. *a* Cujus officium usque ad novi Generalis electionem durat. *Dec.* 20. *In Cong.* 2. *d.* 27.

P. 6. c. 4. §. 4. *Admonitor Generalis ex quibus eligendus.* *a* Cong. 2. dec. 51.

25. Cum Præpoſitus Generalis ob Aſſiſtentis alicujus mortem, vel diuturnam propter graves cauſas abſentiam, alium ſubſtituere voluerit; ſatis erit, ſi id faciat cum approbatione eorum tantum Provincialium, qui ſunt in Europa, & ſolent intereſſe Congregationibus generalibus. Eadem quoque omnino ratio in Admonitoris ſubſtitutione ſervanda erit. *Dec.* 29.

P. 9. c. 5. §. 3. *Aſſiſtentis ſubſtitutio quomodo facienda.*

26. Poteſt Præpoſitus Generalis poteſt conſtituere pro ſuo arbitrio aliquem, qui ſit & vocetur Vicepræpoſitus Domus Profeſſæ Romanæ, cum ordinaria Præpoſitorum Societatis poteſtate; qui habeat ſuos Conſultores, Admonitorem, & alios officiales, ac particularem domus gubernationem exerceat, & interſit Congregationi Provinciali cum jure ſuffragii, ſive ſit Profeſſus, ſive non: quamvis curandum ſit, ut quoad ejus fieri poterit, ſit ſemper Profeſſus quatuor votorum. *Dec.* 33. & 37. *Cong.* 2. *Can.* 36.

P. 9. c. 6 §. 5. *Vicepræpoſitus Domus Romanæ.*

27. Ut Aſſiſtentes officio ſibi commiſſo impenſius ac melius vacare poſſint, juxta nonageſimum tertium Decretum ſecundæ Congregationis, nullus eorum poſthac erit Vicepræpoſitus, aut Miniſter Domus Profeſſæ Romanæ. *Dec.* 37. *Cong.* 2. *Can.* 37.

P. 9. c. 6. & 18. *Nullus Aſſiſtens ſit Vicepræpoſitus.*

CANONES
QVINTÆ
CONGREGATIONIS
GENERALIS,
Auctoritate ejuſdem confecti.

Dec. 83. 5. Cong.

1.

Circa Exam. c. 1. §. 3. & circa Conſt. p. 6. c. 2. §. 7. *Stipendium pro miniſteriis.*

CONGREGATIO vehementer omnibus commendat exactiſſimam illius graviſſimæ Conſtitutionis obſervationem, tamquam ad majorem ædificationem, & paupertatis noſtræ ſinceritatem, ac puritatem retinendam perneceſſariam, quæ habetur Exam. c. 1. §. 3. & P. 6. c. 11. §. 7. ne pro miniſteriis Societatis ſtipendium, vel eleemoſyna ulla in compenſationem admitti poſſit: ac omnino prohibet, ne ullus Superior, ac ne ipſe quidem Præpoſitus Generalis in ea diſpenſet. *Dec. 41.*

Exam. c. 1. §. 10. & c. 7. §. 1. P. 5. c. 4. lit. E. & P. 4. c. 3. §. 3. *Votum quartum Scholaſticorum.*

2. Promiſſio illa ingrediendi Societatem, quæ in formula votorum ſimplicium Scholaſticorum habetur, Votum eſt peculiare à tribus aliis diſtinctum, quo quis ſe obligat ad acceptandum gradum Profeſſorum, vel Coadjutorum formatorum, prout Præpoſito ad majus Dei obſequium fore videbitur. *Dec. 16. & 66.*

Exam. c. 3. §. 2. *Hebræi, & Saraceni à Societate excluduntur.*

3. Quoniam Societatis miniſteria eo majori cum fructu in communi animarum ſalute procuranda exercentur, quo Noſtri longius abſunt ab iis hominum conditionibus, quæ aliis offendiculo eſſe poſſunt; nullus omnino ex iis, qui Hebræorum, aut Saracenorum genere deſcendunt, deinceps in Societatem admittatur. Quod ſi eorum quiſpiam errore aliquo admiſſus fuerit, cum primum de hoc impedimento conſtiterit, quocumque tempore ante profeſſionem detegatur, admonito prius Præpoſito Generali, & expectato ejus reſponſo, dimittatur. De qua re omnes ante admiſſionem perſpicue admonendi erunt. Hoc autem Decretum indiſpenſabilis impedimenti vim obtineat, ita ut nullus omnino Superior, ac ne ipſe quidem Præpoſitus Generalis in eo diſpenſare poſſit. *Dec. 68. & 69.*

4. Nemo

4. Nemo deinceps jure Majoratus gaudens in Hiſpania, niſi habita facultate R. P. Præpoſiti Generalis, in Societatem recipiatur: & is ſit iis donis ornatus, ut ſpem magnam præbeat, ſe poſt biennium probationis fore talem, qualem noſtræ Conſtitutiones requirunt, ut ad profeſſionem trium votorum admitti queat. Ad profeſſionem autem intelligatur admittendus, niſi qualitas Majoratus ejusmodi fuerit, ut promotio ad ſacrum Ordinem firmitati illius abdicationis ſatis ſit. Tunc enim non profeſſio, ſed ordinatio procuranda erit. *Dec. 29.* Exam. c. 4. §. 2. *Majoratus.*

5. Noſtri, qui ante ingreſſum in Societatem Eccleſiaſtica beneficia quæcumque obtinent, finito probationis biennio, priusquam vota ſimplicia Scholaſticorum emittant, omnino reſignent, non obſtante Canone I. primæ Congregationis. *Dec.* 30. Exam. c. 4. §. 5. *Quando eccleſiaſtica beneficia reſignanda.*

6. Loca quædam Conſtitutionum circa noſtros dimittendos, quæ videntur inter ſe pugnare, hac ratione ſunt interpretanda & concilianda; ut caput 7. Exam. §. 2. non loquatur de omnibus, ſed de eo, qui habet majorem propenſionem ad ſtudia, quam par eſt, juxta *Dec.* 78. quartæ Congreg. Locus autem P. 2. c. 2. B. intelligatur de eo, qui in ægritudinem incidit in quocumque obſequio Societatis, poſtquam emiſit vota biennio exacto: is enim dimitti non poteſt, niſi ipſe contentus eſſet. Nam ſi hoc accidat in Novitiatu, dimitti poſſet, ex §. 3. ejusdem c. 2. etiamſi in ordinariis laboribus Societatis in morbum incidiſſet. Conſtitutio autem P. 4. c. 6. §. 15. N. ſic intelligatur, ut qui in Scholaſticam admiſſus fuiſſet, ſi emiſſis votis poſt biennium, inveniatur ineptus ad ſtudia, & ad alia domeſtica miniſteria, poſſit in rigore è Societate dimitti: quia adhuc in probatione eſt ad ulteriores gradus, eoque magis ſi illa inutilitas eſſet cum aliqua culpa voluntatis conjuncta. Ex æquitate tamen, ſi nulla ſit culpa, conſulatur Præpoſitus Generalis, ut dicit Conſtitutio. *Dec.* 17. & 66. Exam. c. 7. §. 2. & p. 2. §. 2. lit. B. p. 4. c. 6. §. 15. lit. N. *Loca Conſtitutionum conciliata circa dimiſſionem.*

7. Verba illa Conſt. P. 3. c. 1. §. 7. *Doceantur omnes, quod nulla re tamquam propria uti debent*, ſic intelligenda ſunt, ut qui utitur rebus ſuis, quacumque ratione illis utatur tamquam propriis, vel poſt emiſſa tria vota ſubſtantialia ea diſtribuit, vel iis ſe abdicat ſine Superioris facultate, faciat contra votum paupertatis. *Dec.* 21. 66. & 75. P. 3. c. 1. §. 7. *Proprietas.*

8. Nullum Collegium deinceps admittatur, in quo litteræ humaniores doceantur, niſi ea fundatione dotatum ſit, ut triginta ſaltem ex Noſtris in eo ali poſſint. Quod ſi præterea tres Philoſophiæ curſus addi Fundatores P. 4. c. 2. & 7. §. 1. lit. B. *Ratio acceptandorum Collegiorum.*

ctores velint, ejusmodi ſit, ut ex propriis reditibus ſaltem ſexaginta ſuſtentari queant. Vbi vero Societas alicujus Vniverſitatis, aut generalis ſtudii curam ſuſciperet, ac ſupradictis Scholaſticam Theologiam, & Sacram Scripturam adjungeret, ita commode proſpectum eſſe debebit, ut ad minimum centum à Noſtris nutrire valeat, ut plenius in formula explicatur. Excipiuntur tamen Indicæ, & Tranſalpinæ regiones, de quibus nihil certi præſcriptum fuit. Et nihilominus circa multiplicationem Collegiorum Congregatio commendat R. P. Præpoſito, quod Dec. 11. ſecundæ Congreg. & 30. tertiæ Cong. generalis continetur. *Dec. 36. & 87.*

P. 4. c. 14. §. 1. Doctrina S. Thomæ ſequenda.

9. Sequantur noſtri Doctores in Scholaſtica Theologia doctrinam D. Thomæ, juxta praxim in libro De Ratione ſtudiorum ponendam, & à P. Præpoſito Generali explicandam. Neque deinceps ad Cathedras Theologicas promoveantur, niſi qui D. Thomæ doctrinæ bene affecti fuerint: ab ea vero alieni, à docendi munere repellantur. *Dec. 55. & 72.*

P. 5. c. 1. lit. C. Biennium non contrahendum.

10. Nullo caſu exerceri liceat facultatem diſpenſandi in contrahendo biennii ſpatio ad hoc, ut quiſpiam ante expletum biennium cenſeatur verus Religioſus, & Scholaſticus approbatus per emiſſa vota ſimplicia Scholaſticorum Societatis. Nec hoc repugnat Declarationi Conſtit. P. 5. c. 1. C. quandoquidem, ut facultas illa diſpenſandi, quæ in ea conceſſa eſt, poſſit aliquando effectum habere, ſatis eſt, ſi exerceatur in contrahendo tempore biennii ad profeſſionem in caſu aliquo emittendam. *Dec. 23. 24. & 80.*

P. 5. c. 2. §. 1. Exam. c. 1. §. 8. & 12. & c. 4. § 16. & 41. & P. 10. §. 7. Profeſſionis nullum certum tempus.

11. Cum nullum in Conſtitutionibus certum tempus promovendi Noſtros ad gradus Societatis fixos præfixum ſit, aut etiam illis integris præfigi poſſit; cum ex illis nihil aliud habeatur, quam præſcribi ea, quæ promotionem ad illos gradus præcedere oporteat; terminum vero ad illos promovendi nullum alium eſſe, quam ſufficientiam promovendorum, pro qualitate ejusdem gradus, in Chriſtianæ vitæ puritate, ac ſelecta doctrina ſatis cognitam, & diuturnis ac diligentiſſimis probationibus exploratam, cum omnium ædificatione & ſatisfactione; ac denique non niſi cum Societati, vel ejus Præpoſito Generali (in cujus manu proprii cujusque gradus judicium noſtri forma Inſtituti, & Apoſtolicæ Conſtitutiones eſſe voluerunt) fuerit ab eis plene ſatisfactum; Congregatio inhærens Dec. 13. quartæ Congregationis, quod denuo confirmat, ſtatuit nullum certum tempus prædictis gradibus conferendis præfiniendum eſſe, aut quidquam in Conſtitutionibus in hac parte innovandum: cum & noſtri Inſtituti ſubſtantialibus hoc plane repugnet, & gravis-

graviſſima ad illud labefactandum incommoda ex ejuſmodi determinatione neceſſario ſecutura eſſent. *Dec.* 50.

12. Ut ab omni ſpecie mali abſtineatur; & querelis etiam ex falſis ſuſpicionibus provenientibus, quoad fieri poterit, occurratur; præcipitur Noſtris omnibus in virtute ſanctæ obedientiæ, & ſub pœna inhabilitatis ad quævis officia, & dignitates, ſeu prælationes, vocisque tam activæ quam paſſivæ privationis, ne quiſpiam publicis, & ſæcularibus Principum negotiis, quæ ad rationem ſtatus (ut vocant) pertinent, ulla ratione ſe immiſcere; nec etiam quantumvis per quoſcumque requiſitus aut rogatus, ejuſmodi res politicas tractandi curam ſuſcipere audeat vel præſumat. Idque ſerio commendatur Superioribus, ne permittant Noſtros iis rebus ullo modo implicari: & ſi quos ad eas propenſos animadverterent, eos loco mutandos quamprimum procurent, ſi alicubi ſit occaſio, vel periculum ſe ejuſmodi implicationibus irretiendi. *Dec.* 63. & 101. P. 6. c. 3. §. 7. *Interdicitur rerum politicarum tractatio.*

13. Diligentiſſime cavendum eſt, ne Noſtri cum detrimento ſpiritualis boni, & religioſæ diſciplinæ, ſeſe in familiaritatem Principum inſinuent: nec aliis negotiis ſæcularibus, licet rerum particularium, ad conſanguineos, amicos, vel quosvis alios pertinentibus occupentur (niſi forte interdum judicio Superiorum caritas aliud ſuaderet) ut à negotiis hujusmodi tamquam à nobis alienis abſtinentes, intra noſtri Inſtituti limites proximos noſtros juvare conemur. Quapropter Congregatio accurate commendat R. P. Generali, ut pro ſua prudentia ea remedia adhibeat, quæ Noſtros juvent, ut ſecundum noſtri Inſtituti rationem cum Principibus viris agant: & in hoc errantes Noſtros, præſertim ſi Superiores ſint, necnon & qui per negotiationes, & interceſſiones externorum aliquid à Superioribus obtinere procurant, iis pœnis corrigat, quas ad delinquentium emendationem, & aliorum exemplum in Domino convenire judicaverit. *Dec.* 64. & 102. P. 6. c. 3. §. 7. *Familiaritas Principum, & ſecularia negotia.* P. 7. c. 2. K.

14. Cum Miſſiones ex præcipuis noſtræ Societatis functionibus ſint, & Profeſſorum propriæ, Congregatio obnixe R. P. Præpoſito Generali commendat executionem, & praxim ſaluberrimi hujus miniſterii ad ædificationem, & fructum animarum majori cum diligentia poſthac in Societate exerceri, & ut apti & ſelecti mittantur operarii. *Dec.* 61. P. 7. c. 1. 2. & 3. & P. 4. in procem. lit. A. *Miſſiones commendantur.*

15. Provincialibus Congregationibus nulla alia poteſtas concedenda eſt, præter eam, quam habent in formula Congregationis Provincialis, in quarta Congregatione generali confecta & approbata. *Dec.* 44. P. 8. c. 3. §. 1. & c. 5. §. 3. *Quæ poteſtas Congregationis Provincialis.*

16. De-

P. 8. c. 3. Numerus congregandorum contractus.

16. Decrevit Congregatio numerum congregandorum in Congregatione Provinciali hoc modo contrahendum eſſe, ut pro eligendo Procuratore conventuri, quadrageſimum numerum non excedant; nec quinquagenarium, quando ad Conventum generalem convocatur Provincialis Congregatio. Et in utroque caſu duæ tertiæ congregatorum partes ſint Profeſſi: ita ut præter Provincialem, & Superiores omnes Locales, & Procuratorem Provinciæ, vel maximi Collegii, conveniant tot Profeſſi antiquiores illius Provinciæ, quot ad præfixum numerum explendum ſufficiant. Quod ſi contigerit numerum Superiorum, qui profesſi non ſint, ita excreſcere, ut tertiam ſuffragiorum partem ſuperent, tunc tot Profesſi addantur, ſervato antiquitatis ordine, quousque duas tertias partes, ut dictum eſt, conficiant, etiamſi hoc modo præfixus numerus excederetur. Rectores tamen Seminariorum quorumcumque in Congregatione locum non habeant. *Dec.* 51. 76. *&* 103.

P. 8. c. 7. & 1. Cong. Tit. 2. Dec. 1. & 2. Cong. d 9. in For. Cong. Gen. §. 66. & 68. Subſtantialia noſtri Inſtituti.

17. Subſtantialia noſtri Inſtituti ea in primis ſunt, quæ in formula, ſeu regula Societatis, Iulio III. Summo Pontifici propoſita, & ab eo aliisque ejus ſucceſſoribus confirmata continentur. Deinde ea, ſine quibus illa, aut nullo modo, aut vix conſtare poſſunt; cujusmodi ſunt eſſe aliqua impedimenta eſſentialia in admittendo: Non eſſe neceſſarium, ut in dimittendis forma judicialis ſervetur: Reddendam eſſe Superiori conſcientiæ rationem: Contentum eſſe debere unumquemque, ut omnia, quæ in eo notata fuerint, per quemvis, qui extra confesſionem ea acceperit, Superioribus manifeſtentur: Paratos eſſe debere omnes, ut ſe invicem manifeſtent debito cum amore & caritate. Et alia ſimilia. *Dec.* 60. *&* 74.

P. 9. c. 3. §. 3. 14. & 15. Officialium mutatio tempore Congregationis.

18. Quod in Can. 32. primæ Cong. ſtatuitur, non licere Generali Præpoſito mutare Officiales, qui ab ipſo creantur, usque ad diſſolutionem Congregationis; abſolute de omni Congregatione generali, quibuſcumque in caſibus congregata intelligendum eſt. *Dec.* 34.

P. 6 c. 5. §. 3. & c. 6. §. 10. Aſſiſtentium votum deciſivum ſicut Provincialium.

19. Asſiſtentes Præpoſiti Generalis ſuffragium habent deciſivum in iis omnibus, in quibus illud habent Provinciales extra Congregationem generalem. *Dec.* 27.

Par. 10. Conſt. Revelandi machinantes contra Inſtitutum.

20. In virtute ſanctæ obedientiæ præcipitur omnibus, qui reſciverint, aut deprehenderint quoſcumque machinari aliquid, aut machinatos fuiſſe contra Inſtitutum Societatis, ut quam primum poterunt, Præpoſito Generali tam auctores, quam vere complices fideliter deferant, ut ille pro ſuo officio, & Congregationis generalis voluntate, eos debitis pœnis afficiat, & à Societate dimittat. *Dec.* 70.

CA-

CANONES
SEXTÆ
CONGREGATIONIS
GENERALIS,
Auctoritate ejusdem confecti.

Dec. 68. Cong. 6.

I.

DECRETUM Quintæ Congregationis generalis ſeptuageſimum contra Societatis perturbatores, nuper à Sanctiſſ. D. N. Paulo V. confirmatum, non modo ab hac Congregatione probatur, ac renovatur; verum etiam ita extenditur, ut Noſtros complectatur omnes, qui cujuslibet ſive de Societate, ſive externi opera utantur ad ejusdem Societatis pacem perturbandam. Ad hæc omnibus Provincialibus præcipitur in virtute ſanctæ obedientiæ, ut in hujusmodi homines inquirant, eosque certi criminis ad Generalem Præpoſitum deferant denique operam, ut Societas intelligat, ipſos non minus ſtrenue, quam fideliter ſuo ea in re munere fungi. *Dec. 14.* *Contra perturbatores.*

2. De Conſtitutionibus immutandis ſi quando in Congregatione generali agendum eſſet, pro eo quanti illas facere par eſt, quæ tot lacrymis, tamque aſſiduis orationibus à B. P. N. ſunt conditæ, tractare deinceps minime liceat, niſi prius plura quam media ſuffragiorum pars, ea de re agendum decernat. Non obſtante Decreto 2. primæ Congregationis generalis, tit. 2. & Congregationis ſecundæ Decreto 9. & 10. Ipſum vero Decretum nequaquam conficietur, niſi ex tribus eorumdem ſuffragiorum partibus duæ minimum convenerint. *Dec. 24.* *Quæ ſuffragia ad immutandas Conſtitutiones.*

3. Si quis in Congregatione Provinciali aliquid fortaſſe propoſuerit tractandum, quod vel aperte ſubſtantialibus Inſtituti adverſum ſit; vel certe dubium, utrum iis aliquo modo repugnet; ſi etiam ubi audiverit, id quod proponitur, Inſtituto plane eſſe contrarium, aut dubium an ſit videri, juxta formulam Congregationis provincialis § 30. adhuc urgeat, ut ea de re agatur; in eum Præpoſiti Generalis judicio animadvertendum erit. *Dec. 25.* *De contra ſubſtantialia proponentibus.*

Quomodo Generali Congregationi proponendum.

4. Nulla Provincialis Congregatio de tollendis, aut immutandis Conſtitutionibus, vel Congregationum generalium Decretis, generali Congregationi agendum proponat, niſi aut omnibus, qui eidem Congregationi Provinciali interſunt, aut ex tribus partibus duabus ſaltem viſum fuerit proponendum. Si autem hac ratione conſenſerint ſuffragia de hujusmodi aliquo eſſe tractandum, nequaquam poſtulabitur, ut Conſtitutiones vel Decreta tollantur, immutenturve: ſed ſolum adferentur incommoda, quæ vel ſecuta ex eorum obſervatione, vel ſecutura videantur; ad eaque vitanda, à Congregatione generali remedium ſimpliciter quæretur. *Dec.* 26.

De Iuniorum ſegregatione.

5. Cum magnus ex Iuniorum à reliquis ſegregatione in iis Provinciis fructus conſtet, in quibus ea fieri cœpta eſt, tum ad ſpiritus primitias ac fervorem, quem initio hauſerunt, conſervandum; tum ad eos, quales Inſtitutum noſtrum poſtulat, effingendos; ſegregatio eadem hujus auctoritate Congregationis approbatur & confirmatur. Commendatur præterea Provincialibus, ut tam utile Iuniorum ſeorſim à ceteris habitandi, vivendique inſtitutum, ſicubi forte nondum cœpiſſet, invehi atque obſervari curent, tum in Seminariis maxime, illisque in Collegiis, in quibus numerus eorum major eſt; tum vero etiam in aliis, ubi commode fieri poſſe judicaverint. Atque ad hujus rei feliciorem, faciliorémque progreſſum Generali Præpoſito commendatur, ut Inſtructionem aliquam conficiat. *Dec.* 30.

De Collegiis quæ Seminaria non habent.

6. Etſi ad tollendos omnes ſcrupulos de Collegiis, in quibus noſtrorum Studentium Seminaria non ſunt, retinendis, ſatis eſſe poterat perpetua, atque ab ipſo B. Fundatoris tempore ad hanc usque diem continuata eorumdem tum inſtituendorum, tum retinendorum conſuetudo, optima legum interpres; nihilominus tamen, cum Societas ex communicatione Privilegii, à fel. record. Iulio II. Ordini Prædicatorum conceſſi, atque ex proprio Privilegio fel. record. Iulii III. quæ in Inſtituto, ejusque formula dubia ſunt, declarare poſſit; ne ullus in poſterum rem ejusmodi in controverſiam vocet, declarat in præſentia Congregatio, non ſolum Collegia, ubi Seminaria Noſtrorum ſunt, ſed etiam alia, in quibus litterarum ſtudia tractantur, atque ubi ſcholæ ad proximorum utilitatem apertæ ſunt, Societatis Conſtitutionibus, Inſtitutoque eſſe conſentanea. Et Profeſſos atque Coadjutores formatos (de quibus major eſſe poterat dubitatio; nam de ceteris ſcrupuli nihil ſubeſt,) qui ejusmodi Collegiis, etiam ut operarii, neceſſarii aut utiles ſunt, in eis ſuſtentari poſſe: neque propterea fieri, ut Societas Profeſſa ex Colle-

De Profeſſorum in Collegiis habitatione.

giorum reditibus (quod Domibus tantum Profeſſis interdictum eſt) juvetur. Curandum tamen omnino, ut Collegia inchoata perficiantur, quo vel noſtri Scholaſtici ibi aliquot ali; vel, ſi commodius Societati fuerit, in aliquibus Seminariis ex illorum contributione ſuſtentari, vel alia ratione huic negotio proſpici poſſit, ut R. P. Præpoſito Generali ad majus Dei obſequium, Societatis utilitatem, & commune Eccleſiæ bonum expedire viſum fuerit. *Dec.* 35.

7. Inſtructio pro Confeſſariis Principum, à P. N. Generali confecta, hujus auctoritate Congregationis approbatur & confirmatur. Vt autem illi integre ſuum obeant munus, utque nullum in Societatis miniſteriis paupertatis noſtræ puritas detrimentum patiatur; ſtatuitur, Noſtris, eo maxime nomine, quod cum Principibus ac viris primariis agunt, vel eorum Confeſſarii ſunt, ab iis quidquam ad proprium uſum, diſpoſitionemque accipere minime licere; neque Superiores ad eam rem facultatem concedere poſſe: eosque à quibus hujuſmodi aliquid procuratum conſtiterit, eſſe puniendos. Idem Congregatio de aliis Confeſſariis, de Concionatoribus, Præceptoribus, & ſimilibus erga pœnitentes, devotos, conſanguineos, & amicos intelligi, maximeque ab iis obſervari voluit, qui in Miſſionibus verſantur. Quod ſi ſponte ab aliquo quid offeratur, aut alicui ex Noſtris mittatur; id juxta Regulas, in communem uſum accipi ac diſpenſari par eſt. Superiorum deinde prudentiæ erit videre, quid in caſibus particularibus ſit faciendum: ac ſi qua in re dubium incidat, ad R. P. Generalem referri oportebit. *Dec.* 38. *Inſtructio pro Confeſſariis Principum confirmatur.*

8. Ante votorum renovationem vacatio per triduum inſtituatur. Ea hujuſmodi erit, ut ceſſent ab omnibus occupationibus, qui ea renovaturi ſunt, etiam litterariis, præter quam à conſuetis lectionibus, ubi eæ habentur. Exercebunt autem ſe eo tempore in rebus ſpiritualibus juxta inſtructionem, quam ut confici curet, Congregatio R. P. Generali commendat. *Dec.* 46. *Triduana recollectio.*

9. Noſtri omnes quotannis continenti octo vel decem dierum ſpatio ſpiritualibus exercitiis vacent. Porro illorum uſus ſummopere Noſtris à Congregatione commendatur; præcipue vero Superioribus: qui non modo ceteros ſuo exemplo præibunt, ſed omnibus ſuperatis difficultatibus, tempus ſingulis commodum attribuent, quo cum fructu peragantur. *Dec.* 46. *Quotannis exercitia ſinguli obibunt.*

Declaratio Regul. Sum. 9. & 10.

10. Cum obſervatio Regularum 9. & 10. Summarii, ex cap. 4. Exam. §. 8. deſumptarum, ad diſciplinam religioſam conſervandam maxime conducat, Congregatio hæc circa illas declarat. *Dec.* 49.

Licet manifeſtare Superiori, ut patri, quodcumque delictum.

§. 1. Licitum eſſe omnibus Noſtris manifeſtare Superiori, ut patri, quodcumque delictum alterius, ſive leve, ſive grave: & hunc eſſe ſenſum Regulæ, cum ex illis verbis cap. 4. Exam. conſtet, Noſtros cedere cuicumque juri famæ, quod huic manifeſtationi obſtare poſſet; & facultatem facere omnibus deferendi ad Superiores quæcumque de illis notata fuerint.

Quomodo defectus manifeſtandi.

§. 2. Verba autem illa Regulæ, *Per quemvis, qui extra confeſſionem ea acceperit*, intelligi de illis, quæ ab aliquo alio notata, & obſervata fuerint: non autem de iis, quæ ipſimet ſecreto, & conſilii petendi gratia, ut dirigantur vel juventur, alteri communicaverint.

Quando Superiori aperiendi.

§. 3. Nec opus eſſe Noſtros expectare, ut rogentur à Superioribus, ut ea manifeſtent, cum verba illa, *præſertim ubi à Superiore fuerit ita præſcriptum*, ſatis declarent, debere eos eſſe paratos ad hanc manifeſtationem, non expectato Superioris præſcripto.

Ad quæ aperienda teneantur.

§. 4. In delictis vero, quæ vergunt in detrimentum boni communis, aut damnum imminens tertiæ perſonæ, (qualia ſunt infectiva aliorum, & nociva bono Religionis, ut ſunt lapſus carnis cum complice, ſeminatio diſcordiarum inter fratres, furtum, impugnatio vel machinatio contra Inſtitutum, vel Superiores, præſertim Generalem; detrahendi, vel ſuſurrandi conſuetudo, & ſimilia) non ſolum poſſe, ſed etiam teneri quemque ea manifeſtare Superiori, ut patri, ut provideat ſecreto & prudenter tam bono Subditi, quam Religionis.

Quando opus erit judiciali denuntiatione.

§. 5. Quando autem prudenter judicaretur, non poſſe adhiberi ſufficiens remedium, quo provideatur bono communi, vel tertiæ perſonæ, niſi aſſumatur in ea re officium Iudicis; tunc tenebitur ſubditus ad denunciationem judicialem Superiori faciendam. Quomodo autem eâ in re ſe gerere debeat Superior, dicetur in Inſtructione.

Novitiis declarentur.

§. 6. Hæc quæ ſancita ſunt à Congregatione circa Regulam nonam & decimam Summarii, Novitiis oſtendantur, iiſdemque declarentur, juxta Regulam decimam quintam Magiſtri Novitiorum, inter alia, quæ ipſis paulatim explicantur.

CANO-

CANONES
SEPTIMÆ
CONGREGATIONIS
GENERALIS,
Auctoritate ejuſdem confecti & recogniti.
Dec. 130. *Cong.* 7.

1.

VIGESIMVS ſeptimus dies Septembris, Divis Coſmæ & Damiano ſacer, in memoriam natæ, confirmatæque tunc primum Societatis, eâ à Noſtris veneratione colendus erit, ut Patres Sacra omnia eo die peragenda, reliquique Roſarium, aliasque preces, ac communionem ſacram Deo pro tam felicibus initiis, proſperisque ſucceſſibus offerant. *Dec.* 65. *Dies Confirmationis Societatis.*

2. In pervigilio B. P. Noſtri jejunium per univerſam Societatem ſervetur. *Dec.* 23. *Iejunium in pervigilio B. P. Ignatii.*

3. Nemo localium Superiorum, Provincialium, aut Viſitatorum etiam, Sanctorum Reliquias, Domibus, Collegiisque applicatas quacumque ex cauſa, Noſtris, aut externis largiatur, aut ſibi uſurpet. Si quis aliud feciſſe deprehenſus fuerit, judicio Patris Noſtri pro rei gravitate puniatur. *Dec.* 37. *Reliquiæ.*

4. In annua recollectione, quæ ab omnibus fieri debet, ab omni occupationum genere abſtineant: caveantque Superiores, ne vel ipſi, vel alii, eo tempore ullis negotiis, ac ne confeſſionibus quidem excipiendis, aut habendis concionibus occupentur. *Dec.* 34. §. 4. *Exercitia ſpiritualia.*

5. Ante nocturnum conſcientiæ examen integer ſuperſit quadrans, qui lectioni ſpiritualis libri, præparationique ad matutinam meditationem ab omnibus impendatur. *Dec. eod.* §. 3. *Quadrans ante examen.*

6. Nemo orationis, aut examinis tempore ad portam, aut eccleſiam, ſine expreſſa Superioris facultate evocetur, niſi ſolemnioribus diebus, quibus Confeſſionibus in templo vacatur. Omnes vero orationis tempore, quantum negotiorum magnitudo patietur, ab omnibus ſe occupationibus expediant, & tempore ad orationem ſe recipiant. *Dec. eod.* §. 2. *Nemo ad januam tempore examinis.*

7. In ſingulis Domibus deſignandus vir fidus, qui orationis tempore omnes viſitet, etiam illos, quibus quieſcendi tempus à Superioribus proroga- *Viſitatores in oratione.*

 tur:

tur: nullius autem voluntati prorogatio hæc permittenda erit, ſed certum omnibus ſurgendi, orandique tempus ſtatuendum; iis etiam, qui domeſticis occupationibus orationis tempore diſtinentur (quales ſunt Coqvus, Ianitor, Ædituus, ſimileſque) certa meditationis hora aſſignetur, certuſque à quo id temporis viſitentur. *Dec. eod.* §. 1.

Ceſſatio recreationis. 8. Feria quarta poſt decantatas tenebras, uſque in feriam ſextam hebdamadæ ſanctæ incluſive, in Dominicæ Paſſionis venerationem, ab omni recreatione abſtinendum erit. *Dec.* 45.

Exequiæ in obitu Generalis. 9. Vbi primum certi aliquid de Generalis morte per Provincias conſtiterit, officium pro Defunctis, Sacrumque in ſingulis domiciliis ſolemne, conſueto Societatis, locique more cantandum vel dicendum: Sacrumque eodem etiam die, præter ea quæ à Vicario indicta, à reliquis faciendum; cenotaphio pro religioſa Societatis modeſtia in templo excitato. *Dec.* 9.

Ordinationes, & conceſſiones Generalis. 10. Demortui Generalis Ordinationes, reſponſa ad Provincias, privilegia, particulares conceſſiones, ejusque generis alia, eandem vim habent, quam vivo Generale habebant, donec à ſucceſſore revocentur. *Dec.* 85.

Facultates à Superioribus conceſſæ. 11. Qui Superiorum munus obeunt, maxime vero Provincialium, tenebuntur ut primum illis commodum fuerit, ſubditos præſentes & coram monere, ut privilegia & facultates à prædeceſſoribus conceſſas aperiant: ut illas ipſi vel confirment vel abrogent, prout in Domino expedire judicaverint. Vsque ad quam denuntiationem facultates omnes in ſuo robore manebunt: qua peracta, ſi ſubditi illas non aperiant, pro abrogatis de facto habendæ erunt. Facultates etiam à Viſitatoribus conceſſas tenebitur quisque Provincialibus rogantibus aperire. Has tamen illi, niſi Generali admonito, revocare non poterunt. *Dec.* 47.

Annui reditus pro Domibus profeſſis. 12. Si quis annuos perpetuos reditus, aut ſtabilia quæcumque bona Collegio donaret, aut legaret, cum onere partem aliquam proventuum illorum annue in perpetuum profeſſæ Domui numerandi: nullo modo proventus hi perpetui à profeſſa domo admittendi eſſent, quod ea res cum peculiari paupertatis Profeſſorum voto, illiusque puritate pugnare, januamque laxandæ paupertati aperire videatur: *Dec.* 61.

Negotia ad rationem ſtatus pertinentia. 13. Inter negotia ad rationem ſtatus pertinentia, quibus miſcere ſe Noſtri Canone 12. Congregationis 5. generalis ſub præcepto prohibentur, juxta explicationem R. P. Claudii numerari non debent, quæ pertinent ad ſolam conſcientiam, directionemque Principum, qui conſilium à Noſtris petunt: ſed

ſed illa omnia, quæ à ſpirituali inſtructione diverſa ſunt: qualia ſunt, quæ ad Principum inter ſe fœdera, vel ad regnorum jura & ſucceſſiones pertinent, vel ad bella tam civilia quam externa. Ac ſi quis publicis harum, ſimiliumque rerum conſiliis intereſſet, aut tractandis iis operam re ipſa impenderet, contra 12. Canonem Cong. 5. feciſſe cenſendus eſſet. *Dec.* 57.

14. Nulli Patrum quacumque ex cauſa, certus ſtabilisque Coadjutor concedatur; ſed quandocumque contigerit, aliquem alicujus opera egere, talem Superiores, pro negotiorum, temporumque, ac occurrentium neceſſitatum varietate, è domeſticis aſſignent, quem ad id muneris commodiſſimum judicaverint: ita ut nec ad egrediendum quidem domo idem ſemper tribuatur. Viſitatoribus tamen, & Provincialibus ſtabilis Coadjutor negandus non erit. *Dec.* 38. *Nulli certus ſocius.*

15. Omnes vi quarti voti in Congregatione Quinta explicati, Præpoſito Generali certum gradum imponenti obedire tenentur. Rationes tamen, quas conſueto Societatis more quilibet proponere volet, ſcripto proponendæ in poſterum erunt. Quibus examinatis, ſi in ſententia Generalis perſeveraverit, certumque abſolute gradum ſtatuerit, licet non addat obedientiæ præceptum, tenebitur talis imperatum gradum ſuſcipere, ut ſi non fuerit obſecutus, cenſendus ſit in malo ſtatu eſſe, & à Sacramentorum uſu ac adminiſtratione repellendus. *Dec.* 42. *Gradus acceptatio quando obligat.*

16. In eos, qui in conſultationibus, examinibus ad ſtudia, & profeſſionem, in informationibus ad gradus, & gubernationem, in Congregationibus tam provincialibus, quam generalibus peracta evulgant, diligenter inquirant Superiores, repertosque pro rei gravitate, culpæque magnitudine, pro arbitrio ſuo puniant, etiam usque ad muneris Conſultorum, aliorumque non inferiorum privationem. *Dec.* 30. *Evulgatores rerum ſecretarum.*

17. §. 1. Omni omnino bonorum adminiſtratione, ut primum Novitiatum ingreſſi fuerint Noſtri, ſe exuant. quorum adminiſtratio, ei Provincialis judicio committenda, qui majori eam fide tractaturus videbitur. *Dec.* 24.

§. 2. Quo tempore nihil Noſtri ex annuis ſuorum cenſibus, ſola voluntate ſua, in proprios, in Noſtrorum, in Collegiorum uſus convertere poterunt. ad pias tamen cauſas, locaque, per modum eleemoſynæ, Provinciale annuente, quædam è proventibus annuis donare non vetantur.

§. 3. Bonorum vero quorumcumque dominio, ſive realium, ſive perſonalium, eorumque ſive perpetuorum, ſive vitalitiorum, quando per ætatem,

patri-

Bonorum diſtributio.

patriasque licebit leges, jureque etiam ſucceſſionis omni, cum id P. N. imperaverit, exuere ſe Noſtri teneantur.

§. 4. Penſionibus tamen Eccleſiaſticis, & ſimilibus generum horum, cum ita perſonalia ſint, ut ſuper Noſtrorum perſonis conſtituantur, abdicare ſe in ſolidum Noſtros non expedit: Patris tamen Noſtri judicio annua illorum diſtributio committenda, nullaque talium adminiſtratio poſſeſſoribus permittenda.

§. 5. Quadriennio tamen à Societatis ingreſſu, bonorum Noſtris poſſeſſio conceditur, quam nulli, præterquam Generali, idque in gravibus cauſis prorogare liceat. Cujus prorogationis tempore, nihil ex annuis proventibus poſſeſſionibus illorum accreſcet, ſed in pias cauſas annui hi fructus Provincialis judicio impendentur.

§. 6. Si ante quadriennii expletionem, perfectionis ſtudio, abdicare ſe quis in ſolidum bonis in Noſtrorum uſum voluerit; ſolius Patris Noſtri judicio abdicatio talis permittitur. Quod ſi id temporis ad pias externorum cauſas proprietate, aut annuis proventibus exuere ſe vellet, impediendus non erit.

Tribunalia.

18. §. 1. Nemo Noſtrorum ex quorumcumque propinquorum, aliorumve cauſa, tribunalibus ſe ſiſtat, liteſve dirigat, aut proſequatur; curam adminiſtrandi illorum bona ſuſcipiat; ad Eccleſiaſticas, aut ſæculares dignitates, muniave promoveat, ſine expreſſa Generalis Præpoſiti facultate, quam illi ſoli Congregatio voluit reſervatam. *Dec.* 19.

Pia negotia.

§. 2. In aliis piis propinquorum, benefactorum Societatis, pauperum, ſimiliumve commendationibus, nihil ſine Superioris loci facultate tentandum erit. Qui in rebus alicujus momenti, de iis quæ moram non patiebantur à ſe conceſſis certiorem Provincialem faciet; in iis autem quæ moram patientur, pro impetranda facultate referat ad Provincialem, qui & ipſe, ſi tantam res moram ferant, in gravioribus ad Generalem recurret; ſi acceleratione opus erit, permittere rem poterit; permiſſionis tamen cauſam, remque ipſam Generali prima data opportunitate indicabit.

Patrocinia & interceſſiones externorum.

19. §. 1. Licet peculiari præcepto ſub mortali obligante, aut gravioribus cenſuris, ne Noſtrorum quiſquam apud Superiores externorum ſibi patrocinia, aut interceſſiones paret, non viſum fuerit in præſentiarum inhibere; pro delicti tamen qualitate graviter à Superioribus tales puniendi; ut à re prætenſa, atque certum etiam tempus ab omni in Societate digniore munere obeundo, vel vocis tam activæ, quam paſſivæ jure, ſi quod habent, excludantur. *Dec.* 27.

§. 2. Quod

§. 2. Quod ſi qui inſcii patronos hos patiantur, ubi primum ſtudia, molitioneſque talium intellexerint, teneantur illorum conſilia Superioribus aperire, conatumque quantum poterunt impedire: quod ſi neglexerint, erunt pro rei magnitudine Superiorum arbitrio puniendi. iiſdemque legibus ac pœnis ſubjacebunt, qui interceſſionum harum conſcii ſilentio eas premunt, nec ad Superiores deferunt.

20. Qui temere, & ex inanibus ſuſpicionibus, vel ex alia quapiam minus probata cauſa, verbo ſcriptove falſum alteri crimen imponunt; quiq; graves Noſtrorum defectus occultos aliis quam Superioribus aperiunt, ſevere pro delicti qualitate puniantur. qua in re Superiorum conſcientia oneratur, ut ſerio in auctores inquirant, nec publice etiam in publicis delictis parcant. Qui vero auctores manifeſtare recuſaverint, pro auctoribus habendi, eademque pœna mulctandi erunt. Caveant etiam Superiores, ne faciles Delatoribus aures præbeant: diſquirant ſingula, donec in delatæ rei cognitionem veniant, ut aut innocentem liberent, aut noxium falſumque Delatorem pro rei magnitudine puniant. *Dec.* 18. *Delatores.*

21. Nemo ad mediatos Superiores dicta factave aliorum deferat, ni prius immediatos per ſe, alioſve, juxta bene ordinatæ caritatis & prudentiæ leges monuerit: addatque in iis, quas ſcribit, litteras, monuiſſe ſe, nec emendationem ſecutam: niſi graves cauſæ ordinem hunc ſuaderent invertendum. quod ubi acciderit, ordinis tranſgreſſi cauſas aperiet. *Dec.* 18. *Nemo ſcribat ad mediatos.*

22. §. 1. Qui ad Societatis miniſteria idonei, dimiſſionem ab ea, nulla juſta adducti cauſa, petunt, prætenſæ ſuæ dimiſſionis rationes cum propriæ manus ſubſcriptione Provinciali tradent, addentque nullas ſibi alias ſupereſſe. Quas Provincialis ſerio cum Conſultoribus examinatas, judicioque ſuo & illorum addito, ad Præpoſitum Generalem mittet. quas ſi non probaverit, perpetuum talibus ſub præcepto ſilentium Provincialis indicat: non obtemperantes pro delicti qualitate puniat, publica etiam in publicis culpis animadverſione. certoque ſibi perſuadeant tales, ni Superioribus acquieſcant, ſecuros ſe in conſcientia eſſe non poſſe, ſed mortali culpæ, quamdiu illa animi obſtinatione tenentur, ſubjacere. *Dec.* 29. *Dimiſſionem petentes.*

§. 2. Imponitur præceptum, latæque infertur ſententiæ excommunicatio, Provinciali reſervata, tam in illos, qui inconſulto Provinciali externos de dimiſſione ſua in conſilium adhibent; quam in illos, qui externorum auxilio & interceſſione ad dimiſſionem à Superioribus impetran- *Recurſus ad externos.*

dam utuntur. Addanturque pro Provincialis arbitrio pœnæ; longeque illis difficilior ad dimiſſionem pateat aditus. *Dec. eod.*

Cogendi ad aliam Religionem.

§. 3. Illis, qui ſola importunitate, cum alia nulla juſta cauſa ſubſit, dimiſſionem depoſcunt, nulla in poſterum niſi cum obligatione aliam Religionem intrandi, in qua regularis vigeat obſervantia, concedatur. quod & patentibus inſeratur, ac non niſi rariſſime, & ob graviſſimas omnino cauſas permittendum, ut liber ab omni votorum obligatione ad ſæculum redeat. *Dec. eod.*

Obtendentes cauſas falſas.

§. 4. Quicumque è cauſis aut non veris, aut ſi veris, è gravibus delictis ea mente perpetratis dimiſſionem impetrarunt; certo ſibi perſuadeant, nullo ſe modo tutos in conſcientia fore: omnemque hanc facultatem in conſcientiæ foro irritam, ac nullam eſſe; omnibuſque ſe Apoſtatarum pœnis ac cenſuris ſubjacere. quæ res ſi in exteriori foro conſtiterit, poterunt Superiores in illos, tamquam veros Apoſtatas, juxta Societatis privilegia, & ſacrorum Canonum diſpoſitionem procedere. *Dec. eod.*

Obtendentes cauſas ſecretas.

§. 5. Qui ad dimiſſionem ſecretas obtendunt cauſas, quibus ſe ineptos ad religioſæ diſciplinæ, votorumque obſervationem contendunt; illas ipſi judicio Patris Noſtri, Provinciali, & immediato Superiori ſuo, vel alteri indicare tenebuntur; quo rebus omnibus ſerio examinatis, maturius certiuſque aliquid de neganda, vel concedenda dimiſſione ſtatuere P. N. poſſit. qui ſi renuant prædictis PP. ſecretas illas cauſas aperire, omni obtinendæ dimiſſionis ſpe careant. *Dec. eod.*

Puniantur ante dimiſſionem.

§. 6. Qui ob grave delictum publicum è Societate dimittuntur, pro culpæ prius qualitate, Superiorum arbitrio puniantur, etiam incluſione, ubi id uſus & conſuetudo obtinuit. *Dec. eod.*

Profugi à Societate.

§. 7. Profugientes à Societate, quo facilius dimiſſionem obtineant, nec Romæ facilè à Patre Noſtro audiendi; nec ſine pœna pro delicti qualitate, Patris noſtri judicio in Provincia infligenda, dimittendi. *Dec.* 8.

Votum quartum ſpectat etiam ad Coadjutores.

23. Promiſſio Societatem ingrediendi, quæ ſimplicium votorum formula continetur, peculiariſque voti vim habet, Coadjutores etiam temporales complectitur. *Dec* 50.

Coadjutorum pileus, & veſtitus.

24. Servetur in Coadjutoribus regula cuſtodis veſtium, ut ſottana dimidio palmo breviore, pallio ſottanis etiam breviore utantur. Iis vero, qui in poſterum ad Societatem venturi ſunt, omnis clericalis pilei uſus, quo Sacerdotes & Scholaſtici utuntur, interdicitur, ad mpta Superioribus omnibus,

bus, etiam Generali, diſpenſandi facultate; ita ut indiſpenſabilis hæc res decreti vim obtineat. *Dec.* 32. *&* 36.

25. Cum Canon tertius Congregationis primæ, dicat Generalis eſſe Regulas condere, intelligendus de Regulis eſt, quæ ordinationum vim habent, & non uno Conſtitutionum loco pro eodem ſumuntur: quas ut condere, ita & abrogare à Generalis voluntate pendet. Cum vero Canon 21. Congreg. 4. generalis Congregationis eſſe dicat leges condere, de iis loquitur, quæ vim Conſtitutionum, & Decretorum generalium habent; quorum univerſam Societatem obligantium abrogatio à ſola generalis Congregationis poteſtate dependet. Atque ita duo hi Canones, quia nonnullis pugnantia continere videbantur, nullo negotio conciliantur. *Dec.* 89. *Canonum conciliatio.*

26. Impedimenta primi generis & ordinis quinque, quæ eſſentialia Societatis impedimenta Quinta Congregatio vocat, irritantia ſunt vota ſimplicia, & quamcumque inſequentem profeſſionem aliam, quo fit, ut qui illis tenentur, inhabiles & incapaces ipſo facto ad Societatis ingreſſum, & admiſſionem ſint, & ad quamcumque valide edendam in illa profeſſionem. *Dec.* 53. *Impedimenta irritantia.*

CANONES OCTAVÆ CONGREGATIONIS GENERALIS.

Auctoritate ejusdem confecti & recogniti,

ſeſſ. 128. *die* 13. *April.*

1.

MVnus docendi grammaticam & literas humaniores, eo fine ac modo, quo Societas ſuſcepit docendas, proprium eſt ipſius miniſterium, nec certo temporis ſpatio definitum, nec certis perſonis addictum: ſed quamdiu Superioribus in Domino videbitur, etiam a Sacerdotibus atque etiam Profeſſis exercendum. *Ex Dec.* 8. *in* MS. *ſeſſ.* 56. *Munus docendi.*

2. Cogantur Congregationes Provinciales quolibet triennio, more ſolito: & in tertio, quo poſt ultimam Generalem coacta fuerit, eligantur Deputati Romam ituri cum ſuo Provinciali ad Congregationem Generalem ex Conſtitutione Summi Pontificis, quolibet novennio, convocandam. *Ex Dec.* 10. *in* MS. *ſeſſ.* 59. *Cogantur Congregationes Generales more ſolito.*

 3. Abſen-

Non electo Superiore loco ipſius Miniſter.

3. Abſente vel moriente Superiore alicujus loci, hujus cura ad Miniſtrum pertinet: etiam in domibus Profeſſis, quamvis ipſe Profeſſus non ſit. Licebit nihilominus Superiori, cum domo aut vita excedit, alium nominare, qui eam curam habeat: ſi Provincialis cito moneri non poſſit, aut alia gravis cauſa id ſvadeat. *Ex Dec. 20. in* MS. *ſeſſ.* 84.

Renovatio Votorum poteſt habere vim primæ nuncupationis.

4. Quod in Conſtitutionibus dicitur: *Renovare Vota, non eſt obligatione nova ſe obſtringere, ſed ejus, qua obſtricti ſunt, recordari:* intelligendum eſt, (ut hactenus intellectum fuit) quando renovatio priori ſupervenit obligationi: non vero quando nullam invenit obligationem. Et hoc ipſum in Regulis Magiſtri Novitiorum exprimendum eſt: & ab eodem Magiſtro aperte explicandum Novitiis, cum Vota poſt biennium debent emittere. Vt intelligant renovationes Votorum a ſe deinceps de more Societatis faciendas, habere vim primæ nuncupationis: ſi forte ex defectu ætatis, biennii, aliiſque ſimilibus jam ceſſantibus, prima Vota vim ſuam non obtinuerint. *Ex Dec.* 22. *in* MS. *ſeſſ.* 85.

Abſolutio reſervatorum in parvis Collegiis & Reſidentiis.

5. Cum in parvis Collegiis aut Reſidentiis, in quibus quatuor aut quinque morantur ex noſtris, difficile poſſit Confeſſarius ſalvo ſigillo ad Superiorem recurrere, pro facultate abſolvendi a reſervatis; abſolvat cum onere præſentandi ſe Provinciali aut alteri Superiori, ſi brevi ſit in ejus Collegium aut domum diſceſſurus. *ex Dec.* 25. *in* MS. *ſeſſ.* 88.

Profeſſio in manibus Prælati.

6. Profeſſio emiſſa in manibus alicujus Prælati, cui honoris cauſa Provincialis id detulit, cum ipſe præſens eſſet, vel præſentes alios Profeſſos haberet; nullius eſt valoris ob defectum poteſtatis in admittente: quia facultas Provincialibus delegata, ex Generalium intentione, non ſemel eorumdem reſponſis expreſſa ad ejuſmodi caſum non extenditur. *ex Dec.* 34. *in* MS. *ſeſſ.* 97.

Abſolutio reſervatorum quoad Superiores locales.

7. Facultas abſolvendi a reſervatis, Superiores locales ſi quando (quod Deus avertat) in aliquem inciderent, committatur libere uni ex Confeſſariis Collegii vel domus a Provinciali deſignando. *Ex Dec.* 25. *in* MS. *ſeſſ.* 88.

Quoad Provincialem.

8. Denique ſimilis facultas abſolvendi Provincialem ejus Socio abſolute conceditur. *Ex Dec.* 25. *in* MS. *ſeſſ.* 88.

Quando Provincialis admittit ad Probationem.

9. Provinciales ſine Generalis diſpenſatione non habent facultatem admittendi ad Probationem ante 15. nec ad Vota Societatis ante 17. expletos

pletos annos: ita ut irritum ſit defectu poteſtatis, quicquid contra fuerit factum. *Ex Dec.* 35. *in* MS. *ſeſſ.* 103.

10. Examinatores ad Profeſſionem ſuo in ſuffragio explicent, an ſaltem mediocritatem attingant illi, qui non habent tantum doctrinæ, quantum neceſſarium eſt, ad Profeſſionem quatuor Votorum: ut videant Superiores, num habenda ſit ratio aliorum talentorum. *Ex Dec.* 37 *in* MS. *ſeſſ.* 104. *Examinatores ad Profeſſionem explicent ſuffragium.*

11. Quod dicitur in formula juramenti eorumdem Examinatorum de doctrina neceſſaria ad Philoſophiam ac Theologiam cum ſatisfactione docendam; intelligendum eſt in iis locis, in quibus eſt idoneorum auditorum ac diſputantium concurſus. *Ex Dec.* 37. *in* MS. *ſeſſ.* 104. *De juramento circa aptitudinem docendi.*

12. Nemo deinceps cenſeatur habere doctrinam neceſſariam ad Profeſſionem quatuor Votorum, qui non tulerit quatuor Examinatorum tria ſuffragia clara & minime dubia. Totidemque requirantur, ut auditores Theologiæ a ſecundo ad tertium, & a tertio ad quartum annum pergere poſſint. Nam ut a primo ad ſecundum tranſeant, duo ſufficient. *Ex Dec.* 37. *in* MS. *ſeſſ.* 47. *Suffragia quoad Profeſſionem & Theologiam.*

13. In examine ad Profeſſionem aſſignandæ ſunt Theſes a Superiore cum Præfecto: & omnibus, ad ſe parandos, præſcribendi quatuor menſes: ultra quos ſi differatur examen, Concluſiones ab eodem Superiore cum Præfecto mutandæ erunt. Singuli autem (licet non neceſſario a ſingulis) tam in Philoſophia, quam in Theologia examinandi erunt. *Ex Dec.* 37. *in* MS. *ſeſſ.* 128. *Theſ. Profeſſion.*

14. Provinciales ſtatuere poſſunt, ut qui in Theologia mediocritatem attigerint, in eo ſtudio progrediantur: modo præclara ad gubernandum aut concionandum talenta habeant. *Ex Dec.* 37. *in* MS. *ſeſſ.* 128. *Mediocres in Theologia.*

15. In examine Metaphyſicorum, quinque de eorum doctrina judicium ferent; & neceſſaria erunt tria ſuffragia, ut ad Theologiam admittantur. *Ex Dec.* 37. *in* MS. *ſeſſ.* 128. *Examen Metaphyſicorum.*

16. Superiores locales nemini ab exercitiis Spiritualibus quotannis per octiduum obeundis immunitatem dare poſſint: & ſoli Provinciales rationes audiant, quibus aliquis videatur excuſandus. *Ex Dec.* 38. *in* MS. *ſeſſ.* 106. *Exercitia Spiritualia.*

17. Puncta matutinæ Meditationis omnibus Fratribus Coadjutoribus *Puncta Meditationis pro fratribus.*

bus dentur a Præfecto rerum Spiritualium vel alio a Superioribus deſignato. *Ex Dec.* 38. *in* MS. *ſeſſ.* 112.

Commutatio Legatorum. 18. Facultas commutandi legata vel etiam a viventibus donata, de qua eſt mentio in Comp. Privil. V. Commutatio §. 4. reſervatur Generali. *Ex Dec.* 41. *in* MS. *ſeſſ.* 115.

Mortuo vel impedito electo pro Congregatione Generali. 19. Mortuo vel legitime impedito & declarato durante Congregatione Provinciali, aliquo ex electis pro Congregatione Gennerali, eligendus eſt alius poſtremo loco ſubſtituendus. *Ex Dec.* 42. *in* MS. *ſeſſ.* 116.

Triennium Superiorum localium. 20. Officium & autoritas Superiorum localium atque adeo triennium ejusmodi Præfecturis definitum, inchoatur a die authenticæ renunciationis ipſorum in Collegio vel Domo, quibus præficiuntur: ſive ipſi præſentes ſint, ſive abſentes. *Ex Dec.* 43. *in* MS. *ſeſſ.* 116.

Dimiſſiones quoad Vicarium. 21. Mortuo Generali Vicarius habeat poteſtatem dimittendi e Societate Profeſſos & Formatos: qua non niſi ex cauſis graviſſimis, & ad plura cum Aſſiſtentibus ſuffragia, uti poſſit. *Ex Dec.* 46. *in* MS. *ſeſſ.* 125.

Procurator Generalis ſupra numerum. 22. Procurator Generalis Societatis in Congregatione Provinciali ſuffragium activum habeat ſupra numerum. *Ex Dec.* 48. *in* MS. *ſeſſ.* 125.

Congregatio Provincialis. 23. Ex omnibus Superioribus Reſidentiarum Indicarum (quas alicubi vocant Doctrinas) ei, qui primariam Provincialis judicio deſignandam adminiſtrat; liceat adeſſe Congregationi Provinciali ſupra numerum, quando jure antiquitatis intereſſe non poteſt. *Ex Dec.* 51. *in* MS. *ſeſſ.* 126.

Congregatio Provincialis. 24. Id ipſum & eadem ratione conceditur Superiori totius Miſſionis Hollandicæ. *Ex Dec.* 51. *in* MS *ſeſſ.* 126.

Judicium de impedimentis. 25. Cum Provincialis cum ſuis Conſultoribus, qui aderunt, & cæteris omnibus præſentibus, qui in Congregatione Provinciali jus ſuffragii habent (excluſo juxta formulam eo, de cujus impedimento agitur, & in poſterum etiam eo, qui proxime ſubrogandus eſt, ſi prior impeditus cenſeatur) judicat impedimentum adeundi Congregationem Generalem eſſe legitimum & adeſſe congruum tempus ad hoc ipſum judicium de impedimento ferendum, tali judicio acquieſcendum eſt, nec cenſendum jus ullum ad Congregationem Generalem aut Procuratorum ſic judicatis relinqui; uti etiam qui ab adeunda Congregatione Provinciali prædicto modo

modo cenſentur impediti, omni jure excidunt ad eam accedendi: & ſi re ipſa veniant, admitti non debent. *Ex Dec.* 52. *in* MS. *ſeſſ.* 128.

26. Procuratores Indiarum, qui in Provinciis Luſitaniæ ac Bœticæ commorantur, minime admittendi ſunt ad Congregationem Provincialem pro Generali futura convocatam, eo ſolum nomine, quod Procuratores ſunt. At vero admitti debent, ſi ſint quatuor Votorum Profeſſi, & ratione antiquitatis haberent jus ſuffragii in illis Provinciis, in quibus verſantur, & in ſuis etiam, ſi adeſſent. *Ex Dec.* 53 *in* MS *ſeſſ.* 128. *Qui admitti non debeant in Congr. Provinciali.*

27. Provinciales facultatem habent faciendi contractus in bonum Provinciæ vel Collegiorum aut Reſidentiarum ſuarum: ſicque intelligenda eſt Regula Provincialis 9. At qvamvis id valide posſint, nullo tamen modo facere debent, contradicente aut etiam inconſulto Superiore locali, niſi urgens necesſitas contrarium ſvaderet: in quo caſu monere debebunt Generalem, quas ob cauſas id fecerint. *Ex Dec.* 54. *in* MS. *ſeſſ.* 128. *Contractus quoad Provinciales.*

28. Quod præſcribitur cap. 1. §. 14. Ordinat. General. Collegia, quæ poſſunt alere 12. Scholares, nullas eleemoſynas admittere poſſe: non aliam obligationem, quam ſimplicis Conſtitutionis, inducit. *Ex Dec.* 59. *in* MS. *ſeſſ.* 128. *Declaratio Cap. primi §. 14. Ord. Generalium.*

CANONES
NONAE
CONGREGATIONIS
GENERALIS.

I.

QVi Societatem, ejusque vivendi aut gubernandi modum, vel Superiores, libellis ſcriptis aut impreſſis traducunt, quiq; ita palam ac paſſim de Inſtituto obloquuntur, ut cenſeri poſſint, velle alios in ſuam ſententiā pertrahere, Societatis perturbatores & pœnis in perturbatores conſtitutis obnoxii cenſean- *Perturbatores Societatis.*

ſcantur. Idem ſtatuendum de iis, qui per factiones & auxilia externorum novas Provinciarum diviſiones extorquere, aut legitimas impedire conantur. *Ex Dec.* 5. & 25. *in* MS *Act.* 12. & 27. & 37.

Fugitivi excommunicati ipſo facto.

2. Fugitivi Societatis ipſo facto excommunicationem incurrunt. *Ex Dec.* 27. *in* MS. *Act.* 39.

Profeſſi tenentur ad denunciandos ambientes etiam non Profeſſos.

3. Profeſſi omnes vi voti, quod emittunt, denunciandi ambientes, tenentur ad denunciandos omnes etiam non Profeſſos. *Ex Dec.* 13. *in* MS. *Act* 17.

Præcepta Superiorum durent donec revocentur.

4. Præcepta in virtute S. Obedientiæ particularibus perſonis impoſita, mortuis vel officio defunctis iis, qui impoſuerant, vim ſuam retinent, donec à Succeſſoribus, vel eorum Superioribus, revocentur. Monentur tamen Superiores, ne ſine gravi cauſa talia præcepta imponant. *Ex Dec.* 12. *in* MS. *Act.* 17.

Caſus reſervati.

5. Intelligant Noſtri caſus omnes in Decreto Clementis VIII. reſervari permiſſos eſſe, & hactenus fuiſſe in Societate reſervatos. *Ex Dec.* 43. *in* MS. *Act.* 59.

Declaratio authentica Superiorum.

6. Authentica Superioris declaratio, unde triennium incipit, ſi in loco, ubi præficitur, fieri non poſſit, & neceſſitas urgeat; fiat ubi major pars ſubditorum reperitur: vel ſi id nequeat, ubi Provinciali videbitur. *Ex Dec.* 10. *in* MS. *Act.* 15.

De Provinciali inutili intra Europam.

7. In Provinciis Europæ extra Italiam & inſulas adjacentes conſtitutis, ſi Provincialis inutilis ad gubernationem Provinciæ indubitato omnium Conſultorum judicio cenſeatur, nec poſſit aut velit Vice Provincialem nominare, regendam Provinciam ſuſcipiat qui de jure mortuo ſuccederet: qui tamen in judicio ejuſmodi, etiamſi Conſultor ſit, locum non habebit. Ad Conſultores ſi abſint à loco, ubi Provincialis degit, Superior ejuſdem loci, & Socius Provincialis informationem mittent. *Ex Dec.* 11. *in* MS. *Act.* 16.

De Provinciali vel Viſitatore inutili in Indiis.

8. §. 1. In Indiis, ſi ejuſmodi caſus accidat, Viſitator de tota re, auditis Conſultoribus, judicet: nullo autem Viſitatore exiſtente, Conſultoribus addantur tot Profeſſi antiquiores præſentes aut viciniores, quot ad conficiendum Septenarium neceſſarii erunt: monente cæteros Socio Provincialis, vel, ſi is abſit, inter præſentes Profeſſos antiquiſſimo.

§. 2. De Viſitatore in ſimili caſu, totidem eodem modo judicent:

inter quos, quoad fieri poterit, ſit Provincialis (cum unico tamen ſuffragio) cujus erit monere cæteros: eique judicio omnes Provinciæ, quarum Viſitator eſt, acquieſcant.

§. 3. Ut vero Provincialis in hoc judicio, ſeu Viſitator, cenſeatur inutilis, quinque ſaltem conſentire debent: quo caſu aperiantur ab iisdem literæ ſequentis gubernationis & executioni mandentur; quæ ſi nulla ſint, in Provincialis munere ſuccedet, qui de jure debet: Viſitatoris vero munus omnino ceſſabit. *Ex Dec.* 40. *in* MS. *Act.* 55. 56.

9. Munus illud ordinarium, quo Congregatio VII. Decreto 72. MS. ait aliquem alicui Provinciæ a Patre Noſtro applicari, eſt quodcumque Societatis fixum & ſtabile miniſterium ab eodem impoſitum, ad eam tamen Provinciam, cui fit applicatio, proprie ſpectans: ſive ad definitum tempus imponatur, quale eſt Provincialis, Præpoſiti, Rectoris &c. ſive ad tempus indefinitum, quale eſt munus Procuratoris, Lectoris Theologiæ &c. Abſoluto autem munere, quod præfixum a jure vel conſuetudine terminum habet, applicatio ceſſabit: ex mutatione aliorum non item. *Ex Dec.* 33. *in* MS. *Act.* 46. 47. *Declaratio muneris ordinarii.*

10. Mortuo Provinciali ſine deſignatione Vice-Provincialis, non ſuccedet illi Vice-Præpoſitus, aut Vice-Rector maximi Collegii: ſed ſuccedent alii, quibus id de jure competit, ac ſi ipſi non eſſent. *Ex Dec.* 35. *in* MS. *Act.* 48. *Vice-Præpoſiti, vel Vice-Rectores non ſuccedunt Provinciali morienti.*

11. Mortuo Generali ſine nominatione Vicarii, jus eligendi Vicarium habent Profeſſi, qui apud Generalem ſunt, hoc eſt, qui in eadem urbe fuerint. In ejusmodi vero electione Aſſiſtentes, quotquot præſentes ibidem aderunt, ſecluſa etiam Profeſſionis antiquitate, locum intra numerum habent. *Ex Dec.* 34. *in* MS. *Act.* 47. *De Electoribus Vicarii.*

12. In Congregatione Generali abſente ab initio quacumque ex cauſa Provinciali, in ejus locum ſuccedat ex præſentibus Electoribus, & inter Provinciales ſedeat, qui de jure illi mortuo ſuccederet: ſervato tamen loco Provinciali & cuicumque alteri, potius jus habenti, ſi poſtea advenerit. *Ex Congr. Gener. Dec.* 16. *in* MS. *Act.* 21. *De ſupplendo loco Provincialis abſentis in Congr. Gener.*

13. Procuratores Indiarum, quamdiu ex conſenſu Patris Noſtri in Europa manſerint, officium retinebunt, jus ad Congregationes Generales etiamſi uni interfuerint. At ubi alius Procurator ex eadem Provincia advenerit, prioris Procuratio ceſſabit, & omne jus, quod illi competit, ut *De Procuratoribus Indiarum.*

Procurator eſt, abſtrahendo ab omni alio jure, ſi quod eſt. *Ex Dec.* 36. *in* MS. *Act.* 49. & 52.

Subrogatio in locum abſentis in Congr. Prov.

14. Subrogatio in locum abſentis in Congregatione Provinciali locum habeat, donec omnes omnino electiones perfectæ ſint, etiam Subſtitutorum. *Ex Dec.* 9. *in* MS. *Act.* 15.

De Aſſiſtentibus officio defunctis.

15. Aſſiſtentes officio perfuncti ad Congregationes omnes Provinciales ſuæ Aſſiſtentiæ admitti debent, etiamſi forte per antiquitatem Profesſionis locum in illis non haberent; ſed in hoc tamen caſu extra numerum. *Ex Dec.* 15. *in* MS. *Act.* 30.

De jure Viſitatoris ad Congr. Prov.

16. Viſitator, Generali demortuo, ſi adire voluerit Congregationem Provinciæ, in qua tum fuerit, extra numerum ingredietur. Admitti vero in illam tum ſolum debet, quando & in illa Provincia, ſi ex ea eſſet, ſuffragii jus ratione Profeſſionis haberet, & in ſua itidem ſi adeſſet. Rediens ad ſuam, non niſi poſita Profeſſionis antiquitate & intra numerum in Congregatione locum habebit. *Ex Dec.* 28. *in* MS. *Act.* 39. & 40.

De appellatione vel recuſatione judicum in Congr. Prov.

17. Si contingeret aliquem eſſe reum de ambitu, in Congregatione Provinciali, judicum ſententiæ, ſine appellatione acquieſcere debet; de injuria tamen (ſi factam ſibi exiſtimet) licebit illi apud P. Generalem expoſtulare. Recuſans aliquos ex judicibus ordinariis, a reliquis (vocatis in recuſatorum locum totidem antiquioribus Profeſſis) de recuſandi cauſa audiatur; & ſi hæc juſta videbitur, ab iisdem de ambitu judicetur: alioqui ad judices deſignatos in Formula rejiciatur. *Ex Dec.* 20. *in* MS. *Act.* 26.

Informatores quatuor tantum.

18. Cum uſus habeat, ut ad informationes tam ad gubernandum, quam ad gradus quaterni tantum Informatores adhibeantur; hic numerus retineatur. *Ex Dec.* 37. *in* MS. *Act.* 49.

Proponendi ad Profeſſionem Votorum quatuor ſuperent mediocritatem in virtute.

19. In conficiendis informationibus ad gradum, illud accurate ab omnibus expendatur, an is, de quo agitur, in virtute mediocritatem excedat; deque eo capite privatis in literis Provincialis & Conſultores diſtincto Patri Noſtro perſcribant. Excedere autem ille tantum cenſendus eſt, qui ut plurimum ſecundum virtutem operatur & putatur in difficilioribus idem ſervaturus, leviores culpas vitat, admonitiones & pœnitentias libenter ſuſtinet, iisque corrigitur, Superioribus denique ac domeſticis in moribus ſatisfacit. *Ex Decr.* 6. *in* MS. *Act.* 13.

Tempus proponendi ad Profeſſionem Votorum quatuor.

20. Provinciales ordinaria lege in proponendis ad Profeſſionem quatuor Votorum hanc regulam obſervabunt: ut eos, qui ante ingreſſum in

Socie-

Societatem ſtudia omnia abſolverunt, ante decimum annum currentem, eos vero, qui ſtudia omnia in Societate peregerunt, ante decimum ſeptimum annum currentem non proponant, neque ulterius differant. Reliquos qui ſtudia Philoſophiæ aut Theologiæ, partim ante ingreſſum in Societatem, partim in Societate decurrerint, intra prædictos duos terminos, citius aut tardius proponant, pro ratione annorum integrorum, quibus ante ingreſſum ſupradictis ſtudiis operam dederint. *Ex Dec. 42. in MS. Act. 56.*

21. Quotidianis Sanctorum Litaniis, Hymnus Ave maris ſtella, Antiphona ſub tuum præſidium, Oratio Defende &c. adjungantur. *Ex Dec. 7. in MS. Act. 13.* *Cultus quotidianus B. Virg.*

22. In Miſſis ac Veſperis, quando cantantur in noſtris Eccleſiis, in Sacramentorum adminiſtratione & aliis Officiis Eccleſiaſticis, ritus ubique Romanus ſervetur, ita ut nihil illi contrarium fiat. *Ex Dec. 19. in MS. Act. 26.* *Ritus Romanus ſervandus ubique.*

23. In obitu eorum, qui Aſſiſtentes fuere, præter Sacra ordinaria, tria pro ipſis a Sacerdotibus, totidem vero Coronæ ab aliis per totam eorum Aſſiſtentiam dicantur; pro iiſdem in reliquis Societatis Provinciis, pro Provincialibus in Provinciis, quas gubernarunt, pro Secretario Generali in tota Societate, unum Sacrum fiat & una Corona recitetur. *Ex Decr. 21. in MS. Act. 27.* *Suffragia extraordinaria pro Aſſiſtentibus, Secretario & Provincialibus.*

CANONES
DECIMAE
CONGREGATIONIS
GENERALIS.

1.

Nemo permittatur ullo prætextu, ſuorum bonorum nec adminiſtrationem nec liberum uſum retinere, etiam illo quadriennio, quo cum facultate bonorum dominium retinet. *Dec. 2.* *Adminiſtratio bonorum.*

2. In quacunque Congregatione Provinciali non ſolum electi, qui in Congregatione locum non habuerunt, ſed etiam ſubſtituti vocandi ſunt; ſi com- *Subſtituti in Congregation. Provinciali.*

ſi commode fieri poterit poſt electiones ad negotiorum tractationem. Decr. 3.

Facultates Vicarii. 3. Habet Vicarius Generalis omnem poteſtatem & facultates ad gubernandam Societatem, quas habet Præpoſitus Generalis, exceptis iis, quæ in officio Vicarii excepta ſunt, nec a Congregationibus poſterioribus ſunt conceſſa: & ad illius intentionem dici debet Miſſa hebdomaria, ſicuti ſolet dici ad intentionem Generalis, ipſo vivente. Decr. 8.

Superiores nominati a Generali defuncto. 4. Nominati ad regimen à Generali demortuo, & non audita ejus morte, onus deprecantes, ſi videantur Vicario & Aſſiſtentibus juſtas afferre deprecationis cauſas, in priori ſtatu maneant, nec ulla fruantur Superiorum privilegio, donec aliud a novo Generali ſtatuatur. Decr. 9.

Præſes Congregationis moriente Vicario. 5. Si contingat ante inchoatam Congregationem, cum jam omnes Electores, vel duæ tertiæ advenerunt, vel inchoata jam Congregatione, nondum tamen facta electione, P. Vicarium e vivis decedere; antiquiſſimus Aſſiſtentium Congregationi & electioni præſidebit. Decr. 10.

Suffragia in Congregatione Provinciali. 6. In Congregationibus Provincialibus ſuffragia videri ſemper debent tam a Secretario, quam a Provinciali: neque unquam publicari niſi à duobus ſaltem viſa fuerint. Decr. 12.

Examinatores ad Profeſſionem. 7. Si unus aut alter Examinatorum ex publicis de tota Theologia diſputationibus judicium formare non poſſit de ſufficienti ad profeſſionem doctrina reſpondentis, quorum tamen ſuffragium ad hoc definiendum neceſſarium ſit; Provincialis, ſuffragium inquirat ab uno item, aut altero ex iis, qui forte diſputationibus interfuerunt, viris gravibus eruditis & juratis. Quod ſi ne hoc quidem ſufficiat, recurratur ad examen, idque quam primum, juxta dicta in Decreto 13.

Oratio de SS. Ignatio & Xaverio. 8. Ordinariis Sanctorum Litaniis, quæ quotidie recitantur, addatur poſt Orationem, defende quæſumus &c. Oratio, Deus, qui glorificantes &c. in honorem Sanctorum Ignatii & Franciſci Xaverii. Decr. 14.

Interceſſiones externorum. 9. Primam partem præcepti P. Mutii piæ mem. de non procurandis externorum interceſſionibus aliquibus tantum Provinciis impoſitam, extendit ad omnes Provincias, eamque ſuo Decreto confirmat hæc Congregatio, cum iis cautionibus, quas adhibuerunt VIII. & IX. Decr. 18.

CANO-

CANONES
VNDECIMÆ
CONGREGATIONIS
GENERALIS.

1.

OBligatio expendendi in cauſas pias, judicio Provincialis, fructus bonorum, quorum dominium Scholaſtici Noſtri retinent, juxta §. 6. Decr. 17. Congr. VII. nullum imponit Superiori gravamen in materia votove Paupertatis; neque elidit valorem actuum quibus ille de fructibus aliter diſponat, vel diſponi permittat; ſed reſpectu Subditi retinentis dominium manet obligatio Paupertatis in ſuo vigore. Decr. 15. *Obligatio expendendi fructus bonorum.*

2. Donatio Scholaſtici facta Societati paulo ante mortem vel vota ultima poteſt admitti, ſeu rata haberi a Præpoſito Generali, etiamſi contingat illum prius mori, vel ultima vota emittere, quam donatio rata habeatur. Decr. 17. *Donatio Scholaſtici ante mortem.*

3. §. 1. Qui libros, libellos vel folia (ut vocant) volantia absque facultate Superiorum ſive proprio, ſive alieno, ſive etiam ſuppreſſo nomine ediderint, pœnis gravibus plectantur, puta privatione officii, vocis item activæ & paſſivæ, inhabilitate etiam ad Dignitates & Prælaturas Societatis, & denique pœnis corporalibus pro gravitate delicti, Superioris arbitrio decernendis. *Imprimentes ſine licentia.*

§. 2. Præterea hæc ipſa pœnarum capita ad complices & conſcios etiam Superiores ea proportione extendantur, qua ipſi magis minusve vel Scriptores conſilia promovendo, vel eadem non revelando, vel ex officio non impediendo peccaverint.

§. 3. Denique præſumptio fraudis contra illos ſtare cenſeatur, a quibus accepta ſcripta Externi vulgaverint. Decr. 18.

4. Ad evitandam laxitatem nimiam in opinionibus Moralibus obſerventur diligenter ſequentia.

§. 1. Profeſſores Theologiæ Moralis in docendo publice vel privatim ſint valde cauti; neque quod aliquid probabile reputent, illico ſibi licere arbitrentur illud in publicum ſcripto verbove protrudere. Sed ad id attendant maxime, quod monet Congreg. V. Decr. 41. an communi Scho- *Opiniones laxæ evitandæ.*

larum ſenſui congruat, ac præterea ſcandalum vel offenſionem uſpiam parere poſſit. Superiores autem, ſi quos novitatum amantes, aut parum cautos in docendo compererint, a munere docendi amoveant, ſpeque omni illius privent; pœnis etiam aliis privent; pœnis etiam aliis, ſi opus eſſe ſenſerint, coerceant.

§. 2. In librorum editione oneratur Cenſorum fides, ut ſeveros potius quam molles ſe exhibeant, neque aliquid etiam dubii ad Societatis famam periculi ſine gravi cenſura abire patiantur; & ſi quid tale occurrerit, Patri Noſtro ſincere & fideliter prodant.

§. 3. In privatis congresſibus & reſponſis diligenter caveant Noſtri, ne quid promant quod vulgari minime vellent; numquam autem ſcripto reſpondeant, in rebus præſertim gravioribus, niſi conſulto & probante Superiore.

§. 4. Texatur Elenchus ſententiarum in Morali periculoſarum, exquiſito prius Provinciarum ſenſu de iis, quæ apud ſingulas ſcandalum, vel offenſionem parere poſſunt & Romæ recognitus communicetur omnibus Provinciis. Dec. 22.

§. 5. De examinibus Noſtrorum in ſtudiis ut certi aliquid & ad explorandam Noſtrorum doctrinam conveniens ſtatuatur.

Examina noſtrorum. §. 1. Examinentur ſpatio unius horæ tum Metaphyſici juxta Reg. 23. Præfecti Studiorum, tum progreſſuri a 3. ad 4. annum in Theologia.

§. 2. In reliquis annis tam Philoſophiæ, quam Theologiæ media minimum hora ſubeatur examen; ſed ſi quæ Provinciæ plus temporis ex longo uſu ei tribuere jam conſveverint, illæ ſuam conſvetudinem retineant.

§. 3. Examinis annui materia ſit ea omnis, quæ a Magiſtris toto anni currentis ſpatio tradita fuerit, exceptis iis, quæ ſub ipſum examinis tempus decurruntur Præfecti Studiorum judicio deſignandis, idque ſive theſes adhibeantur ad examen, ſive non.

§. 4. Qui ante ingreſſum in Societatem Philoſophiæ aliquid, vel Theologiæ audiverint, examinentur prout præſcribit Reg. 19. Prov. in Rat. Stud. niſi malint, quod emenſi ſunt, illorum ſtudiorum iter remetiri, quod ultra poterit illis concedi, niſi Superior juſtas ob cauſas cenſuerit negandum.

§. 5. Vt ad habendum Actum Theologicum Magnum vel Parvum poſſit quis admoneri, requirantur tria clara & minime dubia Examinatorum ſuffragia, quæ illius capacitatem ad Actum cum ſatisfactione habendum ſpeciatim enuncient.

§. 6. Si

§. 6. Si quis habiturus Actum Magnum ab argumentaturis Concluſionem impugnandam vel Argumentum proponendum inquiſiverit, is, nulla habita ratione judicii ex Actus ſucceſſu conſecuti, ad examen more aliorum pro Profeſſione ſubeundum revocetur. Qui vero in Actu Parvo id fecerit, omni ſpe excidet Actus Magni; Complices porro ſive adminiſtri hujusmodi dedecoris (ſi qui fuerint) pro ratione culpæ a Superioribus puniantur. Demum judices oneratam ſciant conſcientiam ſuam, ut ſi aliquid fraudis interveniſſe cognoverint, quo de doctrina defendentis judicium debeat non mediocriter variari, non ex ſolis reſponſis præciſe, vel Actus ſucceſſu, judicium ferant.

§. 7. Ad hæc commendatum, ut de contrahendo numero Actuum Theologicorum, & de compeſcendis nimiis Magiſtrorum interlocutionibus, quibus difficilius ſæpe redditur judicium dandum de doctrina defendentis, quoad ejus fieri poterit, ſatagatur. Decr. 24.

6. Qui Doctoris gradu in celebri aliqua Univerſitate donati Societatem ingrediuntur, ſatis eſt ſi in prævio ad Profeſſionem examine mediocritatem excedant, juxta Decr. 96. Congr. VII, cui per Dec. 37. Congr. VIII. non eſt derogatum Dec. 24. *Doctores Theologiæ.*

7. Decretum 18. Congr. V. vetans admiſſionem in Societatem perſonæ gaudentis jure Majoratus in Hiſpania, ſine facultate Præpoſiti Generalis, non propterea irritam, ſeu invalidam reddit admiſſionem. Decr. 25. *Majoratus in Hiſpania.*

8. Literæ, quæ deinceps ſcribentur ad Electos pro Congregatione Generali & horum reſponſa ad illas a Superioribus inferioribus Generali non aperiantur, nec recipiantur; id quod etiam extenditur ad literas inſcriptas Procuratoribus electis in Congregatione Provinciali & horum reſponſa ad easdem. Decr. 27. *Litteræ ad electos in Congregatione Provinciali.*

9. Qui ex Europa in Indiam trajiciunt, virtute, doctrina aliisque de jure noſtro requiſitis ad Profeſſionem quatuor Votorum præditi, expectare non debent ibi alios ad eam emittendam, quamvis antiquiores vocatione, ſi ſtudia nondum abſolverunt; nec uſpiam antiquiores expectari debent a minus antiquis, qui expedita habent omnia, ſi antiquiores vel ob ſtudia non abſoluta vel ob defectum legitimæ ætatis ſeu alterius requiſiti ex parte ipſorum non ſint ad profitendum expediti. Decr. 31. *Promovendi ad Profeſſionem.*

10. Qui in aliena Provincia & loco, ubi non eſt domicilium Societatis, *Diverſantes in aliena Provincia.*

tis, diverſantur, pertinent ad Rectorem vicinioris Collegii, & ad Provincialem, cui Rector ille ſubeſt. Decr. 32.

Congregatio Provincialis in medio Novennii.

11. Si non abrogetur Decretum Innocentii X. de Congregationibus Novennalibus, duæ tantum Congregationes Provinciales habeantur pro hac vice intra decurſum Novennii; ſcilicet una in medio ad eligendum Procuratorem, & altera in fine ad electionem mittendorum ad Congregationem Generalem. Decr. 35.

INDEX
EORVM QVÆ IN
CANONIBVS
CONTINENTVR.

Accipere.

ACCIPERE à quoquam ad proprios uſus diſpoſitionemque nihil licet: nec poſſunt Superiores ad id facultatem concedere. Can. 7. Congr. 6. p. 1067.

Ad Actum Theologicum propugnandum requiruntur tria ſuffragia Congr. XI. can. 5. §. 5. p. 1086. Inquirentes argumentum vel concluſionem ante Actum Theologicum puniendi Congr. XI. Can. 5. §. 6. p. 1087. Actuum Theologicorum numerus contrahendus. Congr. XI. can. 5. §. 7. p. 1087.

Admittere.

Admitti poſſunt in Societatem qui ſunt ex ordine militari Chriſti. can. 5. congr. 1. p. 1034.

Admitti non poſſunt qui ex Hebræorum aut Saracenorum genere deſcendunt. can. 3. congr. 5. p. 1060.

Admitti ſine Generalis facultate non poſſunt, qui jure majoratus gaudent in Hiſpania. can. 4. congr. 5. p. 1061.

Admonitor.

Admonitor Patris Generalis poteſt eſſe, & non eſſe ex Aſſiſtentibus, Profeſſus tamen quatuor votorum. can. 24. congr. 4. p. 1059. Cujus officium uſque ad novi Generalis electionem durat. Ibidem.

Admonitore Generalis mortuo, aut diu abſfuturo, ſubſtituendus eſt alius. can. 19. congr. 3. p. 1054. In qua ſubſtitutione ſufficit approbatio Provincialium, qui ſunt in Europa. can. 25. congr. 4. p. 1059.

Ædificia.

Ædificia noſtra utilia ad habitandum eſſe debent, ſed paupertati noſtræ convenientia. can. 11. congr. 1. p. 1034.

Ædificiorum noſtrorum forma ad Generalem referenda eſt. can 9. cong. 2. p. 1042.

Alere.

Provinciales, Commiſſarium, & Generalem ipſum alet ea Domus, vel Collegium, ubi erunt: in itinere autem, quibus bono erit illud iter. can. 10. congr. 2. p. 1042.

Aſſiſtens.

Aſſiſtentium officium uſq; ad novi Generalis electionem dur. can. 31. cong. 2. p. 1047.

Aſſiſtentis officium, etiam propter adverſam valetudinem, dimitti non poteſt, ſine

ſine conſenſu Societatis. can. 35. congr. 1. p. 1038.

Aſſiſtentes dicere, & facere circa Generalem, quomodo intelligendum ſit. can. 34. congr. 1. p. 1037.

Aſſiſtentes ſuffragium habent deciſivum in iis omnibus, in quibus illud habent Provinciales extra Congregationem generalem. can. 19. congr. 5. p. 1064.

Generalis diutius Roma abfuturus, aliquem ex Aſſiſtentibus ſecum ducere debet; poteſt etiam plures, ſi velit. can. 28. cong. 1. p. 1037.

Aſſiſtens aliis rebus vacare non debet, quibus impediatur in officio ſuo. can. 37. cong 2. p. 1048.

Nullus Aſſiſtens erit Superior Domus Profeſſæ Romanæ. can. 27. congr. 4. p. 1059.

Aſſiſtentes non debent facile ablegari à Generali. Si tamen mittantur, obedire debent. can. 37. congr. 1. p. 1038.

Si Pontifex aliquo mittere vellet Aſſiſtentem; à Generali eum ut plurimum informari oportet; ut potius alium mittat. can. 36. congreg. 1. p. 1038.

Aſſiſtens ſi male ſe gerat, poteſt à Generali ſuſpendi ab officio, non tamen removeri. can. 37. congr. 1. p. 1038.

Aſſiſtentes in quibuſvis Congregationibus generalibus intereſſe debent cum ſuffragio. can. 14. cong 4 p. 1057.

Aſſiſtentes antiqui ſedeant in congregatione inter Provinciales, novi autem ſuo loco, ſtatim tamen officio ſuo fungi incipient. can. 31. congr. 2 p. 1047.

Aſſiſtentium ſubſtituti à Congregatione eligi non debent. can. 16. cong. 3. p. 1054.

In ſubſtituendo Aſſiſtente ſufficit approbatio Provincialium, qui ſunt in Europa. can. 25. congr. 4. p. 1059.

Barba.

Barba à noſtris non nutrienda. can. 24. congreg. 1. p. 1036.

Beneficia

Noſtri ante profeſſionem, quando, & à quo cogi poſſint ad beneficia relinquenda. can. 1. cong. 1. p. 1033.

Beneficia quæ ante ingreſſum obtinebant, finito biennio ante vota reſignari debent. can. 5. congr. 5. p. 1061.

Beneficiorum curatorum uniones non admittendæ. can 8. congr 2. p. 1042.

Beneficia perſonis de Societate non admittenda. can. 2. congr. 1. p. 1033.

Bona.

Promiſſio diſtribuendi bona poſt primum annum, non eſt votum, ſed ſimplex promiſſio aliqua conditione affecta. can. 1. congr. 3. p. 1050.

Qui ſua bona diſtribuere vult Societati, debet ea relinquere diſpoſitioni Generalis in eadem Provincia. can. 3. congr. 2. p. 1040. Eadem Provincia intelligitur, in qua ſunt bona, habita tamen ratione Principum, ſi plures in ea ſint. can. 3. congr. 3. p. 1051.

Licet cum licentia Generalis paciſci de bonis ſuis cum propinquis; ſed illi prius monendi ſunt, Societatem ad ea nullum jus habere. can 3. congr. 3. p. 1051.

Circa bonorum diſtributionem declarantur Conſtitutiones quarti capitis Examinis, & primi capitis tertiæ partis, & tertii capitis nonæ partis. can. 3. congr. 2. p. 1040.

Bonis ſuis, eorumque adminiſtratione Noſtri quando & quomodo abdicare ſe debeant. can. 17. congr. 7. p. 1071.

Cantus.

In cantu Miſſæ diebus tantum Dominicis & feſtis, nonniſi ex graviſſima cauſa diſpenſare debet Generalis. can. 25. congr. 1. p. 1036. & can. 24. congr. 2. p. 1045.

Cantus in noſtris Eccleſiis ſit ſimplex, non figuratus, aut firmus; & in iis tantum locis retinendus, ubi per noſtros commode exerceri poteſt can 9. cong. 3. p. 1052. Generalis

falis tamen diſpenſare poterit, præſertim inter hæreticos, & infideles. Ibidem.

Capellania.

Capellaniæ in noſtris Eccleſiis non ſunt erigendæ. can.10.congr.1.p.1034.

Carcer.

Carceris uſus in Societate Generali relinquitur.can.31. congr.1.p.1037.

Caſuum reſervatio.

Caſuum reſervatorum ampliatio vel reſtrictio pertinet adGeneralem.can.4.cong. 2.p. 1041.

Abſolutio a Reſervatis in parvis Collegiis & Reſidentiis cui conceſſa. Congr. 8. can. 5. p. 1076. Abſolutio à Reſervatis pro Superioribus localibus cui ? congr. VIII. can. 7. p. 1076. Abſolutio ab iisdem pro Provincialibus, cui. Congr. VIII. can. 8. p. 1076. Caſus Reſervati in Decreto Clementis VIII. ad Noſtros etiam extenduntur Congr. 9. can. 5. p.1080.

Catalogus.

Catalogum Patrum, & Fratrum ſemel in anno Præpoſiti & Rectores conficere, & ad Provinciales mittere debent ; & hi ad Generalem. can. 28 congr.2. p.1046.

Coadjutores.

Coadjutor ſpiritualis futurus, ſi ad altiora ſtudia non ſit promovendus, quibuſnam ſtudere debeat.can.17.congr.2. p.1043.

Coadjutorum temporalium pilei, & indumenta diſtinguenda, & à noſtris Sacerdotibus,& ab hominibus ſæcularibus,can. 23. congr.1.p.1036.

In Coadjutorum temp. ſottana & pallio ſervanda regula 6.Cuſtodis veſtium : pileus vero clericalis in poſterùm admittendis nullo modo concedendus ; ita ut diſpenſari à Generali non poſſit. can. 24. congr. 7. p. 1074.

Nulli Patrum certus & ſtabilis coadjutor concedendus : Viſitatoribus tamen & Provincialibus non negandus. can. 14. congr. 7. p. 1071.

Coadjutores temporales, qui inſerviendi Miſſis officium habent, clericali pileo utantur.can.16. congr.1.p.1037. Qui cum inſerviunt Miſſis, ſuperpelliceo uti poterunt, cum facultate Generalis. Ibid.

Collegia.

In Collegiorum multitudine admittenda, adhibenda eſt moderatio; & potius quæ iam admiſſa ſunt roboranda.can. 6. cong. 2. p.1041. & can. 8. congr 5. p.1061.

Collegiorum fundandorum triplex ordo, & quot alendis ſufficere ſingula debeant, extra Indicas & Tranſalpinas regiones. can 8.congr.5 p. 1061.

Collegia non ſolum ubi Seminaria Noſtrorum ſunt, ſed etiam alia, in quibus litterarum ſtudia tractantur, & ubi ſcholæ ad proximorum utilitatem apertæ ſunt, Conſtitutionibus, Inſtitutoque eſſe conſentanea,can.6.congr.6.p.1066.

Curandum ut Collegia inchoata perficiantur, quo Scholaſtici aliquot noſtri vel ibi, vel in aliquibus Seminariis ex illorum contributione ſuſtentari poſſint. can. 6. congr. 6. p.1066.

Collegia non bene fundata, qua ratione ſuſtentari, aut retineri poſſint. can. 7. congr. 2. p. 1042. & can.6. congr.3. p.1051.

In Collegiis non plures tenendi, quam ali poſſint ex reditibus vel eleemoſynis conſuetis. can.12.congr.2. p. 1042.

Collegiorum protectionem ſuſcipere poſſunt amici ſine nomine juridico. can. 7. congr.1. p. 1034.

Cum ad diſſolutionem Domus, vel Collegii, ſine Congregatione generali neceſſitas urget, quorumnam ſunt exquirenda ſuffragia. can. 4. congr.4 p.1055.

Commiſſarii.

Commiſſarii ad viſitandas Provincias tertio, vel quarto quoque anno, vel quando Generali videbitur, mittendi ſunt. can. 35. congr. 2. p. 1047.

Commiſſarii non ſunt officiales ordinarii, & eorum poteſtas in Europa per Generalis mortem expirat. can. 33. congr. 1. p. 1037. & can. 35. cong. 2. p. 1047. & can. 23. con. gr. 4. p. 1059.

Commiſſarii non habent ſuffragium in electione Generalis, niſi ab aliqua Provincia eligantur. can. 33. congr. 1. p. 1037.

Concionator.

Concionatores ut idonei ſint, Generalis curare debet. can. 27. congr. 2. p. 1045.

Privilegium, ut noſtri etiam non ordinati concionari poſſint, retinendum. Ibid.

In concionibus præmittenda ſalutatio Beatæ Virginis, & ſuperpelliceum adhibendum. In lectionibus autem ſacris, ſecundum uſum regionis, ut etiam ſtola. can. 15. congr. 1. p. 1035.

Confeſſarius.

Confeſſarii ut idonei ſint, curare debet Generalis. can. 27. congr. 2. p. 1045.

Congregatio.

Congregationi generali nullum certum tempus præſcribendum, ſed in Congregatione Procuratorum tertio quoque anno ſtatuendum, an cogi debeat. can. 29. congr. 2. p. 1046.

In qua Procuratores, & Aſſiſtentes habent ſuffragium cum Patre Generali, qui duo ſuffragia habet. Ibid.

Qui ad Congregationem generalem cum Provinciali venturi ſunt, ſemper debent eligi à Congregatione Provinciali. can. 17. congr. 4. p. 1057.

Congregationibus provincialibus nulla alia poteſtas concedenda eſt extra formulam. can. 15. congr. 5. p. 1063.

Congregandorum in Provinciæ congregatione numerus definitus. can. 16. cong. 5. p. 1064.

Congregationibus Provincialibus de tollendis aut immutandis Conſtitutionibus, vel Decretis, Congregationi generali proponere quatenus liceat. can. 4. congr. 6. p. 1066.

Superiores Primæ Reſidentiæ in India, & totius Miſſionis Hollandicæ admittendi ad Congregationem Provincialem in ſuis Provinciis. Congr. VIII. can. 23. p. 1078. Congregationes Provinciales ſuæ Aſſiſtentiæ ingrediuntur Aſſiſtentes ſuo perfuncti munere Congr. IX. can. 15. p. 1081. Ad Congregationem Provincialem non habet jus Viſitator vi muneris. congr. IX. can. 16. p. 1082. In Congregatione Provinciali poſt electionem Subſtitutorum, nemo pro abſente ſubrogandus Congr. IX. can. 14. p. 1082. Congregationis Provincialis ſententiæ acquieſcendum in judicio reorum de ambitu. Congr. IX. can. 17. p. 1082. Congregationis Provincialis ſuffragia à Provinciali, & Secretario videnda congr. X. can. 6. p. 1084. Congregationes Provinciales duæ tantum in novennio proximo celebrandæ, ſi non abrogetur Breve Innocentii X. congr. XI. can. 11. p. 1088.

Conſtitutiones.

Conſtitutiones firmæ, ac ratæ habendæ, prout in originali B. P. N. Ignatii habentur. can. 4. congr. 1. p. 1034. Nec ſunt expungendæ, quæ ratione temporum, vel alia de cauſa in praxi non ſunt. can. 2. cong. 3. p. 1050.

De Conſtitutionibus immutandis in Congregatione generali agere non licet, niſi pluſquam media pars agendum ante decernat: ad decretum vero iſtud, duæ minimum ſuffragiorum partes, ut fiat, requiruntur. can. 2. congr. 6. p. 1065.

Conſtitutionum verſio à quarta Congregatione approbata, pro vulgata habeatur. can 3. congr. 4. p. 1055.

Convictores.

Convictorum cura, ſi fieri poſſet, dimittenda: ſed relinquitur judicio Generalis. can. 5. congr. 4. p. 1055.

Corrector.

Corrector externorum Scholaſticorum retinendus: poteſt tamen Generalis diſpenſare can. 17. congr. 1. p. 1035.

Definitores.

Definitorum duplex genus, & quomodo à Congregatione generali eligi debeant. can. 10. congr. 4. p. 1058.

Delatores.

Delatores falſi, & detractores puniendi, & à Superioribus auctores inveſtigandi. can. 20. congr. 7. p. 1073.

Nemo quemquam ad mediatos Superiores deferat, niſi prius immediatos monuerit. can. 21. cong. 7. p. 1073.

Dimittere.

Loca quædam Conſtitutionum circa dimittendos oppoſita & conciliata. can. 6. congr. 5. p. 1061.

Dimiſſionem ſine juſta cauſa qui petunt, rationes ſuas Provinciali ſcripto dare, Superiorumque judicio acquieſcere debent. can. 22. §. 1. congr. 7. p. 1073.

Nemo de dimiſſione ſua externos, inconſulto Provinciali, adhibere in conſilium, nec illorum interceſſione uti poteſt. ib. § 2.

Qui ſola importunitate dimiſſionem extorquent, aliam Religionem ingredi cogantur. ibid § 3. p. 1074.

Qui cauſis non veris, aut ſtudio procuratis, dimiſſionem impetrant, in conſcientiæ tuti non ſunt, & apoſtatarum pœnis ſunt obnoxii. Ibid §. 4.

Qui ſecretas ad dimiſſionem cauſas obtendunt, Generalis arbitrio illas aperire teneantur. Ibid. §. 5.

Qui ob grave delictum publicum dimittuntur, ante dimiſſionem puniendi ſunt. Ibid. §. 6.

Profugientes à Societate, quo facilius dimiſſionem obtineant, nec facile à P. Noſtro audiendi, & in Provincia puniendi ſunt antequam dimittantur. Ibid. §. 7.

Doctrina Chriſtiana.

Doctrinam Chriſtianam docere tenentur Profeſſi, & Coadjutores ſpirituales formati per quadraginta dies intra annum can. 20. congr. 2. p. 1044. item & Rectores. can. 15. congr. 2. p. 1043.

Doctrina Chriſtiana, præter id quod ad probationes pertinet, valde commendatur Profeſſis. can. 21. cong. 1. p. 1036. Commendatur etiam Generali, ut frequentius à noſtris exerceatur. can. 20. congr. 2. p. 1044.

Doctrina Chriſtiana doceri poteſt canendo. can. 14. congr. 1. p 1035.

Domus.

Domus probationis in ſingulis Provinciis inſtituendæ. can. 1. congr. 2. p. 1040.

Commendatur Generali, ut Domibus profeſſis erigendis animum applicet. can. 17. congr. 3. p. 1054.

Fundator Domus profeſſæ eſt, qui dat Domum & Eccleſiam inſtructam: pro eo fiunt ſuffragia in Provincia, abſque candelæ traditione. can. 18. congr. 3 p. 1054.

Domus profeſſæ non poſſunt habere bona immobilia in communi, quia Societas ceſſit juri ſuo per Concilium Tridentinum conceſſo can. 21. congr. 2. p. 1044.

Domus Profeſſæ admittere non poſſunt reditus perpetuos à Collegiis ex legati, aut donati-

donationis alicujus onere pendendos. can. 11. congr. 7. p. 1070.

Electio.

Electio Vicarii Generalis quibus Profeſſis competat. Congr. IX. Can. 11. p. 1081.

Eleemoſyna.

Eleemoſyna, ut nobis potius, quam aliis detur, ſuadere non licet cuiquam externo, ſed ſimpliciter illam amore Dei petere, neceſſitates noſtras explicando, can. 22. cong. 2. p. 1044.

Non licet in Eccleſiis noſtris tenere arculam, etiam pro eleemoſynis aliorum. can. 23 congr. 2. p. 1045.

Conſtitutio, quæ eleemoſynam pro miniſteriis in compenſationem admitti vetat, ita obſervanda eſt, ut ne Generalis quidem ipſe diſpenſare poſſit. can. 1. cong. 5. p. 1060.

Conſtitutio de non admittendis eleemoſynis in Collegiis, quæ duodecim Scholaſticos alere poſſunt, ad finem ædificationis, arbitrio Generalis, exigenda eſt, & in ea ipſe diſpenſare poteſt. can. 7. congr. 3. p. 1051.

Examen.

In examine ad Profeſſionem quot requirantur ſuffragia, quot in ſecundo, & tertio anno Theologiæ Congr. VIII. Can. 12. p 1077. In Examine Metaphyſicorum quot requirantur ſuffragia, ut ad Theologiam admittantur. ibid. Can 15. In Examine ad Profeſſionem a quibus aſſignandæ Theſes; quid temporis ad ſeſe comparandum ibid. can. 13

Examen ordinandorum, & aliorum, refugere debent noſtri: ſi tamen non poſſunt, licet eis ferre judicium de doctrinæ ſufficientia, non de eorum admiſſione. can. 19. congr. 2. p. 1044 & can. 7. congr. 4. p. 1056.

Examinatores ad Profeſſionem quid agere debeant, ſi dubitent de ſuffragio ferendo. Congr. X. can. 7. p. 1084.

Exequiæ.

Vide *Sepultura*.

Exercitia.

Exercitiis ſpiritualibus noſtri omnes quotannis octo vel decem dierum ſpatio vacare debent. can. 9. congr. 6. p. 1067.

Quo tempore ab aliis occupationibus quibuſvis, etiam confeſſionum, concionumque ceſſandum eſt. can. 4. congr. 7. p. 1069.

Exercitia ſpiritualia ſingulis annis obeunda. Congr. VII. can. 16. p. 1077.

Facultates.

Facultates & privilegia à Superioribus conceſſa, ſucceſſoribus monentibus aperienda ſunt, ut ea confirment, vel abrogent: alioqui ceſſant. can. 11. congr. 7. p. 1070.

Quæ à Viſitatoribus conceſſæ ſunt, roganti Provinciali aperiendæ ſunt: qui tamen illas niſi admonito Generali revocare non poteſt. Ibidem.

A Generali conceſſæ vim habent, donec ab ejus ſucceſſore revocentur. can. 10. cong. 7. p. 1070.

Generalis.

Generalis retinere debet ſuam poteſtatem, juxta Conſtitutiones, ad mutationes perſonarum faciendas, non tamen ſine cauſa, & cum detrimento aliorum. can. 32. congr. 2. p. 1047.

Generali non licet mutare officiales, qui ab ipſomet creantur, durante Congregatione generali, niſi ipſa conſentiente. can. 32. cong 1. p. 1037.

Quod de omni Congregatione generali quovis in caſu congregata intelligendum eſt. can. 18. congr. 5 p. 1064.

Solus Generalis auctoritatem habet condendi regulas, alii eam dumtaxat, quam ab ipſo acceperint. can. 3. congr. 1. p. 1033.

Declarationes Generalis in Conſtitutiones, & Decreta, non habent vim legis univerſalis, ſed valent ad praxim bonæ gubernationis. can. 21. congr. 4. p. 1058.

Quo ſenſu dicatur Generalis poſſe Regulas condere, non leges. can. 25. congr. 7. p.1075.

Generalis mandata non expirant ipſius morte, excepta deſignatione ad profeſſionem ad Provincialem nondum miſſa. can. 23. congr. 4. p.1059.

Generalis, erit Præpoſitus Domus Profeſſæ Romanæ. can. 36. congr. 2. p.1048.

Poteſt tamen habere Vicepræpoſitum, cum ordinaria Præpoſitorum poteſtate. can. 26. congr. 4. p. 1059.

Generalis ante obitum ſuum Vicarium ſibi nominare debet. can. 18. congr. 4. p.1058.

Generalis morte audita, ſolemne ubique officium, & Sacrum à ſingulis præter ordinaria faciendum eſt. can. 9. congr. 7. p. 1070.

Generalis demortui ordinationes, reſponſa, privilegia & conceſſiones, aliaque id genus vim eamdem habent, donec à ſucceſſore revocentur. can. 10. congr. 7. p.1070.

Solus Generalis habet facultatem commutandi legata. congr. VIII. can. 18. p. 1078.

Gradus.

De tempore admittendi Noſtros ad ſtatus Societatis nihil innovandum. can. 8. congr. 4. p.1056.

Nullum certum tempus gradibus conferendis præfiniendum. can. 11. congr. 5. p. 1062.

Gradum oblatum acceptare quando unuſquiſque vi voti teneatur. can. 15. congr. 7. p. 1071.

Grammatica.

Docere Grammaticam eſt proprium munus Societatis, vel a Profeſſis exercendum Congr. VIII. can. 1. p. 1075.

Iejunium.

In pervigilio B. Patris noſtri, jejunium in Societate ſervandum. can. 2. congr. 7. p. 1069.

Impedimenta.

Impedimenta quinque primaria irritans inſequentia vota, & profeſſionem. can. 26. congr. 7. p.1075.

Indifferentes.

Indifferentium gradus non debet durare poſt biennium. can. 2. congr. 4. p.1055.

Interceſſiones.

Qui per interceſſiones externorum aliquid à Superioribus obtinere procurat, caſtigandi. can. 13. congr. 5. p.1063. & can. 19. congr. 7. p. 1072.

Qui pro ſe interceſſiones ab externis parari cognoverint, eas pro viribus impedire, & Superioribus aperire debent. can. 19. congr. 7. p. 1072.

Iuniores.

Iuniorum in Collegiis ſeorſim à cæteris habitatio. can. 5. congr. 6. p.1066.

Lectio ſpiritualis.

Ante nocturnum examen quadrans libri ſpiritualis lectioni deſtinatus. can. 5. congr. 7. p.1069.

Libri.

Libros, libellos, vel folia volantia imprimentes abſque licentia, graviter puniendi. Congr. XI. can. 7. p.1087.

Lites.

Lis nulla à noſtris ſuſcipi poteſt ſine licentia Generalis, aut ejus, cui ſuas vices commiſit. can. 26. congr. 2. p.1045.

Lites forenſes fugiant noſtri, & id curare debet Provincialis. Ibid.

Littera.

Litteræ.

Ratio ſcribendi litteras ad Generalem, & ad alios Superiores. can. 28. congr. 2 p. 1046.

Litteræ annuæ quomodo confici debeant. can. 12. cong 4. p. 1056.

Quæ quantum ad res, & ad modum, & ad anni tempus quomodo ſcribendæ ſint, Generali relinquitur. can. 28. congr. 2. p. 1046.

Litteræ ad Electos pro Congregatione Generali vel Procuratorum & Electorum ad alios non aperiendæ. Congr. XI. can 8. p. 1087.

Majoratus.

Majoratum habentis in Hiſpania admiſſio ſine licentia Generalis non eſt irrita. congr. XI. can. 7. p. 1087.

Manifeſtatio delicti.

Regularum 9. & 10. Summarii circa manifeſtationem delicti declaratio. can. 10. congr. 6. p. 1067.

Menſa.

Benedictio in prima menſa communi danda eſt, ſecundum uſum Romanum: in ſecunda vero, & privata, antiqua benedictio retineri poteſt. can. 6. congr. 1. p. 1034.

In menſa Sacerdotes nullo inter ſe diſcrimine ſedere; alios tamen, qui Sacerdotes non ſunt, præcedere debent. can. 30. congr. 1. p. 1037.

Menſa privata à nullo teneri poteſt, niſi à Generali, vel cum ejus diſpenſatione. can. 5. congr. 3. p. 1051.

Miſſiones.

Miſſionum executio & praxis commendatur. can. 14. congr. 5. p. 1063.

Negotia.

Negotia quæ ad rationem ſtatus pertinent, noſtris in virtute obedientiæ, & ſua pœna inhabilitatis prohibentur. can. 12. congr. 5. p. 1663.

Negotia ſtatus prohibita quænam cenſeri non debeant, aut debeant. can. 13. congr. 7. p. 1070.

Ab aliis etiam ſæcularibus negotiis, & ab Inſtituto alienis, abſtinendum. can. 13. congr. 5. p. 1063.

Nonnulla ejuſmodi ſine expreſſa Superiorum, aut Generalis licentia prohibita. can. 18. congr. 7. p. 1072.

Negotiatio.

Omnia, quæ ſpeciem habent ſæcularis negotiationis, Noſtris prohibentur. can. 25. congr. 2. p. 1045.

Nomen.

Nomen *Don*, ubi eſt inſigne nobilitatis ſæcularis, tollendum. can. 2. congr. 2. p. 1040.

Novitii.

Novitii biennio probari debent, non litterarum, ſed mortificationis ſtudio vacando: in ſecundo tamen anno, poteſt Provincialis diſpenſare. can. 1. congr. 2. p. 1040.

Novitii intra biennium, non ſunt ad vota inſtigandi; & ſi ea emiſerint, ſeorſim inter ſe renovare debent. Ibid.

Diſpenſare non licet in contrahendo biennii ſpatio, ad hoc ut quiſpiam per vota ante illud expletum emiſſa, verus Religioſus cenſeatur. can. 10. congr. 5. p. 1062.

Novitiis oſtendenda, & declaranda quæ VI. Congregatio ſanxit circa manifeſtationem delicti. can. 10. cong. 6. p. 1067.

Opiniones Morales.

Opiniones laxæ in re morali vitandæ, & Auctores coercendi. Congr. XI. can. 4. p. 1085. Nemo ſcripto reſpondeat in rebus gravioribus moralibus, niſi probante Superiore. Congr. XI. can. 4. §. 3. p. 1086. Opinionum pericoloſarum in re morali elenchus tenendus. Congr. XI. can. 4. §. 4. p. 1086.

Oratio.

Oratio per integram horam, præter duplex examen, quotidie facienda. can. 6. congr. 4. p. 1056.

Oratio non in uno loco ab omnibus facienda, niſi pro re aliqua extraordinaria ad tempus: ſed cum Novitiis, ante cœnam, Generalis diſpenſare poterit. can. 12. cong. 1. p. 1035.

Orationis tempore omnes viſitandi, certumque omnibus ſurgendi, & orandi tempus ſtatuendum. can. 7. congr. 7. p. 1069.

Orationis, vel Examinis tempore, nemo ſine expreſſa facultate ad januam, vel ad eccleſiam vocandus. can. 6. congr. 7. p. 1069.

Orationes & ſuffragia pro noſtris defunctis, quæ ſint facienda, extra & intra Provinciam. can. 11. congr. 3. p. 1052.

Dies 27. Septembris ob confirmatam eo die Societatem, Miſſis, & orationibus celebrandus. can. 1. congr. 7. p. 1069.

Oratio de SS. Ignatio & Xaverio Litaniis addenda. Congr. X. can. 8 p. 1084.

Paupertas.

Obligatio in Superiore, ad expendendos fructus bonorum, quæ Noſtri poſſident, in cauſas pias, non pertinet ad Votum paupertatis. Congr. XI. can. 1. p. 1085. Donatio Scholaſtici facta Collegio ante mortem, vel Vota ultima, poteſt, etiam poſt mortem Donantis, vel ultima Vota, admitti, ſeu rata haberi a Generali. Congr. XI. can. 2. p. 1085.

Contra votum paupertatis facit, qui rebus ſuis tamquam propriis utitur, vel eas diſtribuit, aut iis ſe abdicat ſine Superioris facultate. can. 7. congr. 5. p. 1061.

Peregrinatio.

In peregrinationibus, & profectionibus Noſtri pedeſtri itinere, judicio Superiorum, uti debent. can. 12. congr. 3. p. 1053.

In equitando autem, ut ſolius neceſſitatis ratio habeatur, curare debet Generalis. Ibidem.

Perturbatores.

Qui aliquid machinantur contra Inſtitutum, ad Generalem deferendi ſunt, ut puniantur, & dimittantur. can. 20. congr. 5. p. 1064.

In eos inquirere, & ad Generalem deferre Provinciales jubentur. can. 1. congr. 6. p. 1065.

Philoſophia.

Philoſophia ita tradenda, ut inſerviat Theologiæ, & ideo interpretes Ariſtotelis qui impie ſcripſerunt, cum delectu legendi. can. 8. cong. 3. p. 1052.

Philoſophiæ breves curſus non ſunt inſtituendi. can. 17. congr. 2. p. 1043.

Præſes Congregationis Generalis moriente Vicario, quis? Congr. X. can. 5. p. 1084.

Princeps.

Nullus ex noſtris aſſignandus eſt Principibus, aut aliis Dominis, qui aulas eorum ſequatur, niſi forte ad unum, vel alterum menſem. can. 38. congr. 2. p. 1048.

In

In familiaritatem Principum ne ſe noſtri, cum detrimento ſpiritualis boni & diſciplinæ, inſinuent. can. 13. cong. 5. pag. 1063.

Inſtructio pro Confeſſariis Principum approbata. can. 7. congr. 6. p. 1067.

Proceſſiones.

Proceſſiones à Noſtris non ſunt faciendæ Generalis tamen poteſt diſpenſare, maxime inter hæreticos & infideles. can. 10. congr. 3. p. 1052.

Quod ſi ad eas cogantur, quomodo ire debent. Ibidem.

Procurator.

Procurator Generalis Societatis in Congregatione Provinciali habet ſuffragium activum ſupra numerum Congr. VIII. can. 22. p. 1078. Procuratores Indiarum quamdiu habeant jus ad Congregationem Generalem Congr. IX. Can. 13. p. 1081.

Procurator generalis ingreditur Congregationem poſt electionem Generalis, can. 16. congr. 3. p. 1054.

Procuratorem Romæ, vel alibi alere debent ii, quorum negotia agit, can. 10. cong. 2. p. 104.

Iidem ſolvere debent expenſas pro Procuratore externo, & Sollicitatore, & pro expeditionibus. can. 11. congr. 2. pag. 1042.

Procuratores cum Electoribus non ſunt adducendi ad Congregationem generalem, niſi vocentur à Vicario, & tunc eligendi ſunt à Congregatione Provinciali. can. 16 congr. 4. p. 1057.

Neque poſſunt eligi niſi Profeſſi, vel Coadjutores ſpirituales formati. Ibid.

Procuratores Profeſſi quatuor votorum, in Congregatione generali, poſt electionem, debent ſedere inter electores: reliqui poſt eos ſuo ordine; can. 19. congr. 4. pag. 1058.

Procuratores, qui tertio quoque anno veniunt ad Congregationem, debent eſſe Profeſſi quatuor votorum, & maxime idonei. can. 29. congr. 2. p. 1046.

Procuratores qui veniunt ex Provinciis extra Europam, habent ſuffragium ad electionem Generalis, ſi ſint Profeſſi quatuor votorum & ad hoc electi. can. 13. congr. 4. p. 1057.

Procurator Sardiniæ, donec ipſa fuerit Provincia ſeparata, poteſt venire ad Congregationem poſt electionem Generalis, electus à Viceprovinciali cum Conſultoribus, & Profeſſis præſentibus, can. 14. cong. 3. p. 1053.

Ex Provincia Luſitaniæ, & Bæticæ quando poteſt eligi in Congregatione Provinciali Procurator pro ſuis Indiis. Ibid.

Profeſſi.

In profeſſione emittenda, non ſunt addendæ Cæremoniæ. can. 20. congr. 1. pag. 1036.

Profeſſi trium votorum, poſt ſuam profeſſionem, eadem vota ſimplicia emittere debent, quæ Profeſſi quatuor votorum. can. 10. congr. 4. p. 1056.

Profeſſi quatuor votorum debent ſubeſſe non Profeſſis, ſi ſint Superiores ejuſdem Domus, vel Collegii. can. 13. congr. 3. p. 1053.

Profeſſi & Coadjutores formati tenentur ad obſervantiam omnium Regularum communium. can. 11 cong. 4. p. 1056.

Profeſſi & Coadjutores formati, qui Collegiis (etiam ubi Seminaria Noſtrorum non ſunt) etiam ut operarii neceſſarii, aut utiles ſunt, in eis ſuſtentari ſine ſcrupulo poſſunt. can. 6. cong. 6. p. 1066.

Profeſſio. Profeſſus.

Quot requirantur ſuffragia ad Profeſſionem quatuor Votorum. Congr. VIII. can. 12. p. 1077. In Examine Profeſſionis à quibus aſſignandæ Theſes; & quid temporis ad ſeſe comparandum Congr. VIII. can. 13. p. 1077. Profeſſi ſuperent mediocritatem in virtute. Congr. IX. can. 19. p. 1082. Profeſſi tenentur denunciare etiam non Profeſſos, ambientes Congr. IX. can. 3. p. 1080.

Provinciales.

Provinciales intra ſuas Provincias mutare poſſunt ſubditos; ſed non debent ſine cauſa, & cum detrimento aliorum. can. 32. congr. 2. p. 1047.

Provincialibus poteſt Generalis injungere, ut quotannis ſuas Provincias viſitent. can. 29. cong. 1. p. 1037.

Provinciali in Europa mortuo, ſi nullus deſignatus ſit, quis ſuccedere debeat. can. 22. congr. 4. p. 1058.

Provincialium, & aliorum officialium, qui creantur à Generali, poteſtas non expirat morte Generalis, nec electione novi. can. 32. congr. 1. p. 1037.

Provincialium & Superiorum ordinariorum nominationes, etiam ſi non ſint executioni mandatæ, non expirant morte Generalis. can. 13. congr. 4. p. 1059.

Provincialis abſentis locus ſupplendus in Congregatione Generali. Congr. IX. can. 11. p. 1081. Provinciali defuncto ſuffragia extraordinaria decernuntur Congr. IX. can. 23. pag. 1083. Provinciali mortuo non ſuccedunt Vice præpoſiti, neque Vice-Rectores. Congr. IX. can. 10. p. 1081. Provinciali in Indiis facto mutili quid faciendum. Congr. IX. can. 8. p. 1080. Provincialis quando debeat proponere promovendos ad Profeſſionem quatuor votorum. Congr. IX can. 20 p. 1083.

Provinciarum inſtitutio Generali relinquitur. can. 30. cong. 2. p. 1046.

Recreatio.

A Recreatione abſtinendum triduo hebdomadæ ſanctæ in honorem paſſionis Dominicæ. can. 8. congr. 7. p. 1070.

Rector.

Rectoris officio non eſt deſignandum certum tempus, ſicut Provinciali deſignatum eſt triennium. can. 33. congr. 2. p. 1047.

Reliquiæ.

Reliquiæ Sanctorum alicui loco applicatæ, alienandæ non ſunt, nec uſurpandæ. can. 3. congr. 7. p. 1069.

Ritus.

Ritus Romanus ſervandus ubique in Ceremoniis Eccleſiæ. Cong. IX. can. 22. pag. 1083.

Scholaſtici.

SCholaſticorum noſtrorum Regulæ, bis aut ter in anno publice legendæ. can. 16. congr. 2. p. 1043.

Scholaſticis externis præmia dari poſſunt, modo ne noſtro ſumptu. can. 16. cong. 1. p. 1035.

Secretarius.

Secretarius quando poſſit ingredi Congregationem Provincialem, & etiam generalem. can. 15. congr. 4. p. 1057.

Secretarii & Aſſiſtentis officium melius diverſis perſonis committitur. can. 39. congr. 1. p. 1038.

Secretario Societatis defuncto ſuffragia extraordinaria ſtatuta. Congr. IX. can. 23. p. 1083.

Secretum.

Secreta Conſultationum, Examinum, Informationum, & Congregationum evulgantes, à Superioribus inveſtigandi, & puniendi. can. 16. cong. 7. p. 1071.

Seminarium.

Seminarium Societatis in ſingulis Provinciis curandum, ad formandos Profeſſores. can. 5. congr. 2. p. 1041.

Seminaria Epiſcoporum, ex diſpenſatione Generalis admitti poſſunt, & quomodo. can. 13. congr. 2. p. 1042.

Sepultura.

Sepultura in noſtris Eccleſiis, quibus & quomodo concedenda. can. 8. congr. 1. p. 1034.

Sacerdotes noſtri eo habitu ſepeliendi ſunt, quo Sacerdotes ejus regionis: qui vero Sacerdotes non ſunt, ſicut alii Clerici: poterit tamen Generalis in hoc diſpenſare. can. 27. cong. 1. p. 1036.

An exequias noſtrorum vocari poſſunt externi, cum vel deſunt noſtri, vel ſunt in alienis Eccleſiis. Ibid.

Exequiæ pro Principibus, quando univerſaliter fiunt, poſſunt & à Noſtris celebrari, ſed ſine pompa. can. 9. congr. 1. p. 1034.

Status, vide *Gradus.*

Subſtantialia.

Subſtantialia noſtri inſtituti, quænam cenſeri debeant. can. 17. congr. 5. pag. 1064.

Si quis in Congregatione Provinciali aliquid proponat, quod ſubſtantialibus Inſtituti aperte repugnet, aut repugnare videatur, & admonitus adhuc urgeat, Generalis judicio plectendus eſt. can. 3. congr. 6. p. 1065.

Suffragia.

Vide *Oratio*, & *Congregatio.*

Superintendens.

Superintendentis nomen, ſincere, non eſt uſurpandum, neque etiam officium, niſi neceſſarium fuerit. can. 34. cong. 2. p. 1047.

Superiores.

Superiorum renunciatio quando authentica. Congr. IX. can. 6. p. 1080. Superiores nominati à Generali defuncto. Cong. X. can. 4. p. 1084. Superiori morienti vel aliquo abeunti licet alium nominare qui eam curam habeat. Congr. VIII. can. 5. p. 1076. Officium & auctoritas Superiorum localium quando incipiat; quando deſinat. Congr. VIII. can. 20. p. 1078. Superior cum Præfecto Studiorum ſtatuat Theſes pro iis, qui examinandi ſunt ad Profeſſionem, & tempus præſcribat, ultra quod ſi differatur examen, concluſiones mutentur. Congr. VIII. can. 13. p. 1077. Superiores locales neminem ab exercitiis Spiritualibus, ſingulis annis per octiduum obeundis, eximant. Congr. VIII. can. 13. p. 1077. Superiore locali contradicente, Provincialis contractum non faciat. congr. VIII. can. 27. p. 1079.

Theologia.

Theologiæ breves curſus non ſunt inſtituendi. can. 17. congr. 2. p. 1043.

Sequenda noſtris Doctoribus in Scholaſtica Theologia doctrina D. Thomæ: neque ad cathedras Theologicas promovendi, niſi qui ad eam bene affecti. can. 5. congr. 5. p. 1062.

Vicarius.

Vicarius, Generali electo, habet locum in Congregatione inter Provinciales. can. 13. congr. 2. p. 1041.

Vicarius in caſu mortis non nominet Vicarium Congr. IX. can. 11. p. 1081. Vicarius Generalis à quibus eligendus Congr. IX. can. 11. p. 1081. Vicarii Generalis facultates Congr. X. can. 3. p. 1084. Vicario moriente

moriente quis Præſes Congregationis Generalis. Congr. X. can. 5. p. 1084. Mortuo Generali, Vicarius habet poteſtatem dimittendi Profeſſos, & Formatos, Congr. VIII. can. 21. p. 1078.

Viſitator.

Viſitatorum poteſtas expirat in Europa, morte Generalis. can. 23. congr. 4. p. 1059.

Non habet jus ad Congregationem Provincialem, vi muneris. Congr. IX. can. 16. p. 1082. Viſitatore facto inutili in Indiis, quid agendum. Congr. IX. can. 8. p. 1080.

Vniverſitas.

In actibus Vniverſitatum poſſunt noſtri ferre aliqua inſignia, quæ determinare debet Generalis. can. 19. congr. 1. p. 1035.

In Vniverſitatibus, nullus eſt promovendus in facultate, quam noſtri non profiteantur. can. 18. congr. 2. p. 1043.

Cathedræ in Vniverſitatibus ſine oppoſitione, & gratis admitti poſſunt, conſulto Generali. can. 15. congr. 1. p. 1035.

Ad Vniverſitatum noſtrorum Scholas admitti debent, qui à Societate defecerunt, niſi ſit ſcandalum. can. 18. congr. 1. p. 1035.

Vota.

Vota emiſſa in ſæculo ſuſpenſa in Societate ſunt, præterquam Religionis determinatæ. can. 21. congr. 1. p. 1036.

Vota bis tantum in anno renovanda ſunt. can. 9. cong. 4 p 1056.

Votorum renovatio poteſt fieri etiam aliis feſtis, quam Paſchæ & Natalis Domini, cum facultate Generalis. can. 14. congr. 2. p. 1043.

Ante votorum renovationem per triduum ſpirituali recollectioni vacandum eſt, can. 8. congr. 6. p. 1067.

Omnes, qui poſt biennium emiſſis Votis, à Societate defecerunt, ut Apoſtatæ puniri poſſunt. can. 1. congr. 4. p. 1054.

Promiſſio ingrediendi Societatem, quæ in Formula votorum continetur, votum eſt peculiare. can. 2. congr. 5. p. 1060.

Quod etiam in coadjutoribus temporalibus locum habet. can. 23. congr. 7.

FORMVLÆ CONGREGATIONVM

in quartâ generali Congregatione

CONFECTÆ ET APPROBATÆ,

in ſextâ & ſeptimâ

RECOGNITÆ ET AVCTÆ.

Juxta editionem excuſam



ANTVERPIÆ,

Apud JOANNEM MEVRSIVM.

SVPERIORVM PERMISSV.

FORMULA CONGREGATIONIS GENERALIS,

Decr. 51. 57. & 59. Congr. 4.

In quarta Congregatione confecta, & approbata; in ſexta & ſeptima recognita & aucta.

In quibus caſibus cogenda eſt Congregatio Generalis.

CAPUT I.

I.

Quibus in caſibus cogenda Congregatio.

QVATVOR in caſibus cogenda eſt neceſſario Congregatio Generalis. Primus eſt, cum Generalis Præpoſitus eligendus eſt in locum demortui, niſi ille obierit tempore alicujus Generalis Congregationis, aut paullo poſt, ut inferius dicetur. Secundus, ſi (quod Deus avertat) aliquid accidat eorum, propter quæ de alio Generali eligendo in locum viventis deliberandum eſſe dicitur in nona Conſtitutionum parte. Tertius, ſi quando Aſſiſtentes cum Provincialibus & Præpoſitis localibus, pluribus inter ſe ſuffragiis cogendam judicarent, ut eſt in declaratione octavæ partis. Quartus, ſi Generalis cum Aſſiſtentibus, & Procuratoribus, qui tertio quoque anno ad Generalem veniunt, cogendam eſſe ſtatuant, juxta ea, quæ in ſecunda Congregatione definita ſunt. Præter hos autem caſus, in quibus illa neceſſario cogenda eſt, poterit etiam aliquando convocari arbitrio Generalis, ut de aliquibus P. 6. c. 4. §. 7. P. 8. c. 2. lit. C. Can. 29. Cong. 2.

P. 8. c. 4. §. 1. bus rebus magni momenti tractetur, juxta ea, quæ in octava parte Conſtitutionum habentur.

De iis, quæ in Congregatione Generali, pro eligendo Generali Præpoſito in locum demortui, ante quatriduum informationum agenda ſunt.

CAPUT II.

P. 8. c. 4. §. 1.

In primo caſu eſt Vicarii convocare.

Decr. 88. 6. Cong.

2. IN primo caſu (de quo tamquam ordinario fuſius agendum eſt) ad ſolum Vicarium Generalem ſpectat Congregationem indicere, convocare, & usque ad electionem novi Præpoſiti dirigere; aut ſi Præpoſitus paulo poſt Congregationis diſſolutionem moriatur, ex eisdem congregatis redintegrare; tempusque ac locum ad eam celebrandam præſcribere, ut in officio Vicarii explicatius habetur. Porro locus, quo conveniet Societas ad Generalis electionem, videtur ordinarie Curia Summi Pontificis eſſe debere, ubi plurimum erit ipſius Generalis reſidentia.

Quando poteſt inchoari.

P. 8. c. 5. §. 1.

3. Cum Congregatio in hoc caſu fuerit indicta, & ſpatium temporis convocandi Societatem, juxta Conſtitutiones fuerit elapſum, inchoari poterit Congregatio, ſi jam duæ tertiæ partes Electorum à ſuis Provinciis advenerint.

Acta exhibeantur Vicario.

4. Antequam inchoetur, ſinguli Provinciales exhibeant Patri Vicario acta ſuarum Congregationum, ut ea cum Aſſiſtentibus videat, ut ſi quid dubii de aliquorum particularium legitima electione aut vocatione invenerint, id totum ad Congregationem Generalem quam primum deferant, non admiſſis iis, de quibus legitime dubitatur, donec ipſa Congregatio de illis conſtituerit.

Quinam admittendi.

Can. 14. Cong. 4.
P. 8. c. 3. §. 1.
Can. 16. Cong. 4.
Can. 15. Cong. 4.
Can. 16. Cong. 3.

5. Ad Congregationem Generalem ante electionem admittentur, & in ea ſuffragium habebunt Pater Vicarius, Aſſiſtentes, & omnes Provinciales, ſeu Viceprovinciales, ac Electores à Provinciis miſſi, de quorum legitima electione, & jure ſuffragii nihil erit dubii. Procuratores tamen, ſi qui ex Provinciis vocati fuerint ad tractanda negotia poſt electionem, non admittentur ad Congregationem ante electionem, neque ad acta, quæ in illa fiunt, ſicut nec Secretarius, nec Procurator Generalis.

6. Ordo

6. Ordo ſedendi in Congregatione, & dicendi ſententias hujusmodi erit; ut ad dexteram Patris Vicarii ſedeant Patres Aſſiſtentes & Provinciales, ordine antiquitatis in ſuâ profeſſione inter ipſos ſervato: ad ſiniſtram verò eodem ordine reliqui Profeſſi Electores. Atque ad hunc finem affigetur in loco Congregationis catalogus omnium Electorum, cum anno, & die, quo quisque profeſſionem emiſit. *Ordo ſedendi & dicendi ſententias.* Can. 31. Cong. 2.

7. Poſtquàm Pater Vicarius convocatis Patribus, qui ad Congregationem venerunt, rationem reddiderit eorum, quæ facta ſunt poſt mortem Generalis, ad Congregationem pertinentia; primum omnium decernatur, eos qui adſunt, legitimam Congregationem & plenam conficere. *Poſt Vicarii relationem, an legitima & plena.*

8. Deinde, ſi de aliquorum legitimâ vocatione aut electione Pater Vicarius & Aſſiſtentes dubitaverint, id referent ad Congregationem, ut de illis, antequam admittantur, ſigillatim ipſa ſtatuat, quid agendum ſit. *Quæ referet Vicarius ad Congregationem.*

9. Proponatur Congregationi, an ſuppleri debeant omnes defectus, ſi qui fortè acciderint, tam in Congregationibus Provincialibus, quàm alii quicumque. *An ſupplendi defectus.* In 2. Cong.

10. Secretarium per ſcrutinium ſecretum ad plura ſuffragia (ſicut & ceteros omnes, qui ante electionem Generalis eliguntur) eliget Congregatio, qui tam generali, quàm particulari Deputatorum Congregationi, & Præpoſiti Generalis electioni ſubſerviat; cujus officium finis electionis terminabit. *Electio Secretarii.* P. 8. c. 3. §. 2.

11. In actis omnibus, quæ ante electionem fient, Vicarius unicum tantùm habebit ſuffragium, cum qualitate præcedendi in caſu paritatis. *Vicarii ſuffragium.*

12. Si Congregatio Romæ habebitur, proponatur, quinam cum Patre Vicario adire debeant Summum Pontificem, ad petendam ab ipſo benedictionem, & ad electionem Præpoſiti, & ad alia, quæ in Congregatione tractanda erunt. *Quinam ad benedictionem petendam mittendi.*

13. Eligatur unus ex Electoribus per ſcrutinium ſecretum, qui ſecundam ſit habiturus orationem ſive exhortationem ipſo die electionis: eam autem priusquam recitet, Patri Vicario & Aſſiſtentibus oſtendet, qui ſi quid ſit mutandum, corrigendum, vel adjiciendum, eum tempeſtivè admonebunt. *A quo habenda oratio.* P. 8. c. 6. §. 4.

14. Eligatur etiam unus extra numerum Electorum per ſecreta ſuffragia ex Præpoſitis, Rectoribus, vel aliis de Societate, qui curam habeat includendi Electores ipſo die electionis; cui quatuor alii adjungentur, Vicarii arbitrio ſive ex Procuratoribus, qui vocati ſunt ex diverſis Provinciis, ſi qui tales venerint; ſive ex aliis Patribus de Societate. *Incluſor eligendus.* P. 8. c. 6. §. 4. Decr. 63. Cong. 7.

Deputati eligendi. *In 2. Cong. decr. 4. Ex decr. 52. 6. Cong.*

15. Deinde Congregatio per ſecreta ſcrutinia eligat & deputet quinque Patres, ex quinque Aſſiſtentiis, Italicâ, Gallicâ, Germanicâ, Hiſpanicâ, & Luſitanicâ, de numero Congregatorum, qui cum Patre Vicario & Aſſiſtentibus videant, an aliquid ſit, in quo inſigne detrimentum paſſa ſit Societas, vel paſſura eſſe timeatur, quod ſingulari providentiâ atque induſtriâ, vel reſarciendum vel curandum ſit. De quo, ſiquid fuerit, conficient ad Electorum uſum Interrogatorium, in quo ea tantùm inſerantur, in quibus certò conſtiterit Patribus Deputatis, paſſam fuiſſe Societatem, aut timeri ne proximè patiatur. Porrò de quibus agent hi Deputati, ea ad plura ſuffragia tranſigent, ac totum hujus deputationis negotium intra quatuor dies ad ſummum abſolvent.

Interrogatorium conficiendum.

Quinam referent ad Deputatos, & qua.

16. Ad hos autem Deputatos ſinguli Electores, & ceteri, qui poſt electionem Præpoſiti jus ſuffragii habent, intra biduum à deputatione factâ, ferent, quæ habent à ſuis Congregationibus Provincialibus, vel quæ ipſi notarunt ad hoc negotium pertinentia. Si verò alii ex noſtris extra horum numerum, aliquid ejusmodi Deputatis proponerent, non erunt rejiciendi; tametſi non erunt provocandi, ut hoc faciant. Verùm informationes eorum, qui jus ſuffragii non habent, non niſi ſubſcriptæ ab iis recipiantur. Qui autem jus ſuffragii habent, quamvis ſine ſubſcriptione ſuas informationes dare poſſint, aliorum tamen, etiam Electorum, non niſi ſubſcriptas dare poterunt; ut dicetur in §. 64.

Propoſita digerenda.

17. Quæ propoſita fuerint, duo ex Deputatis cum Secretario, ad certum aliquem ordinem redigent, ut ea, quæ ad eamdem rem pertinent, ſuo loco legantur, & excutiantur in Congregatione Deputatorum: qui præcipua ſeligent, rejectis aliis, quæ leviora eſſe, vel ad Interrogatorium conficiendum non pertinere videbuntur. Neque enim admittenda ſunt, niſi quæ ad electionem pertineant, non item quæ agunt de perſonis, nec etiam de rebus, quæ ad particulares perſonas referantur, ut ſunt querelæ, purgationes, accuſationes, & alia hujuſmodi, quæ à Deputatis, & à tota Congregatione (ſi fortè illi proponantur) rejicienda ſunt ad deputandos poſt Generalis electionem.

De perſonis nil admittendum, niſi poſt Electionem.

Interrogatorium communicetur Electoribus.

18. Interrogatorium à Deputatis confectum, non oportebit ut publicè in Congregatione legatur; ſed ſatis erit, ſi ſingulis Electoribus ante inceptum quatriduum, vel ſaltem initio quatridui, communicetur. Neceſſe tamen erit, ut Deputati ab Electoribus interrogati circa intelligentiam vel explicatio-

cationem Interrogatorii, eos informent de ſtatu Societatis in hujusmodi rebus, & de iis, quæ ipſa paſſa eſt, vel paſſura timeatur; quatenus ad bonam electionem futuri Generalis utile erit.

19. Congregationi Generali ante electionem nihil omnino erit proponendum, quod non ad ipſam electionem pertineat; & quæ proponenda videntur, prius à Patre Vicario cum Aſſiſtentibus & Deputatis ad plura ſuffragia determinentur: ſi quis vero poſtea non fuerit contentus, licebit illi proponere Congregationi. Ipſa vero Congregatio, etſi ante electionem decreta condere non poſſit, poterit tamen omnia definire & facere, quæ ad ipſam electionem pertinere vel conducere judicabit. *Nihil tum proponendum Congregationi, niſi ad electionem pertinentia.*

20. Si quædam majoris momenti ad electionem ſpectantia Congregationi proponenda ſunt, uno die proponantur, rationibus utrimque adductis; in quibus ſi major informatio deſideraretur, ea à Vicario vel aliis Electoribus petatur; & ſequenti die dicantur ſententiæ. Hæc vero, & omnia quæ ante electionem tractanda erunt, ad plura ſuffragia decernantur. Si quæ autem leviora proponerentur, pro arbitrio V. Vicarii, non contradicente Congregatione, aut eodem die, aut alio tractentur. *Propoſita altero vel eodem die ad plura ſuffragia decernantur.* In 2. Cong. dec. 107.

21. Super illud ſexti capitis octavæ partis, ejusque declarationis, Quod ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ, quisque teneatur Vicario manifeſtare, vel alicui ex antiquioribus Profeſſis, ſi ſciret aliquem hoc munus affectaſſe, vel etiam tunc affectare, directè vel indirectè id procurando, vel ſigno declarando, &c. hæc declaratio adhibetur; quod per antiquiores Profeſſos (quos deinceps quatuor ex Congregationis VII. decreto eſſe oportebit) intelliguntur quatuor antiquiores Profeſſi diverſarum nationum, juxta diverſitatem earum, ex quibus Aſſiſtentes eligi ſolent, videlicet Italiæ cum Sicilia, Germaniæ, Galliæ, Hiſpaniæ cum Indiis Occidentalibus, Portugalliæ cum Orientalibus Indiis, & Braſilia, qui quatuor Profeſſi cum Vicario (qui & ipſe eodem modo diverſæ nationis ab illis erit) eos qui ob ambitum delati fuerint, judicabunt juxta Conſtitutiones & Declarationes. Eademque cenſura extenditur in omnes de Societate, quicumque, & ubicumque ſint, qui ab obitu P. Generalis, ad electionem usque pro ſe, aut pro aliis ambierint; vel qui cum perſonis Societatis, aut cum externis, cujuscumque ſtatus & conditionis ſint, egerint, aut tractaverint, vel litteras, aut favorem Prælatorum, Principum, aut aliorum procuraverint ad quamvis nationem, vel particularem perſonam promovendam ad Generalatum, vel ex- *Crimen ambitus quibus manifeſtandum.* P. 8. c. 6. §. 2. & lit. A. Decr. 64. Cong. 7. *Quatuor ſeniores profeſſi quomodò accipiendi.* *Crimen ambitus ante Congregationem qui incurrant.*

Decr. 49. Congr. 7.

Excommunicantur ipſo facto impedientes libertatem electionis, item falſo informantes.

A quo abſolvendi.

cludendam: nam ſi quæ gravior res occurreret, quæ remedium poſceret, Vicario Societatis tunc Superiori, aut ſanè Patribus ante electionem pro detrimentis Deputatis aperienda erit. In illos etiam, qui ſinceritatem vel libertatem electionis juxta inſtitutum Societatis noſtræ quoquo modo directè vel indirectè impedire vel corrumpere conati fuerint. Extenditur item ad informationem non ſinceram, eam ſcilicet, quæ ſtudiosè mendax eſt, malâ cum intentione, & in re gravi. Demum ipſo facto ambitioſos pro ſe, vel pro aliis eo modo, quo ſuprà dictum eſt, in excommunicationem incidere decernitur, à quâ non poſſint abſolvi ante electionem niſi à P. Vicario, poſt electionem vero à Reverendo Patre Generali.

Obtrudentes Informationem apud quos deferendi.

22. Qui informationes Electoribus ante cœptam Congregationem obtruſerint, illos ad Provincialem Provinciæ, in quâ Congregatio celebranda eſt, ipſi Electores deferre teneantur: & poſtquàm cœpta fuerit Congregatio, ad ipſos Iudices ambitionis, ut eos pro criminis eorum gravitate, ſuo arbitrio puniant.

Iudices ambitus.

P. 8. c. 6. lit. A.

Ab his àn ſit appellatio.

23. Si ipſemet Vicarius vel aliquis ex prædictis antiquioribus Profeſſis diverſarum nationum notaretur de ambitu; ſemper quinque ex iis, qui inter prædictos Profeſſos antiquiores erunt, de propoſitâ cauſâ judicabunt; excluſo eo, qui notatus eſt ambiviſſe pro ſe aut pro aliis: & eorum quisque, ad cujus aures hujusmodi infamia perveniret, reliquos vocet, ut de eâ cognoſcatur. Quod ſi Vicarius in culpa eſſe judicaretur; Congregationi ante electionem, & ipſi electioni præerit antiquiſſimus eorum, qui ad ejus dexteram ſedebunt. Horum autem Iudicum ſententiis ſine ulla appellatione omnino acquieſcendum eſt. Quod ſi alicui videretur, ſibi ab illis injuriam factam eſſe, ei licebit poſt electionem apud Congregationem agere. Qui ſi tamen ſe ſufficienter non purgaverit, judicio Congregationis punietur.

Iudicium de ambitu ante quatriduum.

Secretum in hac cauſa.

24. Delationes de ambitu omnes ante cœptum quatriduum judicentur (niſi in ipſo quatriduo deprehenſus eſſet aliquis ambitioſe egiſſe, aut agere) nemine vocato conſilii capiendi gratia, qui non ſit ex ipſa Congregatione. Omnes autem etiam delatores teneantur ſecretum ſervare cum omnibus, præterquam cum Electoribus in informatione, tempore quatridui. Quin etiam Iudices antequam ſententiam ferant, non debent Electoribus in informatione dicere, quæ tamquam Iudices cognoverint. Si quis autem ex Iudicibus ſecretum non ſervaverit, Iudicis officio, ipſo facto, privatus ſit, & à quatuor aliis excludatur, ſuffecto in ejus locum alio antiquiſſimo juxta prædicta;

& poſt

& poſt electionem pro Congregationis arbitrio puniatur, ſicut & ii, quos ad conſilium ſuum ipſi Iudices vocaverint, & delatores ipſi ac teſtes ſecretum non ſervantes; ac multo magis, ſi calumnioſe egiſſe deprehenſi fuerint. Porrò Iudices hi, quorum erat de ambitu ante electionem cognoſcere, poſt eamdem reliquo Congregationis tempore, de iis etiam cognoſcent, quæ ab obitu Generalis uſque ad novi creationem, contra Conſtitutiones & Formulas commiſſa videbuntur; cum poteſtate in reos inquirendi, compertoſque pro delicti modo puniendi; non ſolum privando illos ad tempus, vel in perpetuum, voce activâ, aut paſſivâ; ſed inhabilitando etiam ad munia quælibet & officia, aliiſque pro arbitrio pœnis afficiendo: præſente ſemper, & judicium pro ſuâ prudentiâ, paternoque in omnes affectu dirigente Præpoſito Generali. In quem quidem, aut in ejus electionem, nullam diſquiſitionem inire, nec ullam cujuſquam delationem admittere licebit. *Iudicum ambitus poſt electionem poteſtas.* Decr. 81. Congr. 7.

25. Proponatur ante quatriduum, an expectandi ſint abſentes ad electionem Præpoſiti faciendam: & ſi decernatur non eſſe expectandos, nihilominus ſuus illis locus ſervandus erit in Congregatione, ſi venerint. *Abſentes an expectandi.*

De iis, quæ in quatriduo ante electionem, fieri debent.

CAPUT III.

26. PRIMO die quatridui manè eligatur Aſſiſtens electionis, per ſcrutinia ſecreta: poſt cujus electionem Pater Vicarius ex eo loco, ubi ſedet, ſuam habebit orationem. *Electio Aſſiſtentis.* P. 8. c. 6. lit. D.

27. In ipſo quatriduo nullus de Congregatione egredietur domo ſine licentiâ Patris Vicarii, qui eam non concedet, niſi re priùs collatâ cum omnibus Aſſiſtentibus: cum quibus etiam ipſe rem communicabit, ſi foras ire velit, & utroque in eventu duorum Aſſiſtentium aſſenſus expectandus erit. Sed neque aliorum quiſquam permittatur à Superioribus egredi Domo qualibet, aut Collegio loci, ubi Congregatio celebrabitur, ſine urgenti neceſſitate, ut Electores informationibus, & tum ipſi tum alii Miſſis dicendis, jejuniis, & corporis afflictionibus omnes vacent. partitionem autem jejuniorum, diſciplinarum, & orationum, quæ tunc fieri debebunt, P. Vicarius pro ſuo arbitrio faciet. P. 8. c. 6. §. 1. *In quatriduo nullus è domo egrediatur.* P. 8. c. 6. §. 1. *Pœnitentiarum facienda.*

28. In eodem quatriduo omnes Electores, nemine excepto, informatio- *Quinam &*

à quibus petent informationem. nem petent, idque ſolùm ab Electoribus, & ceteris qui poſt electionem jus ſuffragii in Congregatione Generali habent; ita tamen, ut hi eaſdem leges ſubire in ipſis informationibus teneantur, quas Electores.

In 2. Cong. dec. 4. & 5. & can. 15. Cong. 4.

De quibus petenda informatio. 29. Peti autem informationes debent de iis, de quibus venit in mentem unicuique, quòd poſſent eſſe idonei ad munus Præpoſiti Generalis, ſive abſentes, ſive præſentes ſint, inter Profeſſos tamen quatuor votorum.

Quinam defectus petendi. 30. Defectus, qui bonæ electioni adverſari poſſunt, & peti & dici debent, omiſſis illis, quæ ad eam non faciunt; atque hæc juxta Conſtitutiones, & præcipuè juxta ſecundum caput nonæ partis, & juxta Interrogatorium, quod à Deputatis conficietur, ut dictum eſt. Sed & habenda eſt ratio eorum, quæ in ſecundo & tertio capite Examinis, & ſimiliter in ſecundo & tertio capite primæ partis Conſtitutionum dicuntur, quatenus ad bonam Præpoſiti electionem faciunt. Ex iis enim quiſque ſibi Interrogatorium ad informationem conficere poteſt: nemo tamen arctatus videtur, quin interrogare poſſit alia, quæ interroganda præterea judicaverit.

Quæ alia petenda. 31. Peti etiam debebit ab eo, qui reddit informationem, an quid aliud habeat dicendum de perſonâ, de quâ interrogatur; & an de aliâ ſentiat capiendam eſſe informationem; & an ab alio quopiam aliquâ in re clariorem ac certiorem informationem habere poſſit inter eos, à quibus ea peti debet.

In 2. Cong. decr. 7.

Ratio petendi informationis. 32. Non petatur, an hic, vel ille aptus videatur ad hoc munus, nec ne; ſed de rebus illis, ex quibus id judicari poſſit. Sit porrò intentio ejus, qui informationem petit, pura ab affectibus inordinatis, neque ſe permittat ab humanis, nedum vitioſis, duci, & ſolam Dei gloriam, & meliorem Societatis gubernationem (quæ ad commune bonum animarum ordinatur) præ oculis habeat.

Pura intentio excitanda.

Perverſa intentio cavenda. 33. Nec ſolùm ab omni ambitione pro ſe, vel pro aliis ſit liber; ſed diligenter obſervare debet, ne voluntatis propenſionem ad hunc vel illum excludendum, vel admittendum habeat, aut præ ſe ferat; etiam cùm de Secretarii, & Deputatorum electione agitur. Cùm autem informationem de aliquo accipit, ſervet alteram aurem aliis, & cor Deo; memor, quòd cum juramento eſt electurus, quem aptiſſimum duxerit.

Ex dec. 63. 6. Cong.

Secretum ſervandum. 34. Si quis grave aliquid in informationibus intellexerit, quod ſecretum requirit, teneatur in virtute ſanctæ obedientiæ, præterquàm cum Electoribus, ſecretum ſervare: memorque caritatis, caveat ne ullâ ratione cuiquam ſignificet defectus, ſi quos de illo audiverit, nominatâ potiſſimùm perſonâ, à quâ narrati ſint, aut aliquo modo indicatâ.

35. Poſt

35. Poſt informationem conſideratio & diſcuſſio neceſſaria eſt, & multò magis oratio, quæ illuſtrationem impetret à Deo, ſapientiæ fonte, ad benè judicandum, & eligendum eum, qui Deo maximè ſit placiturus; & in hac Divinâ gratiâ potiùs, quàm in humanâ diligentiâ ſpem conſtituat. Proinde meminerit non ſolum voluntatem, ſed judicium cohibendum eſſe ab ultimâ definitione; donec in locum incluſionis ingrediatur, ubi poſt orationem quisque ſtatuere debet, quem ſit electurus. *Poſt captam informationem quid faciendum.* P. 8. c. 6. §. 1.

36. Nemo obtrudat informationem non petenti, & qui obtruſerit, deferatur: caveat & is, qui petenti reſpondet, affectus humanos, non ſolum ambitionis, ſed etiam cujusvis propenſionis, quæ non ducatur ex intentione honoris Dei, communis boni, & bonæ gubernationis Societatis. *Deferatur obtrudens.*

37. Non ſolum mendacia, ſed amplificationes & exaggerationes relinquantur: nihil temerè, ſed conſideratè, & maturè, certa pro certis, opinata pro opinatis, audita pro auditis, referat; ut qui coram Deo agit, & ei rationem eſt redditurus eorum, quæ in ſuâ informatione dixerit. Qui verò alicujus defectum ab aliquo ex informatoribus audivit, aut aliis explicet interrogatus (nominato tamen eo, à quo audivit) aut interrogantem ad illum remittat. *Ratio dandi informationem.*

38. Pridie electionis veſperi in loco electioni deputato parentur altare cum Crucifixo, ſuggeſtus, & menſa (in quâ Vicarius, Secretarius, & Aſſiſtens ſedebunt) & urna, in quam conjicienda ſunt ſuffragia: parentur item ſchedulæ, quotquot erunt neceſſariæ, in quibus ex unâ parte ſcriptum ſit juramentum, ut eſt in Conſtitutionibus hoc pacto: *Ego N. teſtem invoco IEſum Chriſtum, qui eſt Sapientia æterna, quòd eum eligo, & nomino in Præpoſitum Generalem Societatis IEſu quem ſentio ad hoc onus ferendum aptisſimum.* Ex aliâ verò parte ponantur hæc verba: *Eligo in Præpoſitum Generalem Societatis IESV N.* ita ut nihil deſit Electori ſcribendum, niſi nomen electi & eligentis. Quòd autem omnes jurent ſe eum eligere, quem ſenſerint in Domino aptiſſimum ad hoc onus ferendum, &c. Declaratum eſt, quòd ſi quis duos, aut plures pares omnino judicaret, integrum ſit ei dare, cui voluerit, ſuffragium. *Neceſſaria in loco Congregationis pro electione.* *Formula juramenti pro electione.* P. 8. c. 6. §. 6. & lit. F. *Quid agendum tùm quis plures pares judicat.*

De iis, quæ ipſo die electionis obſervanda ſunt.

CAPUT IV.

39. Ipſo die electionis, Miſſa de Spiritu Sancto celebrabitur à Patre Vicario, vel ab eo, quem elegerit, & quidem publicè in Eccleſiâ, ac in *Miſſa, & Communio.* P. 8. c. 6. §. 3.

in Aurorâ, & coram omnibus Electoribus: qui poſt ejus communionem, ſtatim omnes communicabunt; & eumdem ordinem in eundo ad eam, & communicando, & redeundo, de quo ſupra dictum eſt, ſervabunt. Incedant autem bini, & ad campanæ domeſticæ pulſum, quæ poſt communionem usque ad incluſionem in loco Congregationis ſonabit. Ii, qui ſuffragium habent, ad locum Congregationis ſe conferent, Cruce præcedente, aliis de Societate interim canentibus, *Veni Creator Spiritus*, quem Hymnum alternatim ſubmiſſa voce omnes Electores in ipſo Congregationis loco dicent: & poſt incluſionem Electorum, iidem de Societate in Eccleſiâ vel alibi, dicent Litanias, & continuam orationem, quæ usque ad electionem durabit, habebunt.

Ordo eundi ad Congregationem.

Includantur Electores. P. 8. c. 6. §. 4.

40. Includantur autem Electores in loco Congregationis per Deputatos jam anteà ad hoc electos; ita ut nec inde egredi, nec eis aliquid ad victum præter panem & aquam dari poſſit, donec Præpoſitum Generalem elegerint. Quo in loco ſervabunt omnes ſilentium; ita ut unus cum alio non colloquatur in iis, quæ ad electionem pertinent, niſi quid eſſet, quod neceſſarium videretur, & id quidem coram omnibus dicendum eſſet. Nulla tamen proteſtatio in eo loco admittenda erit; nec quidquam aliud à quocumque proponatur, quod electionem impedire, perturbare, aut differre ullo modo poſſit.

Silentium ſervandum. P. 8. c. 6. lit. C.

Nulla proteſtatio fiat.

Habeatur concio ad Congregatos. P. 8. c. 6. §. 4. P. 8. c. 6. §. 6.

Orent per horam.

41. Incluſis Electoribus primùm habeatur concio à Deputato per Congregationem, quâ in genere exhortetur ad electionem ejus Præpoſiti, qui ad majus Dei obſequium conveniat, nullo dato ſigno quo particularis aliqua perſona ſignificetur. Deinde unusquisque ſeorſim orabit Deum per horam: & cum nullo alio loquendo, in Creatoris ſui ac Domini conſpectu, ex iis, quæ priùs intellexit, apud ſe ſtatuet, quem ſit electurus abſque novis informationibus, quæ nullæ ſumendæ ſunt in loco incluſionis; ſed ex præcedentibus, cum gratiâ tum illuſtrationis, quam diſcurſus acceptà à Deo, & prius & eodem loco, electionem faciet Præpoſiti Generalis, quem inter abſentes, & præſentes, Profeſſos tamen quatuor votorum, eligi oportet.

Abſolutio à Cenſuris danda à Vicario ceteris. P. 8. c. 9. §. 7. & lit. E.

42. Peracta oratione Pater Vicarius ſtans, ceteris omnibus hanc abſolutionem dabit: *Ego N. Vicarius Generalis Societatis IESU, auctoritate Dei omnipotentis, mihi licet indignisſimo per Sedem Apoſtolicam conceſſa, abſolvo vos à quavis ſententiâ excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, & à quibusvis aliis ſententiis, cenſuris, & pœnis; & quantum ſit opus, diſpenſo vobiſcum ſuper irregu-*

irregularitate quavis, dummodò ſententias, cenſuras & pœnas, ac irregularitatem hujusmodi ob defectus ad electionem hanc pertinentes non incurreritis, ad effectum legitimæ electionis, In nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti. Amen. Quam eamdem abſolutionem dabit Vicario is, qui fuerit profeſſione antiquiſſimus. Quòd ſi fortè poſt abſolutionem conſtiterit aliquem ex Electoribus ipſo electionis tempore cenſurâ aliquâ, aut irregularitate fuiſſe innodatum, ob defectum aliquem ad electionem pertinentem, nullâ ratione id Præpoſito nocebit, quò minus legitimè electus cenſeatur. *Ipſi quoque Vicario, ab alio.*

43. Datâ abſolutione, ſi omnes communi inſpiratione, non expectato ordine ſuffragiorum, quempiam eligerent, ille ſit Præpoſitus Generalis: omnem enim ordinem, & eligendi formulam Spiritus ſanctus, qui ad ejusmodi electionem eos movet, facilè ſupplet: eaque acceptari debet, modò adeò luculenta eſſet, & notoria, ne ullo quidem dempto, ut nullâ tergiverſatione negari poſſet Divinam eſſe inſpirationem. *Modus eligendi per inſpirationem.* P.8.c.6. §.5.

44. Quando eo modo nòn peragetur electio, unusquisque in chartâ, propriâ manu ſcribet nomen perſonæ, quam eligit in Præpoſitum Generalem, & nomen ſuum ſubſcribet, ſed immutato, quantum fieri poterit, charactere; ne agnoſci poſſit à tribus illis, qui ſuffragia viſuri & lecturi ſunt: nomen tamen eligentis maneat obſignatum, juxta Concilium Tridentinum; in quo præcipitur Generales eligi debere per vota ſecreta, ita ut ſingulorum eligentium nomina numquàm publicentur. *Quomodo ſcribendum ſuffragium.* P.8.c.6. §.6.

45. Deinde cùm ad ſedes ſuas omnes convenerint, Pater Vicarius, Secretarius, & Aſſiſtens, ſtantes ad menſam ſinguli coram Deo, ut ſingulis quadrat, ſe ſincerè accepturos & publicaturos ſuffragia jurabunt, in hunc modum: *Teſtem invoco Deum, cujus oculis omnia nuda ſunt, me fideliter accepturum, & publicaturum ſuffragia; & quæ ad officium meum pertinent, ſincerâ cum intentione me præſtiturum. Proteſtor etiam in Divinæ Majeſtatis conſpectu, & univerſæ Societatis, quam hîc repræſentamus, me neminem admittere velle, qui non ſit admittendus, nec excludere, qui non ſit excludendus.* *Juramentum Vicarii, Secretarii, & Aſſiſtentis.* P.8.c.6.§.6.

46. Hac proteſtatione factâ, ſtatim tentandum erit primum ſcrutinium. Quocircà Secretarius ſtans ad menſam dicet Vicario: *Pater da tuum ſuffragium in nomine* IESV. Mox Vicarius ſurgens ad altare, flectet genua coram Crucifixo, & ſignans ſe Cruce, In nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, legat juramentum à tergo ſchedulæ ſcriptum: deinde ſurgens, & *Ratio ferendi ſuffragium.* P.8.c.6.§.6.

duobus digitis clauſum ſuffragium ſuum oſtendens, in urnam mittet: & ſe rurſum inclinans coram Crucifixo redibit ad locum ſuum. & mox dicet duobus ſociis ſuis, & ceteris: *Omnes ordine ferant ſua ſuffragia in nomine* IESV. Deinde ſurgens Secretarius, & poſteà reliqui ſuo ordine ſigillatim juramentum facient, & ſua ſuffragia ferent ad exemplum Patris Vicarii.

Modus legendi ſuffragia.

47. His peractis Secretarius ex urnâ, in quâ priùs mixta fuerint ſuffragia, ea ſigillatim extrahat, & cum modeſtiâ extracta ſingula oſtendet Patri Vicario: ille autem viſa, & utrique ſocio oſtenſa leget publicè, vel Secretario legenda reddet: & in hac promulgatione electus tantùm nominetur, obſignato manente nomine eligentis, ut dictum eſt.

Quot ſuffragia pro electione Generalis. P.8.c.6.§6.

48. Poſt ſingulorum ſuffragiorum publicationem, conferentur numeri, ſi plures nominati fuerint; & qui pluſquàm mediam partem omnium ſuffragiorum habuerit, Generalis Præpoſitus erit. Si tamen numerus omnium Electorum impar fuerit, ac perinde mediam partem non habuerit, is cenſeatur habere pluſquàm mediam partem ſuffragiorum, cui ex duabus partibus major obtigerit. Si verò in primo ſcrutinio nullus habuerit ampliùs, quàm medietatem ſuffragiorum, ante Compromiſſariorum electionem, tentandum eodem pacto erit ſecundum ſcrutinium inter omnes, qui habuerunt ſuffragium aliquod. Si autem neque in ſecundo crearetur Præpoſitus, eodem modo tertium tentandum erit; & ſi opus erit quartum; aut etiam quintum. Quòd ſi nec tum quidem crearetur Præpoſitus, Congregatio, ſi ei videatur, ulteriùs progredi poterit in ſcrutiniis, donec Generalis electus ſit: ſin verò poſt quintum ſcrutinium Congregatio, ad duas ſaltem tertias ſuffragiorum partes cenſuerit Compromiſſarios eſſe faciendos; tunc quinque Electores ex quinque diverſis nationibus ſolitis, ad plura medietate ſuffragia eligendi erunt: & ad quem major pars eorum inclinabit (ſervata ab his eadem electionis formâ) ille Præpoſitus Generalis erit.

Quot ſcrutinii. P.8.c.6.§7.

Compromiſſarii eligendi.

Juramentū, & modus eligendi Electores. P.8.c.6.lit. H.

49. Ad hos quinque Electores eligendos danda eſt una hora, & ſervanda eſt in eorum electione hæc forma jurandi: *Teſtem invoco* IESVM *Chriſtum, qui Sapientia eſt æterna, quòd ego N. illum eligo, & nomino in Præpoſitum Generalem Societatis* IESV, *quem Electores ad id conſtituti elegerint, & nominaverint; quodque ad hoc illos eligo in Compromiſſarios, quos ſentio ad id munus aptiſſimos.* Deinde ſcribentur ſuffragia pro ſingulis Compromiſſariis eligendis, ſervatâ eâdem & ferendi & publicandi formâ, quæ

quæ ſervatur in electione Generalis, excepto juramento. Si verò contingeret duos uni, & totidem alteri ſuum dare ſuffragium; tunc decidetur à Congregatione, quid erit agendum. Eligent autem hi Compromiſſarii Præpoſitum Generalem ex iis, qui aliqua ſuffragia habuerint, ſepoſitis illis, qui ad tria non pertigiſſent. Quòd ſi duo vel tres valdè magno exceſſu plura ſuffragia habuerint quàm alii, illi nec activam nec paſſivam vocem ad electionem Compromiſſariorum habebunt.

50. Quovis modo ex prædictis ſuffragiorum numerus ſufficiens ad creandum Generalem exierit, Pater Vicarius, ſi ipſe electus non fuerit, ſignificabit publicè plura eſſe medietate ſuffragia ejus, qui eligitur, & mox conficiet decretum in hanc formam: *Cùm in plenâ & legitimâ Congregatione, collato numero omnium ſuffragiorum, pluſquàm media pars omnium, Reverendum Patrem N. nominaverit, & elegerit, Ego N. auctoritate Sedis Apoſtolicæ & Vniverſæ Societatis, eligo prædictum Reverendum Patrem N. in Præpoſitum Generalem Societatis* IESV, *in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti. Amen. Romæ*, vel alibi. Si Vicarius ipſe electus eſſet, publicabit ſuffragia, & formabit decretum Secretarius, ſcribeturque à Secretario decretum, & ſubſcribetur ab eo, qui id formaverit, ſigilloque Societatis obſignabitur.

Formula Potentis in electione Generalis. P.8.c.6.§.6.

51. Poſt promulgationem nulli integrum erit aliam electionem tentare: & hoc obſervet, qui ſchiſmaticus, & ruinæ Societatis auctor haberi nolit, & in pœnam excommunicationis latæ ſententiæ incidere, aliasque graves cenſuras ſubire pro arbitrio Societatis, cui unio & conformitas omnimoda ad Dei gloriam convenit. Deinde ſtatim omnes ad reverentiam electo Præpoſito exhibendam accedant, incipiente Vicario cum Secretario, & Aſſiſtente, ordine priùs dicto, niſi aliquis ex ipſis electus eſſet: & flexo utroque genu manum ejus oſculentur. Qui verò electus fuerit, nec electionem, nec exhibitam reverentiam (memor cujus nomine eam admittere debet) recuſare poterit. Ceterùm ſi abſentem eligi contingat, eumque in Vrbe eſſe, in quâ fit electio; non eſt è Congregationis loco egrediendum, donec evocetur, & reverentia illi exhibeatur. Dum evocatur autem, neque ipſi, neque aliis quidquam eſt de electione indicandum. Similiter ſi ab Vrbe abſit non ampliùs octo vel decem dierum itinere, vocandus eſt ſtatim, vacandumque interim Congregationi ab omni rerum tractatione. At ſi longiùs abeſt, ita ut

Poſt promulgationem nihil tentandum. P.8.c.6.§.8. P.8.c.6.§.6.

Reverentia exhibenda electo Generali.

Quid ſi eligatur abſens. Decr. 32. Cong. 7.

longiore ſpatio temporis expectari neceſſe ſit, perget interim cum Vicario Congregatio in rerum tractatione, ſolâ Aſſiſtentium & Admonitoris electione in finem reſervatâ.

Moneantur incluſores. Comburantur ſuffragia. Ordo eundi ad Eccleſiam.

52. Poſt exhibitam reverentiam moneantur incluſores à Secretario de Generalis electione, & in ipſo Congregationis loco ſtatim comburantur ſuffragia. Deinde omnes ad Eccleſiam ſe conferant, canentibus aliis de Societate, *Benedictus Dominus Deus Iſraël*, &c. inter eundum, & in ipsâ Eccleſiâ, *Te Deum laudamus:* Et unus Sacerdos dicet tres orationes, primam de Trinitate, ſecundam in gratiarum actionem, tertiam de die, vel de Beatâ Virgine; & usque ad egreſſum de Eccleſiâ Præpoſitus non admittat oſcula manuum ab aliis, quàm ab Electoribus.

Quid agendum, ſi Generalis in ipſâ Congregatione, aut paulò pòſt è vivis decedat.

CAPUT V.

Quid ſi Generalis moriatur ipſo Congregationis tempore, vel eâ abſolutâ.

53. SI Præpoſitum Generalem è vivis decedere contingat ipſo Generalis Congregationis tempore, vel certè ſtatim poſt diſſolutam Congregationem, Patribus Congregationis adhuc in eo loco, ubi habita eſt Congregatio, conſiſtentibus; tunc ſi nullus à Generali demortuo Vicarius nominatus fuerit, antiquiſſimus veterum Aſſiſtentium Congregationi & electioni præſidebit. Ad ſummum autem biduo poſt ſepulturam abſolventur informationes, ut die tertio poſt illam electio ſucceſſoris fiat. Poſt electionem verò non erit opus eligere novos Aſſiſtentes, & Admonitorem novum: ſatis enim erit, ſi Aſſiſtentes & Admonitor prædeceſſoris confirmentur, niſi eorum aliquis in Generalem electus eſſet. Quod ſic intelligendum eſt, ut integrum Congregationi ſit, vel novos eligere vel antiquos confirmare. Proinde per ſecreta ſuffragia videndum erit an priores confirmandi ſint, an alii eligendi.

Decr. 45. 6. Cong.

Quid ſi moriatur poſtquàm Electores abierint.

54. Si verò Præpoſitus Generalis moriatur, poſtquàm aliqui ex Electoribus abierint ex eo loco, in quo habita fuit Congregatio, & ii Vicario & Congregatis, qui remanſerunt, intra breve tempus videbuntur revocari poſſe; revocentur, & procedatur ſtatuto die ad electionem novi Generalis: & ubi redintegrata fuerit Congregatio, ſedeant omnes & ſententias dicant,

quem-

quemadmodùm antequàm Congregatio diſſolveretur ; etiamſi alii ad alia officia mutati ſint, aut aliis Provinciis aſſignati. Quòd ſi Electores in Provincias ſuas jam reverſi, aut prope eaſdem in reditu fuerint conſtituti ; tum cogendæ rurſus erunt Provinciales Congregationes, & ad mittendorum electionem procedendum. Decr. 32. Cong. 7.

Quo pacto procedendum ſit in cæteris caſibus initio propoſitis.

CAPUT VI.

55. SI ſecundus caſus initio propoſitus (qui cum Dei gratiâ ſperatur non eventurus) incidiſſet, ut Generalis Præpoſitus propter quædam, quæ capite quarto nonæ partis Conſtitutionum continentur, officio privandus videretur, ad Aſſiſtentes ſpectat Congregationem Generalem cogere : niſi res adeò manifeſta eſſet, ut Provinciales non expectatâ Aſſiſtentium convocatione, alii alios vocando, ſinguli cum duobus ſociis per Congregationem Provincialem electis convenirent. Quo autem pacto in hac Congregatione & cogendâ & celebrandâ procedendum eſſet, capite quinto ejuſdem partis, paragrapho quarto & quinto præſcribitur. *Quid in ſecundo caſu faciendum.* P. 9. c. 4. §. 7.

56. Tertius caſus evenire poteſt, ſi Generalis Præpoſitus valdè negligens vel remiſſus fuerit in rebus magni momenti ad ejus officium pertinentibus, propter corporis gravem ægritudinem, aut ſenium, ſpe emendationis eâ in parte ſublatâ, unde multum detrimenti publicum bonum pateretur. Tunc enim, ſi neque ipſe admonitus Coadjutorem ſibi, aut Vicarium cum approbatione majoris partis Provincialium ſubſtituerit ; neque major Provincialium pars approbatione duorum Præpoſitorum localium, vel Rectorum uniuscujusque Provinciæ, ut habetur capite quarto nonæ partis paragrapho ſexto, ejusmodi Coadjutorem, aut Vicarium elegerit ; poterunt Aſſiſtentes (ſi major eorum pars ita judicaverit) Provinciales & Præpoſitos locales monere, ut per transmiſſas literas ſententiam de cogendâ, vel non cogendâ ad eam rem Congregatione dicant. Quòd ſi omnes, ad plura medietate ſuffragia, cogendam judicaverint, cùm id Generali ſignificaverint Aſſiſtentes ; tenebitur Generalis Congregationem indicere, idque illi *Quid in tertio caſu.*

gratum eſſe oportebit: & ut hujuſmodi Congregatio magnâ cum diligentiâ fiat, dare operam debebit; ut in declaratione octavæ partis conſtitutum
P.8.c.2.lit.C. eſt: procedeturque in eâ celebrandâ eo modo, qui in Conſtitutionibus capite quinto nonæ partis paragrapho ſexto præſcriptus eſt. Et fient pro bono ejus ſucceſſu, quemadmodùm & in ſecundo caſu, ſacrificia & orationes in Societate, & prout Generali, aut Aſſiſtentibus (ſi ipſi Congregationem indicerent) in Domino videbitur.

Quid in quarto caſu. *Can.26.Cong.2.* 57. In quarto etiam caſu, quando videlicet in Congregatione Procuratorum id decernetur, ad eumdem Generalem Præpoſitum ſpectat Congregationem indicere, quemadmodùm & quandocumque ipſe per ſe cogendam judicaverit, ut in octavâ & nonâ Conſtitutionum partibus ſæpiùs dicitur. *P.8.c.4.§.2. P.9.c.3.§.12.* In utroque autem caſu (ſicut & in omnibus prædictis, poſtquàm abſoluta fuerint illa, propter quæ præcipuè Congregationes coactæ ſunt) de iis rebus tractabitur, quæ & graves ſint, & ad ſtatum Societatis pertineant, aut difficiles admodùm videantur; & quæ à Generali cum ſuis Aſſiſtentibus expediri nequeant. *Decr.86. Cong.6.* Quoties verò & quacumque ex causâ Generalis Congregatio cogetur; Electi à Congregatione Provinciali cenſendi ſunt ſemper electi, tum ad negotia tractanda, tum ad Præpoſiti Generalis & Aſſiſtentium electionem, ſi eo tempore illos mori contigerit, nec opus eſt Provinciales Congregationes denuò convocare. Porrò in rebus tractandis ſequens methodus ſervabitur.

Methodus procedendi in Congregatione Generali, quandocumque in eâ, peracto principali negotio, aut ſtatim à principio de aliis rebus agitur.

CAPUT VII.

Generalis ſuffragium & jus in Congregatione. *P.8.c.3.§.2.* 58. PRÆPOSITUS Generalis præeſt Congregationi Generali poſt electionem, ad quem pertinet eam in omnibus dirigere. In illâ autem ipſe duo ſuffragia habet, & prætereà qualitatem præcedendi, ceteris paribus, juxta Conſtitutiones. *Mutatio Superiorum tempore Congregationis.* Quod verò in Canone trigeſimo ſecundo primæ Congregationis ſtatuitur, non licere Præpoſito Generali mutare Officiales, qui ab ipſo creantur, uſque ad diſſolutionem Congregationis, abſolutè de omni Generali Congregatione, quibuſcumque in caſibus con-

congregata, intelligendum eſt: & ut Officiales, ſaltem Provinciales, mutari non poſſint, non tantùm poſt inchoatam Congregationem Generalem, ſed nec poſt decretam, non obſtante Decreto 88. Sextæ Congregationis. Decr. 65. Cong. 7.

59. In Congregatione Generali poſt electionem de rebus gravioribus, de quibus in ea neceſſariò tractandum eſt, quàm expeditiſſimè fieri poterit, tractetur. Eæ verò ſunt, quæ à Generali cum Aſſiſtentibus definiri non poſſunt. Ante omnia autem ad bonam rerum omnium determinationem, Divinum auxilium initio ſingularum ſeſſionum, privatâ aliquâ brevi oratione eſt implorandum, juxta conſuetudinem: eodemque etiam modo ſingulæ ſeſſiones concludendæ. In primâ tamen ſeſſione dicatur ſimul ab omnibus alternatim, & ſubmiſsâ voce hymnus, *Veni Creator Spiritus*, cum ſuâ oratione. *Quæ in Congregatione tractanda.* P.8.c.4.§.2. & c.7.§.1. *Oratio in principio, & fine cujusque ſeſſionis.* Dec.74.Cong.7.

60. Præter eos, qui habuerunt ſuffragium in electione Præpoſiti Generalis, vocandi ſunt Procuratores, Generalis & Provinciarum, ſi qui præſentes fuerint, & Secretarius Generalis Præpoſiti demortui, & ſi quis alius habeat ſuffragium in Congregatione poſt electionem juxta Conſtitutiones & Decreta, ſi de illis omnibus conſtet, quòd legitimè ad Congregationem acceſſerint. Quòd ſi de aliquo erit dubitatio, non admittatur, donec Congregatio de illo conſtituerit. Et omnes in ſuo gradu & ordine ſedeant, ſic ſcilicet, ut ſi Profeſſi fuerint quatuor votorum, ſedeant inter Electores juxta ordinem antiquitatis ſuæ profeſſionis; reliqui verò omnes poſt Electores hoc ordine ſequantur, ut primo loco ſint Profeſſi trium votorum; Secundo, Coadjutores formati; Tertiò, ceteri omnes, juxta antiquitatem ſui gradus in Societate. *Secretarius, & Procuratores vocandi ad Congregationem.* Can.16.Cong.3. In Form. Cong. Prov.§.26. Can.15.& 16. Congr.4. Can.15.Cong.3. Can.19.Cong.4.

61. Denique ad plura ſuffragia ſecreta eligendus eſt Secretarius Congregationis; cui adjungendi ſunt duo alii Patres eodem modo electi, qui eum ad numeranda ſuffragia, & conficienda Decreta adjuvent. *Secretarius eligendus.* In 2. Cong. Dec. 66.

62. Item deputandi ſunt quinque aut plures Patres, ad plura ſuffragia, ex variis nationibus, maximè ex ordine Provincialium & Aſſiſtentium (aliis tamen non excluſis) qui unà cum Patre Præpoſito decernent ad plura ſuffragia, quæ rejicienda, quæ ad ipſum Patrem Præpoſitum referenda, & quæ in Congregatione proponenda erunt. Quæ autem proponenda viſa fuerint, Secretarius cum aliquo ex Deputatis in unum colligat, *Deputati ad ſligenda propoſita.* In 2. Cong. Decr.4. & in 3. Cong. Decr.5.

& in

Generalis ſuffragium in Deputatione. In 1. Cong. Dec. 8. *Deputati pro detrimentis.* Dec. 73. Cong. 7.

& in ordinem redigat. Porrò ipſe Pater Præpoſitus in hac & aliis Deputationibus, ut Definitorum, unum tantùm ſuffragium habebit, cum prærogativâ præcedendi, ubi vota fuerint paria. Adſit etiam Secretarius, aut alter ejus Sociorum, qui quæ opus fuerint ſcribat. Poſt hos quinque Deputatos, Congregatio eligat & deputet quinque alios Patres de numero Congregatorum ex quinque Aſſiſtentiis, Italicâ, Gallicâ, Germanicâ, Hiſpanicâ, & Luſitanicâ, qui unà cum Præpoſito Generali videant an aliquid ſit, in quo inſigne detrimentum paſſa ſit Societas, vel paſſura timeatur; in quorum cognitione ſi quid fortè traditum foret, quod quocumque modo ad perſonam alicujus è Deputatis pertinere videretur, tantiſper è Deputationis loco ſecedat: res verò hæc univerſa quatridui ſpatio finienda erit. Hæc autem Deputatio facienda erit in omni Generali Congregatione quacumque ex causâ indicta ſit.

Nemo qui non ſit de Congregatione ſe immiſceat.

63. Ne quiſquam eorum, qui non ſunt de Congregatione, eâ durante, in rebus quæ in illâ tractantur ſe immiſceat; aut earum ſtatum, & progreſſum à Congregatis interroget; illiſque vel memorialia vel informationes obtrudat; aut ut hanc vel illam ſententiam ſequantur, ſollicitet (de qua re Congregati eos, quos ſic agere deprehenderint, admonere tenebuntur) ſed ſi quis aliqua proponere voluerit, ea ad Secretarium Congregationis, aut ad aliquem ex Deputatis ad ſeligenda ea, quæ proponenda ſunt, deferat.

Ordo proponendi. P. 8. c. 7. §. 2. Decr. 68. Cong. 7. Decr. 85. Cong. 6. *A Deputatis rejecta, ultimo loco proponi poterunt.*

64. Proponantur Congregationi primo loco, quæ Pater Præpoſitus attulerit: deinde quæ Provinciæ ſingulæ proponenda miſerint, habita inter eas ratione antiquitatis Provincialium: tum quæ Aſſiſtentes, Provinciales, eorumque Socii: denique quæ Procuratores, & alii de Congregatione, ſervato inter eos ordine antiquitatis, juxta Conſtitutiones, & tunc nomen ſuum ſubſcribant oportet, alioquin ſuo juri cedere cenſeantur: tum quæ ab aliis, qui de Congregatione non ſunt, propoſita fuerunt Deputatis, & ab ipſis digna judicata quæ proponantur: poſtremò, quæ quiſque voluerit de iis, quæ à ſe propoſita Deputatis, & ab illis rejecta fuerint, ſi minus illorum judicio acquieverit.

Dies pro electione Aſſiſtentium, & Admonitoris. Can. 31. Cong. 2.

65. Poſt electos Deputatos, aſſignetur dies ad electionem Aſſiſtentium & Monitoris, juxta formam electionis eorum inferius præſcriptam, ut quamprimùm circa Patrem Præpoſitum ſuo munere fungi poſſint. Interim de negotiis agi poterit.

66. Non

66. Non ſolùm in univerſum, ſed nec particulatim de Conſtitutionum ſubſtantialium noſtri Inſtituti mutatione agendum eſt. De aliorum mutatione in Congregatione tractari poterit; ſed ſine experimento, vel ratione clariſſimâ nihil mutetur. licet tamen de omnibus declarationem petere, referendo ad Congregationem, ut ipſa cenſeat, quâ declaratione ſit opus.

In 1. Cong. Decr. 15
In 2. Cong. Decr. 5.
Nihil de ſubſtantialium Conſtitutionum mutatione agendum: quid de aliis.

67. In rebus gravioribus, cujuſmodi ſunt, quæ in Congregatione Generali neceſſariò veniunt tractandæ, uno die rem proponi, & alio conficí oportet: ita tamen, ut eorum quæ proponentur rationes, ab iis qui propoſuerint, verbo, ſi videbitur, explicentur: ſed omnino ſcriptæ in medio relinquantur, ut omnes eas conſiderare poſſint. Si qua alia proponentur, eodem aut alio die, pro arbitrio Patris Præpoſiti, tractabuntur. Curabunt autem Deputati, ne aliquando deſit, quod in Congregatione tractetur.

Quomodò res proponenda Congregationi.
In 1. Cong. cit. 1. D. 4.

68. De ſubſtantialibus noſtri Inſtituti, quemadmodùm in primâ & ſecundâ Congregatione ſtatutum fuit, & ſuperiùs paragrapho ſexageſimo ſexto dictum eſt, nihil omnino agendum eſt in Congregatione. ea autem in primis ſunt, quæ in Formula ſeu Regulâ Societatis, Iulio III. Sum. Pont. propoſita, & ab eo, aliiſque ejus Succeſſoribus confirmata, continentur. Deinde ea, ſine quibus illa aut nullo modo, aut vix conſtare poſſunt, cujuſmodi ſunt, Eſſe aliqua impedimenta eſſentialia in admittendo: Non eſſe neceſſarium, ut in dimittendis forma Iudicialis ſervetur: Reddendam eſſe Superiori conſcientiæ rationem: Contentum eſſe debere unumquemque, ut omnia, quæ in eo notata fuerint per quemvis, qui extra confeſſionem ea acceperit, Superioribus manifeſtentur: Paratos eſſe debere omnes ut ſe invicem manifeſtent debito cum amore, & caritate; & alia ſimilia. De iis verò, quæ pertinent ad alias Conſtitutiones condendas, & aliis gravioribus, ut alienare vel diſſolvere Domos vel Collegia ſemel erecta, & ſimilia; ſemper ad plura medietate ſuffragia, decernendum eſt. De ceteris verò minùs gravibus ad plura ſuffragia definire poſſit Congregatio. Ceterùm ſi de immutandis, abrogandiſque Conſtitutionibus in Congregatione proponatur, minimè de iis tractare licebit, niſi priùs ad plura medietate ſuffragia de iiſdem agendum ſtatuatur. Ipſa verò deliberatio & Decretum non fiat, niſi ad duas tertias partes, non obſtantibus Decretis in primâ Congregatione Generali.

Quænam ſubſtantialia.
Ex Decr. 33. & 34. 46. & 48.
5 Cong. Can. 17.
De gravioribus ad plura medietate ſuffragia decernendum.
De minùs gravibus ad plura.
Ex Decr. 7. Cong. 6.
De mutatione Conſtitutionum ad duas tertias.
Decr. 15.

Quomodo dicenda ſententia.

69 In dicendis ſententiis curandum eſt, ut breviter, liberè, & ſincerè, coram Deo re conſideratâ, cum modeſtiâ dicatur: nec qui poſteriores dicunt, priorum dicta inutiliter cum jacturâ temporis, & aliorum tædio repetant.

Deputationes quando facienda.

70. Si negotiorum multitudo aut qualitas ita exigent, Deputationes fieri poterunt à Congregatione, vel ex commiſſione à Patre Præpoſito, ad ea tractanda & ordinanda, ad quæ fuerint Deputati, qui poſteà ad Congregationem referant, ut ea de illis dijudicet, ſtatúat, aut ad Definitores rejiciat, ſi eligantur.

Definitores quomodò, & quando eligendi. Can. 20. Cong. 4.

71. In iis caſibus, in quibus Definitores eligi oportebit, ſervetur decretum quadrageſimum octavum Congregationis quartæ; ut ſcilicet ad duas ſaltem tertias ſuffragiorum ſtatuatur, an eligendi ſint Definitores; de quibus Conſtitutiones parte octavâ, capite ſeptimo, paragrapho tertio loquuntur. Definitores verò ad celeriorem negotiorum expeditionem ad plura medietate ſuffragia, & in utroque caſu utriusque generis Definitores ad plura medietate ſuffragia eligantur: & poſterioris quidem generis Definitores ad ea definienda, quæ Congregatio ſpecialiter illis commiſerit, & cum eâ poteſtate, quam eadem Congregatio tunc illis dandam eſſe judicaverit.

Definitores ſint ex variis nationibus. P. 8. c. 7. §. 3.

72. Quoties autem ejusmodi Definitores eligendi erunt, ii ex variis nationibus, quantum fieri poterit, eligantur: Qui quidem cum Patre Præpoſito de omnibus ſpecialiter ſibi commiſſis ad plura ſuffragia definiant, juxta Conſtitutiones, & facultatem à Congregatione ſibi traditam. Porrò decreta, quæ ab eis conduntur, parieti affigenda ſunt, ut meliùs conſiderari poſſint, & poſteà Congregationi publicè proponenda.

Interceſſio quando & quoties permittenda. In 1. Cong. Dec. 9. Decr. 80. Cong. 7.

73. Poſt Decretum Congregationis plenæ, conceditur cuivis tridui ſpatio (nam intercedere poſt triduum non licet) una interceſſio, id eſt, facultas contradicendi in re quavis. In abrogatione autem alicujus veteris Conſtitutionis, vel novæ introductione, etiam duæ interceſſiones permittuntur. Sed cùm de decretis Definitorum agitur, apud eoſdem Definitores interceditur, niſi Congregatio id ſibi in aliquâ re particulari reſervaverit. Standum eſt nihilominùs, ſive ſemel ſive bis intercedatur, eorum definitioni, penes quos fuerit definiendi facultas.

Acta ſcribenda & legenda in Congregatione.

74. Librum habeat Secretarius Congregationis, in quo, quæ confirmata erunt Decreta, contineantur: & ea quidem ante diſſolutionem Congre-

gregationis, ſimul leget in plenâ Congregatione, & ſuâ manu ſubſcribet, & ſigillo Societatis muniet. In 2. Cong. Dec. 98.

75. Non eſt diſſolvenda Congregatio pro ſolius Præpoſiti Generalis arbitrio, ſine conſenſu ipſius Congregationis, quæ Generali Superior eſt. Sed priusquàm diſſolvatur, deſumantur Canones ex actis poſt electionem cujusque Generalis Congregationis, qui ad obſervantiam & praxim communem pertinent, & ſeorſim ſoli imprimantur & evulgentur ab ipſamet Congregatione approbati. Porrò & ſi minimè neceſſe ſit Generalium Congregationum acta Provinciis communicari: decreta tamen omnia typis excuſa Provincialibus danda ſunt, ut in ſingulis extent Provinciis; atque ea quidem à Provincialibus communicari poterunt iis, quibus expedire judicaverint. *Cujus auctoritate diſſolvenda Congregatio.* In 1. Cong. Decr. 140. *Canones extrahendi.* Decr. 44. 6. Cong. Decr. 5. 7. Cong. *Decreta Provinciis communicanda.*

76. Quotiescumque tractatur de negotiis in Congregatione Generali, quacumque ratione illa cogatur, prædicta methodus ſervanda erit. *Methodus agendi in Congregatione Generali.*

77. Abſolutâ Congregatione, omnes alternatim ſubmiſsâ voce dicant, *Te Deum laudamus:* & in fine aliquis eorum unam, aut plures orationes in gratiarum actionem recitabit. Te Deum laudamus, *in fine.*

De Electione Aſſiſtentium.

CAPUT VIII.

78. ASSISTENTES poſt electionem Generalis paucis interjectis diebus, ab eadem Congregatione, quæ Generalem elegerit, eligantur Viri quinque, ex quinque nationibus in quantum fieri poſſit, juxta uniuscujusque conſcientiam (ex Italiâ & Siciliâ unus: alter ex Germaniâ, alius ex Galliâ, alius ex Hiſpaniæ Provinciis, alius ex Luſitaniæ) Profeſſi quatuor votorum, boni, fideles, Societatis & boni communis amatores, diſcretionis dono præditi, in rebus gerendis verſati, & ad converſationem cum hominibus idonei; ad conſervandam inter ſe & cum Superiore pacem & unionem apti, & omnino tales, quales in ipſorum Regulis deſcribuntur, ſive præſentes ſive abſentes ſint, ut in primâ Congregatione decretum eſt. *Quando, & quales Aſſiſtentes eligendi.* P. 8. c. 5. §. 3. In 2. Cong. Decr. 18. In 1. Cong. Decr. 77.

79. Ad capiendas informationes quatuor dierum ſpatium concedatur, ante quod tempus nemo informationem petet, nemo dabit: ipſo verò quatriduo & petere Electores omnes, & ſoli debent, de quibus, & à quibus in Domi- *Quatriduum in electione Aſſiſtentium.* In 2. Cong. Decr. 72. in 3. Cong. Decr. 25.

Quinam, & à quibus petant informationem.

Domino viſum fuerit; modò ab iis tantùm, qui ad Congregationem venerint, ſive Electores ſive Procuratores ſint, & interrogati informationem negare non poterunt.

Unde faciendum Interrogatorium.

80. Quas informationes ut meliùs capiant, ex iis quæ initio hujus capitis dicta ſunt, quæque in Regulis Aſſiſtentium fuſius explicantur; tum etiam ex nonâ parte Conſtitutionum, capite quinto, paragrapho ſecundo; & ex ſecundo & tertio capite primæ partis, & Examinis, ſibi quiſque Interrogatorium conficiet; & ex Interrogatorio etiam confecto, ad electionem Generalis ſibi deſumere poterit, quæ ad hanc electionem pertinere judicaverit.

Quomodò danda informatio.

81. Et qui petet, & qui dabit informationem, puram ac ſinceram intentionem habeant, ſolam majorem Dei gloriam, & meliorem Societatis gubernationem intuentes: & caveant ne humanis & inordinatis affectibus in informatione ducantur. Nemo igitur non petenti informationem obtrudat: nemo, quæ ad rem non pertinent, curioſè petat: nemo mendaciis, aut amplificationibus, & exaggerationibus utatur: ſed omnia conſideratè, maturè, & fideliter, certa pro certis, opinata pro opinatis, audita pro auditis referat, eum à quo audiverit nominando; & ad ipſum, eum qui informationem petit, remittendo.

Excommunicatio, & pœna in ambientes.

82. Si quis autem, ſive ex Congregatione ſive non ex Congregatione fuerit, aut in ipſis informationibus, aut extra illas ambitioſè egerit, ut vel ipſe vel alius eligatur, aut etiam alius excludatur; Excommunicationis latæ ſententiæ pœnam eo ipſo incurrat, à quâ à ſolo Generali abſolvi poſſit. Qui verò id ſciverit, in virtute ſanctæ Obedientiæ teneatur ad Generalem deferre. Quòd ſi probatum fuerit ſufficienter, activâ vel paſſivâ, vel utraque etiam voce privetur; aliâve majore vel minore afficiatur pœnâ, prout delicti gravitas, & probationis certitudo poſtulabit, juxta Conſtitutiones, octavæ partis capite ſexto, paragrapho ſecundo. Iudices autem ejus cauſæ erunt Generalis, & quatuor antiquiſſimi ejusdem Congregationis Profeſſi diverſarum nationum, prout in electione Generalis habetur ſuprà paragrapho vigeſimo primo: ſed non niſi tribus in eandem ſententiam convenientibus condemnari poterit. Non deferentes verò, ſive fuerint ex numero Congregatorum ſive non, præter pœnam peccati mortalis, arbitrio Generalis puniantur.

Iudices Ambitus.

Quale ſecretum in informationibus.

83. Si quid quis intellexerit in informationibus, quod ſecretum teneri debeat, nemini præterquàm Electoribus in informationibus ſpecialiter,

aut

aut generaliter interrogatus indicabit. Et quod de ſervando ſilentio dictum eſt, in virtute ſanctæ Obedientiæ præceptum eſſe intelligatur; in re tamen gravi, id eſt, ſi res ejusmodi fuerit, ut aut Societati, aut perſonæ alicui Societatis aliquid ignominiæ vel detrimenti afferre poſſe ejus conſcientia judicaverit.

84. Vltimo die quatridui manè Congregatio conveniat, & præmiſſa per aliquantulum temporis arbitrio Generalis oratione, electio Aſſiſtentium fiat. Eligentur autem ſinguli per ſcrutinia ſecreta ad plura medietate ſuffragia, ita tamen, ut ſi primo, vel ſecundo ſcrutinio nemo erit electus, in tertio, & deinceps in ceteris, inter tres tantùm illos, qui in proximo ſcrutinio plura ſuffragia habuerint, ſuffragia dari poſſint. Si qui autem alii alicui ex tribus æquales ſuffragiis fuerint, ſimul etiam cum tribus jus habeant paſſivi ſuffragii. *Electio Aſſiſtentium.* *In 2. Cong. Decr. 27.*

85. Factâ electione ſinguli Aſſiſtentes ad menſam, ad quam P. Generalis ſedebit, accedent; & flexis genibus coram imagine Crucifixi, quam ſupra menſam ad hanc rem eſſe oportebit, his verbis jurabunt: *Teſtem invoco Deum, cujus oculis omnia nuda ſunt, ſi acciderit aliquod ex iis, quæ ſufficiunt ad Præpoſitum officio ſuo privandum, ſimul atque res per teſtimonia ſufficientia, vel ipſius affirmationem conſtaret, me fideliter Societati denunciaturum, & Congregationem convocaturum, juxta Conſtitutiones.* Si quando vero extra tempus Congregationis eligendi ſint Aſſiſtentes, atque Admonitor, ſervanda erit Conſtitutio, ut Generalis Præpoſitus, cum approbatione Provincialium unum ſibi ſubſtituat, aliquam de illo informationem ad eos mittens, quibus minimè cognitus eſſet is, qui proponitur, ut hactenus factum eſt. Qui verò fuerit electus, juramentum præſtabit coram iis, qui jus habent in Congregatione Generali; hoc eſt, coram Præpoſito Generali, Aſſiſtentibus, Secretario, & Procuratore Generali. *Iuramentum Aſſiſtentium.* P. 8. c. 5. §. 4. *Iuramentum Aſſiſtentium quando eliguntur extra Congregationem.* Decr. 43. 6. Cong.

De electione Admonitoris.

C A P. IX.

86. **E**LECTIS Aſſiſtentibus, Admonitor eligendus eſt, Profeſſus aliquis quatuor votorum ſive ex præſentibus, ſive ex abſentibus, aut ex numero Aſſiſtentium, aut ex aliis, homo religioſis moribus, Deo in oratione familiaris, provectâ jam ætate, judicio bono atque maturo, & affectibus minimè turbato; in inſtituto & rebus Societatis benè verſatus, *Admonitor qualis eligendus.* 2. Cong. d. 27. & can. 24. Cong. 4.

tus, & illius magnum zelum habens, cum diſcretione & prudentiâ conjunctum, minimè credulus, minimè timidus, & prorſus ejusmodi, ut & Generali gratus credatur fore, & officio tamen ſuo, bonoque Societatis, nullo humano reſpectu defuturus.

Idem interrogatorium de Admonitore, quod de Aſſiſtentibus.

87. Itaque cùm omnibus ferè rebus Aſſiſtentibus ſimilis eſſe debeat, Aſſiſtentium interrogatorium ad capiendam de illo informationem accommodari poterit, adjunctis iis, quæ cuique ex nonâ parte Conſtitutionum, capite quarto, paragrapho quarto; & ex capite ſecundo & tertio Examinis, & ex Regulis Admonitoris, atque ex his, quæ hîc dicuntur, colligere licebit.

88. Capietur autem informatio de illo, eodem tempore, & eodem modo, quo de Aſſiſtentibus, atque ab eiſdem perſonis, & eadem ſervandi ſecreti lege.

Secretarii, & Procuratoris ſuffragium in electione Admonitoris. Decr. 3. 20. in 2. Cong. Can. 15. Cong. 4.

89. Eodem die, quo Aſſiſtentes electi fuerint, aut cùm primùm poterit, Congregatio conveniat, vocatis etiam Procuratoribus & Secretario, qui in Admonitoris electione ſuffragii jus habent: & cum omnes ad arbitrium Generalis aliquantulum oraverint, per ſcrutinia ſecreta, & ad plura medietate ſuffragia, & eodem prorſus modo, quo Aſſiſtentes eliguntur, Admonitorem eligent.

Decr. 57. Cong. 4.

FORMVLA CONGREGATIONIS PROVINCIALIS,

In quartâ Congregatione Generali approbata, in ſextâ & ſeptimâ recognita & aucta.

In quibus caſibus Congregationes Provinciales cogendæ ſunt.

CAPVT I.

Quibus in caſibus cogenda Congregatio Provincialis. P. 8. c. 3. §. 1.

1.

SEx in caſibus cogendæ ſunt Congregationes Provinciales, juxta Conſtitutiones octavæ & nonæ partis, & Decreta. Primus eſt ad electionem Gene-

Generalis in locum demortui, niſi ille decedat ante diſſolutionem Congregationis Generalis, vel paulò pòſt, ut dicitur in formulâ Congregationis Generalis, paragrapho quinquageſimo tertio, & quinquageſimo quarto. Secundus, ſi umquam occurreret (quod Deus avertat) aliquis ex iis caſibus, propter quos in nonâ parte ſtatuitur, alium Generalem in locum viventis ſufficiendum eſſe. Tertius, ſi Generalis judicio Aſſiſtentium, Provincialium, ac Præpoſitorum localium, Congregationem Generalem indiceret, ut eſt in declaratione octavæ partis, capitis ſecundi, littera C. Quartus, quandocumque Generalis unà cum Aſſiſtentibus & Procuratoribus, qui ex præſcripto octavæ partis, capitis ſecundi, littera B. & ſecundæ Congregationis Decreto vigeſimo quarto, tertio quoque anno ad Generalem Præpoſitum convenire debent, Generalem Congregationem cogendam eſſe judicaverint. Quintus, ad eligendos tertio quoque anno hujuſmodi Procuratores. Sextus, quando ipſe per ſe Generalis ad aliqua magni momenti negotia Generalem Congregationem convocaret. Hæc verò omnia in ſolis Europæ Provinciis locum habere intelligenda ſunt: nam ceteræ extra Europam, neque more aliarum ad electionem Generalis convenire poſſunt, neque tertio quoque anno Procuratores mittere tenentur.

P. 8. c. 4. §. 7.

Can. 29. Cong. 2.

Can. 29. Cong. 2. P. 8. c. 4. §. 2.

Ad quem pertineat Congregationem Provincialem in unaquaque Provinciâ cogere, locumque ac tempus ad eam celebrandam præſcribere.

CAPVT II.

2. SPECTABIT ad Præpoſitum Provincialem, vel ejus loco ad Viceprovincialem, hujuſmodi Congregationem indicere, in quocumque ex prædictis caſibus cogenda illa ſit: Quemadmodùm & illam dirigere, atque omnino efficere, ut decreta ſerventur; eoſque coërcere, qui contra inſtitutum aliquid forte molirentur: & cùm expedire in Domino judicaverit, & res poſtulaverit, pro ſuo munere ſecreti præceptum imponere.

Cujus eſt Congregationem vocare, & dirigere.

P. 8. c. 5. §. 3. Decr. 36. Cong. 6. & 42. ejuſd.

3. Ejus-

Cujus etiam locum, & tempus præſcribere.

3. Ejusdem erit, commodum locum ad eam celebrandam deſignare, & tempus præſcribere, quod & opportunius videatur ad conveniendum, & ſatis ſit ut electi non ſolùm ad locum & diem, in quo celebranda eſt Congregatio Generalis, aut Procuratorum, commodè venire poſſint; ſed etiam informationes, ſi quæ, illis antequàm proficiſcantur dandæ ſint, accipere. Et quidem quoniam Congregationi Procuratorum certum tempus præfixum eſt, nimirum ad decimum quintum Novembris; ideò pro ſuâ opportunitate poterunt Provinciales ſuas Congregationes ad electionem Procuratorum cogere. Ad electionem verò Electorum, ſi ad eligendum Generalem venturi ſunt, poterunt convenire in Provinciis remotis, quando illis commodum fuerit, quacumque viâ de morte Generalis certiores facti fuerint, etiam ſi nondum litteras à Vicario accepiſſent. Non durabit autem Congregatio Provincialis ultra decem, aut ſummum duodecim dies.

In Form. Congreg. Proc. §. 1.

Tempus Congregationis Provincialis.

Qui, & quot congregari debeant.

CAPUT III.

Quinam intereſſe Congregationi debeant.

Superiores.

P. 8. c. 3. §. 1. & c. 5. § 3. Can. 33. Cong. 1. Decr. 74. Cong. 6.

4. IN quocumque ex prædictis ſex caſibus Provincialis Congregatio cogatur, intererunt & jus ſuffragii in eâ habebunt, primùm quidem Provincialis ipſe, Præpoſiti Domorum profeſſarum, Rectores Collegiorum Societatis & Domorum probationis; ſive eorum loco Viceprovinciales, Vicepræpoſiti, & Vicerectores, qui toto principalium Superiorum officio funguntur: exceptis Generali Præpoſito, Vicario generali, & Aſſiſtentibus, Commiſſarioque aut Viſitatore, ſi quis tunc eo munere fungeretur: quamvis huic, Generali demortuo, liberum erit, aut Provincialem Congregationem in eâ Provinciâ adire, in quâ tum fuerit; aut redire ad ſuam, eam videlicet, cujus erat cùm ad viſitandum aſſumptus eſt: atque in utravis tam activum, quàm paſſivum ſuffragium habebit. Rectores etiam, qui Seminariis quibuscumque, aut Convictorum Collegiis præſunt, in Congregatione locum non habeant.

Decr. 51. Cong. 7. Dec. 60. Cong. 5.

Profeſſi. Procuratores.

5. Intererunt deinde quatuor votorum profeſſi, juxta numerum infrà definiendum. Procurator item Generalis, & Provinciæ proprius, & ſi

& ſi quis alius plurium Provinciarum Procurator; dummodò ea quoque Provincia ejus curæ commiſſa ſit. Quod ſi nullus fuerit proprius ejus Provinciæ, ingrediatur Procurator maximi Collegii. Si dubium autem erit quodnam ſit maximum, petent à Præpoſito Generali. Satiſque erit, ſi hujuſmodi Procuratores Sacerdotes ſint, ut intereſſe & ſuffragium habere poſſint, Procuratores verò Indiarum, qui in Provinciis Luſitaniæ & Bæticæ commorantur, minimè admittendi erunt ad Congregationem Provincialem pro Generali futurâ convocatam.

Decr. 35. 6. Cong.
Decr. 80. Cong. 6.

6. Porrò Congregandorum in Provinciali Congregatione numerus, quando pro eligendo Procuratore cogitur, quadrageſimum non excedat; nec quinquageſimum, cùm ad conventum Generalem convocatur; & in utroque caſu duæ tertiæ Congregationis partes ſint profeſſi: ita ut præter Provincialem, & Superiores locales, & Procuratorem Provinciæ vel maximi Collegii, tot Profeſſi antiquiores illius Provinciæ conveniant, quot ad præfixum numerum explendum ſufficiant. Quòd ſi contigerit numerum Superiorum, qui profeſſi non ſint, ita excreſcere, ut tertiam ſuffragiorum partem ſuperent; tunc tot profeſſi addantur, ſervato antiquitatis ordine, quouſque duas tertias, ut dictum eſt, conficiant; etiam ſi hoc modo præfixus numerus excederetur.

Congregandorum numerus definitus.
Decr. 18. 30. 48. 60. Cong. 5. Can. 16.

7. Etſi autem ſuffragium activum eorum tantùm erit, qui ad Congregationem Provincialem convenire, & intereſſe poſſunt, juxta numerum & ordinem prædictum, reliqui tamen Provinciæ profeſſi, ſi qui locum non habuerunt, paſſivo ſuffragio minimè privantur, cùm eligi poſſint. Et quidem ſi eligantur, poſt electiones peractas vocandi erunt, ſi commodè fieri poterit, ut Congregationi deinceps ad negotiorum tractationem interſint.

Profeſſi omnes eligi poſſunt.
Decr. 13. Cong. 6.
Decr. 61. Cong.
Admittendi ſupra numerum.

8. Extra numerum verò, hoc eſt ſupra quadraginta, vel quinquaginta ordinarios, admitti ex profeſſis ad Congregationem debent, primùm ii, qui toti Provinciæ aliquando præfuerunt, ſi qui fortè in eâ tum erunt, qui locum alioqui per antiquitatem profeſſionis in Congregatione non haberent. Deinde profeſſi, quos certò conſtiterit poſt indictam Congregationem applicatos eſſe Provinciæ, dummodò profeſſionis ſuæ ordine non excludantur. Eodemque modo Reviſores, Subſtituti Secretarii generalis, & alii hujuſmodi, qui Romæ univerſæ Societati navant operam, ſi profeſſionis ſuæ ratione jus habeant. At Secretarius ipſe, qui modò ſit pro-

Qui Provinciales fuerunt.
Decr. 51. Cong. 7.
Provinciæ applicati poſt indictam Congr.
Decr. 13. Cong. 6.
Qui Romæ operam navant Societati.
Dec. 23. Cong 6.
Dec 29. Cong. 6.
Can. 15. Cong. 4.

profeſſus excludi ab hac Congregatione numquam debet, ſupra numerum etiam tunc ingredietur, quando non adeò eſt antiquus, ut ei locus intra numerum debeatur. Denique profeſſi, qui ad eam Provinciam non pertinent, ſed negotiorum causâ in eâ verſantur, neque in aliâ Provinciâ Congregationi interfuerunt; aut ei, quæ in propriâ Provinciâ celebranda eſt, inter eſſe poſſunt, ſine detrimento negotiorum, quæ illis commiſſa ſunt. Verùm hi tunc ſolùm admitti debent, quando & in illa Provinciâ, ſi ex eâ eſſent, ſuffragii jus haberent, & in ſuâ itidem ſi adeſſent; & quando negotia tractant Societatis, hoc eſt, Collegiorum ſuorum, aut Provinciarum, non ſua ipſorum privata, vel aliorum quorumcumque. Quâ in re ſi quid ambigatur, judicium erit Præpoſiti Generalis, ſi conſuli per tempus liceat; aut proprii eorum Provincialis.

Profeſſi aliarum Provinciarum.

Decr. 53. 54. 55. Cong. 7.

9. Si tamen hujuſmodi profeſſi admittantur, quòd nec in alia Congregatione fuerint, nec exiſtimentur poſſe ad ſuas Provincias tempori pervenire, ut earum Congregationi interſint; activum tantùm ſuffragium ad electionem ſive ad Congregationem Generalem mittendorum, ſive Procuratorum habeant. Et ſi caſu aliquo accidat, ut ad ſuas Provincias ante earum Congregationes perveniat, illis non interſint, niſi ordinarii Superiores fuerint. hi enim ad ſola negotia admittendi erunt, præter Provincialem, qui ratione præſidentiæ, & univerſalis notitiæ, quam de rebus & perſonis ſuarum Provinciarum habet, etiam electionibus intereſſe, & in eis ſuffragium habere debet.

Et hi quidem cum ſuffragio activo tantùm.

10. Omnes prædicti Congregationi intererunt, niſi legitimè impediti fuerint. De quorum impedimentis ante Congregationem, quo ei loco & tempore oportunius videbitur, judicabit ad plura ſuffragia Provincialis cum ſuis Conſultoribus qui aderunt, & ceteris omnibus præſentibus, qui in Congregatione jus ſuffragii habent: excluſâ ſemper eâ perſonâ, de cujus impedimentis agetur. Si tamen de alicujus impedimentis, poſt coactam Congregationem dubitabitur, ipſius Congregationis judicium expectandum erit. In quo ſi de impedimentis Provinciali advenientibus agendum fuerit, præerit ejus loco profeſſus quem ipſe deſignaverit. Quòd ſi Superiores, aut ii, qui plenè eorum vices gerunt, intereſſe non poſſe judicati fuerint, integrum illis erit alios Sacerdotes ex ſibi ſubditis ac idoneos loco ſui mittere. Profeſſis ſanè quatuor votorum, qui juxta Canones intereſſe Congregationi debe-

De impedimentis Congregandorum. Decr. 43. Cong. 7.

Superiores impediti alios mittere poſſunt. P. 8. c. 3. §. 1.

Profeſſis liberum non eſt abeſſe. Dec. 72. Cong. 6.

debebunt, minimè liberum erit pro lubito abeſſe: quia etſi quisque jure ſuo cedere poſſit, ſi venire nolit; non tamen jure Societatis, cujus illorum operâ uti in Congregatione interſit. Quamvis in examinandis impedimentis cum aliquibus minùs ſcrupuloſè agi poterit.

11. In abſentum & legitimè impeditorum locum ſubrogandi ſunt, admittendique ad Congregationem ii, quibus ordine profeſſionis proximum fuerit jus ſuffragii. Quòd ſi quando contingat, ut ſupervenientе paulò ante Congregationem impedimento, is qui ſubſtitui ordine deberet, longiùs abſit quàm ut tempeſtivè adeſſe poſſit; tunc è proximis is vocandus erit, qui electioni tempore adeſſe queat. *Quinam impeditorum loco ſubſtituendi.* Decr. 62. Congr. 7.

12. Si quis quacumque ex cauſâ ante electionem à Congregatione abeſſe cogatur, nec adeſſe poſſe credatur electioni; admittatur alius profeſſus qui proximè ad Congregationem accederet. Quòd ſi prior ille ante electionem redeat, excludatur qui fuerat ſubſtitutus: ſi poſt electionem redierit, ſuo jure admittatur poſteriore non excluſo. Poſt electionem verò, nemo eſt pro abſente ſubrogandus. *Vel cùm abeſſe quis cogitur ante electionem.* Decr. 33. Cong. 6. Decr. 60. Cong. 7.

13. Etſi Provincialis poteſt quidem cum aliis, ut dictum eſt, judicare an quis impeditus ſit, ita ut ad Congregationem venire non debeat; & is qui ſic judicatur, acquieſcere debebit; nec revocari aut infringi à Congregatione ipsâ poterit hoc judicium: nullo tamen modo aut poteſt aut debet quemquam impedire, qui ante impeditus non eſſet, & jus ad Congregationem haberet: neque ex ſuâ aliorumve ſententiâ, quos conſulere ſolet, ordinare, ut qui jus habet ad Congregationem Provincialem non veniat, ſed remaneat Superior alicujus Collegii loco Rectoris, qui ad Congregationem veniet; vel in re aliquâ occupetur ad libitum Provincialis. Potiùs igitur, niſi ſit alius, maneat Rector in ſuo Collegio, aliumque pro ſe ad Congregationem mittat. *Provincialis judicio de impeditis ſtandum.* Decr. 45. Cong. 7. *Impedire tamen ipſe neminem debet.*

14. Superiores Domorum & Collegiorum, antequàm ad Congregationem Provincialem proficiſcantur, informatione ab iis accepta, quos ex ſuis domeſticis de rebus tractandis benè ſentire judicabunt (aliis interim non prohibitis, quò minùs ea, quæ volunt privato nomine, vel Conſultoribus offerre, vel ad Congregationem Provincialem mittere poſſint) ea cum ſuis Conſultoribus conferant, quæ ad eamdem Congregationem ſunt deferenda. *Informationes à Superioribus capiendæ.*

De modo procedendi ante electionem mittendorum.

CAPUT IV.

Duo Catalogi affigendi.

15. ELAPSO die ad conveniendum præfixo, poſtridie manè affigantur parieti duo Catalogi, unus eorum, qui Congregationem ingreſſuri ſunt, eo ordine, quo ſedere debeant, & ſententias dicere: alter eorum, ex quibus eligi poſſunt, qui ad Præpoſitum Generalem, Congregationemve Generalem mittendi ſunt. Prior ita conficiatur, ut ad dexteram Provincialis deſcribantur Profeſſi quatuor votorum, juxta cujusque profeſſionis antiquitatem, ſive Superiores ſint, ſive non: ad ſiniſtram verò, reliqui omnes, hoc ordine; ut primo loco ſint profeſſi trium votorum, ſecundo Coadjutores formati, tertio ceteri omnes juxta antiquitatem ſui gradus in Societate. Poſterior verò contineat omnes, qui eligi poſſunt, ſolos nimirum profeſſos quatuor votorum, qui ſunt in Provinciâ, ſive illi præſentes ſint, ſive abſentes: præter Provincialem, & Commiſſarium, aut Viſitatorem, ſi quis tum eo munere fungatur, ac eos denique, qui ſunt ex aliis Provinciis, ſiquidem nullus eorum eligi poterit.

P.8.c.3.§.1.lit.A. &Can.29. Cong. 2.

Ad ſignum campanæ convocandi.

Veni Creator, initio.

Decr. 77. 6.Cong. Decr.74. Cong. 7.

16. Eodem die vocentur ad ſignum campanæ quicumque affuerint ex iis, qui jus ſuffragii ferendi habent. Congregatisque omnibus, & dicto alternatim ac ſubmiſſâ voce hymno, *Veni Creator*, cum oratione de Spiritu ſancto, brevique ceteris deinceps diebus in principio & fine cujuscumque ſeſſionis præmiſſâ oratiunculâ; habeatur primò brevis ſermo à Præpoſito Provinciali, vel ab alio per ipſum deſignato, quo expoſitâ causâ cur vocata ſit Congregatio; & propoſitis in genere iis, quæ in eâ agenda ſunt, omnes admoneantur, ut ſincerè, & magnâ cum pace, quiete, & ædificatione in omnibus ſe gerant.

An legitima, & an ſupplendi defectus.

17. Deinde decernatur ad plura ſuffragia, num Congregatio legitima cenſenda ſit. quod ubi factum erit, videatur num ſuppleri debeant defectus aliqui circa perſonas, quæ convenerunt, aut circa aliquid aliud, quod ad ipſam Congregationem, aut congregandi formam pertineat. Poſſunt enim Patres legitimè congregati (ſi modò duas tertias partes excedant) ad præſentem praxim dubia omnia terminare, quorum explicatio Congregationi perficiendæ opportuna videbitur; quoties ea ex Conſtitutionibus, Decretisve,

An praxim dubia decernenda.

tisve, aut Generalium reſponſis colligi non poterit; ac omnino ſupplere, quidquid ad integritatem Congregationis ſpectare judicaverint.

18. Tertio loco eligatur Secretarius ad plura ſuffragia ſecreta, qui juxta Provincialem ſedeat, & acta omnia Congregationis, & quæcumque ex iis totius Provinciæ nomine ad Congregationem Generalem, vel ad Generalem Præpoſitum mittenda ſunt, ſcribat: cui unus ex Patribus eodem modo electus, adjungatur, qui ad colligenda ſuffragia, & reliqua ſcribenda ipſum adjuvet. Porrò Secretarii erit ſtatim poſt electionem ſuffragia comburere; quamvis neceſſe non ſit in eodem Congregationis loco. *Electio Secretarii.* Ex Decr. 24. 6. Cong. *Suffragia comburenda.*

19. Eodem modo eligantur duo Deputati, ex primariis Patribus, quatuor votorum profeſſis, qui unà cum Præpoſito Provinciali ad plura ſuffragia (præſente tamen ſemper & excipiente Secretario, quæ definita fuerint) ſeligant, tam quæ poſt electionem mittendorum Congregationi proponenda ſunt; quàm ſi quid occurrerit, quod ad electionem pertineat; de quo proinde ante electionem videatur à Congregatione deliberandum. Porrò in judicio de rebus, quæ proponendæ ſunt, ſive ante ſive poſt electionem eorum, qui mittendi ſunt, quemadmodùm & de impedimentis perſonarum ante vel poſt Congregationem propoſitis; unum tantùm habebit ſuffragium Provincialis: duo autem in ipsâ Congregatione, ſive de perſonarum electione & impedimentis agatur, ſive de rebus propoſitis deliberetur; & quoties in rebus tractandis paria fuerint ſuffragia, qualitatem præcedendi. Ad quemlibet autem dictorum quatuor deferre poterunt, qui ad Congregationem venerint, ab ipſo deputationis die, quæcumque Congregationi proponenda attulerint; ita tamen, ut poſt diem unum aut alterum ab electione mittendorum, nihil ampliùs deferre liceat. *Deputati deligendi.* *Provincialis ſuffragia.* P. 8. c. 5. §. 3. Decr. 52. §. 8.

20. Simul atque duo Deputati electi fuerint, aſſignetur dies, in quo mittendorum fiat electio: qui quidem ab eo, in quo Congregatio inchoata fuit, incluſivè tertius ſit, aut ad ſummum quartus. Hoc interjecto tempore petenda eſt informatio de qualitatibus eorum, qui mittendi ſunt, atque ab iis ſolis, qui ferendi ſuffragii jus habent, niſi fortè quis ſufficientem informationem habuerit. Præter ea verò, quæ tam de mittendis ad Congregationem Generalem, quàm de Procuratoribus in octavâ parte Conſtitutionum, & in ſecundâ Congregatione dicuntur, hæc ferè peti debent, *Aſſignetur dies eligendorum.* Decr. 42. Congr. 7. Decr. 18. 6 Cong. P. 8. c. 2. lit. B. & c. 3. §. 1. Can. 29. Cong. 2.

Quales Eligendi. An rerum Societatis notitiam & experientiam habeant; num ſtudio & zelo inſtituti noſtri conſervandi, ejuſque ſpiritum promovendi teneantur; an eâ judicii, & in rebus agendis prudentiæ, ceterarumque virtutum maturitate polleant, quæ decet viros, qui de rebus ad univerſam Societatem ſpectantibus deliberaturi ſunt; an affectibus inordinatis duci ſoleant. Intererit etiam plurimùm, ſi ii qui ad Congregationem Generalem eligendi ſunt, magnam perſonarum Societatis cognitionem habeant.

Quomodò petendæ, & dandæ informationes. Decr. 19. Congr. 6. 21. Porrò in informationibus dandis & accipiendis, maximè ratio modeſtiæ & religioſæ caritatis habenda eſt, ne lædatur unio: Quapropter de perſonis, quæ vel ex earum actionibus, diuque probatis moribus, vel ex adminiſtrationibus atque ex muneribus, quibus in Societate perfunctæ fuerint, in Provinciâ notæ ſatis ſunt, nulla eſt informatio capienda; ſed de iis tantùm, qui planè noti non ſunt, & quidem ab illis, qui benè norunt, ac ſinceram de iisdem informationem dare poſſunt. Denique ut ceteris poſthabitis, de iis tantùm rebus capiatur ac detur informatio, quæ ad id pertinet, cujus maximè cauſa fieri electio debet; juxta formulam Congregationis Provincialis §. 20. nimirum an rerum Societatis notitiam, &c.

Decr. 72. Cong. 6. *Sinceræ informationes.* 22. Cùm capietur de perſonâ informatio, illud præcipuè cavendum eſt, ne ullus per ſe vel per alium, ne indirectè quidem ſe vel alium eligi vel non eligi ſuadeat: etiam cum de Deputatorum ac Secretarii electione agitur: ſed fiant electiones ſincerè & candidè ex iis, quæ Spiritus ſanctus dignabitur ſuggerere, & ex informationibus cognita fuerint.

Contra ambientes. Decr. 73. 6. Cong. 23. Hoc verò quod de iis dicitur, qui ambitiosè agunt, & per ſe vel per alios directè vel indirectè ſuadent; ut ſe vel certum aliquem eligant vel excludant; ita extenditur, ut à die indictæ Congregationis, usque ad electionem intelligatur: iique prætereà comprehendantur, qui licet ſuffragium in Congregatione non habeant, agunt tamen pro illis, vel contra illos, qui habent.

Pœna in ambitioſos. 24. Si quis autem (quod avertat Deus) ad ſui, vel alterius electionem, vel excluſionem ambitiosè agere deprehenſus fuerit, idq; ſufficienter probabitur; activâ, vel paſſivâ, vel utraque voce privetur in Congregatione tantùm, & aliis pœnis (ſi id merebitur) ſubjiciatur juxta delicti gravitatem, & probationis certitudinem. Iudicabunt autem cauſam hanc Provincia-

lis

lis & tres alii profeſſione quatuor votorum antiquiſſimi. Quòd ſi Provincialis ipſe notatus eſſet, aut alius ex reliquis tribus; etiam tunc quatuor antiquiores hujuſmodi profeſſorum, excluſo ſemper eo, qui notatus eſſet, de eâ re cognoſcent; & minimùm tres ex illis, ut aliquis damnetur, convenire debebunt. Quod autem de pœnis dictum eſt, in Provinciali ita locum habeat, ut tantum activo ſuffragio ad electionem privetur: ceteras autem pœnas Præpoſiti Generalis judicio ſubibit.

25. Proinde nullus obtrudat informationem non petenti: caveantque informatores diligenter non ſolùm mendacia, ſed etiam amplificationes & exaggerationes in laudandis eis, de quorum qualitatibus agitur, certa pro certis, opinata pro opinatis, audita pro auditis referentes, eum à quo audierint nominando, & ad ipſum, eum qui informationem petit, remittendo. Item ne ſi quid, quod ſecretò ſervari oporteat, in informationibus intellexerint, aliis quàm congregatis communicent; memores caritatis, quæ ſuadet non modò non indicandam ulli eſſe perſonam, à quâ de ipſo quidquam quis audiviſſet, ſed neque in univerſum quidem cuiquam aliquid omnino de ipſo in informationibus auditum eſſe, deferendum. Et ob id minimè viſum eſt opus eſſe præcepto, neque tam acri remedio viros præſertim religioſos egere, ubi caritatis & fraternæ unionis jactura facienda ſit. Quòd ſi quis in hujuſmodi errore deprehenſus fuerit, deferatur, & judicio Provincialis puniatur.

Nemo obtrudat.

Qualis debeat eſſe informatio.

Decr. 17. Cong. 6.

Secretum ſervandum.

De electione mittendorum.

CAPUT V.

26. Cum advenerit dies ad electionem mittendorum deſignatus, manè poſtquàm Patres Sacrum fecerint, & in locum Congregationis convenerint, factâ brevi coram Crucifixo oratione, in quâ lumen Divinæ illuſtrationis ad bonam electionem faciendam poſtulabunt, hunc in modum procedetur.

Dies electionis.

27. Sive eligendi ſint, qui ad Congregationem Generalem, ſive qui ad Congregationem Procuratorum proficiſcantur, ſemper electio facienda eſt per ſecreta ſuffragia, ad plura medietate: quæ quidem nulli, cui data ſunt,

Per ſecreta ſuffragia ad ... electio facienda.

Decr. 73. Congr. 6.

ſunt, manifeſtanda erunt. Quòd ſi numerus omnium ſuffragiorum fuerit impar, major pars ex duabus ſufficiet.

Quot ſcrutinia facienda. 28. Si in primis duobus ſcrutiniis nullus electus fuerit, dentur in tribus ſequentibus usque ad quintum incluſivè, inter eos tantùm ſuffragia, qui aliquod ſuffragium habuerunt. In ſexto verò & ceteris deinceps ſumantur tres, qui plura aliis ſuffragia habuerunt; & ſi qui his pares fuerint in ſuffragiis, etiam inter eos fiat electio, niſi poſt decimum ſcrutinium Congregatio malit compromiſſione uti; tunc enim eligentur ad plura ſuffragia ſecreta tres, vel quinque Compromiſſarii; & ille, qui ex iis qui poſt quintum ſcrutinium ſuffragia habuerunt, electus fuerit à majore parte Compromiſſariorum, pro electo à Congregatione habeatur. *Compromiſſarii.*

Quando Compromiſſarii non conveniunt. Decr. 13. 6. Congr. 29. Quòd ſi duo ex quinque Compromiſſariis unum elegerint, reliqui alterum, quintus verò ad tertium acceſſerit; aut ſi ex tribus Compromiſſariis, ſinguli ſingulos elegerint, tunc in priori quidem caſu danda deinceps ſuffragia erunt inter eos tantùm duos, qui plura habuerunt; tertio illo prætermiſſo, qui ab uno ſolo eligebatur; in poſteriori verò alii duo addendi ſunt Compromiſſarii.

Commiſſarii ex quibus eligendi. 30. Porrò Compromiſſarii ex præſentibus eligantur, excluſis iis, quos ipſi eligere poſſunt, ii autem in electione Compromiſſariorum neque activam, neque paſſivam vocem habeant. Et quamvis infirmi in eodem domicilio, habendi ſunt pro præſentibus. Vnde in omnibus electionibus, etiam Compromiſſariorum, activum & paſſivum ſuffragium habebunt; ad negotia verò tractanda, prout Congregationi viſum fuerit: ferè tamen expedit electionem Compromiſſariorum ex illis fieri, qui Congregationi interſunt, & communem ejusdem ſenſum vident. Verùm quid in ſingulis caſibus & perſonis expediat, videat ipſa Congregatio. *Suffragium infirmi in eadem domo.* Decr. 23. Congr. 6.

Vnicum cujusque ſuffragium ſit. 31. Qui ab aliquo Superiore impedito ad Congregationem, ejus loco miſſus fuerit, unum tantùm ſuffragium habebit, etiam ſi ipſe proprium jus ſuffragandi habeat, excepto eo, qui loco Provincialis impediti adeſt, cui duo ſuffragia, quemadmodùm & Provinciali competunt.

Quinque eligendi ad Congregationem Generalem. P. 8. c. 3. §. 1. & lit. A. & c. 6. lit. B. 32. Si agitur de mittendis ad Congregationem Generalem, quinque profeſſi quatuor votorum eligi debent. Primùm quidem duo comitaturi Provincialem; deinde tertius, ut ex eo & duobus prædictis conficiatur ille ternarius, ex quo unum Provincialis ſuo loco mittere debet, juxta decla-

declarationem octavæ partis capitis tertii, literâ B. ſi impeditus legitimè judicabitur. Poſtremò addatur quartus & quintus, ut hi tres, qui in ſubſtitutos electi ſunt, eodem ordine, quo electi fuerunt, ſubrogentur in locum eorum, qui legitimè impediti proficiſci non poſſunt. Sed electi quamprimùm proponant, ſi quæ habent impedimenta, ſaltem antequàm dimittatur Congregatio, quò de illis judicet. Proponere tamen ante Subſtitutorum electionem non debent.

Decr. 52. Cong. 6.
Decr. 44. Cong. 7.

33. Cùm Provinciali impedito quò minùs venire ad Congregationem Generalem poſſit, in ſuperiori paragrapho dicatur ſubſtitui debere unum ex duobus, qui electi fuerint comitaturi Provincialem; & ex tertio poſt illos primùm electo, non autem ex tribus electis poſt duorum illorum electionem; in Conſtitutionibus verò ſimpliciter dicatur, ex tribus, quos elegerit Congregatio; dicendum eſt, per formulam declarari Conſtitutionem, eamque intelligendam eſſe de primo ternario. Quare ad Generalem Congregationem is veniet, quem ex illo ternario Provincialis elegerit. Quod ſi Provincialis, nullo nominato Viceprovinciali, mortem obierit, ſi à Præpoſito Generali Viceprovincialis nominatus fuerit unus ex electis aliàs venturis; aut aliquis ex illis jure ſuo ſuccedat in Viceprovincialem, ille veniat: alioqui venire oportebit primùm electum, hocque impedito, ſecundum; deinde tertium.

Quomodò ſubſtituendi in defectum aliorum.
Decr. 71. Cong. 6.

34. Verùm quacumque ex cauſa, & quoties Generalis Congregatio cogitur, electi à Congregatione Provinciali cenſendi ſunt ſemper electi tum ad negotia tractanda, tum ad Generalis Præpoſiti & Aſſiſtentium electionem, ſi eo tempore illos mori contingeret, nec opus eſſe Provinciales Congregationes denuò convocare. Quamvis ex Luſitaniâ & Bæticâ Procuratores, & pro Indiis Romam ad Congregationem Generalem mittendi non ſunt, non obſtante Canone 14. Cong. 3. neque nova electio facienda eſt, ſed unus ex electis Romam venturis à Provinciali deſtinatus, ſupplere poterit, quem ab illarum Provinciarum Procuratore inſtrui oportebit.

Ius electorum.
Decr. 86. Congr. 6.
Procuratores ex Luſitaniâ & Bæticâ.
Decr. 84. Cong. 6.

35. Si verò agitur de electione Procuratorum, qui tertio quoque anno ad Generalem mittuntur, eligendi ſunt duo Profeſſi quatuor votorum, unus primo loco, & alter ſecundo, qui ſubrogetur in locum prioris, ſi ille impeditus legitimè judicabitur: quorum uterque ſi jure impeditus, intereſſe Congregationi Provinciali non quiverit, abſens poteſt eligi, modò extra Provinciam non ſit, & Provincialem, antequàm Romam adeat, convenire poſſit: nam

Duo eligendi pro Congregatione Procuratorum.
Can. 29. Cong. 2.
In Form. Cong. Procur. §. 1.
Decr. 27. 6. Cong.

Etiam abſentes poſſunt eligi. nam ſi de mittendis ad Generalem Congregationem agatur, eligi quoque poterunt, qui eo tempore extra Provinciam ſunt, dummodò de Provinciâ ſint. Ceterùm nec Provincialis, nec Commiſſarius, nec Viſitator, nec qui ad aliam Provinciam pertinet, in Procuratorem eligi poterit.

Electorum impedimenta. Decr. 32. Cong. 6. 36. Quòd ſi in Provinciis intra Europam, adhuc durante Congregatione Provinciali primo loco electus, ad Congregationem Procuratorum ire non poterit, ejuſque impedimentum probatum fuerit; ſuccedat electus ſecundo loco, eligaturque alius loco ſecundi: nam ſi ambo impediti fuerint, duo alii eligendi erunt ſuo ordine, unus primo, alter ſecundo loco. Quòd ſi diſſolutâ Congregatione impeditus uterque judicetur, ut dicitur §. 41. aut nullus eo anno mittendus erit, aut Provincialis cum ſuis Conſultoribus, qui ſuffragii jus in Congregatione haberent, ſuntque præſentes, alium mittere poterit ad informandum de ſtatu Provinciæ, qui tamen nullum Romæ tamquàm Procurator ſuffragii jus habebit in Congregatione Procuratorum.

Privilegia extra Europam pro Procuratoribus eligendis. 37. Provinciæ extra Europam eodem jure uti poſſunt in mittendis ſuis Procuratoribus, quo ceteræ utuntur. Verùm propter diſtantiam locorum, navigationiſque difficultates, & alia impedimenta, quinque eis privilegia in hac re conceduntur. Primum, ut non teneantur mittere Procuratorem, niſi ſexto quoque anno. Secundum, ut ſi commodè mittere non poſſint profeſſum quatuor votorum, ſaltem mittant trium votorum profeſſum, aut Coadjutorem ſpiritualem formatum, aut denique alium Sacerdotem, quem ad id munus idoneum judicent. Tertium, ut ii qui jus ſuffragii habent in Congregatione, ſuffragia ſua de cogendâ, vel non cogendâ Congregatione Provinciali, Procuratoris eligendi gratiâ, ſcripto ad Provincialem mittere Can. 13. Cong. 4. poſſint. Quartum, ut ſi cogenda non videatur, Provincialis cum ſuis Conſultoribus, qui aderunt, & ceteris omnibus præſentibus; qui in Congregatione jus ſuffragii habent, Procuratorem eligant. Quintum, ut jus ferendi ſuffragii habeant in iis Provinciis omnes Superiores, quibus Generalis Præpoſitus jus ſuffragii pro bono earum Provinciarum conceſſerit; etiamſi Viceprovinciales ſint aliquarum partium ſuarum Provinciarum, aut Præpoſiti plurium locorum, aut etiam locales Superiores præcipuarum Reſidentiarum, prout magis in Domino expedire judicaverit.

Ratio convocandi Congregationes extra Europam. 38. Itaque Provinciales extra Europam convenienti temporis ſpatio, ante futuram ſingulis trienniis Procuratorum Congregationem, ſcribent ad abſentes, qui in Congregatione Provinciali ſuffragii jus habent; modò ſint

ſint ex iis, à quibus reſponſum tempore haberi poſſit. Primùm quidem, ſi nondum expletum eſt ſexennium, an judicent nihilominùs mittendum eſſe Procuratorem. Deinde num exiſtiment Congregationem Provincialem cogendam eſſe. Poſtremò, quiſnam illis in Procuratorem, qui etiam in ejus ſubſtitutum videantur eligendi, ſi Congregationem major pars cogendam non eſſe cenſuerit. Tum verò acceptâ reſponſione convocabunt ex præſentibus eos, qui jus ſuffragii in Congregatione Provinciali habent, & conjunctis omnium votis, ad plura ſuffragia decernent, num mittendus ſit Procurator, nondum expleto ſexennio; & ſi ſit, an ejus eligendi cauſa Congregatio ſit cogenda. Quòd ſi cogenda non videatur, & tamen mittendus Procurator ſit; vocatis, ſi videbitur, profeſſis vicinis, & ſuperioribus, proferet abſentium vota de iis, quos mittendos judicant (quæ tantùm conſultiva erunt, pro majori præſentium notitiâ) & ad plura præſentium medietate ſuffragia, Procuratorem, ejuſque ſubſtitutum unum, aut etiam alterum eligent: fiat autem hæc electio in aliquâ Domo aut Collegio ex celebrioribus Provinciæ. Sup. §.37. & Can. 13. Cong. 4.

39. Sed Provincialibus extra Europam in conſultatione, quæ habetur juxta paragraphos 37. & 38. ad eligendum Procuratorem Romam mittendum, duo ſuffragia competunt, cùm illa non ordinaria tantùm ſit conſultatio, ſed quaſi abbreviata Congregatio Provincialis. Ideoque hujuſmodi electionem fieri oportebit per ſecreta ſuffragia, ut fieri ſolet in plenâ Congregatione. *Provincialis ſuffragium extra Europam.* Decr. 8. Cong. 6.

40. Omnibus autem iis, qui à Provinciis extra Europam prædictis modis electi ad Generalem mittuntur, datur auctoritas, ut intereſſe & jus ſuffragii habere poſſint in quacumque Congregatione, quæ à Generali cum Procuratoribus, vel à Generali ſolo indiceretur, vel quacumque ratione ad electionem novi Generalis fieri contingeret, antequàm illi ad ſuas Provincias revertantur. Quoniam autem, & hi ex Decreto quadrageſimo ſexto Congregationis quartæ, ſuffragium habent in electione Generalis, ſi profeſſi quatuor votorum, & ad hoc electi fuerint; ideò ſemper ſi tales profeſſi fuerint, ad hoc etiam eligantur. *Procuratorum jus extra Europam ad Congregationem Generalem.* Can. 13. Cong. 4.

41. Quæ autem impedimenta excuſare debeant, vel Provincialem, vel aliquem ex electis, quò minùs ad Congregationem Generalem aut Procuratorum ſe conferant; ſi Congregatio quidem necdum fuerit diſſoluta, ipſa conſtituet: ſi verò diſſoluta fuerit, ſtatuat Provincialis eodem modo, quo ante *Quomodò de impedimentis Electorum judicandum.*

Congregationem judicare poteſt de impedimentis eorum, qui Congregationi Provinciali intereſſe debent, ut ſuprà paragrapho duodecimo.

De impedimentis non ante electionem. 42. Porrò ut ſincerè procedatur, non eſt ferendum judicium ante mittendorum electionem, de impedimentis eorum, qui ad Congregationem Generalem aut Præpoſitum profecturi ſunt, etiam ipſius Provincialis aut Viceprovincialis: ſed unuſquiſque juxta informationes, quas accipiet, ſuam conſcientiam conſulat de qualitatibus eorum, pro quibus ſuffragium ferendum putat. Factâ autem electione, tum demum de eorum impedimentis deliberari poterit; ſi tamen ea ab iis ipſis proponantur: alioqui de eâ re nulla fiat conſultatio, niſi alicujus impedimenta adeò manifeſta eſſent, ut de iis minimè dubitaretur.

De rebus tractandis poſt electionem.

CAPVT VI.

De quibus agendum. 43. POST electionem mittendorum, agendum eſt de rebus, quæ vel Congregationi Generali vel Præpoſito, nomine Provinciæ proponenda ſunt. Intelligat autem in primis Congregatio, non ſibi licere quidquam ſtatuere, nec ullam ſibi aliam poteſtatem fieri præter eam, quæ expreſſe habetur in hac Formulâ Congregationis Provincialis in quartâ Generali approbatâ, & in ſextâ recognita. Quocircà nec innovare quidquam poterit, nec immutare ex iis, quæ à Superioribus ordinata ſunt.

Poteſtas Congregationis. Decr. 45. Cong. 5.

Nihil de ſubſtantialibus. In Form. Cong. Gen. §. 66. & 68. Decr. 7. & 8. Cong. 6.

44. Intelligat quoque ne conſultationis quidem prætextu, atque adeò ut Congregationi Generali proponatur, de ſubſtantialibus inſtituti noſtri agere ſibi integrum eſſe. quin ejuſdem Præpoſiti arbitrio in eos animadvertendum erit, qui deinceps hac in re, quæ tanti momenti eſt, peccaverint, & aliquid propoſuerint contra ea, quæ ſubſtantialia inſtituti ſunt; ſive cùm certum eſt ea quæ proponent, ejuſmodi eſſe; ſive cùm ſintne talia, dubitatur. *Sed* ſubſtantialibus poſitis quaſi fundamentis, de ceteris, quæ iis conſervandis ac promovendis conſentanea videbuntur, quæque Deputati cum Provinciali majoris momenti eſſe judicaverint, & quæ poſſint tempore Congregationi præſcripto abſolvi, tractari poterit.

Quando dubitatur de ſubſtantialibus. Dec. 13. 6. Cong.

45. Et quoniam, ut ſuperiùs dictum eſt, de ſubſtantialibus inſtituti, nec quando res quidem dubia eſt, in Congregationibus Provincialibus tractare licet; viſum eſt in eorundem favorem, hanc regulam conſtituere; ut tunc res

res dubia, & de illâ tractari non poſſe intelligatur, ſi vel unus Deputatorum abſolutè affirmet, (non tamen ſi ſolùm dubitet) rem propoſitam eſſe de ſubſtantialibus Inſtituti:multoque magis ſi Provincialis ita cenſeat, cujus eſt totam Congregationem dirigere, atque omnino efficere, ut decreta ſerventur, eoſque coërcere, qui contra inſtitutum aliquid fortè molirentur, ut dictum eſt. Licebit tamen unicuique, ea quæ à Deputatis rejecta fuerint (de quibus priuſquàm tractetur, decernendum erit, utrùm de illis agendum ſit, nècne) in Congregatione proponere, ubi illa expedita fuerint, quæ à Deputatis probata fuerunt; modò non agatur de ſubſtantialibus noſtri inſtituti, aut de perſonis: hæc enim ne ad Deputatos quidem referenda ſunt. Ea autem in primis ſunt, quæ in formulâ, ſeu regulâ Societatis JESV Iulio III. Sum. Pont. propoſitâ, & ab eo aliiſque ejus ſucceſſoribus confirmatâ, continentur. Deinde ſine quibus illa aut nullo modo aut vix conſtare poſſunt: cujuſmodi ſunt, eſſe aliqua impedimenta eſſentialia in admittendo; non eſſe neceſſarium, ut in dimittendis forma judicialis ſervetur; reddendam eſſe ſuperiori conſcientiæ rationem: contentum eſſe debere unumquemque, ut omnia, quæ in eo notata fuerint, per qvemvis, qui extra confeſſionem ea acceperit, Superioribus manifeſtentur: paratos eſſe debere omnes, ut ſe invicem manifeſtent debito cum amore & caritate, & alia ſimilia.

Decr. 30. 7. Cong.

Dec. 31. Congr. 6.

De rejectis.

Dec. 65. & 74. 5. Congr. Can. 17.

Quænam ſubſtantialia.

46. Et quamvis ad Congregationem Generalem, aut Præpoſitum, quæcumque ipſis viſa ſunt, privato nomine ſubſcripta, liberè transmittere poterunt; nulla tamen poſthac Provincialis Congregatio quidquam proponat, quo tollendæ aut immutandæ ſint prædictæ Conſtitutiones vel Decreta, niſi communi conſenſione, & omnibus eorum ſuffragiis, qui dictis Provincialibus Congregationibus interſunt, vel ſaltem ad duas tertias partes viſum fuerit proponendum. Tum verò nequaquàm petatur, ut hujuſmodi Conſtitutiones vel Decreta tollantur, aut immutentur; ſed incommoda tantùm proponi debebunt, quæ ſecuta, vel ſequi poſſe videntur ex eorum obſervatione; ad eaque vitanda remedium à Congregatione Generali ſimpliciter petatur. Proinde Generalium Congregationum Decreta, in ſingulis Provinciis penes Provinciales eſſe debebunt, à quibus communicari poterunt iis, quos ſcire expedire judicaverint.

Quando, & quomodo de Conſtitutionibus.

Decr. 9. 6. Cong.

Decreta Congregationum Generalium extent in Provinciis.

47. Porrò rerum tractandarum ordo, cùm mittendus Romam Procurator, hic erit, ut antequàm aliquid tractandum proponatur, in omni Provinciali Congregatione, Præpoſiti Generalis reſponſa ad proximè præcedentis

Quomodò agendum de cogendâ, vel non cogendâ.

Decr. 13. 6. Cong.

tis Congregationis quæſita prælegantur: tum priori loco de rationibus agatur, quæ cuique occurrunt, cogendane vel non cogenda ſit Congregatio Generalis: poſteriori verò de negotiis rebuſque aliis cum Generali Præpoſito, nomine Provinciæ, tractandis. Secretarii autem erit, quemadmodùm colligere fideliter omnia quæ in Congregatione aut dicuntur aut aguntur, ita etiam collectas rationes pro cogendâ vel non cogendâ Congregatione Generali allatas, ad Provincialem Congregationem referre, ejuſque judicio præcipuas quaſque ſeligere, quæ ad commune bonum Societatis ſpectare videbuntur: addaturque, utram in partem plurium ſententia propenderit: & ſcribantur ſeorſim, ut ad majorem ſtatus Societatis cognitionem ab iis, qui jus ſuffragii in Congregatione Procuratorum habuerint, privatim perlegantur; tametſi ejus Provinciæ Procurator eam ſententiam in ferendo ſuffragio ſequetur, quam auditis ceteris Procuratoribus, & rationibus in utramque partem ex unaquaque Provinciâ allatis, iiſque Patribus, qui cum Generali verſantur, magis in Domino probaverit, juxta §. 6. & 7. in Formulâ Congregationis Procuratorum.

Decr. 13. 6. Cong.

In Form. Cong. Prov. §. 6. & 7.

48. Quæ autem poſteriori loco tractanda ſunt, eò ſpectare debebunt, ut Generali Præpoſito veram, & utilem notitiam de ſtatu Domorum & Collegiorum, ac totius Provinciæ, univerſâque ejus adminiſtratione, de religioſâ diſciplinâ, de Conſtitutionum, ac Regularum, necnon de obſervatione eorum, quæ à Superioribus ordinantur, afferre poſſint; & ut ipſe in iis, quæ in eâ Provinciâ deſiderantur, & ſub Generalis providentiam cadunt, opportunè proſpiciat. Nam de iis rebus, quibus ſola Generalis Congregatio providere poteſt, tum agendum eſt ſolùm; cùm electi fuerint, qui ad eam mittendi ſunt. In prædictorum autem tractatione meminerint omnes ita de Provinciæ adminiſtratione & neceſſitatibus agere, ut ſi qua Superiorum perſonam attingere videantur, debitâ ac religioſâ cum modeſtiâ dicantur. Quòd ſi quis perſonam potiùs ſugillare, quàm negotia tractare videatur, eum Provincialis ſui officii admoneat: nec exiſtimet quiſpiam libertatem in dicendâ ſententiâ impediri, cùm in modo agendi juxtà caritatem & modeſtiam dirigitur. In dicendis verò ſententiis curandum eſt, ut brevî, liberè, ſincerè, re coram Deo conſideratâ, cum modeſtiâ dicantur; nec qui poſteriores ſunt, priorum dicta inutiliter, non ſine jacturâ temporis, & aliorùm tædio repetant; agantque omnes Latinè,

De quibus poſteriori loco agendum.

Decr. 75. Cong. 6.

Quomodò agendum de rebus ad perſonam pertinentibus.

In ſententiis dicendis.

Decr. 42 Cong. 6.

49. Rerum tractandarum determinationes ad plura ſuffragia ſimpliciter definiantur: quæ nullo modo ſecreta eſſe debebunt, ſive de negotiis aliis agatur, ſive quæratur, cogendane ſit Generalis Congregatio, necne; ob multa, eaque gravia incommoda, quæ præter novitatem ſequerentur. Neque in eis interceſſio permittatur, ut citiùs expediri poſſint; cùm præſertim de eo tantùm agendum ſit, num proponendæ videantur Generali Congregationi, aut Præpoſito Generali, & quænam ſit de iis plurium ſententia. Licet autem cuique aliis auditis mutare ſententiam, antequàm res omnino concludatur. Porrò quæ tranſigentur in actione unâ, in ſequenti à Secretario legantur, ut congregatio intelligat, ſintne omnia rectè excepta & explicata, an non.

Ad plura ſuffragia, & non ſecreta, determinanda rerum tractatio.

Decr. 16. 6. Cong.

Nulla interceſſio fiat.

Quando mutari poteſt ſententia.

50. Omnibus expeditis, dictoque alternatim, & ſubmiſſâ voce hymno, *Te Deum Laudamus*, ſubſcribet Secretarius tum acta Congregationis, tum ſeorſim rationes de cogendâ, vel non cogendâ Generali Congregatione; tum etiam ſeorſim ea, quæ eidem Congregationi aut Præpoſito Generali, nomine Congregationis Provincialis, proponenda ſunt; omniaque unà cum Provinciali ſatis erit, ſi poſt dimiſſam Congregationem ſigillo Provinciæ muniat; eaque Provincialis vel ſibi ſervet, ſi ad Congregationem Generalem eundum erit, vel Procuratori tradet, qui iis acceptis, non diſcurret per Provinciam, plenioris informationis ſumendæ gratiâ: ſed quæ illi à Provinciali, vel ab aliis ſcripto aut verbo commendabuntur, ut ea Præpoſito Generali referat, ſincerè ac fideliter eorum nomine eidem proponet. Ceterùm etſi Romam ea dumtaxat mittenda erunt, quæ à Congregatione Provinciali probata fuerint; in actis tamen in Provinciâ aſſervandis, quæcumque tranſacta in Congregatione, etiam rejecta deſcribi debent.

Unâ die tranſacta legenda in aliâ.

In fine, Te Deum.

Quænam ſubſcribit Secretarius.

Decr. 35. Cong. 6.

Procurator per Provinciam non diſcurret.

Decr. 42. Cong. 6.

Acta integrà ſervanda in Provinciis.

FOR-

FORMULA

CONGREGATIONIS PROCURATORUM,

Qui ad Generalem tertio quoque anno veniunt, in quarta Generali Congregatione confecta & approbata, in ſexta & ſeptima recognita & aucta.

CAPUT I.

Quales Procuratores, & quando veniunt. P. 8. c. 2. lit. B. Can. 29. Congr. 2. Et in For. Cong. Prov. §. 1. & 23.

TERTIO quoque anno à decima quintâ die Novembris poſt finem ultimæ Congregationis Generalis computando, ex omnibus Provinciis, juxta Conſtitutiones & Decreta, ad Generalem conveniant Procuratores, qui profeſſi quatuor votorum ſint, & viri maximè idonei à Congregatione Provinciali electi. Tempus enim hujus Congregationis Procuratorum celebrandæ, propter navigandi & proficiſcendi majorem commoditatem, dies ipſe quintus decimus Novembris decretus eſt, niſi aliud Generali videatur.

Tempus Congregationis.

Prius acta examinanda.

2. Antequàm hæc Congregatio inchoetur, P. Generalis cum ſuis Aſſiſtentibus examinet acta Congregationum Provincialium, an in eis Procuratores legitimè electi ſint; & ſi quid dubii in aliquibus particularibus inventum fuerit, id poſteà ad Congregationem referat, non admiſſis iis, de quibus legitimè dubitatur, donec ipſa Congregatio de ipſis conſtituerit.

Quando Congregatio inchoanda.

3. Elapſo die ad conveniendum præfixo, inchoari poterit Congregatio, ſi jam duæ tertiæ partes Procuratorum à ſuis Provinciis advenerint; niſi P. Generalis cum Congregatione alios, qui fortaſſis in proximo eſſent, & citò affuturi ſperarentur, expectandos judicaret.

Ordo ſedendi & dicendi.

4. In ſedendo, & dicendo, hic ordo ſervabitur, ut ad dexteram Patris Generalis ſedeant Aſſiſtentes, ordine antiquitatis in ſuâ profeſſione ſervato: ad ſiniſtram verò eodem ordine Procuratores. Deinde hymno *Veni Creator*, alternatim ſubmiſſa voce ab omnibus dicto, cum oratione de Spiritu ſancto, & Beatâ Virgine, brevis exhortatio fiet à P. Generali de fine

talis

talis Congregationis; & ut omnes in iis, quæ agenda ſunt, ſincerè ſe gerant, & de aliis, quæ ei in Domino videbuntur. Tertio decernatur ad plura ſuffragia, an ii qui adſunt, Congregationem Procuratorum legitimam & plenam faciant; & an omnes defectus, ſi qui forte quacumque ratione acciderint, debeant ſuppleri.

5. Hac facto, eligatur Secretarius per ſcrutinium ſecretum, ad plura ſuffragia, qui omnia, quæ fuerint acta in Congregatione, mandet ſcriptis & ſubſcribat, ſignetque Societatis ſigillo, comburatque ſtatim poſt decretum factum ſuffragia in loco ipſo Congregationis. *Secretarii electio.* Dec. 24. 6. Congr. Dec. 74. Cong. 7.

6. Aſſignetur dies quartus à die, quâ fuerit aperta Congregatio incluſivè, in quo faciendum ſit decretum de cogenda vel non cogendâ Congregatione Generali: acceptâ priùs informatione tum à Præpoſito Generali, cui magis perſpectus eſt univerſus Societatis ſtatus (& quidem ad neceſſariam capitis & membrorum conjunctionem, eorumdemque ab illo directionem, minimè prætereunda eſt ejus informatio, cujus providentiæ ſe tota commiſit Societas) tum verò à ceteris, qui jus tantùm ſuffragii habent (quorum ſingulorum rationes, quas de cogendà vel non cogendâ Congregatione Generali in ſcriptis ſecum à ſuis Provinciis attulerunt, ſinguli videre teneantur) & à Secretario Præpoſiti Generalis. *Quarto die faciendum decretum de futura vel non Congregatione.* Decr. 82. 6. Cong *A quibus ſumenda informatio.*

7. Intelligent præſertim an aliquid ſit, in quo alicubi inſigne detrimentum paſſa ſit Societas vel paſſura timeatur, quod ſingulari providentiâ atque induſtriâ vel reſarciendum vel curandum ſit. Item quomodò ſerventur Conſtitutiones, & Decreta Congregationum, & Regulæ; an diſciplina religioſa relaxetur: an in ſpiritu & virtutibus proficiat Societas, an potiùs deficiat: quomodò unio animorum ſe habeat in Societate, & an grave aliquod periculum illius labefactandæ metuatur, deque aliis hujuſmodi rebus. Demum intelligant Generalem Congregationem non eſſe cogendam, niſi juxta Conſtitutiones P. 8. cap. 2. §. 1. cùm deliberandum erit de rebus perpetuis, ac magni momenti, vel de gravibus ac difficilibus ad univerſam Societatem, modumque in eâ procedendi ſpectantibus, quibus Præpoſitus Generalis cum Aſſiſtentibus providere non poſſit; quibuſque certum videatur Generalem Congregationem afferre poſſe remedium. Si quis autem aliquid audiverit in informatione, quod ſecretum teneri debeat, cum aliis, præterquàm cum iis qui ſuffragium habent, memor caritatis ſilentium teneat in virtute ſanctæ obedientiæ, in re tantùm gravi, non in qualibet. *De quibus rebus.* Decr. 40. Cong. 6. *Quando Congregatio Generalis cogenda.* *Secretum quale.*

Per ſecreta ſuffragia. 8. Cum autem venerit dies ad decernendum præfixus, omnes ſimul in nomine Domini congregati, præmiſſâ per quadrantem horæ oratione, per ſecreta ſuffragia (quæ tamen alicui manifeſtanda non erunt) definient an cogenda ſit Generalis Congregatio. Præpoſitus verò Generalis in hac Procuratorum Congregatione duo ſuffragia habebit. Porrò Procuratores Romæ in ſuffragiis ferendis pro cogendâ vel non cogendâ Generali Congregatione ad plura medietate decernent, juxta Decretum quartæ Congregationis, non obſtante oppoſito Dec. 35. Cong. 6.

Decr. 43. Cong. 6. *Generalis ſuffragia.* *Decr. 6. Cong. 7.*

Tempus cogendæ Cong. Generalis. 9. Quòd ſi cogendam eſſe Congregationem Generalem decretum fuerit, abſque alio ſcrutinio intra ſeſquiannum cogendam eſſe intelligitur; nam menſem, ac diem Generalis erit præſcribere. Abſolutâ verò Congregatione omnes alternatim ſubmiſſâ voce dicant, *Te Deum Laudamus*; & in fine eorum aliquis unam aut plures orationes in gratiarum actionem recitabit.

Decr. 38. 6. Cong.

De iis, quæ Procuratores, poſtquàm electi fuerint, agere debeant.

CAPVT II.

Non excurrant per Provincias. 10 POSTQUAM electi fuerint Procuratores, non propterea debent excurrere per Collegia & Domos ſuæ Provinciæ, niſi ſint in viâ, quâ itur ad Generalem; nec negotia externorum ſuſcipiant, ut ea alibi tractent, quantum fieri poſſit, arbitrio Provincialis; cui pecuniam ſibi datam, & undequaque acceptam, etiam cum facultate Superiorum, conſignent; ab eodemque ſibi neceſſariam accipientes, paupertatis memores eſſe oportebit; nam ne majorem ſibi poteſtatem uſurpent, quàm par ſit, in negotiis tractandis, in rebus emendis, in expenſis in itinere faciendis, & ſimilibus, Præpoſiti Generalis erit modum præſcribere.

Decr. 41. 6. Cong. *Expenſæ pro itinere.*

Quæ ſcripta Secretario tradenda. 11. Poſtquàm ad Generalem venerint Procuratores, acta ſuarum Congregationum Provincialium, catalogos perſonarum, & memorialia negotiorum, de quibus cum Præpoſito Generali acturi ſunt; & faſciculos litterarum quamprimùm Societatis Secretario ſcripto numero tradant: ut citiùs hæc videri, & poſteà ſuo tempore expediri poſſint.

Quando Generalem informabunt. 12. Ante vel poſt celebratam Congregationem, pro arbitrio P. Generalis agent de informatione eidem dandâ, juxta Conſtitutiones, de iis rebus, quas ex ſuis Provinciis attulerunt.

13. Procuratores non ſint magis propenſi ad unum Collegium, quàm ad aliud; nec ad unam perſonam potiùs, quàm ad aliam quantum, fieri poteſt: & ideò ſine ullo reſpectu dicant Generali, quæ pro bono ſuarum Provinciarum ſenſerint, dicenda: caveantque præſertim, ne qua paſſione aut affectione inordinatâ in aliquo accuſando vel defendendo, aut laudando ducantur, etiam ſi de ſuis Superioribus agatur. *Indifferentes ſint.*

14. Procuratores ne prodant negotiorum reſolutiones, nec ordinationes, à Generali factas de perſonis, officiis, & aliis rebus alicujus momenti: ſed eas ad ſuos Provinciales deferant, & ipſi juxta præſcriptum obedientiæ eas ſuo tempore exequentur, aut promulgabunt. *Negotia ſervent ſecreta.*

15. Poſtquam Procuratores redierint ad Provincias, nulli omnino referant ea, de quibus apud Generalem pro informatione aliquarum perſonarum, ac rerum interrogati forſitan fuerint, ob magna incommoda, quæ cum magno caritatis diſpendio evenire poſſent. Hæc & ſimilia, quæ intellexerint apud Generalem, præſertim ſi gravia fuerint, ſecretò ſervanda eſſe jubentur. *Item informationes de perſonis.*

16. Si inter ordinationes, & reſponſa aliis Provinciis data (quæ videre debebunt) aliqua fuerint, quæ ad uſum ſuarum Provinciarum ſecum ferenda exiſtimabunt; id facere poterunt, judicio Patris Generalis, vel eorum quibus ipſe commiſerit, & cum eâ limitatione, quæ eiſdem videbitur: ea tamen à P. Generali ſubſcribentur. Hæc autem ita in eâ Provinciâ vim habebunt, ſi Provincialis, auditis ſuis Conſultoribus, ſuæ Provinciæ judicaverit expedire. *Reſponſa Generalis ad Provincias.*

17. Si ad Seminaria noſtrorum ſcholaſticorum, vel Novitiorum in aliquâ Provinciâ perficienda; vel ad Tranſmarinarum, vel Septentrionalium, vel aliarum Provinciarum neceſſitates graves, operariis pluribus opus eſſet, curent qui earum Provinciarum Procuratores fuerint, Patri Generali ſuggerere, ut diſpiciat, an alicujus Provinciæ abundantia, alterius inopiam ſupplere poſſit: & id congregatis Procuratoribus omnibus facilius inter eos privatim, & cum Patre Generali tractari poterit. *Operariorum inopia.*

FORMVLA

CONGREGATIONIS

AD ELIGENDVM

VICARIVM

SOCIETATIS,

Quando ille à demortuo Generali non fuerit nominatus, in quarta Congregatione Generali confecta & approbata, in ſexta & ſeptima recognita & aucta.

Decr. 50. Cong. 4.

I.

A quibus, & à quot eligendus. P. 8. c. 4. §. 1. & it. A.

SI Præpoſitus Generalis ante mortem Vicarium Societatis non nominaverit (prout habetur in Conſtitutionibus, octavâ parte, capite quarto, & Decretis) vel ante novi Generalis electionem Vicarius obierit, eligatur à Profeſſis quatuor votorum, qui apud Generalem fuerint, ſicut dicitur in Declarationibus ejuſdem capitis. Erunt autem, ut minimùm, Electores ſeptem; quòd ſi pauciores fuerint, tunc ex viciniioribus locis, utcumque illa diſtent, is numerus convocetur. quòd ſi in diſtantiâ æquali plures fuerint quàm ſeptem, omnes quidem Profeſſi quatuor votorum ad ejus electionem vocandi ſic erunt, ut ſenarium quidem numerum excedant: ſed plures tamen quadraginta non ſint.

Can. 18. Cong 4. Decr. 44. Congr. 6. In 2. Cong. Decr. 68.

Quis & quando convocabit Congregationem. Ex decr. 42. Cong. 6.

2. Statim poſt ſepulturam Generalis demortui convocabit Congregationem Præpoſitus Provincialis, ſi aderit: vel eo abſente Præpoſitus Domus Profeſſæ, ſi ea ibi ſit; & Romæ Vicepræpoſitus, ſi Profeſſus quatuor votorum fuerit; ſin minùs, antiquiſſimus Profeſſorum, qui ibi aderunt.

P. 8. c. 4. lit. A. *Quis præerit Congregationi.*

3. Electioni quidem Romæ præerit Provincialis Romanus, ſi aderit; ſin minùs, Vicepræpoſitus Domus ſi fuerit quatuor votorum Profeſſus: quòd ſi talis non fuerit, præſit antiquiſſimus ex Profeſſis, qui Congregationi interſint. Alibi verò, qui præeſt toti Provinciæ, vel ipſo abſente, aut impedi-

impedito Præpoſitus Domus profeſſæ, ſi in eo loco fuerit; ſin minùs, antiquiſſimus ex profeſſis quatuor votorum, qui ibi aderunt.

4. In ſedendo autem & ſententiâ dicendâ hic ordo ſervabitur, ut ad dexteram ejus qui præerit, ſedeant Aſſiſtentes, ordine antiquitatis in ſuâ profeſſione ſervato; ad ſiniſtram verò, eodem ordine reliqui Profeſſi quatuor votorum. Si quid verò dubii ſe offerat, qui præeſt, ad Congregationem quàm primùm referat, ut ipſa de illo conſtituat. *Ordo ſedendi & dicendi.*

5. Hymno, *Veni Creator*, ſimul ab omnibus alternatim, & ſubmiſſâ voce dicto, cum oratione de Spiritu ſancto & Beatâ Virgine, habeatur brevis exhortatio ab eo, qui præeſt, vel ab alio per ipſum deſignato, de fine talis Congregationis, & ut omnes in iis quæ agenda ſunt, ſincerè ſe gerant. Deinde an legitima Congregatio ſit cenſenda, ad plura ſuffragia decernatur. Tertio loco eligatur Secretarius per ſcrutinium ſecretum, etiam ad plura ſuffragia: qui omnia, quæ fuerint acta in Congregatione, mandet ſcriptis, & ſubſcribat, & ſigillo Societatis ſignet. Ei autem adjungatur unus ex Patribus eodem modo electus, qui ad colligenda ſuffragia, & reliqua ſcribenda ipſum adjuvet; aſſigneturque integrum biduum; poſtquàm præſentes fuerint ii qui neceſſarii ſunt ad hanc Congregationem celebrandam; quo exacto, Vicarii electio facienda eſt. Quòd ſi ſufficiens numerus Electorum non adeſſet, biduum tunc inchoetur, cùm primùm ille numerus aderit. *Exhortatio habenda.* *Secretarii electio, & Socii.* *Biduum integrum ad electionem.* *Sup. §. 1.*

6. Eligatur autem Vicarius, juxta Conſtitutiones octavæ partis, capite quarto, communiter ex his qui adeſſe Præpoſito, & ipſum juvare ſoliti ſunt; vel certè ex iis, qui proximè degunt, & ſunt in rebus Societatis verſati, præmiſſa per biduum ſupradictum oratione & informatione, juxta rationem informationis, quæ in electione Generalis ſervari ſolet. Et hoc eſt intelligendum ſimpliciter, ut jacet, etiam quantùm ad cenſuras, ut in Formulâ Congregationis Generalis à vigeſimo primo paragrapho uſque ad vigeſimum quartum incluſivè, & à paragrapho vigeſimo octavo uſque ad paragraphum trigeſimum ſeptimum incluſivè, excepto juramento quod in electione Vicarii non fit. Qui autem præerit, unum tantùm ſuffragium, ſicut alii Profeſſi, in hac Congregatione habebit. *Quis, & qualis eligendus.* *P. 8. c. 4. §. 1.* *Præſidis ſuffragium.*

7. Si quis autem (quod Deus avertat) ambitioſè agere deprehenſus fuerit ad *Cenſura.*

ad ſui vel alterius electionem vel excluſionem, deferatur & judicetur ad eum modum qui habetur in Conſtitutionibus & Declarationibus, partis octavæ capite ſexto, & in Formulâ Congregationis Generalis à vigeſimo primo paragrapho uſque ad vigeſimum quartum incluſivè, mutato nomine Vicarii in eum, qui præeſt. Quòd ſi aliquis eorum, qui non habent jus ſuffragii, in hoc deprehenſus fuerit; deferatur ad eoſdem Judices, qui locis ſupradictis conſtituuntur, & eorum arbitrio puniatur.

Quid tempore bidui faciendum. 8. Ipſo bidui tempore Patres, qui in hac electione Vicarii ſuffragium habent, informationibus, orationibus, & ſacrificiis vacare debent. Deinde poſtquam in locum Congregationis convenerint, præmiſſâ per ſemihoræ ſpatium oratione & conſideratione, apud ſe & coram Deo ſtatuant, quem ſint electuri. Intelligant autem ſe in conſcientiâ teneri ad eligendum eum, quem ſenſerint ad hoc munus eſſe maximè idoneum. Eligatur verò per ſcrutinium ſecretum ad plura medietate ſuffragia; ſic tamen, ut ſi primo & ſecundo ſcrutinio nemo electus fuerit, in tertio & deinceps in ceteris, inter tres tantùm illos, qui in proximo ſcrutinio plura ſuffragia habuerint, ſuffragia dari poſſint. Si qui autem alii alicui ex tribus æquales ſuffragiis fuerint, ſimul etiam cum tribus jus habeant paſſivi ſuffragii.

Electio per ſecreta ſuffragia ad plura medietate.

Quomodò concludenda hæc Congregatio. 9. Abſolutâ autem Congregatione, omnes ſimul alternatim ſubmiſſâ voce dicant, *Te Deum Laudamus*: & in fine is, qui præfuit, unam aut plures orationes in gratiarum actionem recitet.

Decr. 50. Cong. 4.

OFFICIVM VICARII GENERALIS,

In quartâ Congregatione Generali approbatum, in ſextâ & ſeptimâ recognitum & auctum.

Quale ejus Officium, & quamdiu durat. 1. VICARII officium durat uſque ad electionem Præpoſiti Generalis; & eſt duplex: Alterum eſt Societatem ad electionem Præpoſiti faciendam, præſcripto tempore & loco quo convenire oporteat, convocare;

Curia

Curia videlicet Summi Pontificis, ubi ut plurimùm erit ipſius Generalis reſidentia. Alterum eſt, Generalis vices gerere in gubernatione Societatis, donec novus Præpoſitus electus fuerit.

P.8 c.4.§.1. Decr. 89. Cong. 6. P.8. c.5. § 1. P.8. c.4. lit. A. & in 1. Congr. tit. 2. d. 29.

2. Vicarius itaque ſimul atque creatus fuerit, dabit operam, ut Miſſæ & orationes in univerſâ Societate pro animâ Præpoſiti mortui fiant: nempe, ut ſinguli Sacerdotes, qui ſunt in eodem loco, ubi Generalis mortuus eſt, quinquies Sacrificium Miſſæ pro eo offerant, & reliqui totidem coronas recitent; in aliis autem locis per univerſam Societatem, ſinguli Sacerdotes tria Sacra faciant, & reliqui tres coronas dicant.

Sacrificia pro Generali defuncto. P.7. c.4. §.3. & 4.

3. Deinde ad convocandam Societatem ad novi Præpoſiti electionem, primò quoque tempore diligentiſſimè incumbat, Præpoſitos Provinciales certiores faciat, locum Congregationis, & tempus quinque aut ſex menſium præſcribat, diem locumve cum Aſſiſtentibus declarando; quod etiam prorogari poterit, cùm neceſſitas poſtulaverit, vel initio, vel antequàm Patres convenerint, arbitrio ipſius Vicarii & Aſſiſtentium ad plura ſuffragia. Neceſſitas autem illa etiam ad id extendatur, ut duo tempora periculoſa, quantum fieri poterit, evitentur. Vnum hyemis ad navigandum & montes tranſcundos, alterum æſtatis ad ingrediendam Romam. Exacto autem tempore præfixo, ſi aliqui Patres jam convenerint, illi etiam jus ſuffragii habebunt ad decernendum de prorogatione faciendâ, juxta Decretum trigeſimum, tituli ſecundi, primæ Congregationis.

Tempus convocandi Congregationem. P.3. c.5. §.2. & 3. Decr. 87. 6. Cong.

4. Miſſas prætereà & orationes pro felici electione Præpoſiti indicat. Congregationes Provinciales ut rectè fiant, admoneat. Et ſi poſt electionem Præpoſiti alia negotia graviora tractanda in Congregatione ſint, ad quæ excutienda, vel definienda, aliorum opera, præterquàm duorum Electorum à Congregatione Provinciali, neceſſaria ipſi Vicario & Aſſiſtentibus ad plura ſuffragia videatur; Provinciales admoneat, ut eos à Congregatione Provinciali electos ſecum adducant, juxta Decretum quartæ Congregationis.

P.8. c.5. §.3. *Sacrificia pro felici electione.* *Quando alii vocandi.* Can. 16. Cong. 4.

5. Vbi autem dies conſtitutus, & terminus præfixus venerit, ad quem conventuri ſunt Patres; eos qui jam convenerunt, convocabit, modò excedant duas tertias partes; eiſque rationem eorum, quæ facta ſunt poſt mortem Generalis ad Congregationem pertinentia, reddet, & reliqua omnia, quæ ad electionem rite faciendam pertinere videbuntur Congregationi, curabit: quæ petenda ſunt, tum ex Conſtitutionibus, tum ex primis quinque capitibus Formulæ Congregationis Generalis.

Reddet rationem in Congregatione. In Form. Cong. Gen. §. 7.

6. Alte-

Nihil mutabit in gubernatione Societatis. P.8.c.4.lit. A. & in 1. Cong. tit. 2. d. 29.

6. Alterum officium Vicarii eſt, Societatem univerſam gubernare. Verùm ita eſt illam gubernaturus, quaſi Vicarius Præpoſiti demortui, non quaſi Præpoſitus. Quare ita illam gubernabit, ut ſibi tradita eſt. Nullam igitur immutabit gubernationis rationem, nihil propriæ inventionis, nullam novam Regulam, nullum ritum, nullam conſuetudinem aut inducet, aut inductam mutabit: ſed ad ſpiritum & ſenſum Generalis demortui ſe componet, illius compertam voluntatem ſequetur, incertam conjectabit. Itaque quoad poterit, debebit ſuo miniſterio, quaſi vivum ac præſentem Generalem, illiuſque gubernationem repræſentare.

In 1. Congr. tit. 6. d. 11.

Eiſdem utetur officialibus.

7. Quocirca eiſdem Aſſiſtentibus, Admonitore, Secretario, Procuratore Generali, quibus utebatur Præpoſitus Generalis, utetur Vicarius ad gubernandam Societatem: eiſdem Præpoſitis, Rectoribus, Præfectis Probationum, & aliis Officialibus Primariis, qui creantur à Generali: quos mutare ei non licet, vel novos creare, niſi fortè aliqui morerentur, & alii in illorum locum, uſque ad electionem Præpoſiti Generalis ſubſtituendi eſſent; vel aliquæ graviſſimæ cauſæ intercederent, propter quas aliquis illorum, ab officii executione tollendus, vel ſuſpendendus videretur, jure ſuffragii nihilominùs ei relicto, & hoc quidem, re cum Aſſiſtentibus communicatâ ad plura ſuffragia: de quorum etiam conſilio & ſuffragiis eliget Admonitorem, ſi fortè ipſe fuerat Admonitor Præpoſiti Generalis demortui, quum Vicarium electus eſt.

Quando & quomodo mutare officiales poſſit.

Res graves reſervanda Præpoſito eligendo.

8. Eadem cauſâ res omnes graves & majoris momenti, quæ differri uſq; ad electionem novi Præpoſiti poterunt (quandoquidem illa brevi futura eſt) quoad ejus fieri poterit differet, & ad novum Præpoſitum Generalem remittet.

Non admittet interim Collegia.

9. Quocircà nullam Domum, nullum Collegium, nullam Univerſitatem, vel Domum Probationis inſtituet: quæ ſi offerantur, ita negotium fundationis tractabit, ut ſi in rem Societatis apertè futura ſint, & omni difficultate careant; eos, qui Fundatores eſſe volunt, jubeat bene ſperare. Si quid verò difficile aut dubium ſit, alet ſpe eorum bonam voluntatem, nihil certi promittet, rem totam ad Generalis creationem reſervabit. Ad Profeſſionem admittere, etiam deſignatum à præmortuo Præpoſito (niſi illa deſignatio jam ſcripto miſſa eſſet ab ipſo Generali Præpoſito ad Provincialem) vel in iis, quæ ad Profeſſionem attinent, diſpenſare non poterit Vicarius; neq; Profeſſum aliquem, vel Coadjutorem formatum à Societate dimittere.

Can 23. Cong 4.

Non admittet ad profeſſionem, neque dimittet.

10. Circa

10. Circa contractus, ad quos facultatem habebit, ſic explicatur Decretum ſeptuageſimum primum ſecundæ Congregationis; ut non poſſit vendere, vel alienare bona ſtabilia Societatis, niſi res ſit in evidentem utilitatem, & neceſſaria, quæ moram non patiatur, & cum conſenſu Aſſiſtentium ad plura ſuffragia. *Contractus quales & quomodò celebrare poſſit.*

11. Circa miſſiones Profeſſorum quatuor votorum, id obſervabit, ut ante electionem eorum, qui venturi ſunt ad Congregationem Generalem, nullos ad ſe vocet, nec mittat eò, unde impediantur venire ad Congregationem Provincialem. Poſt electionem verò, electos nullo modo mittat eò, unde commodè venire non poſſint ad Congregationem Generalem. Alios verò Profeſſos non mittat ad infideles, nec ad partes remotas, quæ majorem conſiderationem requirunt, niſi forte aliquid tam grave & urgens accideret, ut ipſius judicio & Aſſiſtentium ad plura ſuffragia res differri non poſſit. Mutationem autem Profeſſorum quorumlibet ex unâ Provinciâ in aliam, ante factas Congregationes Provinciales, non niſi ex urgente causâ, & conſultis Aſſiſtentibus, ad plura ſuffragia faciat. *De mutandis Profeſſis de loco.* *De mittendis in miſſiones ad partes remotas.*

12. In univerſum cum Aſſiſtentibus conſultare debet res omnes graviores, non minus, imò magis quàm Præpoſitus Generalis; quandoquidem minorem habet auctoritatem, minorem experientiam, minùs diuturnum regendæ Societatis munus: ſic enim plus ponderis habebunt apud illam, quæ ipſe conſtituet. Quaſcumque verò litteras Vicarius vel ſcribet, vel accipiet, ſi negotia contineant, Aſſiſtentibus omnibus oſtendet; neque cum Principibus & Magnatibus de negotiis pertractabit, niſi re cum eiſdem Aſſiſtentibus communicatâ; ſed in rebus graviſſimis ad plura ſuffragia decernetur. Graviſſimas autem (ſi quando dubium erit) ducere, atque hoc modo decernere Vicarium oportebit, quas major pars, ipſo cum Aſſiſtente conſultante, graviſſimas judicarit. *Conſultabit res omnes graviores.* *Litteræ.* *Res graviſſimæ quomodò decernendæ.* Dec. 69. Congr. 7.

13. Vicarius, cùm primùm fuerit electus, accipiet ab antiquiſſimo Aſſiſtentium clavem ſcrinii, ubi litteræ & ſcripta, quæ apud ſe Generalis habet, reconduntur; prout in Regulis Secretarii habetur, & omnia curet manere clauſa, usque ad novi Generalis electionem. Quòd ſi aliqua neceſſariò eſſent accipienda, vocato Secretario & duobus Aſſiſtentibus, illa accipiet, & cùm uſus fuerit, iiſdem præſentibus reponet. *Habebit apud ſe claves litterarum Generalis.*

Decr. 57. Cong. 4.

REGVLÆ ASSISTENTIVM,

In quartâ Congregatione Generali confectæ & approbatæ, & in ſeptimâ recognitæ.

I.

Quales eſſe oporteat. P. 9. c. 2.

QVò Aſſiſtentes propiùs Generali adſunt, ut eum in univerſæ Societatis gubernatione adjuvent, eò etiam propiùs, ejus virtutes, quæ in nonâ parte Conſtitutionum declarantur, imitari debent & omnino tales eſſe, quales eadem nonâ parte Conſtitutionum, capite quinto, & in Decretis primæ Congregationis deſcribuntur, cæteris omnibus qui in Societate vivunt, omni genere virtutum prælucentes.

P. 9. c. 5. §. 2. In 1. Cong. tit. 6. d. 1.

Legant ſæpe inſtitutum, &c.

2. Fient in dies magis idonei, ſi Conſtitutiones, Decreta Generalium Congregationum, Regulas, & Ordinationes Præpoſiti Generalis, & prædeceſſorum ejus, præſertim illas, quæ ad ſibi commendatas Provincias pertinent, & majoris momenti ſunt, omnia denique Privilegia, & quidquid inſtituto noſtro inſervire poteſt, frequenter legere & benè intelligere curaverint, ut cùm opus fuerit, in promptu habeant.

Quales erga Societatem eſſe debeant. P. 9. c. 4. §. 7. P. 9. c. 5. §. 4. & in Form. Cong. Gen. §. 85.

3. Societatis & communis boni amatores ſint, atque illi in primis fideles, maximè verò tum, cùm aliquis ex illis ſex, qui nonâ parte Conſtitutionum, capite quarto notantur, (quod nunquam futurum ſperamus) caſus occurrerit. Quo tempore, & caritatis, quam Societati debent, & officii, quod ab eâ acceperunt, & juramenti, quo ſe initio obſtrinxerunt, memores, non ſolùm fidem, ſed etiam diligentiam atque prudentiam ſuam toti Societati probent neceſſe erit.

Aſſecti ſint ad omnes Provincias.

4. Etſi earum Provinciarum, quæ ſibi commiſſæ fuerint, majorem eos curam habere, & peculiari ad eas propenſione affici oportet; caveant tamen, ne erga ſuas vel nationes vel Provincias ita affici videantur, ut bonum commune Societatis in omnibus anteponant.

Sedulo incumbant officio ſuo.

5. Applicent omnino animum ad ea, quæ muneris ſui ſunt. Itaque quotidie aliquid temporis earum rerum, quæ ſuæ fidei commiſſæ fuerint, conſiderationi dare curent; & aliis rebus, quæ ullâ ex parte officii ſui functionem

nem impedire poſſint, ſe ipſi non implicent: Et ſi in iis à Præpoſito Generali occupabuntur, impedimentum illi exponere debebunt, ſalvâ tamen obedientiâ, quemadmodum de eorum miſſionibus in primâ Congregatione decretum eſt. Et res omnes, perſonas, negotiaque Societatis; peculiari verò oratione, & ſuis in ſacrificiis recordatione, Deo partem ſibi ſpecialiter commiſſam commendare debent, & conſiderare quid in eâ magis ad id conſequendum, quod ſibi Societas proponit, juvare poſſit. Can. 37. Cong. 2. Can. 36. & 37. Congr. 1. *Deo negotia commendent.*

6. Cùm officio ſuo ſatisfecerint, ſi quid prætereà temporis illis liberum fuerit, Prædicationi, Lectioni, Confeſſionibus audiendis, & aliis bonis ac piis operibus ad Dei gloriam, & animarum auxilium vacare poterunt. *Aliis miniſteriis occupari poſſunt.* P. 9. c. 6. §. 10.

7. Meminerint hoc officium ideo ſibi à Societate datum eſſe, ut Præpoſito Generali auxilio ſint, & ut erga ipſum eam providentiam, quam Societas exercere debet, vice ejus exerceant. Quæ cùm in duabus verſetur rebus, ut eum in gubernatione, conſilio, diligentiâ, & labore adjuvent, & ut ea quæ tuendo corpori neceſſaria ſunt, illi procurent; utramque ſibi fideliter ac diligenter faciendam intelligant. *Quales erga Generalem.* P. 9. c. 4. § 5. & Can. 34. Cong. 1.

8. Itaque & ipſi in primis cum Præpoſito Generali tamquàm cum ſuo totiusque Societatis capite, ſingulari caritate, humilitate, & obedientiâ internâ & externâ, conjuncti eſſe debent, & ejus conjunctionis exemplum aliis eſſe verbis ac factis: ejus apud omnes & noſtros & externos auctoritatem, & eorum erga ipſum benevolentiam non ſolum conſervantes, ſed omnibus etiam modis, quibus poterunt, augentes. *Conjuncti cum Generali; erga eum reverentes.*

9. Caveant ne officii ſui occaſione, de eâ interiore vel exteriore reverentiâ, quam Superiori debent, aliquid minuant. Quare cùm Præpoſitus Generalis, ipſis auditis (aut etiam, ſi juſtis de cauſis aliquando illi viſum fuerit, non auditis) aliquid ſtatuerit, judicium ipſi ſuum, illius judicio ſubmittent. Neque extra Conſultationem, aut quod ſtatutum fuerit ſibi diſplicere, aut ſe in aliâ fuiſſe ſententiâ ſignificabunt, laudent potiùs Superioris conſilium atque tueantur. *Iudicium ſubmittant.* P. 9. c. 6. §. 11.

10. Attendant diligenter iis rebus, quæ vel à Præpoſito, vel à Secretario ejus nomine proponentur; & ad tempus Conſultationi deſignatum parati ſint, & vocati nullâ interpoſitâ morâ vel excuſatione veniant. *Parati ad Conſultationem.* P. 9. c. 6. §. 10.

11. Notent in litteris, quæ à mandatis ſibi Provinciis miſſæ fuerint, ea *Notent digna*

conſideratione & conſultatione. capita, quæ conſideratione, aut Conſultatione indigere videbuntur; & quæ ſibi à Secretario, vel ab aliis Aſſiſtentibus ex aliarum Provinciarum litteris conſideranda dabuntur, quantum licebit, conſiderabunt; ut benè de omnibus rebus inſtructi, cùm à Præpoſito rogabuntur, meliùs ſententias dicant.

Conferant inter ſe. *P. 9. c. 6. §. 10.* 12. Conferant invicem, ſi quid ad rem facere magnopere videatur, ut res inter ſe diſcuſſas Generali referre poſſint. Et in univerſum in conſiderandis, & tractandis rebus tam ad doctrinam, quàm ad praxim pertinentibus, quæ altiorem conſiderationem poſtulant, juvare Præpoſitum ac ſublevare debent.

Curent ſuo tempore conſultationes fieri. 13. Quæ verò de rebus ad ſibi commendatas Provincias pertinentibus conſultanda erunt, curent ne prætermittantur, ſed ut ſtatutis temporibus in Conſultatione tractentur: & ſi res urgebunt, Secretarium vel Præpoſitum admoneant, ſibi de illis extraordinario tempore agendum videri, quòd dilationem commodè non ferant.

Videant litteras Procuratoris Generalis. 14. Litteras de negotiis ſuarum Provinciarum per Procuratorem Generalem agendis, ad Generalem miſſas, ſibique datas videant, & Procuratori reddant. Negotia verò, quæ per eum agenda erunt, diligenter agi curent; & ſi quid Generalis commodiùs per eos agi poſſe judicaverit, id ipſi eadem agant diligentiâ. Litteras rurſus Procuratoris de negotiis ad ſuas Provincias legant, & Secretario mittendas tradant.

Sententiam liberè & ſincerè dicant. 15. In ipſis Conſultationibus ſinceram intentionem habeant, & à perturbatione liberam; ut fideliter, & debitâ cum libertate ac modeſtiâ, caritatis & obedientiæ memores, ſententiam dicant.

Rem conſultandam benè intelligant. 16. Rem, de quâ conſultatur, benè intelligant; nec ſint in dicendo præcipites, ſed negotio ſecum conſiderato, & oratione præmiſſa, præſertim cùm de rebus agitur difficilioribus, ſententiam ſuam aperiant. Quòd ſi quid ex tempore diſcutiendum proponeretur, & id ſibi maturiùs conſiderandum judicaverint, Superiori ſignificabunt.

Rationes ſuæ ſententiæ dent. 17. Explicare breviter debent ſententiæ ſuæ rationes. quòd ſi ad rem confirmandam, aliorum rationes eſſent diſſolvendæ, id etiam modeſtè faciant.

Etiam non interrogati proponant quæ videntur. 18. Etiamſi non interrogentur, ſi quid tamen in mentem venerit, quod ad commune bonum vel alicujus loci aut perſonæ particularis pertineat, poterunt id Superiori proponere, ut is ſtatuat num eâ de re ſit deliberandum, nécne.

19. Si

19. Si ſummus Pontifex aliorum relatu adduci videretur, ut Præpoſitum Generalem, quò non convenit ad commune bonum Societatis, & majus Dei obſequium, mittere cogitaret; Aſſiſtentium erit officium, nomine totius Societatis, quod res habet, bene illi referre, & quid incommodi ex ea miſſione Societas acceptura timeatur, fideliter exponere, ut ipſorum auditis rationibus, ſtatuat, quod in Domino viſum fuerit. *Quando Generalis à Papa ex Vrbe mittendus eſſit.* P. 7. c. 1. §. 2. lit. D.

20. Quod attinet ad curam corporis Præpoſiti Generalis, quam illis Societas tradidit, videant ne in laboribus vel rigore nimio menſuram excedat; & victum, veſtitum, & expenſas omnes ad Præpoſiti perſonam pertinentes augere poterunt, aut minuere, prout Deo gratius fore judicabunt. *De curâ corporis Generalis.* P. 9. c. 4. §. 2. & 3. Can. 34. Cong. 1

21. Inter ſe Aſſiſtentes omni diligentiâ curare debent, ut non ſolùm communi ſtudio juvandi Societatem, ſed mutuâ etiam caritate, religioſâ concordiâ, judicio, conſilioque rerum agendarum, & ipſo eas agendi modo, omnino conſentiant. Nemo autem ſe alterius negotiis ingerat, & quod de unione atque concordiâ, tertiâ parte Conſtitutionum, capite primo, paragrapho decimo octavo; & octavâ parte, capite primo, paragrapho octavo, omnibus dictum eſt, ſibi propriè dictum exiſtiment. *Quales inter ſe.* *Mutua concordia.*

22. Alter alterum honore præveniat, & apud alios alter alterius exiſtimationem verbis factiſque tueatur: ſi verò contingat aliquem in Conſultationibus diverſæ, aut etiam ſingularis eſſe ſententiæ, nemo ullam ab eo alienationem vel habeat vel oſtendat. *Honore ſe præveniant.*

23. Erga alias perſonas Societatis, ita munus ſuum exequantur, ut nullius Superioris officium uſurpare videantur. Eorum igitur gubernationem, & neceſſariam ſubordinationem juvent, non impediant. *Quales erga noſtros eſſe debeant.*

24. Neque ea, quæ in Conſultatione quiſque ſenſerit, neque ea, quæ propoſita fuerint aut definita, aliis ſignificare debent; præcipue cùm res ipſæ ſecretum exigunt. Superioris autem erit, ea quæ definientur, promulgare, cùm opus eſſe judicaverit. *Conſultata non divulgent.*

25. Idem de litteris ad ſe ſcriptis, aut à Generali, Secretario, vel aliis Aſſiſtentibus ſibi oſtenſis, & de iis etiam, quas ipſi de rebus Societatis ſcripſerint, deque omnibus ſecretis ſcriptis intelligendum eſt, quæ omnia ita clauſa habere debent, ut à nemine legi poſſint; & quæ in illis ſcripta erunt, ſi ad perſonas, vel ad ſecreta negotia Societatis pertinebunt, nemini indicabunt. Eadem denique ſe, quâ Secretarium, ſervandi ſecreti lege teneri ſciant. *Omnia clauſa habeant.* *Secreti lege tenentur.*

Servent ſubordinationem. 26. Cùm aliquis ex iis qui in Societate ſunt, aut per litteras aut aliâ ratione Aſſiſtentem aliquem conſuluerit; ita reſpondeat, atque ita eum conſoletur & juvet, ut nec vanam illi ſpem injiciat, quâ Generali moleſtia & labor generetur, omniumque Superiorum, præſertim Generalis, ſimul auctoritati conſulat.

Decr. 50. Cong. 4.

REGULÆ ADMONITORIS PRÆPOSITI GENERALIS,

In quartâ Congregatione Generali confectæ & approbatæ.

1.

Quando & quomodò monere debet. P. 9. c. 4. §. 4. & Can. 34. Cong. 1. ADMONITOR Præpoſiti Generalis accedens ad Deum in oratione, poſtquàm Divinam bonitatem conſuluerit, & æqvum eſſe judicaverit, admonere tenetur cum modeſtiâ debitâ ac humilitate, quid ſentiat in eodem Præpoſito requiri ad majus obſequium & gloriam Dei.

Reverentia & modeſtia erga caput. 2. Eâ modeſtiâ & humilitate officium ſuum obeat, ut ſubditum decet erga Superiorem totius Societatis, quem Chriſti loco habet; niti etiam debet, ne hujus muneris occaſione, reverentiâ atque obedientiâ interior vel exterior in ipſo debilior reddatur.

Fidelitas, & libertas. 3. Animadvertat tamen ne reverentia hæc & obedientia fidelitatem, aut neceſſariam libertatem, opprimat; quò minùs Præpoſitum admoneat de iis, quæ præmiſſâ oratione proponenda in Domino judicabit.

De quibus monere debeat. 4. Quamvis non teneatur de his Generalem admonere, quæ illi proponenda duo ut minimùm Aſſiſtentes non judicaverint; tamen eorum etiam, quæ à ſingulis Aſſiſtentium ei propoſita fuerint, præcipuam habeat rationem. De iis vero, quæ ſive ipſi in mentem venerint, ſive ab aliis ſuggerentur, tum demum Generalem admonebit, cùm, præmiſſa oratione, ea non levis eſſe momenti in Domino judicaverit; ſive illa ad perſonam, ſive ad officium Præpoſiti pertineant. Procedatque in his omnibus juxta caput quartum & quintum

quintum nonæ partis Conſtitutionum, & Decretum tertium tituli ſexti Congregationis primæ. *Can. 34. Cong. 1.*

5. Ea, quorum Præpoſitum admonuerit, meminerit tacitus apud ſe ſervare, quamvis interrogatus ab Aſſiſtentibus de iis, quæ ipſi commiſiſſent dicenda, rationem ſui officii & reſponſionis Patris Generalis eis debebit reddere; ceteris verò ſatis erit ſignificare ſe propoſuiſſe. *Ne dicta evulget.*

6. Cùm Præpoſitus cujuſquam rei admonitus, illi remedium non adhibuerit, Admonitoris erit cum debita ſubmiſſione iterum & ſæpius eum commonefacere, & ſic functus erit officio ſuo. *Etiam ſæpe monere debet.*

7. Caveat ne occaſione ſui officii, debitam ſubmiſſionem & obſervantiam ſubditorum erga Superiorem totius Societatis aliqua ex parte imminuat aut debilitet. *Ne minuat ſubditorum obſervantiam.*

REGVLÆ SECRETARII SOCIETATIS,

Quæ juvare poterunt Secretarium ad bonam officii ſui adminiſtrationem.

CAPUT I.

1.

CVM Secretarius miniſter ſit Præpoſiti Generalis, ordinariè apud ipſum manens, ut pro memoria & manibus illi ſit ad omnia, quæ ſcribenda & tractanda fuerint; dare operam debet, ut talis ſit, qualem Conſtitutiones requirunt. *Eſt miniſter Præpoſiti. P. 9. c. 6. §. 8.*

2. Ita quoad ejus fieri poteſt, negotia diſponat, ut tempus orationi & ſanctæ Miſſæ ſacrificio deſtinatum, vacuum habeat. *Orationis tempus.*

3. Illa verò, quæ ab eo Secretarii officium nomenque ipſum requirit, & in ejus maximè poteſtate ſunt, in primis habere ſtudeat, ut quam fideliſſimus Generali totique Societati ſit; & adeò ſecreti tenax, ut ſi nihil omnino earum rerum ſciret, quas oportet eſſe ſecretas. *Fidelitas, & ſecretum.*

4. Dili-

Studium boni communis. *P. 9. c. 6. §. 9.*

4. Diligere ſingulari quodam affectu commune bonum Societatis debet; ejuſque inſtituti, Conſtitutionum, Decretorum, Ordinationum, rerumque omnium ad gubernationem pertinentium magnam habere cognitionem: quam non ſolum rerum gerendarum uſu, ſed providâ etiam & aſſiduâ diligentia hæc ſæpè legendo comparare, augere, & conſervare poterit.

Lectio inſtituti.

Diligentia in rebus agendis. *P. 9. c. 6. §. 9.*

5. In agendis rebus ſolicitus, diligens, prudens, & induſtrius ſit, oportet; & in his arte, & auxilio aliorum, quos habebit ſocios, ſe ipſum adjuvare debet.

Quæ in Archivio ſervanda.

6. Archivium habebit, in quo ſcripturas omnes Societati utiles aſſervabit, eo ordine diſpoſitas, ut facilè, cùm opus erit, inveniri poſſint. Authentica Domorum & Collegiorum inſtrumenta aliorumque contractuum, Privilegia, Bullas, Brevia, Signaturas, & Vivæ vocis oracula Sedis Apoſtolicæ, libros originales Conſtitutionum, Exercitiorum ſpiritualium, Congregationum Generalium, Regularum, & Ordinationum omnium. Itemque litteras omnes, quarum aliquis in futurum uſus eſſe poſſit; & ſi quod aliud ſcriptum hujuſmodi erit, ſive ipſe per ſe, ſive per alium quempiam ejus Archivii curam habeat.

Varii libri.

7. Quas ad res, ſimulque ad alias, quas in Archivio eſſe neceſſe non erit, diſtinctos aptoſque habebit libros. Primum, in quo omnia privilegia, facultates, & conceſſiones Sedis Apoſtolicæ conſcribantur. Secundum, in quo earum facultatum, & conceſſionum compendium ſit. Tertium, in quo acta omnium Congregationum Generalium. Quartum, in quo acta omnium Congregationum Procuratorum addito ſigillo Societatis, authentica contineantur. Quintum, libros Regiſtrorum per Provincias diſtinctos, in quibus omnium litterarum, quæ à Generali, vel ab alio ejus nomine ſcribentur, authographa maneant. Sextum, in quo ponentur ſuffragia à Provincialibus miſſa, & ab iiſdem authenticè ſubſcripta & ſubſignata in approbatione alicujus Aſſiſtentis, vel etiam Admonitoris Generalis Præpoſiti, aut in diſſolutione alicujus Domus vel Collegii, cùm id fieri continget. Septimum, in quo ſcriptæ ſerventur Ordinationes omnium Generalium. Octavum, in quo reſponſiones omnes ad dubia circa Conſtitutiones, Decreta, & Regulas. Nonum, in quo reſolutiones dubiorum in rebus literariis, Theologicis ſcilicet ſeu Caſibus conſcientiæ deſcribantur. Decimum, in quo Catalogus ſit omnium Provinciarum, Domorum, Univerſitatum, Collegiorum, Reſidentiarum, Domorumque Probationum totius Societatis, notatis cujuſque reditibus. Undecimum,

cimum, in quo Catalogus deſcribatur omnium, cujuſcumque gradus, qui in Societate vivunt; alphabetico ordine diſtinctus. Duodecimum, in quo Catalogus ſit omnium Profeſſorum quatuor votorum, qui umquam à principio Societatis fuerunt, deſignatis Provincia, profeſſionis tempore, & Generali, ſub quo profeſſionem ediderunt. Decimumtertium, in quo Profeſſi omnes, qui fuerunt, trium votorum. Decimumquartum, in quo Coadjutores formati ſpirituales. Decimumquintum, in quo Coadjutores temporales formati eadem ratione deſcribantur. Decimum ſextum, in quo notantur omnes, qui vel dimiſſi fuerint, vel diſceſſerint à Societate, vel in ea obierint, indicato gradu, quo in ea fuerant. Decimumſeptimum, in quo deſcribantur nomina omnium, qui in Societate moriuntur, declarato loco, ubi moriuntur, tempore quo vixerint, quoque fuerint in Societate, & quo gradu in ea fuerint; adjunctisque breviter rebus ab iis factis, memoria dignis, ut hic liber quaſi commentarius & hiſtoria Societatis eſſe poſſit. In quo notare Secretarius poterit, pro quibus indictæ à Generali ordinariæ aut extraordinariæ preces ſint. Decimumoctavum, ubi formulas litterarum patentium, Miſſionum, Officiorum, Communicationis gratiarum Societatis, dimiſſionis à Societate; & omnium ejuſmodi ſcripturam, quæ à Generali fieri ſolent, deſcriptas habeat. Decimumnonum, in quo tituli omnium Eccleſiaſticorum & ſæcularium Principum, Prælatorum, nobilium notati ſint, & modus, quo ad eos ſcribetur, breviter indicatus.

Habere etiam duos alios pugillares libellos Secretarius debet; alterum, ubi omnia quæ ipſi facienda à Generali præſcribentur, memoriæ cauſa notet; & promiſſa omnia Generalis, ut ſuo tempore præſtentur; alterum ubi ſcribat, quæ litteræ, unde, & à quo, & quo die receptæ ſint, ut ſuo cuique tempore reſpondeatur; & pecuniæ, quæ pro litteris ſolvitur, ratio conſtare poſſit. Omnium denique ſcripturarum, quæ in Archivio ſunt, habebit indicem deſignato loco, ubi quæque poſita ſit; & ut nulla pereat, & ut omnes inveniri quam facillime poſſint.

Quæ Generali in memoriam revocanda.

CAPUT II.

1. Revocabit in memoriam Generali, cum juxta Canonem 28. ſecundæ Congregationis ad ſingulas Provincias ſcribendum fuerit, *Quæ Generali ſuggerenda.*

ut id fiat; & ad unam prius, quam ad aliam, prout cujusque neceſſitas poſtulabit. Sæpius etiam extraordinarie, ſi propter magna alicujus Provinciæ negotia, quæ moram pati non poterunt, neceſſarium eſſe judicabit.

Ordinationes Viſitatorum conſultandæ.

9. Curabit, ut litteræ & ordinationes Viſitatorum, qui à Generali ad viſitandam Societatem, vel aliquam ejus partem miſſi fuerint, tamquam res magni momenti, & communi Societatis bono valde neceſſariæ primo quoque tempore in Conſultationem proponantur.

Conſultationes ut habeantur ſuggerendum.

10. Aliis etiam de rebus curet, ut ſtatutis à Generali temporibus Conſultationes Aſſiſtentium fiant: intelligatque ab eo prius quibus de rebus agendum in illis ſit. Quod ſi quid ejuſmodi eſſe intelliget, ut ferre non poſſe commode dilationem videatur, eum interroget, num de eo extraordinario tempore agi velit.

An alius ad conſultationem vocandus.

11. Cum opus eſſe judicaverit, intelligat ex Generali, num Procurator Generalis, aut alius, qui de re, de qua agendum erit, experientiam aut magnam cognitionem habeat, intereſſe conſultationi debeat.

Litterarum conſultatio.

12. Meminerit ea quæ, ut poſtea dicetur, ex litteris ad Generalem aut alium miſſis, excerpſerit, conſultationi proponenda, ſuo tempore proponere, præſente ſemper ejus Provinciæ Aſſiſtente, unde litteræ miſſæ ſunt. Si quid autem Generalis in ipſa conſultatione longiori deliberatione indigere judicabit, id in aliam reſervabit conſultationem: cavebitque ne oblivione aut negligentia prætermittatur.

Quæ expedienda.

13. Cum aliquid judicio Generalis, aut ab aliquo Viſitatore, aut Provinciali, maxime vero à Generali vel Provinciali aliqua Congregatione relictum fuerit, ſi aut propter occupationes, aut quia res non patiebatur, nondum quidquam aut potuerit aut voluerit conſtituere; non deſinat tamen illum crebro ſubmonere, donec aliquid ſtatuat, ne longinquitate temporis obliviſcatur.

Quando ad Principes ſcribendum.

14. Animadvertat, num expediat Præpoſitum Generalem ad aliquos externos ſcribere, præſertim Principes Eccleſiaſticos aut ſæculares, Epiſcopos, Prælatos, aut alios magna auctoritate viros, ad conſervandam eorum erga Societatem benevolentiam; idque illum admoneat.

Quando non ſcribitur.

15. Moneat etiam eum, ſi quam Provinciam, Viſitatorem, Provincialem, Præpoſitum localem, Rectorem, Magiſtrum Novitiorum, Conſultorem, vel alium quempiam eorum, qui ſcribere debent, ſuo tempore non ſcripſiſſe deprehenderit.

16. Cum

16. Cum de morte alicujus de Societate ſcriptum fuerit; curet primo quoque tempore reliquis Societatis Provinciis ſignificare; ut pro eo debitæ orationes indicantur. De fundatoribus vero aut benefactoribus defunctis Præpoſitum Generalem admoneat, ut juxta Conſtitutiones & illius mentem ſuffragia pro eis fiant. Idem faciet, cum alicujus gravis negotii cauſa (ſive Societatis, ſive Eccleſiæ, ſive Regni, aut Provinciæ alicujus ſit) per totam Societatem, aut per aliquam ejus Provinciam preces indicendas judicabit. *Suffragia pro defunctis.* *Aliæ preces indicendæ.*

17. Si oportere aut decere aliquando judicabit, ut ad aliquem, aut de Societate, aut externum, ſua manu Generalis ſcribat, id illi ſuggeret. *Generalis ſua manu quandoque ſcribat.*

18. Cum novus Chriſti Vicarius electus fuerit, redigat in memoriam Generali quod Conſtitutiones jubent, ut intra unum annum ipſi declaret votum Obedientiæ, quod Profeſſi in Societate Sedi Apoſtolicæ faciunt: & ſi opus eſſe judicabitur, confirmationem gratiarum & privilegiorum Societatis ab eo petat. *Creatio novi Pontificis.*

19. In conſultationibus rem, de qua agendum erit, fideliter & dilucide proponat; & ſi quæ erunt in utramque partem rationes explicabit, ut nihil, ſi fieri poteſt, Generali & Aſſiſtentibus de facto, ſed ſolo jure differendum relinquatur. *Quomodo in conſultatione proponendum.*

20. Quæ autem in ipſa conſultatione aut alibi à Generali definita fuerint, ea in commentariolo notabit, recitabitque Generali antequam diſcedat, ut videat, num ejus ſententiam aſſecutus ſit; & ex ejus mente litteris reſpondeat. *Notet in libro quæ à Generali definita.*

21. Scriptas à ſe litteras Generali leget, & ſubſcribendas tradet: atque ab eo ſcriptas tempeſtive in ſuum quaſque locum tranſmittet. *Litteras in regiſtro aſſervet.*

22. Litteras *ſoli* inſcriptas cum à Generali acceperit, nulli omnino legendas tradet; ſed illum monebit, ut primo quoque tempore reſpondeatur; ſua autem ipſe ad illas manu, non aliena reſcribet. *Litteræ* Soli.

23. Omnium rerum, quæ ad Generalis pertinent providentiam, tam earum quæ certo tempore, quam earum quæ incerto, prout res poſtulat, commentariolum apud ſe habeat, ſæpeque legat, ut earum ipſe rerum ex ſuo commentario recordatus, memoriam Generali renovet. *Memoriale apud ſe habeat.*

24. Scripturas omnes diligenter conſervet; & litteras quæ *ſoli* Generali non inſcribentur, quaſque ille apud ſe non retinebit, in Archivio recondet, *Scripturæ quando aſſervandæ.*

det, notatis in tergo litteris S, iis, quæ Generalis judicio ſervandæ gubernationis cauſa videbuntur: littera vero Æ, quæ ad ædificationem & hiſtoriam Societatis pertinebunt. Scripturas porrò, in quibus perſonæ notantur, nullo modo cuiquam oſtendat ſine expreſſa facultate Generalis.

Quomodo ad executionem multarum rerum Generalem juvare debeat.

CAPUT III.

Eſt manus Generalis.

25. MANUS officium erga Generalem exercebit in exequendis alacriter rebus, quas illi Generalis commendabit, ſive negotia foris agenda, ſive Domi ſcribendæ litteræ ſint. Quæ pars maxime propria ejus officii eſt.

Leget omnes litteras.

26. Simul ut faſciculi aut litteræ aliunde venerint, eas ad Generalem deferat: & quas litteras ſibi Generalis legendas tradiderit, eas diligenter legat, ac ſæpe etiam, ſi opus erit, quo melius negotia, de quibus in iis agetur, animo memoriaque comprehendat.

Præcipua capita à tergo notabit.

27. In omnibus litteris ea capita, quæ alicujus momenti erunt, quæque reſponſione aliqua indigere videbuntur, à tergo litterarum earumdem notabit, maxime vero ea, de quibus in conſultatione cum Aſſiſtentibus Generalis agendum judicabit.

Quæ cum Provinciis communicanda.

28. Quando ad aliquam Provinciam ordinatio aliqua mittitur, aut reſponſio ad dubium de Conſtitutionibus, Decretis, ac Regulis, vel de rebus litterariis; vel denique reſolutio quæcumque, aut conceſſio Apoſtolica; eam ad alias quoque Provincias tranſmitti curet, quibus ordinatio, reſponſio, aut conceſſio hujuſmodi utilis vel neceſſaria eſſe poſſe videbitur.

Fidelitas ac ſecretum quomodo ſervandum.

CAPUT IV.

Fidelitas erga Generalem.

29. FIDELITAS ejus erga Generalem in eo potiſſimum obſervabitur, ſi nihil clam eo aut ſcribet aut aget, quod ad negotia ſpectet Societatis: ſi nullam ſibi gubernationis partem uſurpabit: ſi illi indicabit quidquid aut in tota Societate, aut in aliqua ejus parte, in Aſſiſtentibus, aut in aliis perſo-

perſonis Societatis, præſertim qui gubernant, obſervaverit, quod ejus indigeat providentia.

30. Erga Societatem vero fidelis erit, ſi in caſibus, in quibus ſecundum Conſtitutiones Aſſiſtentes Congregationem Generalem convocare debent, cauſam Societatis adjuvet: & ſi quid ipſe prior ejusmodi noverit, Aſſiſtentibus indicet, ut ſuo fungantur officio.

Fidelitas erga Societatem.

31. Secretum quod ejus maxime requirit officium, non in eo ſolùm erit, ut nihil omnino earum rerum, quas ſecretas eſſe oportet, domi vel foris aliis indicet; ſed in eo etiam ut litteras & ſcripta omnia, quæ ſecreti aliquid continent, ita recondat ac celet, ut à nemine legi poſſint.

Secretum.

32. Cavebit diligenter, ne privatis litteris ſuis ſive ad externos, ſive ad alios de Societate, aut de rebus ejusmodi ſecretis, aut de futuris conſiliis Generalis nondum ab eo evulgatis, quidquam ſignificet.

De ſuis litteris.

33. Nullas litteras, nullos faſciculos, nulla ſcripta ad Generalem miſſa ipſe aperiat aut aperta ab alio legat, niſi eodem jubente Generali: jubere autem intelligitur, quoties litteras illi aut ſcripta reſignata reddiderit, aut aliunde accepta tradiderit.

Litteras non niſi juſſus aperiat.

34. Ex Archivio nullam cuiquam ſcripturam neque domeſtico neque externo, injuſſu Generalis tradat: & cum ejus juſſu tradiderit, in libello notabit, quid, cui, & quando dederit. Et ſi externus fuerit, ſyngrapham ab eo accipiet, ut ſciat, recordeturque ubinam ſit, & poſſit ſuo tempore repoſcere.

Ex archivio ſcripturæ quomodo tradi poſſint.

35. In obitu Generalis obſerabit ipſe tempeſtive ac fideliter armaria ac ſcriniola omnia Generalis demortui, cum ſcripturis ac litteris omnibus, quæ apud ipſum reperientur: & ſimul cubiculum, ubi hæc aſſervantur: & claves apud ſe in Secretaria retinebit. Cum autem renuntiatus fuerit Vicarius, tradet claves antiquiſſimo Aſſiſtentium, à quo eas Vicarius accipiat juxta rationem ſui officii.

In obitu Generalis obſerabit ſcripturas.

36. Litteras ad alios de Societate miſſas, quæ in faſciculo Generalis venerint, niſi ille retinuerit, ipſe ad eorum, ad quos ſcribuntur, Superiores mittet, niſi ipſi Superiores fuerint. Litteras vero Procuratoris Generalis ad ipſum mittet Procuratorem, idque quamprimum, ne qua occaſio elabatur rerum gerendarum.

Aliorum litteras deſtinabit.

Quomodo ſe gerere debeat cum Aſſiſtentibus.

CAPUT V.

Erga Aſſiſtentes quomodo ſe gerat.

37. ERGA Aſſiſtentes ita ſe gerat, ut de eorum officio nihil ſibi aſſumere velle videatur, ſuo ſe gradu continens; eoſque tamquam lectos ad majus officium à Societate viros reverens. Itaque neque in conſultationibus ſententiam ſuam non rogatus dicet, niſi ſi quid ſuadebit caritas ſuggerendum, contentus, (quod illius officium eſt) aliorum bene intelligere, & fideliter excipere ſententias.

Quænam litteræ Aſſiſtentibus dandæ.

38. Lectas à ſe litteras illi tradet Aſſiſtenti, ad cujus provincias negotia, de quibus agetur, pertinebunt, vel unde litteræ miſſæ fuerint: deinde aliis, ſi res aliqua in eis contineatur, quæ in conſultationem erit adducenda, ut omnes ad dicendam ſententiam parati veniant.

Res majoris momenti cum Aſſiſtentibus conferat.

39. Res omnes ſcribendas majoris momenti, itemque inſtructiones eorum, qui huc vel illuc mittentur, antequam ſcribantur, cum Aſſiſtentibus conferat ex commiſſione Generalis: & eorum ſententias fideliter Superiori referat.

Litteræ communes iiſdem oſtendendæ.

40. Si quas Ordinationes aut litteras ad omnes, aut ad aliquas Provincias Generalis ſcribi voluerit, eas antequam mittantur, omnibus Aſſiſtentibus oſtendet: reliquas vero litteras, quæ ad alias aut Societatis aut externas perſonas privatim ſcribentur, ſatis erit illi tantum Aſſiſtenti, ad cujus Provincias ſcribentur, oſtendere.

Quomodo cum Sociis.

CAPUT VI.

Curam gerat ſuorum.

41. SUBSTITUTORUM & ſociorum ſuorum, à quibus in ſcribendis litteris adjuvatur, habebit curam. Primum ut regulas officii ſui ſervent; deinde ne nimio ſcribendi labore aut extinguant ſpiritum, aut vires & valetudinem affligant. Itaque curare debet, ut tempus orationi & aliis exercitiis ſpiritualibus neceſſarium, liberum habeant; & vacationem recreationemque tuendæ valetudini convenientem.

In quibus ſit eorum Superior.

42. Etſi ejus Subſtituti & Socii in iis, quæ ad officium ſuum non pertinent, ſub Præpoſiti aut V. Præpoſiti, & Miniſtri Domus obedientia eſſe debent; poterit tamen eos, cum ipſius poſtulabit officium aut recreationis cauſa, foras

foras mittere; & cum illis, ſi neceſſe fuerit, in ordine domeſtico diſpenſare. Caveat porro ne vel ipſe aliis in rebus illos occupet, vel ab aliis occupari permittat, cum detrimento ſui officii aut valetudinis.

43. Subſtitutos ſociosque, etiam Coadjutores, tractet ut fratres, detque operam, ut ſemper hilares in Domino & alacres ſint, ne & labore ſuapte natura triſti, & ipſius parum jucunda conſuetudine conficiantur. *Benigne illos tractet.*

44. Ex rebus ſecretis tantum cum unoquoque eorum communicabit, quantum cujusque officii ratio, & rerum neceſſitas poſtulabit. *Quæ illis communicabit.*

45. Habeat Socium, qui ei ſit ad manus ad omnia negotia, prout officii neceſſitas exegerit; quique litteras à tabellariis tempeſtive accipiat: & tam pro illis exigendis quam pro aliis Secretariæ uſibus pecuniam expendat: rationemque expenſi ab ipſo prius approbatam Procuratori Generali reddat; à quo & pecunias, prout opus erit, accipiat. *Socius aliquis ad rationes expenſarum, & accipiendas litteras.*

Quomodo cum aliis.

CAPVT VII.

46. CVm aliis ex Societate hominibus ita ſe gerat, ut nullam auctoritatis ſpeciem oſtendat: nullum ſingulari ſtudio & favore proſequatur: ſpe ac promiſſis neminem alat: oſtendat denique omnibus ſe inſtrumentum tantummodo & manum eſſe Generalis. *Quomodo cum noſtris.*

47. Externis ſe gratum, & religioſe amabilem præbeat: curetque ut omnes, quibuſcum aget, in Domino ædificet; & Societati benevolos reddat. Nullum vero cum illis negotium injuſſus à Generali tractabit: & cum ejus tractabit juſſu, caveat, ne quod in ſermone verbum excidat, quod præter ejus ſit voluntatem. *Quomodo cum externis.*

De ratione, & modo litteras ſcribendi.

CAPVT VIII.

48. MODVS ſcribendi ſive ad noſtros ſive ad externos, illud in primis habere debet, ut religioſus ſit; ſed aliter tamen cum ad noſtros, aliter cum ad externos, ſive religioſos, ſive ſæculares ſcribitur. *Modus ſcribendi religioſus.*

49. Cum ad noſtros ſcribet, uſitatum Societatis morem ſervabit: de quo nihil mutabit, niſi jubente Generali: & quisnam is ſit mos ſcire debet; & an ab aliis in Societate ſervetur, animadvertere. *Cum ad noſtros.*

50. Cum

Cum ad alios religioſos. 50. Cum ad alios religioſos eodem ſpiritu, eademque pietatis ſignificatione, qua ad noſtros, debet ſcribere; minus autem libere. Quod autem ad titulos & honorificas appellationes attinet, illis utetur, qui ab aliis religioſis, & prudentibus hominibus eiſdem tribuuntur.

Cum ad externos ſæculares. 51. Cum ad externos ſæculares, animadvertere pariter debet, tum ut litteræ ipſæ religioſam Societatis pietatem ſemper oleant; tum ut eos illis titulos tribuat, quos cujusque dignitati convenire, ac deberi intelliget.

Nullus affectus in litteris. 52. Caveat diligenter, ne in litteris, & maxime iis quas Generalis nomine ſcribet; ſpecies ulla immoderati affectus appareat; aut ullum ſit indicium, non ſatis bonam de eo, ad quem ſcribitur, opinionem Generalem habere.

Profeſſio trium Votorum IV.54
Provincialium poteſtas II.10
Provinciarum Inſtitutio I.108
Provincia aliena VII.57

R.

Recreatio Noſtrorum VI.6
Rectorum triennium II.68
Regulæ communes I.133

Regulas condere I.143
Renovatio Votorum II.64
Reviſores librorum X.11

S.

Scholaſtici Societatis VI.40
Scholia in Conſtitutiones I.51
Secretarius Congreg. Gen. I.A.14
Secretarius Societatis IV.11
Secretum ſervandum V.3
Seminaria noſtrorum II.9
Sepultura Noſtrorum I.109
Stipendium pro miniſteriis I.37
Subſtantialia Inſtit. II.6
Suffragia pro defunctis III.40
Suffragia ſecreta III.13

T.

Theologia II. 69
Triennium Superiorum V.35
Typographia &c. VII. 84.§.3

V.

Vicarii officium, electio &c. I.43
Vice-Præpoſitus Domus Rom. IV. 28
Viſitator VI.35.§.6
Vniverſitates I.118
Vota Novitiorum II.14
Vota Profeſſorum ſimplicia I.102
Vota ſcholaſticorum I.94

INDEX

Eorum, quæ in hoc libro continentur.

I. FORMVLA CONGREGATIONIS GENERALIS. pag. 1103.
In quibus caſibus cogenda eſt Congregatio generalis. Cap. 1. ibid.
De iis, quæ in Congregatione generali pro eligendo Generali Præpoſito in locum demortui, ante quatriduum informationum agenda ſunt. Cap. 2. 1104
De iis, quæ in quatriduo ante electionem fieri debent. Cap. 3. 1109
De iis, quæ ipſo die electionis obſervanda ſunt. Cap. 4. 1111
Quid agendum, ſi Generalis in ipſa Congregatione, aut paulò poſt è vivis decedat. Cap. 5. 1116
Quo pacto procedendum ſit in ceteris caſibus initio propoſitis Cap. 6. 1117
Methodus procedendi in Congregatione generali, quandocumque in eâ, peracto principali negotio, aut ſtatim à principio, de aliis rebus agitur. Cap. 7. 1118
De electione Aſſiſtentium. Cap. 8. 1123
De electione Admonitoris. Cap. 9. 1125

II. FOR-

II. FORMULA CONGREGATIONIS PROVINCIALIS. 1126
In quibus caſibus Congregationes Provinciales cogendæ ſunt. Cap. 1. ibid.
Ad quem pertineat Congregationem Provincialem in unaquaque Provincia cogere, locumque ac tempus ad eam celebrandam præſcribere. Cap. 2. 1127
Qui, & quot congregari debeant. Cap. 3. 1128
De modo procedendi ante electionem mittendorum. Cap. 4. 1132
De electione mittendorum. Cap. 5. 1135
De rebus tractandis poſt electionem. Cap. 6. 1140
III. FORMULA CONGREGATIONIS PROCURATORUM. 1144
Qui ad Generalem tertio quoque anno veniunt. Cap. 1. ibid.
De iis, quæ Procuratores, poſtquàm electi fuerint, agere debeant. Cap. 2. 1146
IV. FORMULA CONGREGATIONIS AD ELIGENDUM VICARIUM SOCIETATIS. 1148
V. OFFICIUM VICARII GENERALIS. 1150
VI. REGULÆ ASSISTENTIUM. 1154
VII. REGULÆ ADMONITORIS PRÆPOSITI GENERALIS. 1158
VIII. REGULÆ SECRETARII SOCIETATIS. 1159
Quæ juvare poterunt Secretarium ad bonam Officii ſui adminiſtrationem Cap. 1. ibid.
Quæ Generali in memoriam revocanda. Cap. 2. 1161
Quomodò ad executionem multarum rerum Generalem juvare debeat. Cap. 3. 1164
Fidelitas ac ſecretum quomodo ſervandum. Cap. 4. ibid.
Quomodo ſe gerere debeat cum Aſſiſtentibus. Cap. 5. 1166
Quomodo cum ſociis. Cap. 6. ibid.
Quomodo cum aliis. Cap. 7. 1167
De ratione & modo literas ſcribendi. Cap. 8. ibid.
De annuarum literarum editione. Cap. 9. 1168
IX. REGULÆ SUBSTITUTORUM SECRETARII. 1169

INDEX RERVM.

ADMONITOR P. Generalis qualis, & quomodò eligendus. pag.1125. An eligi novus debeat quoties moritur Generalis. 116

Admonitoris Regulæ 1158

Ambientium in electione Generalis judicium, & pœna. 1108. In electione Aſſiſtentium 1124. In electione Vicarii. 1150. In Congregatione Provinciæ. 1134

Aſſiſtens electionis 1109. Sedet in menſâ cum Vicario. 1111. Ejus de ſuffragiis juramentum. 1113

Aſſiſtentium electioni dies aſſignandus poſt electionem Deputatorum. 1110. Quot & quales eligendi. 1123 Quomodo de his capiendæ informationes 1124. Quomodò eligantur 1125. Electorum juramentum. Ibid. An novi eligendi quandocumque moritur Generalis 1116. Quomodò à Generali extra Congregationem ſubrogentur. 1125. Aſſiſtentium auctoritas in cogendâ Congregatione Generali 1103. 1117. Suffragium in Congregatione Procuratorum. 1144. Aſſiſtentium Regulæ. 1154.

C.

CAnones qui ad praxim pertineant ex actis Congregationum Generalium poſt electionem deſumendi 1123.

Catalogus Electorum in Congregatione Generalium affigendus. 1105

Catalogi duo in Congregatione Provinciæ. 1132

Compromiſſarii in electione Generalis. 1114. In Congregatione Provinciæ. 1136.

CONGREGATIO GENERALIS

Quatuor in caſibus cogenda 1103. 1117. ſq. Cogi etiam poteſt in aliis rebus, arbitrio Generalis. 1103. Ad electionem Generalis in curiâ Pontificis cogi debet. 110

(Ante electionem.) Inchoari poteſt, cùm duæ tertiæ partes Electorum convenerunt. 1104. Quinam in eâ ſuffragii jus habeant. ibid. Quo ordine ſedeant congregati. 1105. Proponi in eâ nihil debet, quod ad electionem non ſpectet. 1107. Condere decreta non poteſt. ibid. Graviora uno die proponit, altero decidit ibid. Quomodo in ambientes procedat. ibid. quomodo in capiendis informationibus de futuro Generali 1110. ſq. Quomodo in ipſâ electione 1111. &c. Quid agere debeat, ſi abſentem elegerit. 1115 Quid ſi Generalis paulò poſt electionem decedat. 1116.

(Poſt electionem) Tractari in Congregatione, quæ debeant. 1119. Qui ad eam præter Electores vocandi, & quo loco ibid. Quæ tractanda ſunt per Deputatos ſeligenda. ibid. Quo ordine proponenda 1120 De ſubſtantialibus Inſtituti agere non poteſt. 1121. De immutandis abrogandiſque Conſtitutionibus agere, & decernere quatenus poſſit. ibid. Graviora uno die proponenda, altero conficienda. 1121. De gravioribus ad plura medietate ſuffragia decernit, de ceteris ad plura. ibid. Immiſcere ſe illi non debent, qui ex eâ non ſunt. 1120 In dicendis ſententiis, quæ ratio tenenda. 1121. Interceſſiones quot, & quomodò admittat. ibid. Diſſolvi non debet ſine conſenſu ipſius Congregationis. 1123.

CONGREGATIO PROVINC.

Sex in caſibus convocanda. 1126. Non durat ultra x. aut xII. dies. 1128. Quinam in eâ ſuffragii jus habeant. ibid. Congregandorum

dorum numerus definitur, 1129. Supra numerum qui admittendi. ibid. Quis ordo conſeſſus 1132. Quæ agenda ante electionem mittendorum. ibid. Quomodò in electione ipſâ procedendum. 1135. In rebus tractandis quam habeat poteſtatem. 1140. De ſubſtantialibus inſtituti, etiam cùm dubia res eſt, agere prohibetur. ibid. De mutandis conſtitutionibus, vel decretis quatenus agere poſſit. 1141. Ordo & qualitas rerum in eâ tractandarum. ibid. ſq. Sententiarum dicendarum ratio. 1142. Ad plura ſuffragia de omnibus definit. 1143.

CONGREGATIO PROCUR.

Tertio quoque anno apud Generalem cogenda 1144. Inchoari poteſt quando duæ tertiæ partes convenerunt. ibid. Ordo in eâ ſedendi, & dicendi. ibid. Quatriduum ad informationes 1145. Ad plura medietate ſuffragia decernit, an cogenda ſit Congregatio gener. 1146. Si cogendam decernat, intra ſeſquiannum à Generali convocari debet. ibid.

CONGREGATIO AD ELIG. VICARIUM.

In eâ Electores eſſe debent, minimum ſeptem, nec plures quadraginta. 1148. Quis eam convocare debeat. ibid. Quis illi præſidere. ibid. Ordo ſedendi, & dicendæ ſententiæ 1149. Quæ ante electionem agenda. ib. Biduum ad informationes quando inchoandum. ibid. Quomodo contra ambientes procedendum 1150. Quomodo in ipſa electione. ibid.

Convictorum, & Seminariorum Rectores in Provinciæ Congregatione locum non habent. 1128.

D.

Decreta Congregationum generalium Provinciis communicanda. 1123. 1143.

Decretum electionis Præpoſiti Generalis. 1115.

Definitores quando & quomodo eligendi, eorumque poteſtas. 1121.

Deputati ad detrimenta ex quinque nationibus ante electionem creandi. 1106. Creandi etiam, cum nulla, aut cum peracta eſt electio. 1120

Deputati ad ſeligendum quinque poſt electionem creandi. 1119. Eorum etiam eſt providere ne deſit, quod Congregationi proponatur. 1121. In Congregatione Provinciali duo eligendi. 1133.

Deputationes particulares. 1122.

E.

Electio Generalis per inſpirationem. 1113. Per ſcrutinium. ibid. Per Compromiſſarios. 1114. Electionis ſinceritatem impedire conantes excommunicati. 1108. In loco electionis quæ paranda. 1111.

Electores in Congregatione generali. 1104. Eorum ordo & catalogus. 1105. Deputatis pro detrimentis exhibent, quæ ad id negotium ſpectant. 1106. Informationem omnes petere debent in quatriduo 1105. 1106. Quomodo ea peti, darique ab iis debeat 1110. Electorum ſchedulæ ſuffragiorum cum juramento. 1111. Simul omnes Miſſam audiunt, & communicant die electionis. ibid. Poſteà includuntur 1112. Per horam orant. ibid. Abſolvuntur à cenſuris. ibid. Suffragia quomodo ferant. 1113. Electo Generali reverentiam exhibent. 1115. Ad Eccleſiam ſe unà conferunt. 1116.

F.

Formula Congregationis generalis 1103. Congregationis Provincialis. 1126. Congregationis Procuratorum. 1144. Congregationis ad eligendum Vicarium Societatis. 1148.

Formula juramenti Electorum in electione Generalis 1111. In electione Compro-

promiſſariorum. 1114. Abſolutionis Electorum à cenſuris. 1112. Iuramenti de ſuffragiis fideliter publicandis. 1113. Decreti electionis Generalis. 1115. Iuramenti Aſſiſtentium. 1115.

G.

GEneralis eligi qualis debeat. 1110. Quo ritu eligatur. 1112. & ſeqq. Ad plura medietate ſuffragia creandus. 1114. Electo reverentia exhibetur. 1115. Si abſens eligatur, quid obſervandum. ibidem. Præeſt Congregationi generali, & duo in ea habet ſuffragia cum qualitate præcedendi. 1118. Duo item in Congregatione Procuratorum. 1146. In Deputationibus unicum habet, cum prærogativâ præcedendi 1120. Mutare Officiales non poteſt poſt decretam Congregationem generalem. 1118. Congregationem generalem arbitrio ſuo indicit in rebus magni momenti 1103. Et cùm decreta eſt in Congregatione Procuratorum 1145. Cum Aſſiſtentibus examinat acta Congregationum Provincialium. 1144

I.

IMpedimenta electorum. 1140. De impedimentis cujuſquam agi non debet ante electionem. ibid.

Impediti ne veniant ad Congregationem Provinciæ. 1130. Eorum loco ſubſtituendi. 1131.

Incluſor Electorum, & quatuor ejus ſocii. 1105. 1112.

Infirmi in eodem domicilio pro præſentibus habentur. 1136.

Informationes ad electionem Generalis, quæ & quomodo peti, ac dari debeant. 1110. 1111. Non ſinceras dantes excommunicati 1108. Informationes in electione Aſſiſtentium. 1124. In electione Vicarii 1149. In electione mittendorum in Congregatione Provinciali. 1131

Interceſſio cuivis intra triduum conceſſa una vel altera 1122. In Congregatione Provinciali nulla. 1143.

Interrogatorium à Deputatis confectum 1106. Quomodo Electoribus communicetur. ibid.

Iudices ambitus in electione Generalis quinque 1108. Poſt electionem etiam judicium exercent reliquo tempore Congregationis. 1109. Totidem in electione Aſſiſtentium. 1124. In Congregatione Provinciali quatuor. 1135.

M.

MIſſa de Spiritu ſancto die electionis p. Generalis. 1111.

Mittendorum electioni in Congregatione Provinciali dies aſſignandus. 1133. Quales ii eſſe debeant. ibid. Quomodo eligendi. 1135. Quinque deſignandi, cum ad Congregationem generalem mittendi ſunt. ibid. Duo, cum ad Congregationem Procuratorum. 1137. Electi ſemper cenſentur tum ad electiones, tum ad negotia tractanda. ibid. Electorum loco, quando impediti ſunt, qui ſubſtituendi. 1138.

O.

ORatio ad Electores habenda die electionis. 1105. 1112.

P.

PRocurator generalis locum habet in Congregatione Provinciali 1129. Congregationem generalem ingreditur poſt electionem. 1119 Suffragii jus habet in electione Admonitoris. 1126. Adeſt etiam cum Aſſiſtentes à Generali ſubrogati præſtant juramentum. 1125

Procurator Provinciæ, vel maximi Collegii, ad Provinciæ Congregationem admittendus. 1129

Procuratores Indiarum, qui ſunt in Luſitaniâ, & Bæticâ, ad Congregationem generalem mitti non debent. 1137. Nec Provinciarum Congregationibus intereſſe, quando pro generali convocantur. 1129

Procuratores Congregationem generalem non ingrediuntur ante electionem. 1104. Poſt eam admittuntur. Ibid.

Procuratores à Provinciis tertio quoque anno

anno Romam mittendi 1137.1144. Liberam habent ſententiam in deliberatione de cogendâ Congregatione generali 1145. Eorum Congregationis formula. 1144. & ſeqq. Per Provinciam diſcurrere poſt electionem ſuam non debent 1143.1146. Nec externorum negotia ſuſcipere inconſulto Provinciali. ibid. Cui & pecunias omnes conſignare jubentur ibid. Secretario tradere quæ debeant. ibid. Quæ & quomodo apud Generalem tractare. 1146. ſq.

Profeſſis à Congregatione Provinciæ abeſſe liberum non eſt 1139. Qui numero excluduntur, paſſivo ſuffragio non privantur 1129. Applicati Provinciæ poſt indictam Congregationem ſupra numerum admittendi. Ibid. Aliarum Provinciarum profeſſi, quando & quomodo Congregationem ingrediantur. 1130.

Provinciæ extra Europam. 1127. Earum privilegia circa Procuratores Romam mittendos. 1138.

Provincialis indicit, & dirigit Congregationem Provinciæ 1127. Duo habet in eâ ſuffragia, unum in reliquis, cum præcedendi prærogativâ. 1133. Iudicat de impedimentis congregandorum. 1130. Nec retractari poteſt illius judicium à Congregatione. 1131. Impedire neminem debet, quo minus veniat. ibid. Iudicat etiam de impedimentis electorum, ſi ſoluta jam ſit Congregatio. 1139. Brevis ejus ſermo ad congregatos. 1132. De rebus proponendis judicat cum duobus aliis Deputatis 1133. Provincialis impediti loco ad Congregationem generalem ire quis debeat. 1137. Ejus loco, qui præeſt Congregationi duo itidem habet ſuffragia. 1136.

Provincialium ad Congregationem generalem convocandam auctoritas 1103.1117. Romæ futurum Congregationum acta exhibent Vicario. 1104

Q.

Quatriduum in electione Generalis 1109. In electione Aſſiſtentium. 1123. In Congregatione Procuratorum. 1145.

R.

Rejecta à Deputatis in Congregatione generali proponere licet. 1120. In Congregatione Provinciæ tractare quomodo liceat. 1140.

Reviſores ſupra numerum ad Congregationem Romanam admittendi. 1130.

S.

Secretarius Congregationis generalis ante electionem, ejuſque officium. 1105. Digerit in ordinem propoſita Deputatis 1106. Sedet cum Vicario 1111. Iurat de ſuffragiis fideliter publicandis. 1113. Ea miſcet, & educit ex urnâ 1114. Format Decretum Electionis, & ſubſcribit, quando Vicarius eligitur. 1115. Incluſores monet de electo Generali, & ſuffragia in loco ipſo mox comburit. 1116.

Secretarius poſt electionem Generalis eligitur, cum duobus ſociis ad numeranda ſuffragia, & conficienda decreta. 1119. Cum Deputatis redigit in ordinem proponenda. ibid. Acta legit & ſubſcribit ante finem Congregationis. 1122. ſq.

Secretarius Congregationis Provinciæ ejuſque officium. 1133. Unus illi è Patribus adjungendus. ibid. Rationes pro cogendâ, vel non cogendâ Congregatione colligit. 1142. Tranſacta in unâ actione in ſequenti legere debet. 1143. Acta omnia Congregationis ſubſcribit, & ſeorſim ea quæ Romam mittenda ſunt. ibid.

Secretarius in Congregatione Procuratorum 1145. In electione Vicarii. 1149.

Secretarius Societatis Congregationem generalem ingreditur poſt electionem. 1119 Provincialem ſemper ingreditur, modò ſit profeſſus. 1130. Suffragium habet in electio-

ne Admonitoris.1126.Adeſt etiam cum Aſſiſtentes à Generali extra ordinem electi præſtant juramentum. 1125. Ab eo petenda informatio in Congregatione Procuratorum.1145.Secretarii Regulæ. 1159

Subſtantialia inſtituti quæ.1121. 1141

Subſtituti Secretarii ſupra numerum Congregationem Provinc. ingrediuntur. 1130. Eorum Regulæ. 1169.

Suffragiorum ſchedulæ in electione Generalis.1111.Quomodo in electione ferantur 1113. Poſt electionem ſtatim comburendæ in ipſo electionis loco. 1116. Item in Congregatione Procuratorum. 1144. In Congregatione Provinciali non neceſſe eſt, ut in ipſo loco.1133.

Suffragia in rebus definiendis, ſi graviores ſint, plura medietate in Congregatione generali requiruntur, in ceteris plura tantum. 1121. In Congregatione Provinciali plura ſimpliciter. 1143.

Superiores locorum jus habent ad Congregationem Provinciæ. 1118. Loco ſui, ſi impediti ſint, alium mittere poſſint. 1130. Informationem à ſuis capere debent, prius quàm ad illam proficiſcantur. 1131.

V.

Vicarii eligendi formula.1148.Qualis eligi debeat 1149. Ad plura medietate ſuffragia eligendus. 1150.

Vicarii Societatis Officium 1150. & ſeqq.

Vicarius Congregationem generalem indicit, eamque dirigit uſque ad electionem Generalis. 1104. Cum Aſſiſtentibus examinat acta Congregationum Provincialium. ibid. Rationem reddit Congregationi eorum quæ acta ſunt poſt mortem Generalis. 1105. Suffragium unicum in actis omnibus habet cum qualitate præcedendi. ibid. Benedictionem à Pontifice petit. ibid. Socios deſignat Incluſori. ibid. Definit cum Deputatis, quæ proponenda Congregationi 1107. Iudex eſt ambitus cum aliis quatuor. ibid. Orationem habet primo die quatridui 1109. jejunia, orationes, & alia inter noſtros partitur. ibid. Miſſam celebrat die electionis 1111. Abſolvit à cenſuris Electores, & abſolvitur, 1112. ſq. Iurat de ſuffragiis fideliter promulgandis. 1113 Renunciat electum Generalem, formatque decretum electionis. 1115.

Viſitator Congregationem ingreditur in Provincia, quam viſitat, aut in ſuâ. 1118.

FINIS.

RATIO
ATQVE INSTITVTIO
STVDIORVM
SOCIETATIS IESV.

AVCTORITATE

Septimæ Congregationis generalis aucta.

Juxta editionem excuſam



ANTVERPIÆ,

Apud JOANNEM MEVRSIVM.

SVPERIORVM PERMISSV.

SVPERIORIBVS SOCIETATIS.

ETSI integer omnino prodit Studiorum liber, idem qui à multis annis tanto ac tam diturno labore à ſex Patribus Deputatis confectus eſt, ſemel atque iterum in Provinciis ſedulo examinatus, & experientiâ probatus, poſtque extremam manum adhibitam juſſu Quintæ Congregationis generalis anno MDIC. recuſus; tamen cùm à Septima nuper Congregatione ſancita eſſent nonnulla, de variis præſertim Noſtrorum in Philoſophiæ Theologiæque decurſu examinibus, quæ ſuo loco inſerenda erant in Regulas Provincialis; & proximæ quoque editionis exemplaria jam deeſſent; novam hanc inſtitui neceſſe fuit, ſimulque Superiores de additione illâ moneri; quò accuratiùs Congregationis mentem, divina favente gratia, exequi ſtudeant. Romæ 11. Februarii, MDCXVI.

BERNARDVS DE ANGELIS
Secretarius Societatis IESV.

RATIO ATQVE INSTITVTIO STVDIORVM SOCIETATIS IESV.

REGVLÆ PROVINCIALIS.

1.

Finis ſtudiorum Societatis.

CVM ex primariis Societatis Noſtræ miniſteriis unum ſit, omnes diſciplinas Inſtituto noſtro congruentes ita proximis tradere, ut inde ad Conditoris ac Redemptoris noſtri cognitionem atque amorem excitentur; omni ſtudio curandum ſibi putet Præpoſitus Provincialis, ut tam multiplici ſcholarum noſtrarum labori fructus, quem gratia noſtræ vocationis exigit, abundè reſpondeat.

p.4. proœ. & c. 12.§.1.p.10.§.3.

Præfectus ſtudior. general. p. 4. c. 17. §. 2.

2. Proinde non ſolùm id Rectori valdè commendet in Domino, ſed ei etiam Præfectum ſtudiorum, vel Cancellarium adjungat, virum in litteris egregiè verſatum, qui & zelo bono, & judicio ad ea, quæ ſunt ei committenda, polleat: cujus ſit munus, generale Rectoris inſtrumentum eſſe ad ſtudia benè ordinanda: cui Profeſſores, & ſcholaſtici omnes, tum qui in eodem Collegio, tum etiam ſi qui in Convictorum, & Alumnorum Seminariis fortè degunt, & Præfecti ipſi ſtudiorum in Seminariis in rebus ad ſtudia pertinentibus, eâ quâ par eſt humilitate pareant.

Præfectus ſtudiorum inferior, & atrii.

3. Quod ſi ob Gymnaſii amplitudinem ac varietatem, per unum ſtudiorum Præfectum non videatur ſcholarum omnium rationibus ſatis eſſe conſultum; alterum conſtituat, qui ex generalis Præfecti præſcripto inferioribus ſtudiis moderetur: quin etiam, ſi ita res exigat, adjiciatur tertius, qui ſcholarum atrio præſit.

4. Mul-

Profeſſores quomodo comparandi. p 4.c. 6.§.6.

4. Multò antè provideat quoſnam pro unaquaque facultate Profeſſores habere poſſit, obſervatis iis, qui ad eam rem videntur aptiores, qui docti, diligentes, & aſſidui; ac profectus ſtudentium, tum in lectionibus, tum in aliis litterariis exercitationibus ſtudioſi ſint.

Sac. Scripturæ ſtudium, & Magiſter. a p. 4. c.12. §.2. & B.

5. Magnam diligentiam adhibeat in promovendo ſacrarum litterarum ſtudio: quod perficiet, ſi *a* viros ad id muneris eligat non ſolùm linguarum peritos (id enim maximè neceſſarium eſt) ſed etiam in Theologiâ ſcholaſticâ, ceteriſque ſcientiis, in hiſtoriâ, variâque eruditione, & quoad ejus fieri poteſt, in eloquentiâ benè verſatos.

Auditores & tempus.

6. Hanc autem ſacræ Scripturæ lectionem per biennium, hoc eſt ſecundo ferè & tertio Theologiæ anno, Theologi audiant quotidie per tres circiter horæ quadrantes, ubi duo ſunt Theologiæ Profeſſores: ubi verò tres, vel ſingulis diebus breviorem, vel (ſi magis placeat) longiorem alternis.

Hebrææ linguæ Profeſſor qualis. p.4.c.12.§.2.

7. Linguam Hebræam ſi commodè poſſit, doceat ſacræ Scripturæ Profeſſor, vel ſaltem aliquis, qui ſit Theologus; optandumque, ut eſſet etiam linguarum peritus non ſolùm Græcæ propter novum teſtamentum & verſionem LXX. Interpretum, ſed etiam Chaldaicæ & Syriacæ, cùm ex his linguis multa in libris Canonicis ſparſim habeantur.

Auditores, & ſtudium. p.4.c.6.lit. D.

8. Ab hac lectione per annum audiendâ, hoc eſt, ſecundo fere vel tertio Theologiæ, Theologi non eximantur, niſi qui ad eam inepti penitus cenſerentur. Præterea, ut monent Conſtitutiones, deliberare debet, quinam ſint huic ſtudio addicendi: qui verò addicti fuerint, biennio quod repetendæ Theologiæ præſcribitur, plus ſtudii in Hebraicis ponant, imò in ipſo curſu Theologiæ privatâ academiâ ſaltem in vacationibus, ſi fieri poteſt, juventur.

Theologiæ curſus & Magiſtri. a p.4. c.9. §.3. & c.15. §. 3. & p. 5. c.2.§.2. Congr.7. decr.28.

9. *a* §. 1. Quadriennio ex Conſtitutionibus Theologiæ curſum abſolvi curet, idque à duobus, vel ſi omnino aliter fieri non poſſet, a tribus ordinariis Profeſſoribus pro diverſo Provinciarum uſu. Vbi autem tres erunt, tertia lectio erit moralis Theologiæ, in quâ ex profeſſo & ſolidè explicentur materiæ morales, quæ ab ordinariis profeſſoribus, vel omnino prætermitti, vel breviſſimè perſtringi ſolent, Quam quidem lectionem Noſtri biennio ſaltem audiant, alteroque biennio Scripturam ſacram.

a 5. Cong. can. 9.

§. 2. Illud autem in primis meminerit, *a* non eſſe ad Cathedras Theologicas promovendos, niſi qui erga S. Thomam benè affecti fuerint: qui verò ab eo alieni ſunt, vel etiam ejus parum ſtudioſi, à docendi munere repellantur.

10. Initio quarti anni cum Rectore, Præfecto, Magiſtris, ſuiſque

Con-

Biennium ad Theologiam repetendam. b Reg.52.Provinc. c p. 4.c.9. §.14 & 16. & c.15. §.3. d Reg.62. Provinc.

Conſultoribus *b* deſignet aliquos qui & probatæ virtutis in primis ſint, & ingenio polleant, ut ad Theologiam *c* privatim repetendam, & habendos actus, Superioris arbitrio biennio, ut Conſtitutiones jubent, privatum & quietum ſtudium habeant, de quo privata inferiùs erit inſtructio; ex quibus, ubi regionis mos eſt, poterunt aliqui facta *d* à Generali poteſtate ad gradus Doctoratus, vel Magiſterii promoveri.

Promotio ad gradus. p.4.c 6.§.17. c 15. §.4.c.17. §.8.& lit. M.

11. Vbi eſt conſuetudo, ut publica fiat promotio ad gradus, Conſtitutio accuratè ſervetur: nec ullus promoveatur, niſi Theſes aliquot ex inſignioribus Scripturæ locis ſcholaſticis concluſionibus intermiſceat. Ratio quoque promovendi, & reliqui ritus (modò ne Conſtitutionibus repugnent) pro cujusque loci conſuetudine, ſtatutiſque teneantur.

Caſuum Profeſſor. Reg 56.Provinc.

12. Duos in eo Collegio, ubi eſt pro noſtris Seminarium caſuum conſcientiæ, CaſuumProfeſſores conſtituat, qui univerſas ejus generis materias inter ſe diviſas biennio explicent: vel unum, qui binas quotidie lectiones habeat.

Collatio Caſuum. Reg.57.Provinc. & Præp. 57.

13. Bis in hebdomadâ in Domibus profeſſis; in Collegiis bis, aut ſemel, ut melius eſſe in Domino judicaverit, ſive in iis aliqua ſit, ſive nulla publica Caſuum lectio, Sacerdotes noſtri conveniant ad habendam inter ſe de caſibus collationem aliquo Præſide à ſe conſtituto, qui prudenter ac tutò poſſit hanc provinciam ſuſtinere: atque is Præſes Regulas Profeſſoris Caſuum, in quibus modus hujus collationis præſcribitur, legat ac ſervet.

Eadem collatio in Coll. primariis.

14. Fiat etiam hujuſmodi Caſuum collatio in primariis Collegiis, ſive unus duove ſint caſuum Profeſſores, ſive nullus, potiſſimùm pro omnibus Theologiæ auditoribus, ſed ſemel tantùm in hebdomadâ.

Ab eâ non eximendi.

15. Ab his autem omnibus, quas diximus, collationibus præter Theologiæ ac Philoſophiæ profeſſores, & ſi quos alios excipiendos Superior judicaverit, nulli præterea Caſiſtæ, nullique Sacerdotes, qui ex inſtituto vel interdum confeſſiones audiant, eximantur: imò Superior ipſe non niſi rarò, & graves ob cauſas, abſit.

Philoſophiæ Profeſſores quales. p.4.c.9. §.2. & 3. 5.Congr.decr.55.

16. Philoſophiæ Profeſſores (niſi graviſſima neceſſitas aliud exigat) oportet non modò curſum Theologiæ abſolviſſe, ſed eamdem biennio repetiſſe, ut eorum doctrina tutior eſſe poſſit, magiſque Theologiæ deſerviat. Si qui autem fuerint ad novitates proni, aut ingenii nimis liberi, hi à docendi munere ſine dubio removendi.

Philoſophiæ curſus. p.4 c.15.§.2.

17. Philoſophicum curſum triennio abſolvent, non autem minore tempore, ubi ſunt Noſtri: ſi autem ſoli ſint externi auditores, relinquatur Pro-

vinci-

vincialis judicio. Quotannis vero, ſi fieri poteſt, unus curſus abſolvendus, & alter inchoandus.

Rhetoricæ, & Humanitatis tempus.

18. Licet curſus temporis ad humanitatis & Rhetoricæ ſtudium definitus eſſe nequeat, & ad Superiorem pertineat expendere, quantum in his litteris quemque hærere oporteat; Noſtros tamen non ante ad Philoſophiam mittat, quam biennium in Rhetorica conſumpſerint, niſi ratio ætatis, aut aptitudinis, aut aliquid aliud obſtare in Domino judicetur. Quod ſi aliqui indole ingenii ad magnos progreſſus in his potiſſimum ſtudiis faciendos præditi ſint, ut ſolidius fundamentum jaciant, videndum erit an operæ pretium ſit triennium impendere.

P. 4. c. 5. §. 2 & 3. & C. c. 13. §. 4. c. 11. §. 1. & A. p. 4. c. 6. §. 4.

Triplex examen Philoſophorum. Decr. 28. Cong. 7.

19. §. 1. Poſtquam curſum philoſophicum ingreſſi fuerint, ſinguli ſub anni cujusque finem ſerio examinandi erunt per deſignatos Examinatores, Rectore præſente, & ipſo Provinciali, ſi poſſit: nemoque à primo anno Philoſophiæ ad ſecundum, aut è ſecundo ad tertium admittendus, qui mediocritatem non attigerit; hoc eſt, ut ea quæ audivit bene intelligat, ac de iis etiam rationem poſſit reddere. Ad Theologiam vero Scholaſticam audiendam nemo admittetur, qui mediocritatem in Philoſophia non ſuperarit, ita nimirum, ut ejus aſſertiones defendere, tuerique cum approbatione poſſit, niſi forte præclara in mediocri aliquo ad gubernandum aut concionandum talenta eluceant, propter quæ aliud ſtatuendum Provinciali videatur: cui nulla in ceteris diſpenſandi ſit facultas.

Virtutis ratio habenda.

§. 2. In hac autem tota re, quia magni momenti in Domino judicanda eſt, & conſiderate admodum ob majorem Dei gloriam tranſigenda, ſervet in primis Provincialis regulas 49. & 56. officii ſui: & potiſſimum rationem habeat virtutis.

Quadruplex Theologorum examen. Decr. 28. 7. Cong.

§. 3. Simili ratione, qui Theologiæ dant operam, ſub finem ſingulorum annorum examinandi ſunt; nemoque ad inſequentem progredi permittendus, qui in iis, quæ illo anno audivit, mediocritatem Examinatorum judicio non exceſſerit, iis dumtaxat exceptis, quos alioqui mediocres ob præclara, ut dictum eſt, talenta continuare debere Provincialis judicabit.

Qui caſibus deſtinandi.

§. 4. Si qui ergo in ſtudiorum decurſu inepti ad Philoſophiam, aut ad Theologiam eo modo deprehenſi fuerint, ad Caſuum ſtudia, vel ad docendum Provincialis arbitrio deſtinentur.

Examinandi qui extra So-

§. 5. Eodem etiam examine probandi ſunt, qui vel totum curſum Philoſophiæ, aut ejus partem, vel partem etiam aliquam Theologiæ, antequam

cietatem ſtuduerunt. in Societatem ingrederentur, audiverunt, ut idem de illis etiam ſtatuatur.

§. 6. Examina hæc, quibus decernitur an pergere ad inſequentes annos debeant, qui Philoſophiæ vel Theologiæ ſtudent, ſecretis fiant ſuffragiis: & quod conſtitutum fuerit, ſimul cum Examinatorum judicio, ſcriptum conſtet in libro ad id deſignato: ſerventque rem ſecretam qui examini intererunt.

§. 7. Verum quoniam in hujusmodi examine & judicio ingeniorum ſolent haud raro diſcrepantes eſſe ſententiæ, penes Provincialem erit re bene perpenſa, perſpectisque ſuffragiis, auditisque ſuis Conſultoribus id decernere, quod in Domino judicaverit expedire ad majorem Dei gloriam, & commune Societatis bonum. Quod ſi judicarit non eſſe quempiam ulterius illis ſtudiis applicandum, notet hoc in libro, ut dictum eſt.

De talentis quomodo judicandum.

§. 8. De illa autem bonitate talenti ad concionandum, vel gubernandum, quam habere debent, quibus indulgetur ut ad Scholaſticam Theologiam, etiamſi mediocriter tantum in Philoſophia profecerint, admittantur; aut ut in eadem Scholaſtica pergant, quamvis in ejus progreſſu mediocritatem non excedant; Provincialis ſeriò cum ſuis Conſultoribus, & aliis gravioribus viris, qui eos bene norunt, & de hujusmodi rebus judicare poſſint, conſideret.

§. 9. Maxime autem caveat, ne hac ſtudiorum indulgentia & privilegio utatur, niſi erga humiles & vere pios, & mortificatos, qui eo non putentur indigni.

Examen ad profeſſionem. Decr. 28. 7. Cong.

§. 10. Sub finem anni quarti Theologiæ, ultimum examen, duarum ſaltem in unoquoque horarum, profeſſionis cauſa inſtituatur; in quo varia è præcipuis Philoſophiæ ac Theologiæ capitibus percurrantur. Ad profeſſionem autem idoneus nemo cenſebitur, qui tantum doctrinæ in Philoſophia & Theologia aſſecutus non ſit, quantum ad utramque facultatem cum approbatione docendam neceſſe ſit. Quod ſi in aliquo imparis doctrinæ tam illuſtria gubernandi, concionandive talenta erunt, ut habenda eorum ratio videatur, judicium erit penes Præpoſitum Generalem. Cujus etiam erit de iis judicare, quibus ob eximiam litterarum Humaniorum, vel Indicarum linguarum cognitionem, indulgendum cenſuit Sexta Congregatio Decreto 29. Decr. 29.

Secreta in eo ſuffragia. Decr. 28. 7. Cong.

§. 11. Hoc vero ultimum examen, quo decernitur utrum quis ad profeſſionem quatuor votorum ſufficientem habeat doctrinam, non ſolum ſecretis fiet ſuffragiis (in quibus dubium ſuffragium pro nullo habendum ſit) ſed

ſed tenebuntur etiam Examinatores juramento, tum de non revelandis ſuffragiis ſuis, tum de ſincero examinandorum doctrinæ & aptitudinis ferendo judicio. *Iuramentum Examinatorum.*

§. 12. Scribent autem ſinguli ſuffragium ſuum tum ad Provincialem, tum ad Generalem, ſubſcripto nomine proprio: ſed ad Provincialem litteras *ſoli* inſcriptas dabunt, qui quidem in librum ad id deſignatum ſuffragiorum ſolum numerum tacitis Examinatorum nominibus referet, ea ſecreti cautione, ut nemo ac ne Socius quidem ipſe, in ſuffragantium cognitionem veniat; eamque ob cauſam Examinatorum etiam litteras mox comburet. *Suffragiorum modus.* Decr. 89. 7. Congr.

§. 13. Examinatores porro ad examina omnia ſupradicta, in ſingulis Seminariis tum Philoſophicis tum Theologicis, quatuor minimum eſſe debent, quos Generalis deſignarit: iique, quoad fieri poterit, ab eorum qui examinandi ſunt Præceptoribus diverſi. Quorum ſi quos vita fungi, aut aliis rebus diſtentos examini intereſſe non poſſe contigerit, Provincialis erit alios ſubſtituere, qui iisdem juramenti legibus in ultimo examine tenebuntur. *Examinatores quot, & à quo deſignandi.* Decr. 28. 7. Cong.

§. 14. In Legum, Canonumque Doctoribus, qui Societatem ingrediuntur, id obſervari debet, quod par. 5. c. 2. §. 2. B. continetur. Theologiæ vero Doctores ſi qui ſint, de quorum doctrina dubitetur, examinandi pariter erunt; & niſi mediocritatem excedant, ad quatuor votorum profeſſionem minime admittendi. *Theologiæ Doctores an examinandi.* Decr. 88. 7. Cong.

20. Audiant & ſecundo Philoſophiæ anno Philoſophi omnes in ſchola tribus circiter horæ quadrantibus Mathematicam prælectionem. Si qui præterea ſint idonei, & propenſi ad hæc ſtudia, privatis poſt curſum lectionibus exerceantur. *Mathematicæ Auditores, & tempus.*

21. §. 1. Scholæ ſtudiorum inferiorum (omiſſis propter rationes, quæ afferuntur in parte quarta a Conſtitutionum, Abecedariis) non plures, quam quinque eſſe debent, una Rhetoricæ, altera Humanitatis, & tres Grammaticæ. *Scholæ inferiores quot.* a P.4.c.12.lit.C.

§. 2. Hi enim ſunt quinque gradus, ita apte inter ſe connexi, ut permiſceri aut multiplicari nullo modo debeant; tum ne ordinarios etiam Magiſtros fruſtra multiplicare neceſſe ſit; tum ne multitudo Scholarum, & ordinum longiore quam par ſit tempore egeat ad hæc inferiora ſtudia decurrenda. *Cur non permiſcendæ, nec multiplicandæ.*

§. 3. Quod ſi Scholæ pauciores ſint quam quinque, ne tum quidem hi quin- *Duo ordines in una claſſe.*

quinque gradus varientur, ſed poterunt duo ordines in una Claſſe ita conſtitui, ut uterque uni ex iis quinque gradibus reſpondeat eo modo, quo dicetur regula octava Præfecti ſtudiorum inferiorum.

Altiores claſſes potius retinendæ. §. 4. Illud porro curandum, ut quando Scholæ pauciores ſunt, altiores ſemper, quoad ejus fieri poteſt, retineantur ſublatis infimis.

Multiplicandæ interdum ſcholæ, non gradus. §. 5. Quando autem dicimus Scholas Grammaticæ non plures eſſe debere quam tres, & omnes inferiores non plures quam quinque, intelligimus non tam de ſcholarum & Magiſtrorum numero, quam de numero graduum, quos modo deſcripſimus. Nam ſi multitudo diſcipulorum tanta ſit, quantæ ſufficere non poſſit unus *a* Magiſter, tunc geminari poterit Schola, data à Generali facultate, ita tamen, ut idem gradus, eædem lectiones, eadem ratio, ac tempus docendi in utraque retineatur.

a Reg. 47. Provinc.

Vbi liceat multiplicare. §. 6. Hanc tamen geminationem fieri non oportet, niſi ubi ſunt ſtudia Societatis univerſalia aut ratio exigit fundationis, ne plus, quam par ſit, Societas oneretur.

Præſtantes humanitatis Magiſtri comparandi. 22. Ad conſervandam humaniorum litterarum cognitionem, & Magiſtrorum veluti ſeminarium fovendum, binos minimum, aut ternos habere ſtudeat in Provincia his litteris & eloquentia præſtantes. Quod conſequetur, ſi ex iis, qui ad hæc ſtudia idonei propenſique ſunt, nonnullos ſubinde huic rei dicare ſtudeat, ceteris facultatibus quantum ſatis eſt excultos, quorum opera ac ſedulitate bonorum profeſſorum genus quoddam, ac tamquam ſeges ali ac propagari poſſit.

Grammatica Emmanuelis. 23. Dabit operam, ut noſtri Magiſtri utantur Grammatica Emmanuelis. Quod ſi methodi accuratioris, quam puerorum captus ferat, alicubi videatur, vel Romanam accipiant, vel ſimilem curet conficiendam conſulto Præpoſito Generali, ſalva tamen ipſa vi ac proprietate omnium præceptorum Emmanuelis.

Magiſtri perpetui. 24. Perpetuos Grammaticæ, ac Rhetoricæ Magiſtros, quam poteſt plurimos paret. Id autem fiet, ſi poſt abſoluta Caſuum, aut etiam Theologiæ ſtudia nonnullos, quos magis in hoc quam in alio munere Societatem juvare poſſe in Domino judicaverit, ad id ſtrenue applicet, horteturque, ut ſe totos in tam ſalutare opus ob majus Dei obſequium impendant.

Ab ingreſſu parandi, nec removendi. 25. Proderit etiam in ipſo Societatis ingreſſu aliquos, qui ad id accommodati viderentur, quique propter ætatem vel ingenium in gravioribus ſtudiis profecturi non eſſent, hac conditione recipere, ut vitam ſuam in his litte-

ris

ris docendis divino obſequio dicare velint: quod etiam adnotetur in libro Provincialis. Hi vero vel ante, vel poſtquam aliquot annos docuerint, prout in Domino viſum fuerit, aliquid ex conſcientiæ Caſibus audire, & Sacerdotes fieri poterunt, ad idem docendi munus reverſuri, à quo non removeantur ſine gravi cauſſa & conſultatione: niſi interdum ob defatigationem, ut uno aut altero anno intermittant, Præpoſitus Provincialis ſtatuerit.

26. Diſcipulos interim noſtros Provincialis à docenda Grammatica, vel Humanitate non eximat, niſi aliter ob ætatem, aut aliam rationem ſtatuendum in Domino videatur: curandum tamen, ut qui talenta ad concionandum oſtendunt, præſertim rariora, non diutius quam par eſt in docendi munere tam Humaniores litteras, quam Philoſophiam & Theologiam detineantur; ne ſi ſecus fiat quando in iis ſtudiis pæne conſenuerint, tum demum ad concionandum accedant. *A docendi munere non eximendi.* Decr. 73. §. 8. Congr. 7. Ex Inſt. Pro Concionat.

27. Ex ſingulis tamen curſibus ſeligat ſingulos, aut binos, ternoſve, ſeu plures pro numero diſcipulorum, qui plus ceteris profecturi videantur, quos Theologiæ applicet: quibus tamen ſi neceſſe ſit, vel ſi videatur, uti poterit abſolutis ſtudiis, & tertio anno probationis ad docendam etiam Grammaticam, ſeu ſtudia Humanitatis. *Ex curſu ad Theologiam eligendi.*

28. Enitendum ut ſcholis nequaquam præficiantur, qui Philoſophiam, ſi eam audituri ſunt, nondum audierint, cum qui jam audierint non deſunt. *Magiſterii tempus.*

29. Curandum etiam, ut noſtri initium docendi faciant ab ea ſchola, qua ſuperiores ſcientia ſint, ut ſic quotannis ad altiorem gradum cum bona parte ſuorum auditorum poſſint aſcendere. *Initium docendi à qua ſchola.*

30. Atque ut inſtructiores ſint quando ad docendum veniunt, pernecesſarium eſt, ut privata academia ad id exerceantur: quod Rectori valde commendetur, quo, ut eſt in ejus regula 9. diligenter efficiatur. *Academia ad Magiſtros inſtituendos.*

31. Efficiat ut in Collegiis, præſertim primariis, in quibus numerus externorum diſcipulorum copioſior eſt, plures ſint Confeſſarii, ne ad unum omnes ire neceſſe ſit: quam etiam ob cauſam extraordinarii interdum exponantur, ut magis pœnitentibus ſatisfiat. *Confeſſarii non deſint.*

32. In Collegiis vero, præſertim minoribus, operam dabit, ut *a* Coadjutorum ſatis ſit, ne Magiſtrorum & diſcipulorum opera Rector ad munera domeſtica uti cogatur. *Nec Coadjutores.* a P. 4. c. 3. §. 2. & c. 6. §. 3. & B.

33. Ne noſtris quantum ſatis eſt librorum deſit, aliquem reditum an- *Reditus pro*

 nuum *Bibliothecæ.*

Abſtinendum à libris inhoneſtis.
c P. 4. c. 5. lit. E. c. 14. §. 2.
d ibid. lit. D.

nuum ſive ex Collegii ipſius bonis, ſive aliunde, amplificandæ *b* Bibliothecæ attribuat, quem alios in uſus convertere nulla ratione liceat.

34. Omni vigilantia caveat, maximi momenti id eſſe ducendo, ut omnino in ſcholis noſtris abſtineatur à libris poëtarum, aut quibuſcumque, qui *c* honeſtati bonisque moribus nocere queant, niſi prius à rebus & verbis inhoneſtis purgati ſint; vel *d* ſi omnino purgari non poterunt, quemadmodum Terentius, potius non legantur, ne rerum qualitas animorum puritatem offendat.

e P. 4. c. 13. A.
Conſtantia in ſcholarum horis, & vacationibus.

35. *e* Conſtituat quibusnam toto anno horis inchoandæ finiendæque ſint ſcholæ, ubi certis anni temporibus variantur. Quod autem conſtitutum fuerit, in eo conſtanter perſeverandum: ſicut nec facile permittendum, ut dies vacationis hebdomadariæ differatur, aut anticipetur: curandumque, ut ordo dierum, quibus docendum, & quibus vacandum eſt, omnino ſervetur.

a P. 4. c. 18. §. 5.
Vacatio.

36. *a* Vt aſſiduitas in litterario exercitio, ſic & aliqua remiſſio neceſſaria eſt: cavendum tamen ne ullæ novæ vacationes introducantur, & in iis, quæ præſcribuntur, conſtantia ſervetur. De quibus hæc potiſſimum dicenda ſunt.

Vacatio generalis.

37. §. 1. Anniverſariæ vacationes generales claſſium ſuperiorum breviores non ſint uno menſe, nec longiores duobus. Rhetorica, niſi mos univerſitatis aliud exigat, menſe vacet. Humanitas tribus hebdomadis. Suprema Grammaticæ duabus; una tantum reliquæ.

Dies feſti.

§. 2. Vt certi ſtatique ſint dies feſti, quorum numerum minui magis, quam augeri oportet, eorum Catalogum conficiendum curet pro ſuæ regionis ritu.

§. 3. A vigilia Natalis Domini ad feſtum usque Circumciſionis diem claſſes ſuperiores; inferiores vero à meridie ejusdem vigiliæ, usque ad feſtum diem ſanctorum Innocentium vacent.

§. 4. A Quinquageſima vacetur, ubi mos erit, usque ad feriam quartam Cinerum, quo tamen die poſt meridiem Magiſtri omnes doceant.

§. 5. A Dominica palmarum usque ad Dominicam in albis ſuperiores claſſes; inferiores autem à meridie quartæ feriæ majoris hebdomadæ usque ad feriam tertiam Paſchatis vacent.

§. 6. A vigilia Pentecoſtes in ſcholis ſuperioribus; in inferioribus à meridie ejusdem vigiliæ usque ad feriam tertiam vacetur, & præterea feria quinta.

§. 7. Pridie ſolemnitatis Corporis Domini tum inferiores tum ſuperiores

riores à meridie ſolum vacent; contra vero in Commemoratione defunctorum ſolum ante meridiem.

§. 8. Porro his diebus, quibus ſcholæ tantum inferiores habentur, nihil de legitimo tempore diminuatur.

§. 9. Si quando per ſupplicationes publicas non liceat habere ſcholas antemeridianas, pomeridianæ certe habeantur: in Rogationibus tamen etiam antemeridianæ, ubi ea conſuetudo viget. *Supplicationes.*

a §. 10. Saltem ſingulis hebdomadis dies unus quieti deſtinatus ſit. Quod ſi duo dies feſti in unam hebdomadam inciderint, nullus præterea erit vacationis dies: niſi forte id ſæpius, atque ita accidat, ut alter in diem Lunæ, alter in Sabbathi diem incidat; tum enim poterit alius dies indulgeri. Quod ſi unus in hebdomada dies feſtus fuerit, isque dies Mercurii, vel Iovis, eo die vacetur, non alio: ſin autem die Lunæ, aut Sabbathi; ceſſabitur item die Mercurii vel Iovis: ſi denique die Martis, aut Veneris, tunc ſi concio non habeatur, & liceat honeſtæ recreationi operam dare, non vacabitur alio die; ſi non liceat, vacabitur rurſus die Iovis, aut Mercurii. a P. 4. c. 13. F. *Hebdomadaria vacatio.*

§. 11. Et in ſuperioribus quidem claſſibus hebdomadariæ ceſſationi dabitur integer dies; in inferioribus vero ante meridiem docetur, in Rhetorica per horam cum dimidiata, in ceteris per duas horas; poſt meridiem omnes vacant: ab initio tamen Iunii omnes tota die. *Diverſa pro ratione claſſium.*

38. Denique, ut totus hic Societatis labor ad majorem Dei gloriam bene ſuccedat, videat ut omnes tum ſuperiores, tum inferiores perfecte obſervent ſuas, quæ ad Rationem ſtudiorum pertinent, regulas. *Obſervatio libri ſtudiorum.*

39. *a* Et quoniam pro regionum, temporum, ac perſonarum varietate in ordine, & ſtatutis horis ſtudio tribuendis, in repetitionibus, diſputationibus, & aliis exercitationibus, itemque in vacationibus, poteſt varietas accidere: ſi quid in ſua Provincia magis expedire ad majorem in litteris profectum exiſtimabit, referat ad Præpoſitum Generalem; ut ea demum ſtatuantur, *b* quæ ad omnia neceſſaria deſcendant, ita tamen, ut ad communem ordinem ſtudiorum noſtrorum maxime accedant. a P. 4. c. 6. K. c. 13. §. 2. & A. c. 14. §. 5. *Varietas pro varietate regionum.* b P. 4. c. 7. §. 2.

40. Ad extremum quæ de pietate, & diſciplina morum, ac de doctrina Chriſtiana tradenda in regulis inferiorum magiſtrorum, & quæ de moribus, ac pietate in communibus omnium Magiſtrorum regulis præcipiuntur, ut proxime ad ſalutem animorum ſpectantia, & toties in Conſtitutionibus inculcata, ſibi præcipue commendata putet. *Pietatis & morum præcipua cura.*

REGV-

REGULÆ RECTORIS.

a P. 4. proœ. Studiorum cura.

CUm ideo *a* Collegia & Vniverſitates Societas amplectatur, ut in his noſtri commode poſſint & doctrina, ceteriſque rebus, quæ ad adjuvandas animas conferunt, inſtrui; & quæ didicerint ipſi, communicare cum proximis; poſt religioſarum, & ſolidarum virtutum curam, quæ præcipua eſſe debet, in illud maxime incumbat, ut finem hunc, quem in Gymnaſiis admittendis Societas ſibi propoſuit, Deo juvante conſequatur.

b P. 4. c. 17. §. 2. Præfecti auctoritas.

2. *b* Ad ſtudia moderanda adjutorem habebit ſtudiorum Præfectum; cui omnem tribuet poteſtatem, quam ad rectam ejus officii adminiſtrationem pertinere judicabit.

c P. 4. c. 6 §. 9. Litterariis exercitationibus interſit.

3. Ita reliqua negotia diſpenſet ac temperet, ut omnes *c* litterarias exercitationes fovere atque amplificare poſſit. Adeat interdum ſcholas, etiam inferiores; frequenter interſit Theologorum, Philoſophorumque diſputationibus, tum privatis, tum publicis; an, & quibus de cauſis hujus exercitationis fructus impediatur, obſervet.

Præcidendæ diſcipulis occupationes. a Reg. 38. Rectoris.

4. Nullo modo ferat auditorum quempiam à diſputationibus aut repetitionibus abeſſe; ut omnes eam rem magnæ ſibi curæ eſſe intelligant: *a* proinde occupationes omnes diſcipulis præcidat, quæ ſtudiis impedimento eſſe poſſint.

Præſertim biennio repetentibus.

5. Eos qui biennio recolunt Theologiam, habendis concionibus in eccleſiis vel in cœnobiis Virginum quam minime poteſt, occupet, idque conſulto Provinciali.

Magiſtris qui ſubſtituendi.

6. Ex iiſdem, ſi quando ordinarii vel Philoſophiæ, vel Theologiæ Præceptores deſint; in eorum locum aliquos ſuffici par erit: iidemque poterunt, ſi opus ſit, domeſticis tum repetitionibus, tum diſputationibus Præceptorum loco præſidere; imo etiam, conſulto Provinciali, Philoſophiam, vel Theologiam in ſcholis ad tempus prælegere.

b P. 4. c. 6. §. 5. D. *Linguarum academia.*

7. *b* Efficiat ut Hebrææ, Græcæque linguæ academiæ inſtituantur inter noſtros, in quibus academici bis aut ter in hebdomada, certo aliquo, puta vacationis tempore, ſic exerceantur, ut inde prodire poſſint, qui harum linguarum ſcientiam & dignitatem privatim ac publice tueantur.

8. *c* Domi

8. *c* Domi linguæ Latinæ uſum inter ſcholaſticos diligenter conſervandum curet: ab hac autem Latine loquendi lege non eximantur, niſi vacationum dies, & recreationis horæ; niſi forte in aliquibus regionibus Provinciali videretur his etiam temporibus facile poſſe hunc Latine loquendi uſum retineri: faciendum quoque ut noſtri, qui nondum ſtudia abſolverunt, litteras cum ad noſtros ſcribunt, ſcribant Latine. Bis præterea aut ter in anno, cum aliqua celebritas, ut renovationis ſtudiorum, aut votorum agitur, Philoſophi etiam ac Theologi carminum aliquid condant, affigantque. c. P. 4. c. 6. §. 13. *Lingua Latinæ uſus.*

9. Ne Magiſtri claſſium inferiorum docendi rudes ad docendum accedant, Collegii ex quo humaniorum litterarum, & Grammaticæ Magiſtri ſolent educi, Rector deligat unum aliquem docendi peritiſſimum, ad quem ſub finem ſtudiorum ter in hebdomada per horam conveniant proxime futuri Præceptores ad novum inſtituendi magiſterium; idque viciſſim prælegendo, dictando, ſcribendo, emendando, aliaque munia boni Præceptoris obeundo. *Academia ad Magiſtros inſtituendos.*

10. Si Noſtri Rhetores, & Humaniſtæ, vel ad publicas non accedunt prælectiones; vel accedunt quidem, is tamen, qui ſcholæ præeſt, & externos diſcipulos exercet, non poteſt nimio fortaſſe oneri externorum & noſtrorum probe inſtituendorum ſufficere; noſtros alteri cuipiam idoneo Rector committat, à quo ex formula in Regulis Profeſſoris Rhetoricæ præſcripta, domi privatim diligenter exerceantur. *Rhetores noſtri quomodo erudiendi.*

11. *a* Videat etiam, ut interdum aliquæ à noſtris Rhetoricis orationes, aut poëmata Latine, vel Græce, tum in menſa habeantur, tum in aula de re aliqua ad ædificationem domeſticorum & externorum pertinente, qua ad perfectiora in Domino animentur; aliæque exercitationes non deſint, quæ in Conſtitutionibus commendantur. a P. 4. c. 6. §. 12. & 13. *Quomodo exercendi.*

12. Curandum eſt, ut Alumni noſtri, ſive Convictores annum (quoad ejus fieri poteſt) Rhetoricam audiant, antequam philoſophiam aggrediantur; eorumque parentibus, quantum id expediat, demonſtrandum. Ceteris quoque externis idem ſuadendum, *a* qui, ſi volent nihilominus aliam rationem ſequi, cogendi non erunt. Si qui tamen adhuc plane pueri ad philoſophiam velint accedere, ex quibus perturbatio potius timeatur; poſſet cum iis agi, quod cum illis, qui nollent promiſſione obligari, vel nomina in matriculam dare, agendum *b* Conſtitutiones ſtatuunt. *Externi ad Rhetoricam hortandi.* a P. 4. c. 13. E. b. P. 4. c. 17. D.

13. *c* Tragœdiarum & Comœdiarum, quas nonniſi Latinas, ac rariſſimas c. Reg. 58.

Tragœdia, & Comœdia.

eſſe oportet, argumentum ſacrum ſit, ac pium; neque quidquam actibus interponatur, quod non Latinum ſit, & decorum; nec perſona ulla muliebris, vel habitus introducatur.

d 1. Cong. can. 16.
Præmia.

14. *d* Præmia diſtribui publice poterunt ſemel quotannis; modo id fiat ſumptu clarorum hominum, eoque moderato pro ſcholarum numero, Collegiique ratione. Eorum autem, qui ſumptus ſuppeditant, in ipſa præmiorum diſtributione honorifica mentio erit facienda. Magna autem cura caveat, ne diſcipuli, dum ſe ad hujuſmodi res comparant, morum faciant, ſtudiorumve jacturam.

Oratio in ſtudiorum renovatione.

15. Non committat, ut oratio in ſtudiorum inſtauratione publice ab alio, quam à Magiſtro aliquo inſigniore, niſi neceſſitas cogat, habeatur.

Quæ ſcriptiones in codicem referenda.
b Reg. 11.

16. Servandum curet, quod eſt in regulis b Præfecti bibliothecæ de referendis in codicem his rebus, quæ publice exhibentur, ſcribunturque in Collegio, ſeu extra Collegium à noſtris, hoc eſt, dialogis, orationibus, verſibus, & aliis hujuſmodi, Præfecto, aut aliis harum rerum peritis dato negotio ſeligendi.

Librorum diſtributio.

17. Bibliothecarium in librorum diſtributione à ſtudiorum Præfecti præſcripto jubeat non diſcedere.

Conſultationes Magiſtrorum.

18. Singulis, aut alternis ſaltem menſibus conſultationes habeat omnium Magiſtrorum infra Logicam, præſente utroque Præfecto: ceterorum etiam interdum præſente Præfecto generali: in quibus primum aliquid ex regulis Magiſtrorum, tum communibus omnium, præſertim iis, quæ ad pietatem, ac morum diſciplinam ſpectant, tum propriis ſingulorum ex ordine recitetur. Moneat autem cuique licere proponere, ſi quid in iis difficultatis occurrat, aut ſi quid forte non obſervetur.

a P.4.c.13.§.5.F.
Hebdomadaria ceſſatio.

19. *a* Scholæ inferiores hebdomadaria ceſſatione non careant ſemel in hebdomada, vel per integrum diem, vel ſaltem pomeridianis horis, prout regionum uſus tulerit.

Magiſtrorum fovenda alacritas.

20. Studeat etiam diligenter caritate religioſa Magiſtrorum fovere alacritatem; curetque ne muneribus domeſticis gravius onerentur: quod autem Rectori præſcribitur regula vigeſima quinta ſui officii, id peculiari ſtudio cum iis exequatur.

Exhortationes ad diſcipulos.

21. Deliberet an præter Magiſtrorum hebdomadarias exhortationes, alia inſuper à Patre quopiam gravi habenda ſit ſingulis, vel alternis menſibus in loco aliquo ampliore, in quem inferiores tantum, vel etiam ſuperiores

claſſes

claſſes cogantur: & quando ex uſu ſit, ut ipſemet Præfectus, aliusve per claſſes interdum monita ſalutaria, & propria puerorum tradat.

22. Vbi Præfecto ſtudiorum inferiorum à Provinciali Socius addetur, qui & atrii Præfectus dici poterit, ad illum pertinebit regula ſecunda Præfecti inferioris, & regulæ ejuſdem, quæ ad mores pertinent à numero trigeſimo ſeptimo usque ad finem; &, ſi videatur, regulæ de novis examinandis à numero nono usque ad tertium decimum. *Præfecti atrii regulæ.*

23. Det operam, ut Divæ MARIÆ Annuntiatæ Congregatio ex Romano Collegio in ſuum propagetur: cui qui nomen non dederit, non eſſet in Academiam, in qua recoli ſolent litterariæ exercitationes, admittendus; niſi forte ipſe Rector aliter expedire in Domino judicaverit. Verum ea, quæ ad Congregationem, vel Academiam ſpectant, ne fiant eo tempore, quo in templo noſtro ſacræ conciones, ſeu lectiones habentur. *Congregatio B. Virginis.*

24. Denique de vacationibus, de gradibus, de noſtris quibus biennium ad recolendam Theologiam concedendum erit; deque aliis Provincialem conſulat; & diligenter, quæ ipſe ſtatuerit, exequatur. *Quædam Provinciali permiſſa.*

REGVLÆ PRÆFECTI STVDIORVM.

1. PRæfecti munus eſt, generale Rectoris inſtrumentum eſſe ad ſtudia recte ordinanda, ſcholasque noſtras ita regendas, ac moderandas pro facultate ab eo accepta, ut qui eas frequentant, quam maxime in vitæ probitate, ac bonis artibus, doctrinaque proficiant ad Dei gloriam. *a P. 4. c. 17. §. 2. Præfecti munus.*

2. Sicubi forte Cancellarius eſt à Præfecto diſtinctus, Provincialis erit videre, quænam ex his regulis, utrique communes, vel alterutri proprie eſſe debeant, pro cujusque Academiæ conſuetudine & ſtatutis. *Quæ Præfecti, quæ Cancellarii regulæ.*

3. Nihil immutet ex iis, quæ habentur in Ordine ſtudiorum, neque diſpenſet; ſed, ubi opus eſt, referat ad Superiorem. *Præfectus non diſpenſet.*

4. Librum de Ratione Studiorum familiarem habeat, & ab auditoribus, Profeſſoribusque omnibus regulas ſedulo curet obſervandas; præcipue vero eas, quæ de doctrina S. Thomæ Theologis, & de delectu opinionum Philoſo- *Liber de Ratione ſtudiorum.*

 phis

phis præſcribuntur: in quo præſertim invigilet, cum concluſiones defendendæ, maxime vero cum imprimendæ erunt.

Profeſſores materias abſolvant.

5. Vnicuique ex Profeſſoribus tum Theologis, tum Philoſophis, tum Caſiſtis, præſertim ſi quem paullo tardiorem compererit, in memoriam revocet, ut progrediatur, ita ut ſingulis annis materias ſibi aſſignatas abſolvat.

Diſputationes quomodo moderandæ. *a P. 4. c. 6 §. 10. & 6. c. 13. §. 3. & c. 17. §. 2.*

6. Omnibus diſputationibus, ad quas Profeſſores ſive Theologi, ſive Philoſophi conveniunt, Præfectus *a* præſit oportet; ſignumque det finiendi iis qui diſputant; ac tempus ſic diſtribuat, ut omnibus ſuus ſit diſputandi locus. Non patietur difficultatem ullam, quæ in diſputationem veniat, ultro citroque ſic agitari, ut non minus quam antea incomprehenſa permaneat; ſed poſteaquam de re quapiam fuerit concertatum, eam ab eo qui præeſt, diligenter explicandam curet. Neque enim argumenta ſolvet ipſe, ſed argumentantibus & reſpondentibus potius moderabitur: idque majore cum dignitate præſtabit, ſi non argumentando, (quamvis id aliquando decet) ſed interrogando faciet, ut difficultas magis explanetur.

De actibus Theologicis.

7. Suo tempore in memoriam redigat Superiori, ut, auditis Præceptoribus, ſtatuat quibusnam, ſive totius Theologiæ, ſive partis alicujus Theſes defendendæ ſint: qui quidem actus ab his, quibus non eſt tribuendum recolendæ Theologiæ biennium, habendi ſunt anno Theologici ſtudii quarto, aut (ſi æquo pauciores ſint Theologi quarti anni) tertio; idque etiam ubi noſtri domi Theologiam audiunt, externis invitatis, cum aliquo apparatu. Ad generales vero non neceſſe eſt ut omnes admittantur; qui peculiares habuerunt; ſed ii, qui ingenio & facultate præſtent, eligi poterunt: ii vero, qui habituri ſunt biennium, biennio ipſo actus ſuos celebrabunt, ut deinde dicetur.

De actibus peculiaribus.

8. Ad peculiares autem actus, quos ſinguli ſingulos habebunt, materias ex quatuor Theologiæ partibus Præfectus cum Magiſtris diſtribuet: ſed ita, ut non nimis frequenter, ſed per intervalla quædam habeantur; ac duabus horis & dimidiata minimum circumſcribantur; nec niſi mane, vel a prandio tantum: & argumententur fere non pauciores quam tres; quorum unus ſit ut plurimum Doctor.

De Generalibus.

9. Generales univerſam fere Theologiam comprehendant, & antemeridianum videlicet ac pomeridianum tempus occupent; vel certe ad quaternas ſeu quinas horas producantur, ubi non niſi mane, vel a prandio diſputari moris eſt.

Concluſiones imprimendæ.

10. Generalium horum actuum Concluſiones poſſunt, ſi videatur, eſſe

com-

communes noſtris omnibus eodem anno defenſuris; & publicis typis (ſi loci conſuetudo ferat) excudi.

11. Eorum, qui ſunt hos actus habituri, unus in ultimam, ſi commode poteſt, reſervetur hebdomadam, qua ſtudia finienda ſunt; alter in eam, qua ſcholæ rurſus aperiendæ. *Certum concluſionum tempus.*

12. Ad actus generales habendos aliqui quotannis invitentur externi, qui Theologiæ curriculum in noſtro gymnaſio non exigua cum laude confecerint. Hujusmodi autem actus oportet eſſe ceteris ſolemniores, & quanto maximo noſtrorum, externorum Doctorum, ac Principum etiam virorum conventu celebrari. *De actibus externorum.*

13. Præſideant omnibus actibus Profeſſores, vel alterni, vel ſimul ambo, ita ut de ſuis uterque quæſtionibus reſpondeat: præſidere etiam poſſunt alii Doctores noſtri. *Actibus qui præſideant.*

14. In generalibus actibus concluſiones nec nimis longæ ſint, nec plures fere quam quinquaginta; pauciores, ſi publicus Academiæ mos aliter habet. In peculiaribus vero actibus non plures, quam viginti; quam duodecim, vel quindecim in menſtruis diſputationibus; quam octo, vel novem in hebdomadariis. *Concluſionum numerus.*

15. Reſponſurus concluſionem unam, aut alteram breviter (antequam ad diſputationem veniatur) paullo quidem ornatius, ſed Theologico tamen more confirmet. *Reſpondens concluſiones confirmet.* P. 4. c. 6. § 10.

16. De menſtruis & hebdomadariis diſputationibus ſervanda diligenter curet, quæ in regulis Profeſſorum Theologiæ ac Philoſophiæ præſcribuntur. *Diſputationes menſtruæ & hebdomadariæ.*

17. Audiat aliquando Præceptores, minimum ſemel in menſe; interdum etiam commentarios legat à diſcipulis exceptos. Si quid animadverſione dignum, vel ipſe obſervaverit, vel audierit ab aliis, ubi id certo compererit, Præceptorem perquam benigne & comiter admoneat; remque totam ad Rectorem, ſi neceſſe ſit, deferat. *Audiendi, & obſervandi Præceptores.*

18. Idem ſervandum, cum in recognoſcendis concluſionibus aliquid incideret, quod inter Præfectum & Præceptorem non conveniret: neque enim eo inſciente Concluſionem ullam aut delere aut immutare debet, ipſa vero immutatio fiet ceteris omnibus inſciis, præter Rectorem. *Recognitio concluſionis.*

19. Sub finem triennii, curſusque philoſophici, diſputationes habeantur de univerſa Philoſophia: ad quas deligantur pauci, & egregie inſtructi, qui ejus loci dignitatem ſuſtinere valeant; hoc eſt, qui multo plus quam mediocriter profecerint. *De actibus philoſophicis.*

 20. Hi

Examen noſtrorum metaphyſicorum.

20. Hi ſeligendi ſunt per examinatores tres, aut etiam plures. Examinabunt autem ſemper Præfectus, & Præceptor proprius, quibus à Rectore addetur tertius ex reliquis Magiſtris, vel alius, qui recte id facere poſſe judicetur. Cum his tribus aderunt præterea ſaltem duo alii Profeſſores à Rectore item eligendi, qui viciſſim etiam mutari poterunt: vel ſi id non poſſit, alii valde idonei, qui cum tribus examinatoribus ſuffragium ſcripto ferant; ita ut ſint minimum quinque ſecreta ſuffragia; & ab omnibus rem omnino ſecretam ſervari oportet.

Alumnorum & Convictorum.

21. Alumnos, ſeu Convictores, ſatis eſt examinari à ſuo Præfecto, & duobus Philoſophiæ Repetitoribus; aut ſi ii defuerint, à doctioribus duobus Theologiæ auditoribus ex noſtris, à Præfecto generali aſſignandis. Verum qui ab his judicati erunt idonei, non prius ad actum ſeſe comparent, quam ſui Præceptoris, ac Præfecti generalis judicio ſint probati.

Publicum ſit.

22. Hoc examen (à quo, & ſevere quidem agendo, nullus fere excipiendus è noſtris; & ſi fieri poteſt, nullus etiam ex Alumnis & Convictoribus) publicum erit, niſi quid obſtet: videlicet ſi noſtrorum eſt, coram omnibus noſtris Philoſophiæ auditoribus; ſin Alumnorum, ſeu Convictorum, coram omnibus ſui Collegii Philoſophis; ſin externorum (qui tamen ut examen hoc ſubeant cogendi non ſunt) coram omnibus externis Philoſophis ſaltem ſuæ Claſſis.

Examinis tempus & forma.

23. Examinandi initium ſtatim poſt ferias Paſchatis fiat, vel etiam ante, ſi multitudo ita exigat examinandorum, diſtributis diebus eo ordine, quem Rector, audito Præfecto & Præceptore exiſtimaverit commodiſſimum. Duret examen ſingulorum minimum una hora: eatque per omnes primarias materias, quas Præfectus tempeſtive ac ſecreto examinatoribus aſſignabit.

De tempore & forma actuum Philoſophicorum.

24. Porro Philoſophici actus totum ſcholarum tempus occupent minimum, vel mane, vel à prandio. Tres fere argumententur, quorum unus ſit, ut plurimum, aliquis ex noſtris Magiſtris, ſive Theologiæ, ſive Philoſophiæ; vel Doctor aliquis religioſus, aut externus. Concluſionum autem numerus ac ratio non diſcrepent ab eo, quod de Theologicis generalibus ſtatutum eſt regula 9. 10. 11. & 12.

Quibus actibus qui interſint.

25. Theologi non modo auditores, ſed etiam Profeſſores, curet Præfectus, ut interſint actibus Theologicis, atque adeo Philoſophicis; & his Philoſophi: & Profeſſores quidem argumentando, & urgendo alacriorem ac ſolemniorem reddant diſputationem. Adeſſe etiam omnes debebunt, cum magiſte-

giſterium erit, vel doctoratus in aliquem conferendus; quo in genere quid Præfectum præſtare oporteat, Rectoris erit præſcribere.

26. Cum noſtri vocantur ad diſputandum ab externis; vel ad publicas academias, vel ad religioſorum conventus; ii potiſſimum mittendi erunt, qui biennium habent ad Theologiam recolendam.

Qui ad argumentandum mittendi.

27. Et noſtris, & Alumnis, & externis per Magiſtros non modo rationem ſtudendi, repetendi, diſputandi præſcribat; ſed etiam omne tempus ita diſtribuat, ut privati ſtudii horas bene collocent.

Præſcribenda ſtudendi ratio.

28. Nihil publice domi, foriſve recitari patiatur, vel ab iis, qui ad gradus promoventur; vel ab iis, qui actus tum generales, tum particulares habent; vel a Rhetoricis; quod non ipſe tempeſtive recognoverit, & approbaverit.

Recognoſcenda, quæ publice recitantur.

29. a Curet ne ſcholaſtici libris, aut utilibus careant, aut abundent inutilibus. Quare mature Rectori ſuggerat, ne librorum, quibus in dies utimur, aut proximum in annum uſuri ſunt tum noſtri tum externi, copia deſideretur.

a P. 4. c. 6. §. 7.

Librorum delectus, & copia.

30. Theologiæ ac Philoſophiæ auditoribus non quoslibet, ſed certos quoſdam, Rectore conſcio, ex Magiſtrorum conſilio concedat libros; ſcilicet præter ſummam S. Thomæ Theologis, & Ariſtotelem Philoſophis, commentarium aliquem ſelectum, quem b privato ſtudio conſulere poſſint. Tridentinum Concilium omnes Theologi habeant, & Bibliorum volumen, quorum lectio ſit illis familiaris. An etiam aliquem ex Patribus habere debeant, cum Rectore conſideret. Theologis præterea ac Philoſophis omnibus librum aliquem ad Humanitatis ſtudia pertinentem diſtribuat, moneatque ut certis quibuſdam temporibus legere, ubi commodum ſit, non omittant.

Qui libri quibus diſtribuendi.

b P. 4. c. 6. M.

REGULÆ COMMUNES
OMNIBUS
PROFESSORIBUS
SUPERIORUM
FACULTATUM.

1. Erit Præceptoris peculiaris intentio, tum a in lectionibus, cum ſe occaſio obtulerit; tum extra eas, ad Auditores ſuos ad obſequium & amorem Dei, ac virtu-

Finis.

a P. 4. c. 8. A. & c. 16. §. 4.

virtutum, quibus ei placere oportet, movendos; & ut omnia ſua ſtudia ad hunc finem referant.

b Ibid. C.
Orandum ante lectionem.

2. *b* Quod ut ad memoriam eis reducatur, ante lectionis initium dicat aliquis brevem orationem ad id inſtitutam, quam Præceptor, & diſcipuli omnes aperto capite attente audient: vel ſaltem ipſe Præceptor ſigno Crucis ſe muniat aperto capite, & incipiat.

Diſcipuli ad pietatem juvandi.

3. Diſcipulos præterea juvet crebris apud Deum precibus, ac religioſis vitæ ſuæ exemplis. Exhortationes par erit non omittere, ſaltem pridie ſolemniorum dierum, & cum paullo longiores vacationes conceduntur. Hortetur potiſſimum ad orandum Deum, ad excutiendam conſcientiam veſperi,

a p. 4. c. 7. §. 2 & c. 16. §. 1. & A.

a ad Sacramenta pœnitentiæ & Euchariſtiæ frequenter ac rite obeunda; ad Miſſam quotidie, concionem ſingulis diebus feſtis audiendam; ad vitandas noxias conſuetudines, ad vitiorum deteſtationem, ad virtutes colendas Chriſtiano homine dignas.

Præfecto obtemperandum.

4. Præfecto ſtudiorum in rebus, quæ ad ſtudia & ſcholarum diſciplinam ſpectant, obtemperet: Concluſiones omnes antequam proponantur eidem tradat recognoſcendas; neque librum ullum, aut ſcriptorem extraordinarium explicandum ſuſcipiat; neque novam ullam docendi aut diſputandi conſuetudinem introducat.

b 5. Cong. Decr. 55.
In refellendo modeſtia.

5. *b* In iis quæſtionibus, in quibus liberum eſt quamcumque partem ſequi, ita defendatur una pars, ut alterius etiam partis ac multo magis proprii profeſſoris, ſi contrarium docuerit, exiſtimationi modeſte ac benevole conſulatur. Quin etiam ſi conciliari poſſunt auctores, id ne negligatur, optandum eſt. Denique in nominandis aut confutandis auctoribus modeſte ſe gerat.

Novitas opinionum fugienda.
c 5. Cong. Decr. 55.

6. *c* In iis etiam, in quibus nullum fidei pietatiſque periculum ſubeſt, nemo in rebus alicujus momenti novas introducat quæſtiones; nec opinionem ullam, quæ idonei nullius auctoris ſit, iis, qui præſunt, inconſultis; nec aliquid contra Doctorum axiomata, communemque ſcholarum ſenſum doceat: ſequantur potius univerſi probatos maxime Doctores, & quæ, prout temporum uſus tulerit, recepta potiſſimum fuerint in Catholicis Academiis.

In alienis confutandis ſuiſque probandis brevitas.

7. Opiniones inutiles, obſoletas, abſurdas, manifeſto falſas non adducat: nec in illis referendis, ac refutandis nimis immoretur. Concluſiones non tam probare ſtudeat argumentorum numero, quam pondere. Ad alienas materias non digrediatur; aut è ſuis alias fuſius, quam res poſtulat, alias alieno

loco

loco pertractet. Nec coacervet quæ objici poſſent; ſed ex iis potiſſima breviter referat, niſi ex jactis fundamentis facile pateat eorum confutatio.

8. In afferendis Doctorum auctoritatibus non ſit nimius: ſi tamen habeat inſigniorum auctorum teſtimonia ad ſententiam ſuam confirmandam, verba ipſa, quoad fieri poteſt, pauca tamen, & fideliter recitet; multo magis Sacrarum Scripturarum, Conciliorum, Sanctorum Patrum. E dignitate autem Magiſtri eſt nullum fere auctorem proferre, quem ipſe non legerit. *In auctoritatibus parcitas, & fidelitas.*

9. Si quis citra dictationem ita docere poteſt, ut quæcumque ſcribenda ſunt, commode valeant ab auditoribus excipi; is ne dictet, optandum: certe ita omnino dictent, ut non verbatim interpoſita mora, ſed uno fere ſpiritu pronuntient; &, ſi oportuerit, repetant totidem verbis: nec totam quæſtionem dictent, mox explicent; ſed identidem dictent, atque explicent viciſſim. *De dictando.*

10. Ea quæ in auctoribus in promptu poſitis habentur, ſi afferenda ſint, explicet potius, quam dictet: quin etiam auditores ad eos auctores, qui copioſe & accurate materiam aliquam pertractarunt, rejiciat. *Diſcipuli quando ad auctores rejiciendi.*

11. Poſt lectionem, in ſchola, vel prope ſcholam, maneat ſaltem per quadrantem, ut poſſint ad eum interrogandum auditores accedere: & lectionum rationem interdum exigat, *a* curetque ut eæ repetantur. *Repetitiones in ſchola.* a P. 4. c. 13. §. 3.

12. Domi quoque quotidie præter ſabbatha, vacationes, & dies feſtos, hora una deſignanda, qua *b* repetatur à noſtris, & diſputetur: ut ea ratione & ingenia magis exerceantur, & difficilia, quæ occurrent, magis elucidentur. Præmoneatur itaque unus, aut alter ad repetendum memoriter non plus quam per quadrantem: poſtea argumentetur unus item, aut alter, totidem reſpondentibus: ſi quid vero temporis ſuperſit, dubia proponantur; ut autem ſuperſit, Magiſter argumentandi formam ſevere tueatur, & cum novi nihil affertur, præcidat argumentum. *Repetitiones domi.* b P. 4. c. 6. §. 8. & H. & c. 13. §. 3. & D.

13. Sub finem anni ita inſtituendæ erunt *c* præteritarum lectionum repetitiones, ut, niſi quid obſtet, menſis integer vacuus ab illis etiam, non ſolum à lectionibus, relinquatur. *Repetitiones generales.* c. P. 4. c. 13. §. 3. & D.

14. *d* In ſabbatho, aliove, quem Academiæ conſuetudo exigit, die habeant in ſcholis diſputationes per duas horas, longiores etiam, ubi ſint magni externorum concurſus. Quod ſi quam in hebdomadam duo feſti dies, vel cum feſto uno hebdomadaria vacatio incidat, non diſputetur, ſed legatur ſabbatho; id vero ſi tribus continuaretur hebdomadis, una interponatur diſputatio. d P. 4. c. 6. §. 10. *Diſputationes hebdomadariæ.*

Disputationes menſtruæ. *a P. 4. c. 13. §. 3.*

15. Vbi receptus Academiæ mos nihil obſtat, ſingulis, præter tres menſes æſtivos ultimos, aut (ſi pauci ſint auditores) alternis menſibus communes certo aliquo die diſputationes, tum ante, tum poſt meridiem habeantur: quot fuerint Magiſtri, totidem auditores defendant, ſinguli ſingulorum Magiſtrorum quæſtiones.

Argumenta qui reſumant.

16. Interſint diſputationibus, quoad ejus fieri poteſt, alii quoque Doctores noſtri, Profeſſoresque, licet diverſarum facultatum: qui, quo magis concertatio ferveat, argumentorum, quæ agitantur, vim urgeant: modo ne proſequendum ſuſcipiant argumentum, cui utiliter ac ſtrenue adhuc argumentans inſiſtit. Id ipſum præſtare liceat externis etiam Doctoribus, atque adeo ad argumentandum ex inſtituto, niſi ea conſuetudo alicubi minus probetur, invitari poſſunt.

Non diſputent, niſi doctiores.

17. Ex auditoribus publice non diſputent, niſi doctiores; ceteri privatim exerceantur, quoad ita inſtructi ſint, ut eo loco non putentur indigni.

Diſputationis cura.

18. Exiſtimet diſputationis diem non minus eſſe laborioſum, fructuoſumque, quam lectionis, omnemque diſputationis utilitatem ac fervorem à ſe pendere: cui ita præſit, ut ipſe videatur eſſe, qui in utroque concertatore concertet: collaudet ſi quid afferatur boni & attendere omnes jubeat: cum gravior aliqua propoſita fuerit difficultas, ſuggerat ſubinde breve aliquid, quo vel fulciat reſpondentem, vel argumentantem dirigat: neque diu taceat, neque ſemper loquatur, ut ipſi etiam diſcipuli promant, quod ſciunt; ipſe vero, quod depromptum fuerit, emendet, aut expoliat: diſputantem progredi jubeat, dum difficultas vim obtinet; immo augeat ipſe difficultatem, nec diſſimulet ſi is qui argumentatur prorepſerit ad aliud argumentum: non patiatur, vel argumentum pæne ſolutum longius urgeri, vel reſponſionem non bene conſtantem diu ſuſtineri; ſed poſt aliquam concertationem rem totam breviter definiat & explanet. Si quid denique aliud uſpiam in uſu eſt, quo diſputationes reddi ſoleant frequentiores ac ferventiores, id ſedulo retinendum.

Cum Bidello agendum.

19. Cum Adjutore, ſeu Bidello, à Rectore conſtituto, agat interdum, cumque de totius claſſis ſtatu, & de externorum etiam auditorum diligentia ac profectu percontetur; detque operam, ut idem ſuo munere fideliter & accurate fungatur.

Profectus ſtudentium. *a P. 4. c. 6. §. 6.*

20. Sit denique in omnibus, divina aſpirante gratia, diligens & aſſiduus, & profectus ſtudentium tum in lectionibus, tum in aliis litterariis exercitatio-

tationibus ſtudioſus; non uni ſe magis, quam alteri familiarem oſtendat: *a P. 4. c. 13. §. 3.*
contemnat neminem; pauperum ſtudiis æque ac divitum proſpiciat; *a* pro-
fectumque uniuſcujuſque è ſuis ſcholaſticis ſpeciatim procuret.

REGULÆ
PROFESSORIS
SACRÆ SCRIPTURÆ.

INtelligat ſuas præcipue partes eſſe, divinas litteras juxta germanum litteralemque ſenſum, qui rectam in Deum fidem, bonorumque morum inſtituta confirmet, pie, docte, graviter explicare. *Præcipua ſenſus litteralis cura.*

2. *b* Inter cetera, ad quæ ejus intentio feratur, illud præcipuum ſit, ut verſionem ab Eccleſia approbatam defendat. *b P. 4. c. 6. §. 4. Et vulgatæ editionis.*

3. Eum ſenſum ut aſſequatur, locutiones ac figuras Sacrarum Scripturarum proprias obſervet: nec modo loci, quem in manibus habet, antecedentia & conſequentia; ſed alia quoque loca, in quibus eadem phraſis idem, aut non idem, valeat, ſolerter inter ſe conferat. *Phraſes Sacræ Scripturæ obſervandæ, & inter ſe conferendæ.*

4. Ex Hebræis, Græciſque exemplaribus, quod uſui fuerit, in eam rem proferat, breviter tamen; nec niſi cum vel ipſorum, Latinæque editionis vulgatæ aliqua diverſitas conciliationis indiget, vel aliarum linguarum idiotiſmi ad majorem conferunt ſive perſpicuitatem, ſive ſignificationem. *Hebræus Græcusve textus.*

5. Aliarum Verſionum ſive Latinarum recentiorum, ſive Chaldaicæ, Syriacæ, Theodotionis, Aquilæ, Symmachi, nec errores, niſi & inſignes, & in ſpeciem probabiles ſuſcipiat refellendos; nec ea viciſſim prætereat, quæ Latinæ editioni vulgatæ, fideique noſtræ myſteriis valde faveant; præſertim ſi fuerint apud LXX. Interpretes, de quibus honorifice ſemper loquendum eſt. *Aliis verſionibus quomodo utendum.*

6. Si quem litteralem cujuſpiam loci ſenſum eſſe ſignificant Pontificum, ſeu Conciliorum, præſertim generalium, Canones, eum omnino litteralem eſſe defendat; nec alios præterea litterales addat, niſi eximiis adductus conjecturis. Si quem etiam ad aliquod fidei dogma confirmandum ex inſtituto proferunt; eum quoque ſenſum, aut litteralem, aut myſticum, certum tamen eſſe doceat. *Pontificum, & Conciliorum expoſitiones tuendæ.*

7. Sanctorum Patrum veſtigiis reverenter inſiſtat: inter quos ſi de uno *Patrum ve-*

ſtigiis inſiſtendum.

aliquo ſenſu litterali, vel allegorico conveniat, præſertim dum diſertis verbis loqvuntur, & ex propoſito de ſcripturis, aut de dogmatibus diſputant, ab eo non recedat: ſi non conveniat, ex eorum variis expoſitionibus eam præferat, in quam à multis jam annis Eccleſia magno conſenſu videtur propenſior.

Fidei dogmata ſacris litteris confirmanda.

8. Quin etiam ſi quod eſt fidei dogma, quod fere quamplurimi Patres, aut Theologi, è ſcripturis probare contendunt, id ipſe probari inde poſſe non neget.

Rabbinis auctoritas non concilianda.

9. Si quid ſit in Hebræorum Rabbinis, quod vel pro Latina editione vulgata, vel pro Catholicis dogmatibus utiliter poſſit afferri, id ita afferat, ut illis propterea non conciliet auctoritatem, ne ad eos aliqui afficiantur, præſertim ſi fuerint ex iis, qui poſt Chriſti Domini tempora ſcripſerunt.

In rebus aut erroribus Rabbinorum non laborandum.

10. In ceteris Rabbinorum rebus conquirendis, aut etiam erroribus exagitandis, niſi valde celebres ſint, non laboret; idemque ſervet in legendis quibusdam Chriſtianis interpretibus, qui plus nimio Rabbinos ſecuti ſunt.

Non admodum punctis fidendum.

11. Imo neque punctis, quod Rabbinorum inventum eſt, confidat admodum; ſed diligenter expendat quomodo noſter, vel Septuaginta, vel antiqui interpretes alii legerint, cum puncta non eſſent.

Brevitatis ſtudium.

12. In quolibet ſcripturæ loco, niſi magnum ſit & moræ & operæ pretium, non hæreat nimium, ne lenti fiant progreſſus, quod maxime conſequetur, ſi faciliora percurrat, vel etiam omittat.

Quæſtiones ſcholaſtico more non tractandæ.

13. Quæſtiones Sacrarum Scripturarum proprias ſcholaſtico more non tractet.

Chronologia & his ſimilibus non immorandum: Nec allegoriis, & moralibus.

14. In varia temporum ratione perveſtiganda, in perſcrutandis terræ ſanctæ locis, aut in hujusmodi aliis parum utilibus rebus (niſi locus ipſe id exigat neceſſario) non multum temporis ponat. Auctores, qui de his copioſe diſſerunt, ſatis erit indicare.

15. Allegorias, & moralia, ſi pervulgata non ſint, & in ſenſu ipſo litterali quodammodo nata videantur, atque ingenioſum ac perſpicax aliquid præſeferant, ne prætermittat: quæ ejusmodi non fuerint ſignificet tantum quibus ex Patribus depromi poſſint.

Nec controverſiis.

16. Si quem incidat in locum, vel nobis cum hæreticis controverſum, vel in Theologicis concertationibus in utramque partem jactari ſolitum; exponat tantum, graviter tamen & ſtrenue, præſertim ſi adverſus Hæreticos agat, quantum is locus ponderis habeat ad eam quæſtionem definiendam;

omit-

omittat cetera: ut inſtituti ſui memor nihil aliud, quam ſacras litteras docere videatur.

17. Novum & vetus Teſtamentum, niſi aliud interdum ſatius eſſe judicetur, alternis annis explicet. *Novum & vetus Teſt. alternis.*

18. Inchoatum uno anno librum non extrahat in alterum, niſi gravem ob cauſam; imo ad eundem librum interpretandum ne recurrat, niſi poſt explicatam majorem partem præcipuorum librorum. *Quotannis novus liber prælegendus.*

19. Præter repetitiones domi ſemel in hebdomada, lectiones etiam in Refectorio interdum, ut Rector præſcripſerit, habeantur. *Repetitiones & lectiones domeſticæ.*

20. Loco ordinariæ lectionis deſignetur interdum ex diſcipulis aliquis, qui ordinate & copioſe locum aliquem è ſacris litteris celebriorem explicet; contra quem, ubi abſolverit, ex condiſcipulis unus aut alter argumentetur, non aliunde tamen, quam ex variis ſive ſacræ Scripturæ locis, ſive linguarum idiotiſmis, ſive Patrum interpretationibus. *Prælectiones publicæ.*

REGVLÆ
PROFESSORIS
LINGVÆ HEBRÆÆ.

1.

Nihil antiquius habeat, quam ut prima ipſa ſanctæ ſcripturæ verba perquam integra fide interpretetur. *Interpretandi fidelitas.*

2. Inter cetera, ad quæ ejus intentio feratur, illud ſit, ut verſionem ab Eccleſia approbatam defendat. *Vulgata defenſio.*

3. Initio anni prima Grammaticæ rudimenta explicet: deinde dum reliquas perſequitur inſtitutiones, aliquem ſacræ ſcripturæ librum ex facilioribus explanet. *Grammatica ſacro textui jungenda.*

4. Dum ſacros libros interpretatur, non tam in rebus ac ſententiis expendendis laboret, quam in vi ac poteſtate verborum, ac propriis ejus linguæ idiotiſmis, & in Grammaticæ præceptis juxta germanum auctorum uſum obſervandis. *Præcipua cura verborum.*

5. Ita denique ſe gerat in docendo, ut peregrinitas & aſperitas ea, qua nonnullis linguæ hujus ſtudium laborare videtur, ſua induſtria leniatur. *Linguæ peregrinitas induſtria molienda.*

REGULÆ PROFESSORIS SCHOLASTICÆ THEOLOGIÆ.

Finis.

SVi muneris eſſe intelligat, ſolidam diſputandi ſubtilitatem ita cum orthodoxa fide ac pietate conjungere, ut huic in primis illa deſerviat.

S. Thomas ſequendus. a P. 4. c. 14. §. 1. & V. Cong. can. 9. & dec. 55. & 72.

2. *a* Sequantur noſtri omnino in ſcholaſtica Theologia doctrinam S. Thomæ, eumque ut doctorem proprium habeant; ponantque in eo omnem operam, ut auditores erga illum quam optime afficiantur. Non ſic tamen S. Thomæ aſtricti eſſe debere intelligantur, ut nulla prorſus in re ab eo recedere liceat; cum illi ipſi, qui ſe Thomiſtas maxime profitentur, aliquando ab eo recedant; nec arctius noſtros S. Thomæ alligari par ſit, quam Thomiſtas ipſos.

Cum qua exceptione. b. 5. Congr. dec. 55. a Ibi decr. 72.

3. *b* Ergo de Conceptione B. MARIÆ, ac de ſolemnitate votorum, ſequantur ſententiam, quæ magis hoc tempore communis eſt, magiſque recepta apud Theologos: & in *a* quæſtionibus mere Philoſophicis, aut etiam in iis quæ ad Scripturas & Canones pertinent, licebit ſequi etiam alios, qui eas facultates magis ex profeſſo tractaverunt.

In dubiis utramvis partem ſequi licet. b Ibi decr. 55.

4. *b* Si quando vel ambigua fuerit S. Thomæ ſententia, vel in iis quæſtionibus, quas S. Thomas forte non attigit, Doctores Catholici inter ſe non conſenſerint; licebit quamcunque partem ſequi, ut dictum eſt in regulis communibus, regula quinta.

Fidei & pietatis cura. c. Ibi decr. 55.

5. *c* In docendo corroborandæ primum fidei, alendæque pietatis cura habeatur. Quare in iis quæſtionibus, quas S. Thomas ex profeſſo non tractat, nemo quidquam doceat, quod cum Eccleſiæ ſenſu, receptiſque traditionibus non bene conveniat; quodque aliquo modo ſolidæ pietatis firmitatem minuat. Quo pertinet ut nec receptas jam, quamvis congruentes tantum rationes, quibus fidei res probari ſolent, refellant; nec temere novas excogitent, niſi ex conſtantibus ſolidiſque principiis.

Opiniones quæ

6. *d* Quæ opiniones, cujuſcumque auctoris ſint, in aliqua provincia aut Acade-

Academia Catholicos graviter offendere ſcirentur, eas ibi non doceat aut defendat. Vbi enim nec fidei doctrina, nec morum integritas in diſcrimen adducitur, prudens caritas exigit, ut noſtri ſe illis accommodent, cum quibus verſantur. *Catholicos offendunt, non aſſerendæ.* d P. 4. c. 9. §. 3. c. 15. §. 3. p. 5. c. 2. §. 2.

7. Quadriennio totius Theologiæ curſus abſolvendus. Si ergo duo fuerint ſcholaſticæ Theologiæ Profeſſores. *Quadriennii curſus abſolvendus.*

§. 1. Primus 43. quæſtiones ex prima parte explicet primo anno: ſecundo anno materiam de Angelis, atque unam & viginti quæſtiones ex prima ſecundæ: tertio anno à quæſtione 55. vel 71. ad finem primæ ſecundæ; quarto anno ex ſecunda ſecundæ materiam de Fide, Spe, & Caritate. *Quæſtionum diviſio.*

§. 2. Alter Profeſſor primo anno explanet ex ſecunda ſecundæ quæſtiones de Iuſtitia & Iure, & præcipua quædam de Religione: ſecundo ex tertia parte quæſtiones de Incarnatione; & ſi poteſt, graviora ſaltem quædam explicet de Sacramentis in genere: tertio de Baptiſmo & Euchariſtia, & ſi quid poteſt, de Ordine, Confirmatione, Extrema unctione: quarto de Pœnitentia & Matrimonio.

§. 3. Vbi vero tres erunt Theologiæ Profeſſores, primus primo anno exponat 26. quæſtiones ex prima parte: ſecundo reliquas ejuſdem partis quæſtiones quaſcumque poterit: tertio ex prima ſecundæ quidquid poterit ante quæſtionem 81.: quarto anno reliquum primæ ſecundæ.

§. 4. Alter primo anno ex ſecunda ſecundæ controverſias de Scriptura, & Traditionibus, de Eccleſia, de Concilio, de Romano Pontifice: ſecundo quæſtiones de Fide, Spe, & Caritate: tertio quæſtiones de Iuſtitia & Iure, de Reſtitutione & Vſura, de Contractibus, quantum poteſt: quarto ſi quæ de Contractibus ſuperfuerant, & quæ de Religione, ac Statibus diſputat.

§. 5. Tertius primo anno quæſtiones de Incarnatione: ſecundo de Sacramentis in genere, de Baptiſmo, & Euchariſtia: tertio de Pœnitentia, ac Matrimonio: quarto de Cenſuris Eccleſiaſticis & de reliquis Sacramentis.

8. Ex quæſtionibus autem, quæ ſibi explanandæ fuerint, ſingulas intra annum, cui adſcriptæ ſunt, abſolvat: ſi quas non poterit, prætermittat omnino, nec alium in annum rejiciat; ſed auditores ad certum aliquem auctorem remittat. *Cujusque anni quæſtiones abſolvendæ.*

9. Vt autem facilius in Theologia ſcholaſtica hujuſmodi progreſſus faciant, par eſt ut à quibusdam rerum generibus abſtineant, quoad ejus fieri poterit: ſunt autem in primis hæc quatuor: *A quibus quæſtionibus abſtinendum.*

§. 1. Vnum

A Sacra Scripturæ propriis. §. 1. Vnum genus quæſtiones aut commentationes divinarum Scripturarum proprias complectitur. Has concedant Interpreti Scripturarum.

A controverſiis. §. 2. Alterum genus in controverſiis adverſus Hæreticos poſitum eſt: in quibus pertractandis, quoties in S. Thomæ partibus occurrerint, ſervent ſcholaſticam potius, quam hiſtoricam rationem, & ſatis eſſe putent concluſionem quamlibet duobus aut tribus firmis munire fundamentis; diluere etiam totidem fere præcipuas hæreticorum calumnias; in ſingulis tamen indicent auctorem aliquem, ex quo cetera promere poſſit, qui velit.

A Philoſophicis. §. 3. In tertio genere ſunt Philoſophicæ res, quas haudquaquam ex inſtituto tractent, nec tam diſputent, quam vel ab aliis, vel à ſe explicatas indicent.

A caſibus conſcientiæ. §. 4. Ad quartum genus pertinent conſcientiæ caſus. In quo generalibus quibusdam rerum moralium principiis, de quibus diſputari Theologico more ſolet, contenti, ſubtiliorem illam, ac minutiorem prætereant caſuum explicationem.

Eadem non iteranda. 10. Si quando S. Thomas eamdem difficultatem in plures diſtrahit articulos, præſertim diverſarum quæſtionum; ne idem duobus repetatur locis, poterunt vel in unam diſputationem, vel etiam, ſi res ipſa longiorem non exigat explicationem, in compendium articulos illos redigere, ut diſtincte dicetur in Catalogo quæſtionum, huic Regulis adjuncto, modo nihil prætereant, quod in articulis ſingulis obſervatione dignum ſit.

Articuli S. Thomæ quomodo explicandi. 11. Faciles percurrant articulos. Itaque prælecto titulo, mox vel indicent breviter concluſionem S. Thomæ, vel dicant; S. Thomas reſpondet negando vel affirmando. In difficilioribus vero progrediantur hoc fere modo, atque ordine. Explicetur primum articuli titulus, ſi quid habet obſcuritatis: tum exponatur diſtinctio, ſi quæ eſt, ex cujus membris Concluſiones naſcuntur: mox Concluſio primaria S. Thomæ, atque aliæ deinceps ponantur; ſingulisque Concluſionibus, niſi perſpicuæ ſint, adjiciatur aliqua ejusdem ratio; quæ etiam ita explicetur, ut intelligant auditores in diſtinctionibus, ac rationibus S. Thomæ majorem ineſſe vim, quam prima fronte aliquando videatur.

Longiores tractatus non inſtituendi. 12. Explicato quolibet articulo, ſi res exigat, quæſtionem inſtituat: non tamen longiorem ullum tractatum, niſi in iis materiis, quæ vel in S. Thoma non habentur, vel habentur quidem, ſed utilius explicantur compendio.

13. Non

13. Non ſatis eſt Doctorum ſententias referre, & ſuam reticere : ſed defendat opinionem S. Thomæ, ut dictum eſt, vel quæſtionem ipſam omittat. *Aut defendendus S. Thomas, aut quæſtio omittenda.*

14. In diſputationibus menſtruis, quibus totidem defendent quot fuerint Præceptores, terni fere ante meridiem argumententur, totidem poſt meridiem, quilibet adverſus omnes defendentes : & quidem, ſi nihil impediat, qui mane reſponderit primo loco, à prandio ſecundo reſpondeat. *Diſputationes menſtruæ.*

CATALOGVS ALIQVOT QVÆSTIONVM

EX PRIMA PARTE S. THOMÆ.

Nihil hic de potentia neutra. Utrum inſit homini naturalis appetitus ad claram Dei viſionem, differatur in 1. 2. q. 3. art. 8. vel q. 5. art. 8. Quæſt. 1. a. 1.

Quæ pertinent ad naturam ſcientiæ, & ad ſubalternationem ſcientiarum, non diſputentur hic, ſed ſupponantur ex Logica. art. 2.

Non agatur hic de rationibus formalibus objectorum ſcibilium : neque an ſcientia ſit unus ſimplex habitus, & qualitas in genere ; hæc enim Philoſophorum ſunt : ſed his ſuppoſitis ſufficit quærere, an Theologia ex aliqua ratione peculiari ſit unus habitus, & una ſimplex qualitas. art. 3.

Non diſputentur, ſed ſupponantur, quæ dici ſolent de ſpeculativo & practico, ut ſunt differentiæ ſcientiarum. art. 4.

Non tractetur, quid ſit certitudo aſſenſus, quid firmitas, quid veritas, quid evidentia, & quotuplex ; ſunt enim Logicorum. art. 5.

An decuerit Scripturam abundare metaphoris & parabolis, & an ſacræ litteræ apertæ & claræ ſint, relinquantur Lectori Scripturæ, & controverſiarum, ſicut etiam tractatus de ſenſibus Scripturæ. art. 9.

Non explicetur, ſed ex Logica ſupponatur, quid, & quotuplex ſit propoſitio per ſe nota, & immediata : nec rationes S. Thomæ, quibus demonſtrat Deum eſſe, confutentur, ſed potius corroborentur. quæſt. 2.

An aliquod corpus moveat immotum, & an vivens nobilius ſit non vivente, & an Ariſtoteles recte probaverit Deum eſſe incorporeum, relinquatur Philoſophis. q. 3. art. 1.

art.1. Nihil hic de principio individuationis.

art.3. Non agatur de diſtinctione ſuppoſiti, & naturæ; pertinet enim ad 3. par. q. 3. art. 3. Quomodo autem diſtinguantur in creaturis eſſe & eſſentia, relinquatur Metaphyſico.

art.4. In quæſtione, An Deus ſit in prædicamento, reſcindantur, quæ ſunt propria Philoſophorum. Quæſtio vero, an Angeli, & Cæli ſint in prædicamento, tota Philoſopho relinquatur.

art.7. An ſimplicitati divinæ repugnet perſonarum, & relationum pluralitas, non tractetur hic, ſed infra q. 28. art. 2.

q.4.art.1. An aliqua perfectio, quæ formaliter ſit in Deo, libere ei conveniat, differatur in q. 19. art. 2. An autem Relatio divina ſecundum ſe ſit aliqua perfectio, remittatur ad materiam de Trinitate.

quæſt.5. Prætermittatur, & ex Metaphyſica ſupponatur, quid ſit bonum.

q.7.art.1. Quid Ariſtoteles ſenſerit de Dei infinitate, relinquatur Philoſopho.

art.2.3. & 4. An creari poſſit aliquod infinitum in quantitate, vel in qualitatibus naturalibus, Philoſophi eſt diſputare; ſicut & de infinito in Genere ſubſtantiæ: cum tam hoc, quam illud infinitum eſſe creabile, iiſdem fere argumentis probari ſoleat, aut oppugnari. An autem poſſibile ſit infinitum in qualitatibus ſupernaturalibus, à Theologo differatur, ſed in 2. 2. q. 24. art. 7. tantummodo.

quæſt. 8. De ubiquitate humanitatis Chriſti non agatur hic, ſed in 3. par. q. 2.

quæſt.9. An Angeli & Cæli ſint entia neceſſaria, & immutabilia, non eſt quæſtio Theologi, ſed Metaphyſici.

quæſt.11. De uno, ut eſt paſſio entis, nihil dicat Theologus, cum ſit Metaphyſica res.

art.3. An repugnet in ſubjecto quanto inhærere accidens ſpirituale, vel in ſubjecto immateriali accidens corporale, differatur in materiam de Euchariſtia.

art.6. Tractare de inæqualitate præmiorum, ſicut & meritorum, pertinet ad 1. 2. q. 4.

art. 8. De cognitione beatifica animæ Chriſti non diſputetur hic, ſed in 3 parte.

art.12. An puro viatori poſſit communicari evidens notitia abſtractiva articulorum Fidei, non hic diſputandum eſt, ſed ſupra quæſtion. 1. art. 1.

q.13.art.3.&4. De diſtinctione attributorum & eſſentiæ nihil hic repetatur, ſi de ea ſupra diſputatum eſt, q. 3.

art.5. Non diſputetur de analogia entis, cum ſpectet ad Metaphyſicum.

Nihil

Nihil hic dicatur de relationibus in genere, cum id Metaphyſicæ ſpeculationis ſit. art. 7.

Modi, quibus ſumitur nomen Dei, & ea, quæ dici ſolent de nomine Tetragrammato, relinquantur Interpreti Scripturæ. art. 8. 9. 10. 11. & 12.

Diſputatio de vero & falſo Metaphyſici negotii eſt. q. 16. & 17.

An Deus ſit cauſſa peccati, & an teneamur voluntatem noſtram divinæ conformare, pertinent ad primam ſecundæ. q. 19. art. 9. & 12.

Non moretur Theologus in explicanda Peripateticorum, aliorumque Philoſophorum ſententia de providentia Dei.

Ad quem finem ordinaretur homo, ſi non eſſet finis ſupernaturalis, non diſputetur hic, ſed in prima ſecundæ, q. 2. q. 23. art. 1.

Quid agendum ſit ei, cui ſua damnatio revelaretur, non tractetur hic, ſed in materia de Spe. art. 3.

De prædeſtinatione Chriſti, & quomodo Chriſtus ſit cauſſa noſtræ prædeſtinationis, relinquatur tertiæ parti. art. 5.

Diſputatio de libro vitæ, qua parte ſcholaſtica eſt, explicetur: cetera pertinent ad interpretem Scripturæ. quæſt. 24.

An actio ſit in agente, ut in ſubjecto, quæſtio Phyſicorum eſt, non Theologorum. quæſt. 25.

An Deus per ſe ſolum poſſit efficere rem, quæ eſt peccatum, pertinet ad primam ſecundæ: ſicut ad ſecundam ſecundæ, An poſſit per ſe, vel per alium dicere falſum. art. 1.

Nihil hic de Beatitudine in genere, vel de noſtra. art. 6.

De verbo mentis nihil aliud tractetur, quam, An producatur ab intellectu noſtro ut terminus actionis, & quomodo ab ea diſtinguatur. q. 26. art. 1.

An notitia concurrat active ad actum voluntatis, ad primam ſecundæ pertinet. art. 3.

Quid ſuppoſitum addat ſupra naturam ſingularem, pertinet ad tertiam partem. quæſt. 29.

An evidenter dilui poſſint argumenta contra myſterium Trinitatis, pertinet ad credibilitatem articulorum Fidei, de qua agitur in 2. 2. q. 1. art 4. quæſt. 32.

De varia cenſura, & qualitate propoſitionum non diſputetur hic, ſed in materia de Fide. art. 4.

queſt. 39. Non diſputetur hic, Quomodo perſona divina diſtinguatur ab eſſentia, ſi q. 28. actum fuit de diſtinctione Relationum & eſſentiæ.

quæſt. 43. De viſibilibus ſignis, in quibus apparuit Spiritus ſanctus, commodius, diſputare poteſt Interpres Scripturæ.

Idem de apparitionibus viſibilibus, quæ in veteri, ſeu novo Teſtamento tribuuntur Deo, an fuerint factæ immediate per Deum, an per Angelos.

quæſt. 53. An motus Angelorum poſſit fieri in inſtanti ſupponit multa philoſophica, quæ hic non tractentur. Id quod etiam ſervetur in iis, quæ diſputantur q. 54. art. 1. & 3.

EX PRIMA SECVNDÆ.

q. 1. art. 1. Hic nihil, aut breviſſime diſſerendum eſt de deliberata voluntate, de conſenſu perfecto & imperfecto, & quid ſit hominem eſſe dominum ſuarum actionum: hæc enim locum ſuum habent inferius. Item nihil hic dicatur de cauſalitate finis, eſt enim quæſtio Phyſica.

art. 2. An Deus agat propter finem, pertinet ad primam partem in materia de voluntate Dei.

Item utrum natura agat propter finem, quæſtio philoſophica eſt.

art. 3. Cavendum eſt, ne hic & inferius eadem quæſtio diſputetur, nempe, Vtrum actus hominis recipiant ſpeciem à fine. Leviter igitur hic attingatur, & plene diſſeratur inferius.

art. 4. Quomodo bonum ſit ſui diffuſivum, non diſputetur hoc loco.

quæſt. 2. Vel omittatur, vel compendio exponatur, cum tota in Ethicis Ariſtotelis contineatur.

q. 3. art. 1. An Deus videatur à Beatis viſione Dei increata, hic explicetur, non in 1. parte.

art. 2. An habitus ſit melior ſuo actu, non videtur hic explicandum, cum ſit quæſtio philoſophica, & inferius habeat ſuum locum.

art. 3. De perfectione ſenſuum in corpore glorioſo, ejuſque dotibus, hic, & q. 4. art. 6. aliquid dicatur ſi vacat, cum ad materiam de noviſſimis non perveniatur. Item, An Deus videri poſſit per aliquem ſenſum, ſeu ſenſitivam notitiam, non hic, ſed in 1. parte diſputetur.

art. 4. In quo conſiſtat ſumma miſeria damnatorum, non explicetur hoc loco, ſed inferius, ubi de pœna peccati agitur.

art. 5. Nihil dicatur de intellectu practico & ſpeculativo, nec de praxi & ſpeculatione.

De

De objecto intellectus, & utrum anima naturaliter poſſit cognoſcere art. 7.
ſubſtantias ſeparatas, relinquatur Philoſophis.

Quidquid hic diſſeri ſolet de differentia delectationis, & amoris fruitioni, differatur in q. de Frui, & uti. Item, An cum viſione Dei poſſit aliquo modo ſtare triſtitia, rejiciatur in 3. partem, ubi quæritur, an Chriſtus ſecundum rationem ſuperiorem paſſus ſit. q. 4. art. 1.

An delectatio quæratur propter operationem, an contra, tractetur in Ethicis: hic vero nihil, vel breviſſime. art. 2.

An animæ Sanctorum à corporibus ſeparatæ ſtatim Deum videant, hic tractetur, non in 3. p. art. 5.

Relinquatur fere primæ parti totus. q 5. art. 3.

Nihil dicatur de merito, aut de neceſſitate luminis gloriæ. art. 5.

An vero appetitu ordinato magis appetat damnatus non eſſe, quam ſic eſſe, pertinet ad quæſtionem de pœna peccati. art. 8.

Non diſſeratur hoc loco de libero arbitrio contra hæreticos, ſed in materia de gratia. q. 6. art. 1.

Unde proveniat, quod homo ſui compos ſit proprie liber, & dominus ſuorum actuum, tractetur infra in quæſtione de electione. art. 2.

Nihil dicatur de pura omiſſione. art. 3.

Diſputetur hic, an voluntas poſſit cogi, non autem, an poſſit neceſſitari, quia de hoc inferius tractandum eſt. art. 4.

Quomodo metus irritet matrimonium, votum, juramentum, & contractus, reſervetur ſecundæ ſecundæ, vel tertiæ parti. art. 6.

Difficultates de ignorantia reſerventur in quæſt. 76. art. 8.

Plenior conſideratio circumſtantiarum non eſt hujus loci, cum de illis ſæpe inferius diſſerendum ſit. quæſt. 7.

Nihil hic diſſeratur de præſcientia, ſeu prædefinitione actuum liberorum, neque de gratuita motione, qua Deus movet voluntatem humanam. art. 4.

Non videtur hic quidquam diſſerendum de objecto Spei, neque an poſſit beatus frui divina eſſentia, non fruendo Perſonis, vel una Perſona, & non aliis: hoc enim pertinet ad 1. partem. quæſt. 11.

Non tractetur, utrum intellectus poſſit ſimul multa intelligere. q. 12. art. 3.

De conſenſu formali, vel interpretativo, & an pertineat ad rationem ſuperiorem, inferius tractandum eſt. quæſt. 15.

Quomodo ratio imperet membris externis, nempe deſpotice, an politice, diſputare Philoſophi moralis eſt: breviter igitur hoc loco expediatur. quæſt. 17.

art. 9. Vtrum in homine exiſtente in gratia detur aliquis actus indifferens ad meritum & demeritum, diſputetur in materia de merito.

Prætereantur ea, quæ pertinent ad confeſſionem circumſtantiarum.

art. 11. Hæc difficultas repetitur in materia de peccatis : quare in eum locum reſervetur.

quæſt. 20. art. 5. Difficultates hujus articuli differantur in materiam de merito.

q. 21 art. 4. Quæſtiones quæ ſunt inter 21. & 71. omitti poſſunt. Explicentur tamen pauca de habitibus & de virtutibus in genere.

q. 71. art. 4. Quomodo peccatum virtutes, præſertim infuſas, expellat, non hic explicetur, ſed in 2. 2. in materia de Caritate.

art. 5. Nihil hic de diſtinctione mortalis & venialis.

art. 8. Hæc difficultas ſatis explicata manet ex q. 18. art. 5.

q. 73. art. 8. Non deſcendatur ad caſus particulares de ſcandalo, vel reſtitutione: neque hic tractetur, utrum is, qui alium ad peccatum inducit, gravius peccet, quam qui occidit: pertinet enim ad materiam de ſcandalo.

quæſt. 79. Nihil dicatur de immediato Dei concurſu cum ſecundis cauſſis.

q. 81 art. 3. Immaculata Conceptio B. Mariæ non eſt hujus loci, ſed tertiæ partis: ubi etiam, dum de ejuſdem ſanctificatione agitur, tractetur quoque de fomite, & quomodo ligetur, aut tollatur.

quæſt. 85. Quomodo natura lapſa differat à puris naturalibus, tractetur in materia de Gratia.

art. 8. Quomodo Deus peccata patrum puniat in filiis, relinquatur Interpreti Scripturæ.

q. 89. art. 2. Expoſitio S. Pauli relinquatur Lectori Scripturæ.

art. 5. De primis motibus ſenſualitatis in infidelibus ſatis eſſe videntur, quæ ſuperius de primis motibus dicta ſunt. Vtrum autem omnia opera infidelium ſint peccata mortalia, differatur in 2. 2. q. 10. art. 4.

quæſt. 92. Non diſputetur hic, utrum peccent, qui pœnæ metu legem ſervant; nec utrum Deus peccat. permittat, an velit.

Quæſtiones 101. 102. 104. 105. & expoſitio S. Pauli in q. 89. art. 2. prætereantur, cum Scripturarum ſint.

art. 5. Materia hujus Articuli differatur in quæſtionem 114. art. 7.

art. 7. Non diſputetur hic de macula peccati, nec de reatu pœnæ, nec de corruptione boni naturalis, nec de aliis hujuſmodi, quæ in materia de peccatis explicata ſunt.

An

An gratia ponat aliquid in anima, vel hic tractetur, vel in q. 113. de juſtificatione art. 2. quæſt. 110.

Nihil hic dicatur de cauſſalitate Sacramentorum circa gratiam. q. 112. art. 1.

Vtrum gratia primi hominis, & Angelorum in eorum creatione data fuerit ſuppoſita ipſorum diſpoſitione, non hic tractetur, ſed in 1. p. art. 2.

Non videtur hic agendum de contritione continuata Cajetani, vel de intenſione Scoti; pertinent enim ad materiam de pœnitentia. art. 3.

De neceſſitate fidei in Chriſtum ante vel poſt Evangelium promulgatum, non diſputetur, niſi in 2. 2. q. 113. art. 4.

Vtrum augmentum gratiæ detur in principio, an in fine actionis meritoriæ; & utrum ſi operatio meritoria ſucceſſiva ſit, ipſa etiam gratia ſucceſſive augeatur, melius reſervantur in quæſtionem de augmento caritatis in 2. 2. art. 7.

De numero, & ordine, & neceſſitate omnium actuum, qui concurrunt ad juſtificationem, hic diſputetur, non in materia de pœnitentia. art. 8.

Nihil hic de merito Chriſti dicatur, cum pertineat ad tertiam partem. q. 114. art. 6.

Vtrum per quælibet opera augeatur gratia, & caritas, reſervetur in materiam de Caritate in 2. 2. art. 3.

EX SECVNDA SECVNDÆ.

NOn tractetur hic, ſed infra in materia de Caritate, an Caritas ſit forma omnium virtutum in genere. q. 4. art. 3.

Diſputetur hic, an Fides ſit unus habitus; non tamen, an ſit ſimplex qualitas. art. 6.

Nihil de fide Angelorum in genere, de hac enim in materia de Angelis; ſed hic tantum, an fuerit fides in primo Angelo, ſi erat ei evidens Deum eſſe, qui loquebatur & revelabat ei myſteria. q. 5. art. 1.

Non niſi breviſſime, quia difficultas in materia de gratia tractatur. quæſt. 6.

Quæſtio de baptizandis pueris infidelium reſervetur in materiam de Baptiſmo. q. 10. art. 2.

Hic non fiant longi tractatus de poteſtate Eccleſiaſtica, & civili. quæſt. 12.

Materia hujus articuli non hic diſcutienda, ſed in quæſtionibus de Gratia: ubi etiam de diſtinctione Caritatis, & Gratiæ: ſed An Caritas ſit virtus ſpecialis, hic in art. 4. q. 23. art. 2.

Nihil hic de contritione, ſed tantum, an Deus ſit ſumme diligendus intenſive, ſeu ſolum æſtimative; quod in materia de pœnitentia non repetatur. quæſt. 26.

In materia de merito, non hic diſputetur, Vtrum retributio meritorum apud Deum ſit ſecundum juſtitiam commutativam, an diſtributivam. quæſt. 61.

EX

EX TERTIA PARTE.

q. 1. art. 1. NEc de potentia obedientiali videtur hic agendum, niſi obiter, cum pertineat ad primam partem in quæſt. de omnipotentia Dei: nec de Incarnationis poſſibilitate: de qua tamen ſi quid hic agendum videretur, non repetatur in q. 2. Nec de diſtinctione ſuppoſiti, & naturæ, ſed remittatur ad q. 3. art. 3. Tandem, An ſit de ratione boni ſe actu communicare, pertinet potius ad primam partem in quæſt. de bonitate Dei, vel in quæſtione de libero arbitrio Dei.

art. 2. Quomodo nos ſatisfaciamus pro peccatis, & quomodo ſatisfactio noſtra nitatur ſatisfactioni Chriſti, differatur in materiam de pœnitentia.

quæſt. 2. An in Deo ſint tres ſubſiſtentiæ, & an eſſentia ſecundum ſe ſubſiſtat, an per Relationes, non hic diſputetur, ſed ſupponatur ex prima parte in materia de Trinitate. Vtrum autem poſſit unum eſſentialiter dependere à multis dependentia cauſſali, ſupponatur ex Philoſophia.

q. 4. art. 4. Non diſputetur de eſſe objectivo contra Scotum, ſed ſupponatur ex prima parte in q. de ſcientia Dei.

quæſt. 7. An virtus heroica differat ſpecie à virtute communiter dicta, ſupponatur ex Philoſophia morali, vel ex 1. 2.

q. 8. art. 1. An humanitas Chriſti active concurrat ad infuſionem gratiæ, & ad opera miraculorum, cum habeat eamdem difficultatem cum Sacramentorum cauſſalitate, ideo neſæpe repetatur idem, poſſunt iſta conjungi, & ſimul tractari in materia de Sacramentis in genere. Ex iis tamen ſi quis voluerit nonnihil in hac 8. q. attingere ad explicandum inſtrumentarium humanitatis concurſum, hoc quidquid attigerit, nullo modo repetat in materia de Sacramentis.

art. 2. & 3. Non videtur diſputandum, qui ſint, aut non ſint membra Eccleſiæ, cum id pertineat ad materiam de Eccleſia.

q. 9. art. 1. An intelligere divinum poſſit communicari animæ Chriſti, pertinet ad 1. 2. q. 3. art. 1.

q. 10. art. 2. Ea, quæ ad cujusque Beati ſtatum pertinent, quando, & quomodo videantur, non tractentur hic, ſed in prima parte, ſicut & reliqua, quæ pertinent ad viſionem Dei in communi.

q. 11. art. 1. An viator poſſit habere notitiam evidentem abſtractivam Trinitatis, non huc pertinet, ſed ad primam partem.

Quid-

Quidquid de habitu hic diſputari ſolet in communi, ſupponatur ex Philoſophia, vel ex 1. 2. art. 5.

Quæ actiones dicantur humanæ, quæ non humanæ, quæſtio eſt primæ ſecundæ. q. 18. art. 4.

De Chriſti ſacrificio incruento in cœna, & de ratione ſacrificii, & hoſtiæ in communi, commodius diſputatur in materia de Euchariſtia, & Miſſa: item de ſacerdotio Melchiſedech, & ut fuit figura Chriſti, melius eſt, ut diſputet Interpres Scripturæ. quæſt. 22.

Non repetantur hic, quæ pertinent ad prædeſtinationem hominum, & Angelorum. quæſt. 24.

Omittenda videntur quæ hic nonnulli diſſerunt de phantaſticis imaginibus, & variis dæmonum illuſionibus. quæſt. 25.

Ceteræ quæſtiones de Incarnatione poſſunt omitti, præter ſex fere, quarum prima ſit de officio Mediatoris: ubi etiam aliquid de invocatione Sanctorum dicendum eſt. Secunda de Conceptione B. Mariæ. Tertia de miraculis Chriſti, propter quoſdam hæreticos noſtri temporis, qui vim miraculorum Chriſti, quantum poſſunt, elevare conantur. Diſputare autem de miraculis in genere, & quæ poſſibilia ſint Deo, pertinet ad quæſtionem de Omnipotentia Dei in 1. parte: nulli vero creaturæ eſſe poſſibilia, fere diſputatur in materia de Angelis. Quarta, an ſint in Chriſto duæ filiationes: ſed non diſputetur in genere, Num una numero relatione poſſit quippiam referri ad diverſos terminos. Quinta, an ratio ſuperior ſit paſſa in Chriſto. Sexta de deſcenſu Chriſti ad inferos contra Calvinum.

DE SACRAMENTIS IN GENERE.

Quæſtio, an Sacramentum ſit in aliquo prædicamento, non videtur admodum digna Theologo. quæſt. 60.

Vtrum ſemper, etiam in lege naturæ, fuerit neceſſaria Fides, non huc pertinet, ſed ad ſecundam ſecundæ. quæſt. 61.

Vtrum Deus poſſit uti creatura tamquam inſtrumento ad creandum, potius eſt primæ partis in materia de creatione. quæſt. 62.

DE BAPTISMO.

De ſolemnitatibus, & cæremoniis Baptiſmi breviter.

Nihil dicatur de cognatione ſpirituali in Baptiſmo contrahi ſolita, ſed ad matrimonium tranſmittatur.

De pœna parvulorum ſine Baptiſmo decedentium non agatur hic, ſed in materia de peccato originali in 1.2.

Sacramenta Confirmationis, Ordinis, Extremæ unctionis tractentur, prout vacaverit, plene vel breviter, aut etiam prætereantur, cum & faciliora ſint, & habeatur in promptu, unde peti poſſint. Vbicumque tamen propter hæreticos ea tractatio videbitur neceſſaria, nequaquam omittatur.

DE EVCHARISTIA.

AN quantitas diſtinguatur à ſubſtantia, Philoſophis relinquatur: ſicut & illud, de quo Scotus hic diſputat; an accidens poſſit producere ſubſtantiam.

De figuris Euchariſtiæ multiplicibus, earumque comparationibus, vel nihil, vel breviter.

DE POENITENTIA.

AN repugnet ſine ulla infuſione qualitatum ſupernaturalium, vel ſine ullo pœnitentis actu juſtificari peccatorem, & an pœnitere, ſicut oportet, indigeat Dei auxilio gratuito, pertinent ad 1. 2. de juſtificatione. Illic etiam agendum eſt, non hic, de ordine inter diſpoſitionem, & infuſionem gratiæ.

An in peccatore poſt peccatum tranſactum aliquid aliud remaneat præter obligationem ad pœnam, ſupponatur ex 1.2. in materia de peccato.

Vtrum pœna damni ſit eadem in omnibus damnatis, pertinet potius ad materiam de peccatis, & eorum effectibus.

Quæſtiones de reſtitutione, de Eleemoſyna, de Iejunio, de Oratione, de Correptione fraterna remittantur ad 2.2.

Multa etiam, quæ ad caſus conſcientiæ ſpectant, relinqui poſſunt, ut ſuperius annotatum eſt.

DE MATRIMONIO.

OMittendum videtur, quod à quibuſdam hic tractatur, an virginitas ſit virtus, & qualis virtus.

An

An maleficium maleficio poſſit diſſolvi, pertineret ſane ad ſecundam ſecundæ: ſed quoniam ad eum locum raro pervenitur, & maleficium inter matrimonii impedimenta numeratur; commodius hic videtur collocandum.

De ſubſtantia voti tam ſimplicis, quam ſolemnis, tractandum potius videtur in 2. 2. quam hic.

REGVLÆ PROFESSORIS CASVVM CONSCIENTIÆ.

EO ſuam omnem operam, atque induſtriam conferre ſtudeat, ut peritos parochos, ſeu Sacramentorum adminiſtratores inſtituat. *Finis.*

2. Vnus Profeſſorum biennio explicet Sacramenta omnia, & Cenſuras, & præterea hominum ſtatus, atque officia: alter biennio item Decalogum, in cujus ſeptimo præcepto aget de contractibus, ſemper leviter attingendo quæ minoris momenti, aut non ita propria eſſe videantur, v. g. de Depoſitione, Degradatione, Magia, & alia hujuſmodi. *Quæſtionum diſtributio.*

3. Etiamſi à Theologicis rebus, quæ vix ullam habent cum caſibus neceſſariam connexionem, penitus abſtinere neceſſe ſit; æquum tamen eſt interdum Theologica quædam, à quibus caſuum doctrina pendet, breviſſima definitione perſtringere, ut quid character, & quotuplex ſit, quid peccatum mortale, aut veniale, quid conſenſus, & horum ſimilia. *A Theologicis quatenus abſtinendum.*

4. Citra Scholaſticum apparatum unaquæque difficultas evolvatur per dubitationes, & concluſiones: in quibus confirmandis ſeligantur ad ſummum duæ treſve rationes, nec plus æquo auctoritates coacerventur: unicuique autem generali præcepto, ſeu regulæ ſubjiciantur exempli gratia tres circiter peculiares caſus. *Quæſtionum ratio, & modus.*

5. Ita ſuas confirmet opiniones, ut ſi qua alia fuerit probabilis, & bonis auctoribus munita, eam etiam probabilem eſſe ſignificet. *Probabilis opinio ſignificanda.*

Quolibet ſabbatho, prætermiſſa lectione, per duas horas, vel aliquanto minus, pro arbitrio Provincialis, & diſcipulorum numero, de propoſitis concluſionibus diſputetur in ſchola coram Magiſtro: in ea vero diſputatione interrogationibus potiſſimum agatur, ut vel exigatur explanatio alicujus difficultatis; vel novus caſus mutata circumſtantia aliqva, proponatur; vel alicui *Hebdomadaria diſputatio.*

concluſioni opponatur Canon, ſeu Doctor ex primariis; ſeu nonnulla brevis argumentatio, quo res plus habeat dignitatis; temperate tamen, & longe infra philoſophicam conſuetudinem.

Domeſticæ collationis forma. 7. Si ipſe domeſticæ caſuum collationi à Rectore ex Provincialis præſcripto præficiatur, hunc ordinem teneat: Primum materiam aliquam, de qua diſſerendum ſit, proponat; & interdum etiam aliquid pertinens ad uſum, ut de modo interrogandi pœnitentem, remedia, ac pœnitentias imponendi, & horum ſimilibus. Deinde ejus materiæ præcipua capita, ac fundamenta ipſemet aperiat breviter, ut generalem quamdam notitiam, ac tamquam lucem in omnes illius tractationis partes præbeat. Tum de propoſita materia tres quatuorve caſus ſeligat, quos in collationum loco jubeat affigi, notato die, quo excutiendi ſint.

Privatum ſtudium. 8. De his caſibus propoſitis conſulant aliqui privato ſtudio ſinguli ſingulos auctores à Præſide diſtributos.

Exponendæ, & diſputandæ ſententiæ. 9. Poſtquam convenerint, primum utile eſſet à ſingulis, quid ſuus Doctor habeat, quam breviſſime referri; tum qui præeſt interroget fere tres (quos ſatius eſt tempeſtive præmoneri, & viciſſim variari) quid ſentiant de primo caſu: poſtea ex his, quæ dicta ſunt ab illis, colligat ipſe doctrinam tutiorem, & probabiliorem: eodem deinde ordine caſum ſecundum, & reliquos deinceps eadem ratione excutiat. Illis caſibus ſic explicatis à Præſide quam breviſſime, & eo modo, qui ſervandus eſt in diſputationibus caſuum, proponantur iiſdem de rebus dubitationes; reſpondente uno ex præmonitis, & ipſo tandem, quid ſentiendum ſit, ad extremum edocente.

Extraordinaria collationum materia. 10. Si quid vero alicui occurrat extra ordinariam harum collationum materiam; deferatur, ſi nihil obſtat, ad Præſidem, ut in proxime futura collatione agitetur.

REGULÆ PROFESSORIS PHILOSOPHIÆ.

1.

Finis. a p. 4. c. 12. §. 3. & 3. Cong. Can. 9. QVoniam *a* artes, vel ſcientiæ naturales ingenia diſponunt ad Theologiam, & ad perfectam cognitionem & uſum illius inſerviunt, & per ſe ipſas ad eumdem finem juvant; eas, qua diligentia par eſt, Præceptor, in omni-

omnibus ſyncere honorem & gloriam Dei quærendo, ita tractet, ut auditores ſuos, ac potiſſimum noſtros, ad Theologiam præparet, maximeque ad cognitionem excitet ſui Creatoris.

2. In rebus alicujus momenti *b* ab Ariſtotele non recedat, niſi quid incidat à doctrina, quam Academiæ ubique probant, alienum; multo magis ſi orthodoxæ fidei repugnet: adverſus quam ſi quæ ſunt illius, aliuſve Philoſophi argumenta, ſtrenue refellere ſtudeat juxta Lateranenſe Concilium. *b p.4.c.14.§.3. & 5. Cong. Dec. 55. Sequendus Ariſtoteles, ſed quatenus.*

3. *c* Ariſtotelis interpretes male de Chriſtiana religione meritos non ſine magno delectu, aut legat, aut in ſcholam proferat; caveatque, ne erga illos afficiantur diſcipuli. *c 3. Congr. Can. 8 & 5. Cong. Dec. 55. Auctores male de Chriſtianâ fide meriti.*

4. *d* Eam ob rem nec Averrois (idem de ejuſmodi aliis judicium) Digreſſiones in ſeparatum aliquem tractatum conferat: &, ſi quid boni ex ipſo proferendum ſit, ſine laude proferat; &, ſi fieri poteſt, id eum aliunde ſumpſiſſe demonſtret. *Averroes. d 5. Cong. Dec. 55.*

5. Nulli ſectæ, ut Averroiſtarum, Alexandreorum, & ſimilium, vel ſe, vel ſuos addicat: nec Averrois, aut Alexandri, aut ceterorum errata diſſimulet: ſed inde acrius deprimat eorum auctoritatem. *Nulli ſectæ adhærendum.*

6. Contra vero de S. Thoma numquam non loquatur honorifice; libentibus illum animis, quoties oporteat, ſequendo; aut reverenter & gravate, ſi quando minus placeat, deſerendo. *S. Thomas ſequendus.*

7. Vniverſam Philoſophiam *a* non minus quam triennio prælegat, idque binis quotidie horis, antemeridiana una, altera pomeridiana, niſi aliter in aliqua univerſitate conſtitutum ſit. *a p.4.c.15.§.2. Philoſophiæ curſus non minor triennio.*

8. Ac proinde nuſquam curſus abſolvatur, antequam venerint, aut valde proximæ ſint vacationes, quæ ſub anni finem dari ſolent. *Quando abſolvendus.*

9. §. 1. Explicet primo anno Logicam, ejus ſumma primo circiter bimeſtri tradita, non tam dictando, quam ex Toleto, ſeu Fonſeca, quæ magis neceſſaria videbuntur, explicando. *Quæ primo anno tradenda, vel omittenda.*

§. 2. In Prolegomenis Logicæ diſputet tantum an ſit ſcientia, & de quo ſubjecto, & pauca quædam de ſecundis intentionibus: plenam de Vniverſalibus diſputationem differat in Metaphyſicam, contentus hic mediocrem quamdam eorum notitiam tradere.

§. 3. De Prædicamentis etiam faciliora quædam proponat, quæ fere attinguntur ab Ariſtotele: cetera in poſtremum rejiciat annum. De analogia tamen, & relatione, quoniam frequentiſſime in diſputationes cadunt, quantum ſatis eſt, agat in Logica.

 §. 4. Li-

§. 4. Librum ſecundum Perihermenias, & ambos Priorum libros, præter octo, vel novem prima capita primi, compendio percurrat: exponat tamen proprias illorum quæſtiones: breviſſime vero eam, quæ eſt de contingentibus, in qua nihil de libero arbitrio.

§. 5. Atque, ut ſecundus annus integer rebus phyſicis tribuatur, in fine primi anni plenior inſtituatur diſputatio de ſcientia, in eamque conjiciantur prolegomena Phyſicæ maxima ex parte, ut ſcientiarum diviſiones, abſtractiones, ſpeculativum, practicum, ſubalternatio, diverſus quoque procedendi modus in Phyſicis & Mathematicis, de quo Ariſtoteles lib. 2. Phyſ. demum quidquid de Definitione dicitur lib 2. de anima.

§. 6. Ex Topicis vero, & Elenchis, loci & fallaciæ commodiorem in ordinem redactæ melius explicantur initio Logicæ in ſumma.

Quæ ſecundo. 10. §. 1. Secundo anno explicet libros octo Phyſicorum, libros de Cælo, & primum de Generatione. In octo libris Phyſicorum compendio tradatur textus libri ſexti, & ſeptimi, etiam primi ex ea parte, quæ eſt de antiquorum opinionibus. In octavo libro nihil diſſeratur de numero Intelligentiarum, nec de libertate, nec de infinitate primi motoris; ſed hæc in Metaphyſicis diſputentur, & quidem ſolum ex ſententia Ariſtotelis.

§. 2. Textus ſecundi, tertii, quarti de Cælo breviter perſtringantur, magna etiam ex parte prætereantur. In his libris non tractentur, niſi paucæ de Elementis quæſtiones; de Cælo autem dumtaxat de ejus ſubſtantia, & de influentiis: ceteræ Mathematicæ Profeſſori relinquantur, vel conferantur in compendium.

§. 3. Meteorologica vero percurrantur æſtivis menſibus ultima pomeridiana ſcholæ hora, idque ſive ab ordinario, ſi poſſit, Philoſophiæ Profeſſore, ſive ab extraordinario, niſi aliter fieri commodius videretur.

Quæ tertio. 11. §. 1. Tertio anno explanabit librum ſecundum de Generatione, libros de Anima, & Metaphyſicorum. In primo libro de anima veterum placita Philoſophorum ſummatim percurrat. In ſecundo, expoſitis ſenſoriis non digrediatur in anatomiam, & cetera, quæ Medicorum ſunt.

§. 2. In Metaphyſica quæſtiones de Deo, & Intelligentiis, quæ omnino, aut magnopere pendent ex veritatibus divina fide traditis, prætereantur. Procemium, ac ſeptimi, & duodecimi libri textus magna ex parte diligenter explicetur: in ceteris libris ſeligantur ex unoquoque quidam præcipui textus, tamquam fundamenta quæſtionum, quæ ad Metaphyſicum pertinent.

12. Sum-

12. Summopere conetur Ariſtotelicum textum bene interpretari, in eoque nihil minus operæ, quam in quæſtionibus collocet. Auditoribus etiam perſuadeat mutilam valde ac mancam futuram Philoſophiam eorum, quibus id ſtudii in pretio non ſit. *Textus Ariſtotelis maximi faciendus.*

13. Quoties incidit in textus aliquos admodum celebres, & jactari ſæpe ſolitos in diſputationibus, eos accurate perpendat, illuſtrioribus aliquot interpretationibus inter ſe collatis, ut, quæ quibus anteferenda ſit, ex antecedentibus & conſequentibus poſſit intelligi, vel ex vi Græci ſermonis, vel ex aliorum locorum obſervatione, vel ex inſigniorum Interpretum auctoritate, vel denique ex momentis rationum. Tum demum veniatur ad dubitatiunculas quaſdam non nimium exquirendas quidem, ſed, ſi cujus momenti ſint, non omittendas. *Qui maxime textus, & quomodo interpretandi.*

14. Magnum etiam quæſtionum delectum habeat: & eæ quidem, quæ non ex ipſa Ariſtotelis diſputatione naſcuntur, ſed ex occaſione cujuſpiam axiomatis, quod is obiter inter diſputandum uſurpat, ſi aliis in libris proprium locum habent, eo rejiciantur; ſin minus, continuo poſt textum ipſum, in quo ſe obtulerint, explicentur. *Quæſtionum delectus, & ordo.*

15. Quæſtiones vero, quæ per ſe ad materiam, de qua diſputat Ariſtoteles, pertinent, ne tractentur ante explicatos textus omnes ad propoſitam rei ſummam pertinentes; ſi quidem plures textus hi non ſint, quam ut una aut altera lectione poſſint exponi. Sin autem excurrant longius, ut qui ſunt de Principiis, de Cauſis, de Motu, in his nec fuſiores tractatus habeantur, nec totus Ariſtotelis contextus quæſtionibus anteponatur; ſed cum illis ita conjungatur, ut poſt aliquam textuum ſeriem quæſtiones aliquæ, quæ ex illis exiſtant, interſerantur. *Quæſtiones textui interſerendæ.*

16. *a* Abſolutis lectionibus aliqui inter ſe audita recolant per ſemihoram, circiter deni, uno aliquo ex condiſcipulis è Societate, ſi fieri poteſt, ſingulis decuriis præpoſito. a p. 4. c. 13. §. 3. *Repetitio in ſcholis.*

17. Diſputationes menſtruæ fiant, in quibus argumententur non pauciores, quam tres mane, totidem à prandio: primus quidem per horam, ceteri vero per ternos circiter quadrantes. Et mane quidem primo loco diſputet Theologus aliquis (ſi Theologorum ſuppetit copia) contra Metaphyſicum, contra Phyſicum Metaphyſicus, Phyſicus contra Logicum: ſed à prandio Metaphyſicus cum Metaphyſico, Phyſicus cum Phyſico, Logicus cum Logico. *Diſputationes menſtruæ.*

Mane

b p.4.c.6.§.10. Mane item Metaphyſicus, à prandio Phyſicus unam aut alteram *b* concluſionem confirmabit breviter & philoſophice.

Summa tempore quatenus diſputandum. 18. Quo tempore ſummam Logicæ Præceptor tradit, nec ipſe, nec ejus auditores ad has diſputationes conveniant. Imo prima aut altera circiter hebdomada Logici nihil diſputent, una fere rerum explanatione contenti: ex quo tempore poterunt in ſua claſſe defendere theſes aliquas die ſabbathi.

Diſputationes ſolemnes. 19. Vbi non eſt niſi unus Philoſophiæ magiſter, ter aut quater in anno inſtituat ſolemniores aliquas diſputationes feſto, aliove feriato die; idque eo ſplendore atque apparatu, invitatis etiam religioſis, aliiſque Doctoribus ad argumentandum, ut ex da ... ſtudiis doctris non infructuoſus aliquis fervor accedat.

Formæ ratio in diſputando. 20. Sic ab ipſo Logicæ initio juvenes inſtituantur, nihil ut eos magis pudeat in diſputando, quam à formæ ratione deflexiſſe: nihil ab illis ſeverius exigat Præceptor, quam diſputandi leges, ac ſtatas vices. Itaque qui reſpondet, repetat primum totam argumentationem, nihil ad ſingulas propoſitiones reſpondendo; tum iterum propoſitiones, addatque *Nego*, vel *Concedo majorem*, *minorem conſequentiam*: interdum etiam diſtinguat; raro autem vel declarationes, vel rationes, præſertim invitis, obtrudat.

REGVLÆ PROFESSORIS PHILOSOPHIÆ MORALIS.

1.

Officium. INtelligat ſui inſtituti nequaquam eſſe ad Theologicas quæſtiones digredi, ſed progrediendo in textu breviter, docte & graviter præcipua capita ſcientiæ moralis, quæ in decem libris Ethicorum *a* Ariſtotelis habentur, explicare.

a p. 4.c.14.§.3.

Tempus hujus lectionis. 2. Vbi ab ipſomet Philoſophici curſus Profeſſore Ethica prælegi non ſolent, exponat, qui Ethica tradit, Metaphyſicis graviores hujus ſcientiæ quæſtiones; idque per tres quadrantes quotidie, aut ſemihoram.

3. Ethi-

3. Ethicæ repetitiones ſaltem decimo quinto quoque die habeantur, quo tempore Rector ſtatuerit: etiam ſi ob eam cauſſam una eſſet Metaphyſica repetitio prætermittenda. *Repetitio.*

4. Cum Metaphyſicæ auditores, vel domi privatas, vel in ſchola menſtruas habent diſputationes; propoſitionem aliquam Ethicam concluſionibus ſemper adjungant, adverſus quam per quadrantem Metaphyſicus diſputet, qui argumentatur. *Concluſiones.*

REGVLÆ PROFESSORIS MATHEMATICÆ.

1.

PHyſicæ auditoribus explicet in ſchola tribus circiter horæ quadrantibus Euclidis elementa: in quibus poſtquam per duos menſes aliquantiſper verſati fuerint; aliquid Geographiæ, vel Sphæræ, vel eorum, quæ libenter audiri ſolent, adjungat: idque cum Euclide, vel eodem die, vel alternis diebus. *Qui auctores, quo tempore, quibus explicandi.* P. 4. c. 12. C.

2. Singulis, aut alternis ſaltem menſibus, ab aliquo auditorum, magno Philoſophorum Theologorumque conventu, illuſtre problema Mathematicum enodandum curet: poſteaque, ſi videbitur, argumentandum. *Problema.*

3. Semel in menſe, idque fere die ſabbathi, prælectionis loco præcipua quæque per eum menſem explicata publice repetantur. *Repetitio.*

REGVLÆ PRÆFECTI STVDIORVM INFERIORVM.

1.

INtelligat ſe ad id eſſe delectum, ut omni ope atque opera Rectorem adjuvet, in ſcholis noſtris ita regendis ac moderandis, ut qui eas frequentant non minus *a* quam in bonis artibus, in vitæ probitate proficiant. *Finis.* a P. 4. c. 7. §. 1. & c. 16. §. 4.

2. In rebus quæ ad morum diſciplinam in ſcholis noſtris pertinent, Rectorem tantum; in iis vero quæ ad ſtudia, generalem ſtudiorum Præfectum conſu- *Subordinatio generali Præfecto.*

conſulat: ab eorum præſcripto non recedat; nullam conſuetudinem aut receptam tollat, aut novam introducat.

Declamationes à quo probandæ. 3. Eidem Præfecto quidquid ab auditoribus Rhetoricæ & inferiorum facultatum publice domi foriſque declamabitur, tradi curet recognoſcendum. Emblemata vero & carmina, quæ celeberrimis aliquot diebus propalam collocantur, à duobus per Rectorem deſignandis legantur omnia, atque optima ſeligantur.

Magiſtri obſervandi, & juvandi. 4. Regulas Magiſtrorum inferiorum, & auditorum habeat, & perinde ac ſuas ſedulo curet obſervandas. Magiſtros ipſos juvet ac dirigat, maximeque caveat ne quid apud alios, præſertim vero diſcipulos, de eorum exiſtimatione atque auctoritate detrahatur.

Vna docendi ratio. 5. Magnopere caveat, ut novi Præceptores deceſſorum ſuorum docendi morem, & alias conſuetudines, à noſtra tamen ratione non alienas, ſedulo retineant; quo minus externi frequentem Magiſtrorum mutationem incuſent.

Scholæ viſendæ. 6. Quintodecimo quoque die minimum ſingulos docentes audiat: obſervet, an doctrinæ Chriſtianæ debitum tempus atque operam tribuant, an quantum ſatis eſt in ſuo penſo tum perſolvendo, tum recolendo progrediantur: an denique cum diſcipulis decore ac laudabiliter ſe in rebus omnibus gerant.

Feriati dies, & horarum mutatio. 7. Tum feſtos dies, & vacationes, ſive provinciis omnibus communes, ſive ſuæ proprias, præſertim hebdomadarias; tum horas, quibus quoque anni tempore inchoandæ ſcholæ ſint ac finiendæ, mature cognoſcat, Magiſtriſque ſignificet: quando item diſcipuli ad publicas ſupplicationes, aliaque id genus dimittendi, aut aliquid extra ordinem agere jubendi, ſeu vetandi.

Quinque ſcholarum gradus. 8. §. 1. Caveat ne gradus, quibus quinque ſcholæ inferiores, videlicet Rhetorica, Humanitas, & tres Grammaticæ conſtant, ulla ratione permiſceantur, ut, ſi quando claſſis aliqua ob multitudinem diſcipulorum, ex Provincialis præſcripto, geminetur, eumdem utraque gradum retineat: & ſi quando plures in una claſſe ordines ſtatuantur, iis gradibus reſpondeant, qui in regulis Profeſſorum deſcribuntur.

Diviſio Grammatices in tres libros. §. 2. Quæ diſtinctio quo melius, faciliusque ſervetur, omnia Emmanuelis præcepta tres in libros dividenda ſunt, quorum ſinguli ſingularum ſcholarum ſunt proprii.

Primus

Primus liber pro infima claſſe, continebit primum Emmanuelis librum, & brevem introductionem Syntaxeos è ſecundo depromptam.

Secundus liber pro media claſſe, continebit ſecundum librum Emmanuelis de octo partium conſtructione usque ad figuratam, additis facilioribus appendicibus.

Tertius liber pro ſuprema claſſe, continebit è ſecundo libro appendices ſecundi generis, & à figurata conſtructione usque ad extremum, ac librum tertium, qui eſt de ſyllabarum dimenſione.

Similis autem huic in tres partes, quæ tribus claſſibus reſpondeant, diviſio, ab iis etiam provinciis facienda eſſet, quæ aliam methodum quam Romanam ſeqvuntur.

§. 3. Cujusque claſſis librum Magiſter primo fere ſemeſtri abſolvet, altero à capite repetet. Quoniam vero infimæ claſſis liber major eſt, quam explanari uno anno, ac recoli totus poſſit, ideo bifariam dividitur. Et expediret quidem pueros non admittere, niſi in prima parte bene inſtructos, ut omnibus ſecunda pars, ſicut ceteris claſſibus, uno anno explicaretur & repeteretur. Verum ubi id fieri non poterit, hæc infima claſſis dividenda erit in duos ordines, quorum uni prima pars libri, alteri ſecunda primo fere ſemeſtri prælegatur; ſecundo vero ſemeſtri utraque ab initio repetatur: quæ ſicubi geminetur, cum in ea duplex ſit ordo, unus poterit Magiſter inferiorem ordinem docere, alter ſuperiorem. *Infimæ claſſis geminus ordo.*

§. 4. Hujus repetitionis duplex erit utilitas, prima, quod altius inhærebunt, quæ ſæpius fuerint iterata; altera, ut ſi qui ſint præſtanti ingenio, celerius quam ceteri curſum conficiant, cum ſingulis ſemeſtribus poſſint aſcendere. *Repetitionis utilitas.*

§. 5. Vbi igitur quinque ſcholæ ſunt, ſerventur in ſingulis ſinguli gradus eo modo, quo deſcripti ſunt in regulis Magiſtrorum: nec in ulla earum plusquam unus ordo, excepta infima, permittatur. *Collegium quinque claſſium.*

§. 6. Vbi ſunt quatuor ſcholæ, vel, ſublata Rhetorica, ceteræ quatuor nihil differant ab iis quas modo diximus; vel, quod magis placet, ſuprema ſit Rhetorica, ſervetque prorſus gradum in regulis Profeſſoris Rhetoricæ deſcriptum; altera ſit Humanitatis, itemque ſervet gradum in regulis Profeſſoris expreſſum; tertia in duos ſecetur ordines, quorum ſuperior ſupremæ claſſi Grammaticæ reſpondeat, inferior mediæ; quarta denique reſpondebit infimæ claſſi; duosque in ordines, ut in ejus regulis dicitur, tribui poterit: ſi ſu- *Quatuor.*

perior tantum ordo admittatur, tertia unum tantum gradum teneat, ſitque ſuprema Grammaticæ; quarta vero duos, ſitque media, & infima.

Trium. §. 7. Vbi ſunt tres ſcholæ, duæ inferiores retineant gradum modo præſcriptum duabus ultimis in Collegio quatuor claſſium; ſuprema vero vel ſit pura Humanitas, vel in duos dividatur ordines, quorum ſuperior Rhetoricæ, inferior Humanitati reſpondeat. Atqui ordo ſuperior non introducetur, niſi conſulto Rectore, cum bonus numerus diſcipulorum erit, qui ejus ordinis ſint capaces, atque ita, ut Magiſter ſtudio & curæ inferiori ordini debitæ nullo modo deſit.

Duarum. §. 8. Vbi ſunt duæ ſcholæ, inferior duos habeat ordines, quorum alter ſupremo ordini infimæ claſſis, alter mediæ claſſi; ſuperior item duos, quorum alter ſupremæ claſſi Grammaticæ, alter Humanitati reſpondeat.

Repetitio penſi in ſcholis duorum ordinum. §. 9. In his etiam ſcholis, ubi eſt ordo geminus, eadem erit pro utroque ordine, quæ dicta eſt §. 3. annui penſi repetitio. Et quidem, ubi fieri poſſet, ut utrique ſua cuique pars primo ſemeſtri explicaretur, ſecundo iteraretur; diſcipuli per biennium in eadem claſſe æque progrederentur atque in duabus, quæ ſingulis conſtarent ordinibus: verum ubi id difficilius videatur, plus etiam erit temporis tribuendum.

Quæ ibidem communia, quæ propria. §. 10. Hoc ut obtineri poſſit in his ſcholis, in quibus ordo erit geminus, omnia præter Grammaticæ prælectionem erunt omnibus communia. Ac primum quidem Ciceroniana prælectio communis erit, ita ut faciliora ab inferiore, difficiliora à ſuperiore ordine repoſcantur. Deinde thema etiam unicum dari poterit, ita ut totum ordo ſuperior excipiat, inferior primam ſolum, vel ultimam partem, quæ ſit præceptis illi explicatis accommodata. Denique exercitationes, & concertationes plerumque omnibus communes eſſe poſſunt. Sola ergo Grammaticæ prælectio diſtincta cum ſit, aut alternis diebus ſingulis ordinibus, aut, tempore bifariam diviſo, ſua utrique quotidie explicabitur, recoleturve.

Novi diſcipuli. 9. Nullum, quoad ejus fieri poteſt, in diſcipulorum numerum referat, qui non adducatur à parentibus, aliisve quibus curæ ſit; aut quem ipſe non noverit; aut de quo facile non poſſit ab aliis ſibi jam notis edoceri. Neminem vero eo quod ignobilis ſit aut pauper, excludat.

Eorum examen. 10. Eos, qui de novo adveniunt, in hunc fere modum examinet: roget quænam ſtudia coluerint, quatenus; deinde ſeorſim aliquid ſcribere, certo argumento propoſito, jubeat: nonnulla item præcepta facultatum, quibus ſtudue-

ſtuduerint, exigat; breves aliquas ſententias, ſive Latine convertendas, ſive, ſi ſit opus, è ſcriptore quopiam interpretandas, proponat.

11. Quos probe inſtructos, & bonorum morum, aut indolis eſſe cognoverit, admittat; iisque regulas auditorum noſtrorum oſtendat, ut quales ſe eſſe oporteat, norint. Eorum nomen, cognomen, patriam, ætatem, parentes, aut eos in quorum cura ſunt, ecquis diſcipulorum noverit eorum domos, in libro ſcribat; diemque & annum, quo quisque admiſſus eſt, adnotet. Demum unumquemque in ea claſſe, & cum eo Præceptore collocet, qui ipſi conveniat; ut ſuperiore dignus potius, quam ſuo indignus videri poſſit. *Admiſſio.*

12. In ultimam claſſem fere neque admittat juvenes ætate provectos, neque puerulos nimium teneros, niſi admodum idoneos; etiam ſi probæ tantum educationis gratia mitterentur. *Qui non admittendi.*

13. Generalis ſolemnisque promotio ſemel in anno poſt anniverſarias vacationes facienda eſt. Si qui tamen longe excellant, atque in ſuperiore ſchola magis quam in ſua profecturi videantur (quod inſpiciendis Catalogis, rogandisque Magiſtris cognoſcet) nequaquam detineantur, ſed quocumque anni tempore poſt examen aſcendant. Quamquam à prima claſſe ad Humanitatem tum ob alias cauſſas, tum propter artem metricam, quæ ſecundo ſemeſtri explicatur, & ab Humanitate ad Rhetoricam propter Cypriani compendium, vix patet aſcenſus. *Promotio.*

14. Ad examen ſemel, aut, ſi opus ſit, iterum ab omnibus claſſibus ſoluta oratione; à ſuprema vero Grammaticæ, & Humanitate ſemel etiam carmine, &, ſi videatur, ſemel Græce aliquo dierum intervallo in ſchola ſcribendum eſt. *Ad examen ſcribendum.*

15. Efficiat ut biduo vel triduo ante examen Magiſtri ſcribendum examinis cauſſa denuntient: ſcribendique ad examen leges in fine harum regularum poſitæ ſingulis in claſſibus recitentur. *Examinis leges recitandæ.*

16. Scribentibus præſit ipſe Præfectus, aut alius, quem ipſe ſibi ſubſtituerit: qui, quo die ſcribendum eſt, ſigno dato argumentum breve potius quam longum tradat. *Præfectus præſit.*

17. Compoſitiones in faſciculum ordine alphabeti conjectas apud ſe habeat; &, ſi nihil impediat, dividat examinatoribus, ut, ſi videatur, legere, & errata in margine notare poſſint. *Compoſitiones tribuendæ examinatoribus.*

18. Examinatores tres eſſe oportet. Vnus erit ut plurimum ipſe Præfectus; alios duos rerum Humaniorum bene peritos, qui, ſi fieri poteſt, Ma- *Examinatores.*

 giſtri

giſtri non ſint, Rector cum Præfecto conſtituet. In decernendo autem plura horum trium ſuffragia ſpectabuntur. Vbi vero ingens eſt numerus, duo aut plura examinatorum ternaria conſtitui nihil vetat.

Examinandorum numerus. 19. Terni ad examen, aut etiam plures ex claſſibus præſertim inferioribus evocentur; totidemque deinceps à Magiſtro, ſervato alphabeti ordine, aut alio commodiore, ſubmittantur.

Catalogi cognoſcendi. 20. Examinatores in primis perlegant Magiſtri catalogum, & in eo recognoſcant adſcriptas cuique notas, dum ad examen accedit, conferendo, ſi opus ſit, cum ſuperioribus ejusdem anni catalogis, ut quid quisque profecerit, aut profecturus ſit, facilius appareat.

Examinis ratio. 21. Examinis ratio hæc erit. Primum ſuæ quisque compoſitionis partem, ſi videatur, recitet: deinde errata corrigere, & eorum rationem reddere jubeatur, præcepto, contra quod peccatum ſit, indicato. Poſtea Grammaticis vernaculum aliquid ſtatim Latine vertendum proponatur; omnesque de præceptis, & rebus, quæ in quaque ſchola traditæ ſunt, interrogentur. Denique brevis, ſi ſit opus, loci cujuſpiam ex libris in ſchola explicatis interpretatio exigatur.

Quando ferenda ſententia. 22. Poſt cujusque ternarii examen, recentibus adhuc Examinatorum judiciis, ſententiæ de interrogatis ferantur, habita compoſitionis, notæ à Magiſtro additæ, & interrogationis ratione.

De dubiis. 23. Ad conſtituendum de dubiis, Præfectus quotidianas eorum ſcriptiones per intervalla exigat; cum iisdem judicibus conferat, ut eos, ſi videatur, rurſus ſcribere jubeant, & examinent. Porro in dubiis ratio ætatis, temporis in eadem claſſe poſiti, ingenii, ac diligentiæ habenda erit.

Silentio ſententia ſupprimenda. 24. Peracto demum examine, quid de unoquoque ſtatuendum ſit, ſilentio ſupprimatur, niſi quod, antequam publice recitetur, ſuus cuique Magiſtro catalogus oſtendendus erit.

Non apti, & rudes. 25. Si quis nulla ratione ad gradum faciendum videatur idoneus, nullus deprecationi ſit locus. Si quis ægre quidem aptus, ſed tamen propter ætatem, tempus in eadem claſſe poſitum, aut aliam rationem promovendus videatur; id ea conditione, niſi quid obſtiterit, fiat, ut, ſi minus ſuam Magiſtro probarit induſtriam, ad inferiorem ſcholam remittatur, nec in Catalogo ejus ratio habeatur. Si qui denique ita ſint rudes, ut nec eos promoveri deceat, nec ullus in propria claſſe fructus ſperetur, agatur cum Rectore, ut eorum parentibus, aut curatoribus perhumaniter admonitis, locum non occupent.

26. Publi-

26. Publice promovendorum Catalogus vel ad ſingulas ſeorſim claſſes, vel in Aula ſimul ad omnes recitetur. Si qui longe inter ceteros emineant, primi honoris cauſſa nominentur, in ceteris alphabeti, vel doctrinæ ordo ſervabitur. *Promulgatio.*

27. Ante inſtaurationem ſtudiorum de Catalogo librorum, qui eo anno explicandi ſunt in ſcholis noſtris, conficiendo mature referat ad Rectorem, ut res cum Præfecto generali, & cum Magiſtris communicetur: eodemque modo ſtatuatur, ſi qui forte in anno libri, ſive ſcriptores commutandi ſint. *Librorum Catalogus.*

28. Efficiat, ut tempeſtive cum publicis Bibliopolis agatur, ne librorum, quibus aut in dies utimur, aut ſequentem in annum uſuri ſumus tum nos, tum externi, copia deſideretur. *Librorum copia.*

29. Cujuslibet anni initio ſua ſingulis auditoribus ſcamna, & confeſſores, vel per ſe, vel per Magiſtros, alumnis etiam, & convictoribus per eorum moderatores aſſignet; (niſi forte alicubi ex doctrinæ ordine ſedendi ordo ſtatuatur.) Nobilibus quidem commodiora, noſtris vero, & aliis item religioſis, ſi adſint, ab externis ſeparata ſubſellia: neque committat, ut magna aliqua commutatio, ſe inſcio, fiat. *Locorum aſſignatio.*

30. Permagni intereſt, ut auditoribus non modo noſtris, ſed alumnis etiam, vel convictoribus, &, ſi nihil obſtiterit, externis quoque Præfectus per Magiſtros, vel per alios illorum Collegiorum Præfectos tempus ita diſtribuat, ut privati ſtudii horas bene collocent. *Privati ſtudii tempus.*

31. Nullam det cuipiam, præſertim diuturnam, niſi gravi de cauſſa, à verſibus, & Græcis diſcendis immunitatem. *Immunitas nulla.*

32. Curet ut declamationes menſtruæ: quæ publice in Aula à Rhetoribus habentur, ſuperiorum etiam claſſium frequentia, non modo Rhetorum & Humaniſtarum cohoneſtentur. Ideoque Magiſtri admoneantur, ut ſuos quisque auditores invitent. Ex noſtris vero nemini abeſſe liceat, niſi à Rectore poteſtatem impetrarit. *Declamationes menſtruæ.*

33. Conſideret quando, qua ratione, & quo convenire debeant ſcholæ ad diſputandum inter ſe: nec ſolum diſputandi rationem ante præſcribat, ſed etiam dum certatur, præſens ipſe ſedulo curet, ut fructuoſe, modeſte, pacate gerantur omnia. Eodemque modo Rhetorum & Humaniſtarum declamationibus, ſeu prælectionibus, quas in Gymnaſio habere ſolent, interſit. *Scholarum diſputationes.*

34. Ad

Academia. 34. Ad litterarias exercitationes altius imprimendas, det operam, ut, ſi Rectori videbitur, in claſſibus non modo Rhetoricæ & Humanitatis, ſed etiam Grammaticæ, Academiæ inſtituantur: in quibus ſtatis diebus, certisque legibus, quæ in fine libri habentur, viciſſim prælegatur, diſputetur, aliæque boni auditoris partes agantur.

Præmia publica. 35. De præmiis diſtribuendis, ac declamatione dialogove tum fortaſſe habendo, tempeſtive Superiori in memoriam revocet. In qua diſtributione leges, quæ in fine harum regularum collocantur, ſervandæ erunt; & in ſingulis claſſibus ante ſcriptionem promulgandæ.

Privata. 36. Det quoque operam, ut præter publica præmia, privatis etiam, quæ Rector Collegii ſuppeditabit, præmiolis, vel ſigno aliquo victoriæ, Magiſtri in ſua quisque ſchola diſcipulos excitent, cum vel adverſarium vincendo, vel totum aliquem librum repetendo, memoriterve reddendo, vel illuſtre aliquid ejusmodi agendo in dies commeruiſſe videbuntur.

Cenſor, ſeu Prætor. 37. Suum in unaquaque claſſe pro regionum conſuetudine publicum Cenſorem, vel, ſi Cenſoris nomen minus placeat, Decurionem maximum, aut Prætorem conſtituat: qui ut in honore ſit apud condiſcipulos, privilegio aliquo cohoneſtandus erit; jusque habebit, Magiſtro approbante, leviores pœnas à condiſcipulis deprecandi. Is obſervet, ſi quis aut ante ſignum datum ex condiſcipulis vagetur in atrio, aut ſcholam alienam ingrediatur, aut à propria, ſeu à ſuo loco diſcedat: deferat etiam ad Præfectum quinam quotidie deſiderentur, ſi quis non diſcipulus ſcholam intrarit, demum ſi quid abſente, ſeu præſente Magiſtro, peccetur in ſchola.

Corrector. *a P. 4. c. 7. §. 2. & c. 16. §. 5.* 38. *a* Propter eos, qui tum in diligentia, tum in iis, quæ ad bonos mores pertinent, peccaverint, & cum quibus ſola verba bona & exhortationes non ſufficiunt; Corrector, qui de Societate non ſit, conſtituatur: ubi haberi non poterit, excogitetur modus, quo caſtigentur, vel per aliquem ex ipſis ſcholaſticis, vel alia convenienti ratione: propter domeſtica vero delicta non plectantur in ſchola, niſi raro, & magna de cauſſa.

Correctionem recuſantes. 39. Qui autem plagas recuſant, aut cogantur, ſi tuto poſſint; aut, ſi quando id indecore fiat, cum grandioribus videlicet, iis gymnaſium noſtrum interdicatur, Rectore tamen antea conſulto; ſicut & iis, qui frequenter abſunt à ſchola.

A ſcholis removendi. *a P. 4. c. 16. §. 5.* 40. *a* Cum nec verba, nec Correctoris officium ſatis eſſet, & in aliquo emendatio non ſperaretur, aliisque eſſe offendiculo videretur; præſtat à

ſcholis

ſcholis eum removere, quam ubi parum ipſe proficit, & aliis nocet, retinere. Hoc autem judicium Rectori, ut omnia ad gloriam & ſervitium Dei, ut par eſt, procedant, relinquetur.

41. *b* Si caſus aliquis acciderit, ubi in remedium offendiculi præſtiti, ſatis non eſſet à ſcholis expellere; ad Rectorem referat, ut is videat, quid præterea conveniat providere. Quamvis, quoad ejus fieri poterit, in ſpiritu lenitatis, pace & caritate cum omnibus conſervata, ſit agendum. *Coërcendi.* b Ibid. lit. D.

42. Reditus ad ſcholas noſtras nemini pateat eorum, qui vel ſemel ejecti ſunt, vel ultro ſine legitima cauſſa diſceſſerunt; quin prius Rector admoneatur, cujus erit, quid expediat, judicare. *Reditus ad ſcholas nemini pateat.*

43. Nihil neque in atrio, neque in ſcholis, etiam ſuperioribus patiatur armorum, nihil otioſorum, nihil concurſationum, atque clamorum; *c* nec juramenta, nec injurias verbo aut facto illatas, nec inhoneſtum aut diſſolutum quid in eis permittat: ſi quid acciderit, componat ſtatim; & cum Rectore agat, ſi quid eſt quod atrii quietem ullo modo perturbet. *Atrii quies.* c P. 4. c. 16. §. 4.

44. Non modo toto ſcholarum tempore in atrio, ſive in conclavi, unde atrii proſpectus pateat, ſit aſſiduus; verum etiam ſcholas ante datum ſignum ad ingrediendum interdum luſtret; ſemperque ad atrii januam cunctis exeuntibus præſto ſit. *Atrium, & ſcholæ luſtrandæ.*

45. Curet ut ſcholarum ingreſſus in templum, egreſſusve ſtrepitu careat; & numquam, niſi præſente aliquo Magiſtrorum, aut etiam pluribus, Miſſam audiant; cui non modo omnes quotidie religioſe interſint, ſed etiam recte atque ordine diſtributi. *Templum & Miſſa.*

46. Diebus, & horis ad excipiendas diſcipulorum confeſſiones conſtitutis, videat ut Confeſſarii tempeſtive adſint: templum ipſe per id tempus ingrediatur identidem, curetque, ut modeſte ac pie ſe pueri gerant. *Confeſſio.*

47. Ne ipſe quidem Præfectus, niſi parce, præſertim prælectionum tempore, è ſcholis diſcipulos evocet: ſi quid in ea re peccetur ab aliis, Rectorem edoceat. *E ſchola non evocandi.*

48. Nullo autem tempore diſcipulorum opera, aut ad ſcribendum, aut ad ullam rem aliam utatur, aut alios uti ſinat. *Diſcipulorum opera non utendum.*

49. Regulæ omnium externorum diſcipulorum communes, in loco, ubi publice legi poſſint, & in quavis præterea claſſe propalam ſunt affigendæ: & cujusque fere menſis initio in Rhetorica, ceterisque inferioribus recitandæ. *Regulæ palam collocandæ.*

Vices Præfecti generalis. 50. Vbi non erit Præfectus ſtudiorum ſuperiorum, curam ſubeat ipſe, Rectore probante, recognoſcendi ea, quæ publice declamantur; & libros noſtris ſcholaſticis, eodem conſcio Rectore, diſtribuendi.

SCRIBENDI AD EXAMEN LEGES.

1.

Scriptioni interſint. INtelligant omnes, ipſo ſcriptionis die, ſi qui, niſi gravibus diſtenti cauſſis, deſiderentur, eorum in examine nullam habitum iri rationem.

Scribendi tempus. 2. Mature veniendum ad ſcholam, ut ſcribendi argumentum, & ea, quæ tum Præfectus per ſe vel per alium traditurus eſt, fideliter excipiant, abſolvantque omnia intra finem ſcholarum. Nam poſt indictum ſilentium, nemini cum aliis, ne cum Præfecto quidem ipſo, ſive cum eo quem ipſe ſibi ſubſtituerit, loqui licitum fore.

Apparatus. 3. Accedere oportet inſtructos libris, ceteriſque rebus ad ſcribendum neceſſariis, ne ab ullo quidquam petere inter ſcribendum neceſſe ſit.

Forma. 4. Appoſite ad uniuscujusque claſſis gradum, dilucideque ſcribendum, & ex thematis verbis, modiſque præſcriptis: ambigue ſcripta in deteriorem partem acceptum iri; verba etiam omiſſa, vel temere immutata difficultatis evitandæ cauſſa pro erratis fore.

Cavendum à Confeſſoribus. 5. Cavendum à Confeſſoribus: nam, ſi duæ forte compoſitiones ſimiles ac geminæ reperiantur, utramque habitum iri pro ſuſpecta; cum uter ab utro furatus ſit, exploratum eſſe non poſſit.

Egreſſus è ſchola. 6. Ad fraudes evitandas, ſi cui forte poteſtatem exeundi, poſtquam ſcribi cœptum ſit, dare neceſſitas cogat; is & argumentum ſcriptionis, & quidquid ſcripſerit apud Præfectum relinquat, ſive apud eum, qui tum ſcholæ præeſt.

Scriptionis traditio. 7. Compoſitione abſoluta, ſuo quisque loco, quæ ſcripſit, diligenter recolat, caſtiget, expoliat quantum velit: nam ſimul atque compoſitio tradita Præfecto ſit, ſi quid deinde correctum oporteat, haudquaquam redditum iri.

Adſcribendum nomen. 8. Rite complicanda, ut Præfectus juſſerit, ſua unicuique compoſitio, atque in tergo nomen tantum ſcriptoris cum cognomine Latine adſcribendum: quo facilius compoſitiones omnium in Alphabeti, ſi libeat, ordinem redigi poſſint.

9. Cum

9. Cum ſuam quisque compoſitionem redditurus accedit ad Præfectum, ſecum ſuos habeat libros, ut ea tradita, ſtatim ſilentio exeat è ſchola: ceteri vero, aliis diſcedentibus, loca non mutent; ſed compoſitionem quo cœperint loco perficiant. *Scriptionis abſolutio.*

10. Si quis tempore ad ſcribendum attributo non abſolverit; eam ipſam partem, quam ſcripſerit, tradet. Idcirco probe intelligi ab omnibus oportebit, quantum temporis ad ſcribendum concedatur, quantum ad deſcribendum, & recognoſcendum. *Tempus.*

11. Denique cum ad examen accedunt, libros, qui explicati ſint eo anno, de quibus interrogandi ſunt, afferant: dumque unus interrogatur, ceteri, qui adſunt, diligenter attendant: verum neque annuant aliis, neque corrigant, niſi rogati. *Acceſſus ad examen.*

LEGES PRÆMIORVM.

I.

Rhetoricæ octo præmia proponentur, duo ſolutæ orationis Latinæ, duo carminis; duo ſolutæ orationis Græcæ, totidem Græci carminis. Sex item, ſed eodem plane ordine, in Humanitate, & in prima claſſe Grammaticæ, relicto ſcilicet Græco carmine, cujus infra Rhetoricam fere non eſt uſus. Quatuor deinceps in omnibus aliis inferioribus, relicto etiam Latino carmine. Vnus præterea, aut alter in ſingulis claſſibus, qui optime omnium Chriſtianam doctrinam recitaverit, præmio donetur. Poterunt tamen, ubi ingens, aut parvus eſt numerus diſcipulorum, plura vel pauciora dari, dummodo potior ſemper ſolutæ orationis Latinæ ratio habeatur. *Præmiorum numerus.*

2. Scribendi certamen in diſtinctos dies dividatur, ita ut alius dies orationi Latinæ, alius ſcribendis verſibus, alii item duo dies Græcæ orationi, ac verſibus tribuantur. *Scriptionum dies.*

3. Omnes in ſuam quisque ſcholam, diebus & horis ad ſcribendum conſtitutis, conveniant. *Conſtitutæ horæ.*

4. Accepto ſcribendi argumento, ante abſolutam ſcriptionem, ac traditam, nemo è ſua ſchola egrediatur; neque cum alio intra, ſive extra gymnaſium colloquatur: ſi egredi, facta tamen poteſtate, neceſſe ſit, argumentum, & quidquid ſcripſerit, apud eum qui tum ſcholæ præeſt relinquatur. *Egreſſus, & colloquium interdicitur.*

Tempus ut prorogandum. 5. Si quis longius ſpatium ad rem accuratius perficiendam expetit; is, modo ne pedem è ſchola efferat, neque ultra occaſum ſolis tempus proroget, quam diu voluerit, maneat.

Scriptiones obſignandæ. 6. Suam quisque ſcriptionem accurate deſcriptam, aliquo addito, quo maluerit, ſigno, ſine nomine tamen, cum diſcedere volet, gymnaſii Præfecto, vel alteri, quem ipſe ſibi ſubſtituerit, reddat: aliam item chartam, in qua cum nomine & cognomine ſit idem ſignum expreſſum, diligenter obſeratam, ne nomen inſpici poſſit, eidem tradat.

Tuto aſſervanda. 7. Gymnaſii Præfectus omnia ſedulo, & fideliter aſſervet: neque chartas nomina continentes, priusquam factum ſit judicium, reſignet.

Iudices. 8. Iudices tres, & docti, & graves, quorum aliquis externus eſſe poterit, ſi loci poſtulet conſuetudo, qui neſciant cujus quæque ſit ſcriptio, deligantur. Hi perlectis omnibus ſcriptis, & re diligenter inſpecta, plurium ſuffragio omnes ordine victores, & eorum quoque, qui ad victores proxime acceſſerunt, unum aut alterum in unoquoque genere declarent.

Iudicii forma. 9. In Iudicio, cujus melior erit orationis forma, is ceteris omnibus, etiamſi plura ſcripſerint, anteferatur. Si qui genere ipſo, & ſtylo pares in ſcribendo erunt, plura paucioribus anteponantur. Si in hoc etiam ſint pares, qui orthographia præſtiterit, victor ſit. Si orthographia & ceteris rebus pares fuerint, ei, qui elegantius expreſſerit litterarum notas, præmium adjudicetur. Si pares omnino ſint, vel dividatur præmium, vel geminetur, vel ſorte ducatur. Si quis in omnibus generibus ſcribendi ceteros vicerit, is etiam omnium generum præmia conſequatur.

Nomina reſignanda. 10. Iudicio perfecto Præfectus cum Rectore, & Præfecto generali chartas, in quibus nomina certantium cum ſignis adſcripta erunt, reſignet: nomina victorum è ſignis diligenter, ne erret, inveſtiget; cognita nemini, præterquam Magiſtris, enuntiet.

Præmiorum apparatus. 11. Conſtituto deinde die, quanto maximo fieri poterit apparatu, & hominum frequentia, nomina Victorum publice pronuntientur; & in medium procedentibus præmia cuique ſua honorifice dividantur. Si quis non aderit, niſi poteſtatem juſtis de cauſis, quæ Rectori probentur, acceperit à Præfecto, præmium vel optimo jure ſibi debitum amittat.

Diſtributio. 12. Vnumquemque Victorem præco evocabit hoc fere modo: *Quod felix fauſtumque ſit rei litterariæ, omnibusque noſtri Gymnaſii alumnis, primum, ſecundum, tertium,* &c. *præmium ſolutæ Orationis Latinæ, Græcæ, carminis Latini,*

tini,

tini, *Græci*, &c. *meritus*, *& conſecutus eſt* N. Tum victori tradat præmium, nec fere ſine aliquo ad rem maxime appoſito carmine breviſſimo, quod ſtatim, ſi commode fieri poſſit, à cantoribus repetatur. Ad extremum addat idem præco, ſi qui proxime acceſſerint, quibus aliquid etiam præmii loco dari licebit.

13. Contra has leges ſi quis peccarit, aut fraudem ullam commiſerit, ejus ſcriptionis nulla ratio habeatur. *Fraudum pœna.*

REGVLÆ COMMVNES PROFESSORIBVS CLASSIVM INFERIORVM.

I.

ADoleſcentes, qui in Societatis diſciplinam traditi ſunt, ſic Magiſter inſtituat, ut una *a* cum litteris mores etiam Chriſtianis dignos in primis hauriant. *Finis.* a P. 4. c. 7. §. 2.

b Feratur autem ejus peculiaris intentio tam in lectionibus, cum ſe occaſio obtulerit, quam extra eas, ad teneras adoleſcentium mentes obſequio & amori Dei, ac virtutum, quibus ei placere oportet, præparandas: ſed præcipue ea, quæ ſeqvuntur, obſervet. b P. 4. c. 16. §. 4.

2. *c* Orationem brevem ante ſcholæ initium dicat aliquis ad id inſtitutam: quam Præceptor, & diſcipuli omnes aperto capite, & flexis genibus attente audient: ante lectionis vero initium ipſe Præceptor ſigno Crucis ſe muniat aperto capite, & incipiat. c Ibid. & C. *Oratio ante lectionem.*

3. Miſſæ & concioni curet ut interſint omnes, *d* Miſſæ quidem quotidie, *e* concioni vero diebus feſtis: ad quam præterea bis ſaltem ſingulis hebdomadis eos in Quadrageſima mittat, aut etiam pro regionis conſuetudine ducat. *Miſſa, & Concio.* d Ibid. §. 1. e P. 4. c. 7. §. 2.

4. *a* Doctrina Chriſtiana, in claſſibus præſertim Grammaticæ, vel etiam in aliis, ſi opus ſit, feria ſexta, aut Sabbatho ediſcatur, ac memoriter recitetur; niſi forte alicubi, & à novis diſcipulis, etiam ſæpius recitanda videretur. *Doctrina Chriſtiana.* a P. 4. c. 7. §. 2. & c. 16. §. 2.

5. Piam cohortationem, vel doctrinæ explicationem, feria item ſexta, aut Sabbathó habeat per ſemihoram: hortetur autem potiſſimum ad orandum Deum quotidie, præcipue vero ad Coronam B. Virginis, aut Officium *Adhortatio.*

Bbb bbb bb 3 quo-

b P. 4. c. 7. §. 2. quotidie recitandum, ad excutiendam conſcientiam veſperi, *b* ad Sacramenta Pœnitentiæ & Euchariſtiæ frequenter ac rite obeunda; ad vitandas noxias conſuetudines, ad vitiorum deteſtationem, ad virtutes denique colendas Chriſtiano homine dignas.

c. P. 4. c. 4. §. 6. *Colloquia ſpiritualia.* 6. Privatis etiam *c* colloquiis eadem ad pietatem pertinentia inculcabit, ita tamen, ut nullum ad religionem noſtram videatur allicere: ſed ſi quid hujusmodi cognoverit, ad Confeſſarium rejiciat.

Litaniæ, & devotio erga B. Virginem. 7. Litanias Beatiſſimæ Virginis Sabbatho ſub veſperum in ſua claſſe recitari jubeat, vel, ſi moris ſit, in templum ad easdem cum ceteris audiendas ducat: pietatem vero in eamdem Virginem & Angelum etiam Cuſtodem diſcipulis diligenter ſuadeat.

Lectio ſpiritualis. *a P. 4. c. 5. E.* 8. Lectionem ſpiritualem, præſertim de Sanctorum vitis, vehementer commendet: contra vero non ſolum ipſe *a* ab impuris ſcriptoribus, & omnino in quibus ſit aliquid quod bonis moribus nocere queat, juventuti prælegendis abſtineat; ſed ab iisdem etiam extra ſcholam legendis diſcipulos quam maxime poteſt deterreat.

b P. 4. c. 16. §. 1. *Confeſſio.* 9. Confeſſiones *b* ſingulis menſibus ut à nemine omittantur efficiat: jubebit autem eos tradere ſuum in ſchedula deſcriptum nomen, cognomen, & claſſem Confeſſariis; ut ſchedulas poſtea recognoſcens, quinam defuerint, intelligat.

Orandum pro diſcipulis. 10. Oret Deum ſæpe pro ſuis diſcipulis, eosque religioſæ vitæ ſuæ exemplis ædificet.

Præfecto obtemperandum. 11. Præfecto horum ſtudiorum obtemperabit in iis quæ ad hæc ſtudia & ſcholæ diſciplinam pertinent: quo inconſulto, neque ullum in ſcholam admittet aut dimittet, nec librum ullum ſuſcipiet explicandum, nec ullam cujus à communibus ſcholæ exercitationibus immunitatem dabit.

Gradus cujusque ſcholæ. *c P. 4. c. 13. B.* 12. Scholæ omnes in ſuo ſe gradu contineant. Et de Rhetorica quidem, & Humanitate dicetur ſeorſim: *c* Grammaticæ vero tres ſcholæ eſſe debent, quibus ejusdem quidam quaſi curſus abſolvatur. Omnia proinde Emmanuelis præcepta tres in partes dividenda ſunt, quarum ſingulæ ſingularum ſcholarum ſint propriæ, ita tamen ut in unaquaque claſſe ea ſemper, quæ in ſchola proxime inferiore tradita ſunt, recurrantur, prout in cujusque Magiſtri regulis indicabitur.

Græca Grammatica diviſio. 13. In Græca etiam Grammatica hæc fere diviſio erit. Prima pars à primis elementis ordiendo ſimplicia nomina, verbum ſubſtantivum, & verba

item

item ſimplicia complectitur pro infima claſſe. Secunda nomina contracta, verba circumflexa, verba in *μι*, & faciliores formationes pro media claſſe. Tertia reliquas partes orationis, ſeu quæcumque Rudimentorum nomine continentur, exceptis dialectis, ac difficilioribus annotationibus pro ſuprema claſſe. Quarta, quæ Humanitati tribuitur, omnem ſyntaxim. Quinta denique pars, quæ eſt Rhetoricæ, artem metricam.

14. Diviſio temporis, quod in Rhetorica binis minimum horis; in Humanitate vero & ceteris ſcholis, duabus & dimidiata mane, totidemque à prandio, binis item minimum die vacationis definitur, eadem ſemper eſſe debebit; ut certum ſit, quæ horæ quibus exercitationibus impendantur. *Diviſio temporis.*

15. Harum tamen exercitationum ordo ad Provincialis præſcriptum *a* pro loci conſuetudine immutari poteſt: dummodo eædem omnino, eademque ſpatia temporis illis in cujusque Magiſtri regulis aſſignata retineantur, & in ſemel cœpto conſtantia ſervetur. *Quatenus commutanda.* a P. 4. c. 13. §. 2.

16. Si feſtus dies inciderit in Sabbathum, ejus diei exercitationes in antecedentem diem revocentur, vel omittantur. *Dies feſtus in Sabbathum incidens.*

17. Eadem diviſio die vacationis erit, ubi non aſſignantur propriæ exercitationes: ſingulæ enim, quæ aliis diebus fiunt, proportione contrahendæ, aut earum aliqua in orbem prætermittenda, tempusque aliquod concertationi relinquendum. *Die vacationis quæ diviſio.*

18. Latine loquendi uſus ſevere in primis cuſtodiatur, iis ſcholis exceptis, in quibus diſcipuli Latine neſciunt, ita ut in omnibus, quæ ad ſcholam pertinent, numquam liceat uti patrio ſermone; notis etiam adſcriptis, ſi qui neglexerint: eamque ob rem Latine perpetuo Magiſter loquatur. *Latine loquendi uſus.*

19. Memoriæ traditas prælectiones diſcipuli Decurionibus recitent, de quorum officio infra regula 36 dicetur, niſi forte alius placeat mos in Rhetorica: ipſi vero Decuriones Decurioni maximo vel Magiſtro perſolvent. Qui Magiſter aliquot quotidie ex deſidioſis fere, quique ſerius ad ludum venerint, recitare jubeat, ad explorandam Decurionum fidem, omnesque in officio continendos. Sabbatho audita per unam vel etiam plures hebdomadas publice memoriter reddantur. Libro autem abſoluto deligi poterunt interdum, qui illum è ſuggeſtu ab initio pronuntient non ſine præmio. *Memoriæ exercitatio.*

20. Scriptiones afferendæ in claſſibus Grammaticæ quotidie præter diem Sabbathi; in ceteris ſolutæ quidem orationis quotidie præter diem vacationis & Sabbathi; carminis vero bis tantum, proximo ſcilicet poſt Dominicum, & vacationis diem; Græci demum thematis ſaltem ſemel, quo die Magiſtro libuerit, à prandio. *Scriptiones afferendæ.*

21. Scri-

Corrigenda. 21. Scriptiones corrigendæ ferme privatim,& ſubmiſſa voce cum unoquoque diſcipulorum,ut iis interim ſtylum exercendi tempus detur. Expedit tamen quotidie aliquot exempla, modo ex optimis, modo ex deterrimis; tum initio,tum in fine publice recitare,atque perpendere.

Corrigendi ratio. 22. Modus corrigendæ ſcriptionis in univerſum eſt, indicare, ſi quid contra præcepta peccatum ſit; interrogare, quomodo emendari poſſit; jubere,ut æmuli, ſtatim ut aliquid deprehenderint, publice corrigant; præceptumque,contra quod peccatum eſt,proferant; laudare denique, ſi quid apte perfectum ſit. Hoc autem dum publice peragitur, primum diſcipuli ſcriptionis exemplum (quod ſemper præter id, quod Magiſtro deſcribitur,afferendum eſt) ſecum ipſi legant,& emendent.

Corrigendæ quamplurimæ. 23. Quotidie ſcriptiones ſingulorum à Magiſtro corrigi oporteret,cum præcipuus & maximus inde fructus exiſtat: ſi tamen multitudo non patiatur, corrigat quamplurimos, ita ut quos uno die diſcipulos præteriit, altero vocet. Eam ob cauſſam diebus præſertim,quibus carmina afferuntur,ſcriptiones aliquas æmulis emendandas diſpertiat (quod quo commodius fiat,unusquisque non ſuum tantum, ſed etiam æmuli nomen à tergo ſcriptionis inſcribat) aliquas ipſe Magiſter pomeridiano tempore, dum memoriter recitatur; aliquas, ſi libuerit,domi corrigat.

Exercitationes inter corrigendum. 24. Exercitationes varias, dum ſcripta corrigit, pro ſcholæ gradu modo hanc,modo illam imperet. Nulla enim re magis adoleſcentium induſtria, quam ſatietate langueſcit.

Repetitio. 25. Repetitio prælectionis tum heſternæ, tum præſentis, eodem ſe habeat modo; fiatque vel ab uno tota,vel potius à pluribus per partes,ut omnes exerceantur: repetantur autem præcipua & utiliſſima, primum fere à provectioribus,deinde etiam ab aliis; idque vel continenti oratione,vel ad ſingulas Magiſtri interrogationes interrupta, æmulo inter repetendum corrigente, ſi alter erret, vel, ſi cunctetur,antevertente.

Repetitio die Sabbathi. 26. Die Sabbathi omnia, quæ per hebdomadam prælecta ſunt, recolantur. Quod ſi qui interdum profiteantur de iis omnibus, vel de toto libro ſe reſponſuros, ex iis aliquot delectos reliqui binis, ternisve laceſſant interrogationibus,non ſine præmio.

Prælectio. 27. In prælectionibus veteres ſolum auctores, nullo modo recentiores explicentur: multum autem proderit,ſi Magiſter non tumultuario ac ſubito dicat, ſed quæ domi cogitate ſcripſerit; totumque librum, vel orationem, quam

quam præ manibus habet, ante perlegerit: forma autem prælectionis hæc ferme erit.

Primum totam continenter pronuntiet, niſi aliquando in Rhetorica & Humanitate longior eſſe debeat.

Secundo breviſſime argumentum exponat, & connexionem, ubi erit opus, cum iis, quæ anteceſſerant.

Tertio unamquamque periodum prælegens, ſi quidem Latine interpretetur, obſcuriores explanet; unam alteri nectat; ac ſententiam non quidem inepta metaphraſi unicuique verbo Latino alterum verbum Latinum reddendo; ſed eamdem ſententiam, ſi quidem ſit obſcurior, aperioribus phraſibus declarando aperiat. Si vero vulgi ſermone, ſervet quoad fieri poteſt collocationem verborum: ſic enim numero aſſueſcunt aures. Quod ſi ſermo patrius non patitur, prius ad verbum fere omnia, poſtea ad vulgi conſuetudinem explicet.

Quarto, à capite recurrens, niſi malit ipſi explicationi inſerere, obſervationes tradat cuique ſcholæ accommodatas: quas vero excipiendas cenſuerit, quæ multæ eſſe non deberent, vel interrupte inter explicandum, vel ſeorſim, prælectione jam habita, dictet: utile autem ſolet eſſe, ut Grammatici nihil ſcribant, niſi juſſi.

28. Hiſtorici & Poëtæ prælectio illud habet peculiare, quod hiſtoricus celerius fere excurrendus; in Poëta ſæpe oratoria paraphraſis accurate facta, plurimum decet: faciendumque ut diſcipuli Poëtæ, oratoriſque ſtylum internoſcere conſueſcant. *Prælectio hiſtorici, & Poëtæ.*

29. In prælegenda tum Cypriani Rhetorica, tum Arte metrica, tum Latina Græcave Grammatica, & horum ſimilibus ad præcepta ſpectantibus, res ipſæ potius quam verba perpendenda ſunt. Locutiones vero breviſſimæ ab optimis ſcriptoribus proponendæ & ſtatim reddendæ. In Grammaticæ vero præſertim inferioribus claſſibus, cum incidit aliquid difficilius, illud ipſum uno, aut pluribus diebus recolatur, aut faciliora quædam ex aliis Grammaticæ partibus interponantur, repetanturve. *Prælectio præceptorum.*

30. Scribendi argumentum non dictandum ex tempore, ſed meditato, & fere de ſcripto; quod ad imitationem Ciceronis quantum fieri poteſt, & ad normam cujusdam narrationis, ſuaſionis, gratulationis, admonitionis, aliarumque id genus rerum dirigatur: & quidem tum Latina lingua, tum patria ſcribendum eſſet, ubi dictatur ad verbum. Dictatum porro ſtatim Magiſter *Scribendi argumentum.*

jubeat recitari, explicet, ſi quid forte difficilius, vocabula, phraſes, aliaque præſidia ſubminiſtret; ſemperque, excepto Rhetore, inter dictandum admoneat, quomodo quævis pars conſcribenda ſit, & interpungenda. Aliquid vero extraordinarium ſolito amplius præſcribendum eſt cum plures dies feſti incidunt, vel cum vacationes, tum majores tum minores, indicuntur.

Concertatio. 31. Concertatio, quæ vel Magiſtro interrogante, æmulisque corrigentibus, vel ipſis invicem inter ſe æmulis percontantibus fieri ſolet, magni facienda, & quoties tempus patitur uſurpanda, ut honeſta æmulatio, quæ magnum ad ſtudia incitamentum eſt, foveatur. Poterunt autem vel ſinguli, vel plures ex utraque parte committi, præcipue ex magiſtratibus; vel unus etiam plures laceſſere. Privatus fere privatum petet, magiſtratus magiſtratum; privatus etiam interdum magiſtratum, ejusque dignitatem, ſi vicerit, ſive aliud præmium, aut victoriæ ſignum conſequi poterit, prout ſcholæ dignitas, & locorum ratio poſtulabit.

Extraordinariæ exercitationes. 32. Extraordinariæ exercitationes utilitatem magnam habent: in quibus illud univerſe dicendum eſt, ea quæ publice pronuntiabuntur, ut non memoria ſolum diſcipulorum, ſed ingenium etiam excolatur, à Magiſtro expolienda quidem diligenter, numquam tamen de integro facienda: eademque de verſibus, qui in publico proponuntur, ratio eſt. Laborandum etiam, ut vocem, geſtus, & actionem omnem diſcipuli cum dignitate moderentur.

Prælectio ſeu declamatio in ſchola. 33. Prælectio, vel Græca, Latinave Oratio, aut Carmen in Rhetorica quidem & Humanitate alternis fere Sabbathis, una ſchola alteram invitante, habeatur; in reliquis ſola prælectio non tam habeatur, quam audita ex cathedra repetatur, nullis fere invitatis; nec niſi ſingulis menſibus.

a P. 4. c. 13. §. 3. *Concertatio cum proxima claſſe.* 34. *a* Concertatio cum proxima claſſe erit aliquoties in anno, quo die Præfecto ſtudiorum inferiorum viſum fuerit, per horam fere, de iis tantum rebus, quæ utrique claſſi communes ſunt, utroque moderante Præceptore. Bini, ternive, aut plures diſputabunt ex optimis utriusque claſſis diſcipulis, vel ex condicto ad ſingulas interrogationes reſponſionesque antea inſtructi; vel ex ingenio quidquid libeat percontantes, vel dubitationes ab uno propoſitas, præſertim de Rhetorica, oppugnantes.

Magiſtratus. 35. Magiſtratus eligendi, præmiisque etiam, ſi videbitur, afficiendi (niſi id alicubi in Rhetorica minus neceſſarium videretur) ſingulis fere, aut alternis menſibus: ad eam rem ſemel ſoluta oratione, ſemel etiam, ſi videatur, in ſuperioribus claſſibus carmine, Græceve ſcribant in ſchola toto ſcholæ tempore, niſi in Inferioribus melius videatur ſemihoram concertationi relinquere. Qui omni-

omnium optime ſcripſerint, ſummo magiſtratu; qui proxime acceſſerint, aliis honorum gradibus potientur: quorum nomina, quo plus eruditionis res habeat, ex Græca, Romanave Republica, militiave ſumantur. Duas autem fere in partes ad æmulationem fovendam ſchola dividi poterit, quarum utraque ſuos habeat magiſtratus, alteri parti adverſarios, unicuique diſcipulorum ſuo attributo æmulo. Summi autem utriusque partis magiſtratus primum in ſedendo locum obtineant.

36. Decuriones etiam à Præceptore ſtatuantur, qui memoriter recitantes audiant, ſcriptaque Præceptori colligant, & in libello punctis notent, quoties memoria quemque fefellerit, qui ſcriptionem omiſerint, aut duplex exemplum non tulerint, aliaque, ſi juſſerit Præceptor, obſervent. *Decuriones.*

37. Ad promotionem generalem uno ferme ante examen menſe ſtrenue diſcipuli in præcipuis quibusque rebus in omnibus claſſibus, excepta fortaſſe Rhetorica, exerceantur. Quod ſi quis longe in ipſo anni decurſu excelleret, de eo Magiſter referat ad Præfectum, ut privatim examinatus gradum ad ſuperiorem ſcholam facere poſſit. *Ad examen præparatio.*

38. Catalogum diſcipulorum alphabeti ordine conſcriptum Præfecto tradat, ſub anni initium: quem Catalogum interdum in anno recognoſcat, ut, ſi quid ſit opus, immutari queat: accuratiſſime vero cum generale diſcipulorum examen impendet. In eo autem Catalogo quamplurimos diſcipulorum gradus diſtinguat, videlicet Optimos, Bonos, Mediocres, Dubios, Retinendos, Rejiciendos, quæ notæ numeris ſignificari poſſent 1. 2. 3. 4. 5. 6. *Catalogus.*

39. Diſciplinam omnem nihil æque continet atque obſervatio regularum. Hæc igitur præcipua ſit Magiſtri cura, ut diſcipuli tum ea, quæ in eorum regulis habentur, obſervent; tum ea, quæ de ſtudiis dicta ſunt, exequantur. Quod ſpe honoris ac præmii, metuque dedecoris facilius, quam verberibus conſequetur. *Diſciplinæ cura.*

40. Nec in puniendo ſit præceps, nec in inquirendo nimius: diſſimulet potius cum poteſt ſine cujusquam damno: neque ſolum *a* nullum ipſe plectat (id enim per Correctorem præſtandum) ſed omnino à contumelia dicto factove inferenda abſtineat: nec alio quempiam, quam ſuo nomine vel cognomine appellet; pœnæ etiam loco aliquid litterarium addere ultra quotidianum penſum utile interdum erit. Inuſitatas autem & majores pœnas, ob ea præſertim quæ extra ſcholam deliquerint, ſicut eos, qui plagas recuſant, præſertim ſi grandiores ſint, ad Præfectum rejiciat. *Puniendi ratio.* *a P. 4. c. 7. §. 2. D.*

Ccc ccc cc 2 41. Aſſi-

Aſſiduitas. 41. Aſſiduitatem maxime à diſcipulis requirat: nec proinde ad publica ſpectacula ſive ludos eos dimittat. Si quis abfuerit, aliquem ex condiſcipulis, vel alium, ad ejus domum mittat; &, niſi idoneæ afferantur excuſationes, abſentiæ pœnam ſumat. Qui plures dies ſine cauſſa abfuerint, ad Præfectum remitti, nec ſine ejus conſenſu recipi debent.

Confeſſionum dies. 42. Ne confeſſionum cauſſa quidquam remittatur ex iis, quæ ſcholarum propria ſunt; terni, vel plures ubi ſit opus, initio mittantur ad confitendum: deinde, ut ſinguli redeunt, ita ex ceteris ſinguli, bini ve ſubmittantur: niſi forte alicubi ad confeſſionem ſimul omnes ire conſueverint.

Silentium, & modeſtia. 43. Silentium & modeſtiam ſervandam in primis curet, ut nemo per ſcholam vagetur, nemo locum mutet, nemo ultro citroque munera ſchedasve mittat; ut à ſchola non egrediantur, præſertim duo vel plures ſimul.

Egreſſus è ſchola. 44. Cavendum eſt, ne facile, præſertim prælectionis tempore, à quopiam diſcipuli evocentur: ut confuſio etiam, & clamor in egreſſu præcipue vitetur, Magiſtro ſive è ſuggeſtu, ſive ad januam ſpectante, proximi quique valuis primi exeant; vel alia ratione curetur, ut modeſte omnes & ſilentio egrediantur.

Academia. 45. Academias inſtituat, ſi Rectori videbitur, ex regulis, quæ propterea ſeorſim conſcriptæ ſunt; ad quas diſcipuli maxime feſtis diebus, vitandi otii & malarum conſuetudinum cauſſa, conveniant.

Agere cum diſcipulorum parentibus. 46. Si neceſſe videretur diſcipulorum cauſſa cum eorum parentibus interdum loqui, Rectori proponat, an ii per Præfectum, vel alium accerſendi ſint; vel etiam, ſi perſonæ dignitas poſtulet conveniendi.

Familiaritas & colloquia. 47. Familiarem non ſe uni magis quam alteri oſtendat; cum iisque extra ſcholæ tempus non niſi breviter, ac de rebus ſeriis, loco etiam patenti, hoc eſt non intra ſcholam, ſed pro ſcholæ foribus, aut in atrio, aut ad januam Collegii, quo magis ædificationi conſulat, colloquatur.

Pædagogi. 48. Nemini pædagogum inconſulto Rectore proponat, nec à pædagogis permittat aliis domi prælectionibus onerari diſcipulos, ſed tantum auditas exigi.

Nullus pro ſchola ſumptus. 49. Nullius opera utatur in deſcribendo, aut in aliquo, quod ad uſitatas ſcholæ exercitationes non pertineat: nullaque in re illos pro ſchola ſumptum facere patiatur.

Profectus ſtudentium. *a P. 4. c. 6. §. 6.* 50. Sit denique in omnibus divina aſpirante gratia *a* diligens & aſſiduus, profectus ſtudentium tum in lectionibus, tum in aliis litterariis exercitationibus

nibus ſtudioſus. Contemnat neminem, pauperum ſtudiis æque ac divitum bene proſpiciat, *b* profectumque uniuscujusque è ſuis ſcholaſticis ſpeciatim procuret. *q. P. 4. c. 13. §. 3.*

REGVLÆ PROFESSORIS RHETORICÆ.

1.

GRadus hujus ſcholæ non facile certis quibusdam terminis definiri poteſt: ad perfectam enim eloquentiam informat, quæ duas facultates maximas, Oratoriam & Poëticam comprehendit; (ex his autem duabus primæ ſemper partes Oratoriæ tribuantur) nec utilitati ſolum ſervit, ſed etiam ornatui indulget. *Gradus.*

Jllud tamen in univerſum dici poteſt, tribus maxime rebus, præceptis dicendi, ſtylo, & eruditione contineri.

Præcepta etſi undique peti, & obſervari poſſunt, explicandi tamen non ſunt in quotidiana prælectione, niſi Rhetorici Ciceronis libri, & Ariſtotelis tum Rhetorica, ſi videbitur, tum Poëtica.

Stylus (quamquam probatiſſimi etiam hiſtorici, & Poëtæ delibantur) ex uno fere Cicerone ſumendus eſt: & omnes quidem ejus libri ad ſtylum aptiſſimi; Orationes tamen ſolæ prælegendæ, ut artis præcepta in orationibus expreſſa cernantur.

Eruditio denique ex hiſtoria, & moribus gentium, ex auctoritate ſcriptorum, & ex omni doctrina, ſed parcius ad captum diſcipulorum, accerſenda.

Ex Græcis ad Rhetoricam pertinet ſyllabarum maxime dimenſio, & plenior auctorum & dialectorum cognitio. Summam Logicæ in fine anni Rhetoricæ Magiſter non explicet.

2. Diviſio temporis hæc erit. Prima hora antemeridiana memoria exerceatur: ſcripta à Decurionibus collecta Præceptor corrigat; varias interim, de quibus infra regula quinta, diſcipulis exercitationes injungens: denique heſterna prælectio recolatur. *Diviſio temporis.*

Secunda hora antemeridiana prælectioni detur vel præceptorum, ſi à prandio explicetur Oratio; vel orationis, ſi præcepta: dummodo in eo quod anni initio cœptum eſt, conſtantia ſervetur. Succedat repetitio, & quando

opus eſt, argumentum detur ſcribendæ orationis, vel Carminis: reliquum ſi quid eſt temporis, vel concertationi, vel iis, quæ prima hora ſcripſerint, recognoſcendis tribuatur.

Prima hora pomeridiana habeatur poſt repetitionem poſtremæ nova prælectio, vel Orationis, ſi mane præcepta expoſita; vel præceptorum, ſi Oratio. Huic repetitio de more ſuccedat.

Secunda hora pomeridiana, Græci auctoris poſtrema prælectione repetita, nova explicetur, atque exigatur. Reliquum tempus, modo corrigendis Græcis ſcriptionibus, modo Græcæ ſyntaxi, & arti metricæ, modo Græcæ concertationi reſervetur.

Die vacationis explicetur Hiſtoricus, vel Poeta, vel aliquid ad eruditionem pertinens; & recolatur.

Die Sabbathi poſt brevem totius hebdomadæ repetitionem, mane prima hora explanetur Hiſtoricus, vel Poeta. Vltima hora aut habeatur ab aliquo diſcipulorum declamatio, vel prælectio, aut ad Humaniſtas audiendos eatur, aut concertetur. A prandio explicetur Poeta, vel hiſtoricus; Græca recolantur.

Sicubi vero præter duas horas tum mane, tum veſperi ſemihora additur, ea Hiſtorico, vel Poëtæ tribuenda: quod ſi fiat, Sabbathi prælectiones vel non differant ab aliis diebus, vel, iis omiſſis, repetitio plenior inſtituatur, & concertatio.

Memoriæ exercitatio.

3. Quoniam memoriæ quotidiana exercitatio Rhetori neceſſaria eſt, atque in hac claſſe ſæpe longius prælectiones excurrunt, quam ut tradi commode memoriæ poſſint; Præceptor ſtatuet ipſe quid, quantumque ediſcendum, & quomodo, ſi exigere velit, recitandum. Imo ex uſu eſſet, ut ſubinde aliquis è ſuggeſtu recitaret, quæ ex optimis auctoribus didiciſſet, ad memoriæ exercitationem ſimul cum actione jungendam.

Scriptionis corrigendæ ratio.

4. In ſcriptione corrigenda indicet ſi quid in artificio oratorio, aut Poëtico, in elegantia, cultuque ſermonis, in connectenda oratione, in numeris concinnandis, in orthographia, aut aliter peccatum fuerit; ſi quis locus perperam, ſi obſcure, ſi humiliter tractatus; ſi decorum minime ſervatum; ſi qua digreſſio longior fuerit, & alia generis ejuſdem. Denique oratione abſoluta ſuam quisque, quam ante per partes attulerat, totam ſimul deſcriptam, aut ſaltem correctam Præceptori offerat, ut eas eſſe ab omnibus perfectas appareat.

5. Exer-

5. Exercitationes diſcipulorum, dum ſcripta Magiſter corrigit, erunt, exempli gratia, locum aliquem Poëtæ vel Oratoris imitari; deſcriptionem aliquam, ut hortorum, templorum, tempeſtatis, & ſimilium efficere; phraſim eamdem modis pluribus variare; Græcam orationem Latine vertere, aut contra; Poëtæ verſus tum Latine, tum Græce ſoluto ſtylo complecti; carminis genus aliud in aliud commutare; Epigrammata, Inſcriptiones, Epitaphia condere; Phraſes ex bonis oratoribus, & Poëtis, ſeu Græcas, ſeu Latinas excerpere; figuras rhetoricas ad certas materias accommodare; ex locis rhetoricis, & topicis plurima ad rem quampiam argumenta depromere, & alia generis ejusdem. *Exercitationes inter corrigendum.*

6. Prælectio duplex eſt. Altera ad artem pertinet, in qua præcepta; altera ad ſtylum, in qua orationes explicantur. In utraque autem duo animadvertenda. Primum, qui auctores ad prælegendum ſuſcipiantur, deinde quis modus interpretandi teneri poſſit. De primo ſatis dictum eſt regula 1. unus enim Cicero ad orationes, ad præcepta præter Ciceronem Ariſtoteles adhibendus eſt. Oratio numquam prætermittenda, præceptorum etiam explicatio toto fere anno continuanda eſſet: (ingens enim eſt vis oratoriorum præceptorum,) hujus tamen loco, ubi mos ferat, inclinante jam anno, alicujus auctoris uſus, qui majorem eruditionem, aut varietatem contineat, non interdicitur. Poëtæ vero aliqua prælectio poterit interdum æſtivo tempore vel præceptorum, vel orationis prælectionibus interponi. *Prælectio.* *Auctores.*

7. Quod autem ad interpretandi rationem attinet, ſic explicentur præcepta: Primo præcepti ſenſus aperiendus, Interpretum collatis ſententiis, ſi obſcurior ſit, nec inter eos conveniat. Secundo, alii Rhetores, qui idem præcipiant, vel idem auctor, ſi alibi idem præcipit, afferendus. Tertio ipſius præcepti ratio aliqua excogitanda. Quarto Oratorum ac Poëtarum loci aliquot ſimiles, maxime illuſtres, in quibus eo præcepto uſi ſint, adducendi. Quinto ſi quid ex varia eruditione, & hiſtoria ad rem facit, addendum. Ad extremum, quo modo ad res noſtras accommodari poſſit, indicandum; idque quanto maximo fieri poteſt delectu ornatuque verborum. *Præceptorum interpretatio.*

8. Si vero explicetur oratio, vel poëma; Primo exponenda ſententia, ſi obſcura ſit, & variæ interpretationes dijudicandæ. Secundo tota artificii ratio, inventionis ſcilicet, diſpoſitionis, & elocutionis exploranda, quam apte ſe orator inſinuet, quam appoſite dicat, vel quibus ex locis argumenta ſumat ad perſuadendum, ad ornandum, ad movendum; quam multa ſæpe *Oratoris interpretatio.*

præ-

præcepta uno eodemque loco permiſceat, quo pacto rationem ad faciendam fidem figuris ſententiarum includat, rurſusque figuras ſententiarum figuris verborum intexat. Tertio, loci aliquot tum re, tum verbis ſimiles afferendi, aliique Oratores vel Poetæ, qui eodem præcepto ad aliquid ſimile perſuadendum vel narrandum uſi ſint, producendi. Quarto res ipſæ Sapientum ſententiis, ſi res ferat, confirmandæ. Quinto ex hiſtoria, ex fabulis, ex omni eruditione, quæ ad locum exornandum faciant, conquirenda. Ad extremum verba perpendenda, eorum proprietas, ornatus, copia, numerus obſervandus. Hæc autem non ideo allata ſunt, ut ſemper omnia conſectetur Magiſter; ſed ut ex iis ſeligat, quæ opportuniora videbuntur.

Argumentum ſcribendæ Orationis.

9 Dictandum argumentum Orationis, vel initio cujusque menſis totum, vel ſingulis hebdomadis per partes: (ſingulis enim menſibus ad ſummum ſingulæ abſolvendæ orationes) ſit autem breve, quod per omnes eat orationis partes, locos confirmationis, & amplificationis, figuras præcipuas, quæ adhiberi poſſent, locos etiam aliquos bonorum auctorum ad imitandum, ſi videbitur, indicet. Interdum demonſtrato ſcriptore aliquo, ad cujus imitationem orationem informent, verbotenus res proponatur.

Carminis.

10. Carminis etiam argumentum, aut ſcripto aut verbo, vel ſolam ſignificando rem, vel certa adjecta ſententia tradi poteſt: idque aut breve, ut Epigrammatis, Odæ, Elegiæ, Epiſtolæ, quod ſingulis vicibus expediatur; aut longius, ut pluribus vicibus, quemadmodum orationem, ſic poëma contexant.

Græci Thematis ratio.

11. Græci Thematis eadem fere ratio erit, niſi per aliquod tempus verbatim omnia dictanda ſemel ſaltem in ſingulas hebdomadas, vel ſoluta oratione, vel carmine cenſeantur.

Concertatio.

12. Concertatio, ſeu exercitatio ſita erit, tum in corrigendis iis, quæ alter æmulus in alterius oratione deprehenderit; tum in iis, in quibus prima hora ſe exercuerint, invicem proponendis; tum in figuris dignoſcendis, aut conficiendis; tum in Rhetoricæ, aut Epiſtolarum, aut Carminum, aut Hiſtoriæ præceptis reddendis, applicandisve; tum in exponendis auctorum locis difficilioribus, & difficultatibus explanandis; tum in moribus antiquorum, rebusque ad eruditionem pertinentibus exquirendis; tum in hieroglyphicis, ſymbolis Pythagoreis, apophthegmatis, adagiis, emblematis, ænigmatisque interpretandis; tum in declamando, & ſimilibus, ad Præceptoris arbitrium.

13. Græca

13. Græca prælectio ſive oratorum, ſive hiſtoricorum, ſive Poëtarum, non niſi antiquorum ſit, & claſſicorum, Demoſthenis, Platonis, Thucydidis, Homeri, Heſiodi, Pindari, & aliorum hujusmodi (modo ſint expurgati) inter quos jure optimo SS. Nazianzenus, Baſilius, & Chryſoſtomus reponendi. Ac priore quidem ſemeſtri oratores, aut hiſtorici interpretandi: interponi autem poterunt ſemel in hebdomada aliqua epigrammata, vel brevia poëmata: poſteriore viciſſim explicetur Poëta, interjecto ſemel oratore, aut hiſtorico. Interpretandi ratio, quamquam quæ eruditionis artisque ſunt reſpuere omnino non debeat; proprietatem tamen potius, uſumque linguæ ſpectabit. Quamobrem locutiones aliquæ ſingulis prælectionibus dictandæ. *Græca prælectio.*

14. Græca ſyntaxis, & ſyllabarum dimenſio incunte anno alternis diebus, ſi ſit opus, explicanda, ſyntaxis quidem breviter, præcipua quædam capita recolendo. *Græca ſyntaxis & proſodia.*

15. Eruditionis cauſſa die vacationis pro hiſtorico & Poëta liceat interdum alia magis recondita proferre, ut hieroglyphica, ut Emblemata, ut quæſtiones ad artificium poëticum ſpectantes, de Epigrammate, Epitaphio, Ode, Elegia, Epopoeia, Tragœdia, ut de Senatu Romano, de Athenienſi, de utriusque gentis militia; ut de re hortenſi, veſtiaria, de Triclinio, de Triumpho, de Sibyllis, & aliis generis ejusdem, modice tamen. *Prælectio die vacationis.*

16. Declamatio, vel prælectio, vel carmen, vel Græca oratio, vel carmen ſimul, & oratio; Humaniſtis convenientibus poſtrema ſemihora antemeridiana ab uno aut altero diſcipulorum è ſuggeſtu alternis ſabbathis habeatur. *Privata declamatio.*

17. In aula templove gravior Oratio, aut Carmen, vel utrumque, nunc Latine, nunc Græce; vel declamatoria actio, expoſitis utrimque rationibus, lataque ſententia, ſingulis fere menſibus habeatur; non tamen, niſi recognita & approbata à Præfecto ſtudiorum ſuperiorum. *Publica declamatio.*

18. Affigantur carmina ſcholæ parietibus alternis fere menſibus ad aliquem celebriorem diem exornandum, vel Magiſtratus promulgandos, vel alia quapiam occaſione, ſelectiſſima quæque à diſcipulis deſcripta. Imo etiam pro regionum more aliquid proſæ brevioris; quales ſunt Inſcriptiones, ut clypeorum, templorum, ſepulcrorum, hortorum, ſtatuarum; quales Deſcriptiones, ut urbis, portus, exercitus; quales Narrationes, ut rei geſtæ ab aliquo Divorum; qualia denique Paradoxa; additis interdum, non tamen ſine Rectoris permiſſu, picturis, quæ Emblemati, vel argumento propoſito reſpondeant. *Carmina affigenda.*

Privatæ ſcena. 19. Poterit interdum Magiſter brevem aliquam actionem, Eclogæ ſcilicet, Scenæ, Dialogive diſcipulis argumenti loco proponere: ut illa deinde in ſchola diſtributis inter ipſos partibus, ſine ullo tamen ſcenico ornatu, exhibeatur, quæ omnium optime conſcripta ſit.

Noſtrorum exercitatio. 20. Noſtris exercendis ſicut omnia quæ de ratione docendi diximus, communia ſunt, ita illa peculiaria, ut domi ter, aut quater in hebdomada per horam, quo tempore commodiſſimum Rectori videbitur, repetitiones coram Magiſtro, aut alio quem Rector ipſe ſtatuerit, habeant: in quibus prælectiones Latinæ, Græcæve recolantur, ſolutaque oratio & carmen Latine, Græceve corrigantur; jubeanturque quotidie aliquid ediſcendo memoriam excolere, multumque & attente legere: nihil enim æque fœcundat ingenium, quam ut ad Aulæ, Templi, Scholæque ſuggeſtum, quod illis cum externis condiſcipulis commune eſt, addito etiam refectorio, frequentius ſinguli ſe dicendo exerceant. Vt denique publice ſemper in loco quopiam idoneo ſua carmina Præceptori probata, ſuo adſcripto nomine, proponant.

REGVLÆ PROFESSORIS HVMANITATIS.

1.

Gradus. GRadus hujus ſcholæ eſt, poſtquam ex Grammaticis exceſſerint, præparare veluti ſolum eloquentiæ: quod tripliciter accidit, cognitione linguæ, aliqua eruditione, & brevi informatione præceptorum ad Rhetoricam ſpectantium. Ad cognitionem linguæ, quæ in proprietate maxime & copia conſiſtit, in quotidianis prælectionibus explicetur ex Oratoribus unus Cicero iis fere libris, qui philoſophiam de moribus continent; ex hiſtoricis Cæſar, Salluſtius, Livius, Curtius, & ſi qui ſunt ſimiles; ex Poëtis præcipue Virgilius, exceptis Eclogis, & quarto Æneidos; præterea Odæ Horatii ſelectæ, item Elegiæ, Epigrammata, & alia Poëmata illuſtrium Poëtarum antiquorum, modo ſint ab omni obſcœnitate expurgati. Eruditio modice uſurpetur, ut ingenium excitet interdum ac recreet, non ut linguæ obſervationem impediat.

Præ-

Præceptorum Rhetoricæ brevis ſumma ex Cypriano, ſecundo ſcilicet ſemeſtri, tradetur: quo tempore, omiſſa philoſophia Ciceronis, faciliores aliquæ ejusdem orationes, ut pro lege Manilia, pro Archia, pro Marcello, ceteræque ad Cæſarem habitæ ſumi poterunt. Græcæ linguæ pars illa pertinet ad hanc ſcholam, quæ ſyntaxis proprie dicitur. Curandum præterea, ut mediocriter ſcriptores intelligant, & ſcribere aliquid Græce norint. *Diviſio temporis.*

2. Diviſio temporis hæc erit. Prima hora matutina memoriter recitetur M. Tullius, & ars metrica apud Decuriones: ſcripta à Decurionibus accepta Præceptor corrigat, varias interim, de quibus infra regula 4. diſcipulis exercitationes injungens: ad extremum publice nonnulli recitent, & Decurionum notæ à Magiſtro cognoſcantur.

Secunda hora matutina repetatur poſtrema breviter prælectio, novaque per ſemihoram, vel paullo amplius explicetur: mox exigatur, &, ſi quid ſuperſit temporis, in mutua diſcipulorum concertatione ponatur.

Vltima ſemihora initio primi ſemeſtris hiſtoricus, & ars metrica alternis diebus; arte vero metrica abſoluta, hiſtoricus quotidie percurratur: altero deinde ſemeſtri Cypriani Rhetorica quotidie modo explicetur, modo recolatur, aut diſputetur.

Prima hora pomeridiana memoriter Poëta, Græcusque auctor recitetur, recognoſcente Magiſtro Decurionum notas, ſcriptaque, vel quæ mane imperata ſunt, vel quæ ex domo allatis ſuperfuerint, corrigente. Ad extremum thema dictetur.

Sesquihora conſequens Poëtæ tum recolendo, tum explicando, & Græcæ tum prælectioni, tum ſcriptioni ex æquo dividatur.

Die vacationis prima hora recitetur memoriter, quod proxima vacatione prælectum eſt; & ſcriptiones, quæ ſuperſunt, de more corrigantur. Secunda hora aliquid Epigrammatum, aut Odarum, aut Elegiarum; ſive aliquid ex libro tertio Cypriani de Tropis, de Figuris, & præcipue de numero ac pedibus Oratoriis, ut iis initio anni aſſueſcant, ſive Chria aliqua, aut progymnasma explicetur, recolaturque; ſive denique concertetur.

Die Sabbathi mane prima hora publice recitentur memoriter totius hebdomadæ prælectiones; hora ſecunda recolantur. Vltima ſemihora aut habeatur ab aliquo diſcipulorum declamatio, vel prælectio, aut ad Rhetores audiendos eatur, aut concertetur.

A prandio prima ſemihora reddatur memoriter Poëta, & catechismus,

Magiſtro ſcripta, ſi quæ per hebdomadam ſuperfuerint, & Decurionum notas recognoſcente.

Sesquihora conſequens Poëtæ recolendo, vel alicui brevi poëmati explicando, exigendoque, & Græcis eodem modo ex æquo dividatur.

Vltima ſemihora in explicatione catechismi, vel pia cohortatione, niſi feria ſexta habita ſit, ponetur: ſin autem, in ea re ferme, in cujus locum tum catechismus ſucceſſerat.

Scriptionis corrigendæ ratio. 3. In ſcriptione corrigenda indicet, ſi quid minus proprium, aut elegans, aut numeroſum ſit; ſi minus recte locus ad imitandum propoſitus expreſſus; ſi quid in orthographia, aliterve peccatum ſit: variis modis idem efferri jubeat, ut dicendi copiam ex hac exercitatione nanciſcantur.

Exercitationes inter corrigendum. 4. Exercitationes, dum ſcripta corrigit, erunt, exempli gratia, ex prælectionibus phraſes excerpere, easque pluribus modis variare, Ciceronis periodum diſſolutam componere, verſus condere, carmen unius generis alio permutare, locum aliquem imitari, Græce ſcribere, & alia generis ejusdem.

Prælectio. 5. Prælectio eruditionis ornamentis leviter interdum aſperſa ſit, quantum loci explicatio poſtulat: ſe totum potius Magiſter effundat in Latinæ linguæ obſervationes, in vim, etymologiamque verborum, quam ex probatis petet auctoribus, maxime ex antiquis; in locutionum uſum ac varietatem, in auctoris imitationem: nec alienum putet aliquid patrio interdum ſermone efferre, ſi vel ad interpretandum in primis valeat, vel aliquid habeat eximii. Quando autem orationem explicat, præcepta artis exploret. Ad extremum licebit, ſi videatur, omnia patrio ſermone, ſed quam elegantiſſimo vertere.

Argumentum ſcribendi. 6. Dictandum argumentum ſcribendi; primo quidem ſemeſtri ad Epiſtolæ fere formam vulgi ſermone ad verbum: quod ſæpe proderit ita componere, ut totum ex prælectionibus jam explicatis hinc inde decerptum ſit. Semel autem fere in hebdomada ſuo marte conſcribant, aliquo prius epiſtolarum genere explicato, indicatisque Ciceronis aut Plinii epiſtolis ad illud pertinentibus. Altero deinde ſemeſtri excitetur ingenium; & Chriæ primo, tum procemia, narrationes, & exornationes, facili ac fuſo argumento propoſito, conficiantur. Carminis argumentum Latine dictet multa locutionum varietate. Græci Thematis eadem ac Latinæ proſæ ratio erit, niſi quod fere ex ipſo auctore depromendum, & ratio ſyntaxeos præmonſtranda.

Concertatio. 7. Concertatio ſeu exercitatio ſita erit tum in iis, quæ alter æmulus in alte-

alterius ſcriptione deprehenderit; tum in iis, in quibus prima hora ſe exercuerint, proponendis; tum in phraſibus à Præceptore habitis memoriter dicendis, aut variandis; tum in epiſtolarum, ac Rhetoricæ præceptis reddendis, aut applicandis; tum in exquirenda quantitate ſyllabarum, allata memoriter regula, vel Poëtæ exemplo; tum in proprietate, aut etymologia aliqua inveſtiganda, tum in aliquo Græci, Latinive auctoris loco interpretando; tum in Græcis difficilioribus, & anomalis verbis inflectendis, formandisque, & aliis generis ejusdem, ad Præceptoris arbitrium.

8. Ars metrica celeriter recurretur, in iis ſolum inhærendo, quibus magis egere videbuntur, & exercendo potius quam explicando. Rhetoricæ item Cypriani non tam verba, quam præcepta breviter illuſtrentur, additis ex eodem libello exemplis, &, ſi res ferat, ex quotidianis prælectionibus. *Ars metrica, & Rhetorica.*

9. Græca prælectione alternis diebus Grammatica, & auctor explanabitur. Grammaticæ quidem, breviter decurſis iis, quæ in prima claſſe tradita fuerant, ſyntaxim, & rationem accentuum perſequatur. *Græca prælectio.*

Auctor vero primo ſemeſtri ſolutæ orationis ſumetur ex facilioribus, ut aliquæ orationes Iſocratis, & SS. Chryſoſtomi, & Baſilii, ut ex epiſtolis Platonis, & Syneſii, ut aliquid ſelectum ex Plutarcho: altero ſemeſtri carmen aliquod explicabitur, exempli gratia, ex Phocylide, Theognide, S. Gregorio Nazianzeno, Syneſio, & horum ſimilibus.

Explicatio autem, ut hujus ſcholæ fert gradus, linguæ potius cognitioni, quam eruditioni ſerviat.

Inclinante autem anno Græcarum ſyllabarum ratio tradi poterit cum auctore alternis diebus. Poterunt etiam interdum diſſoluta carmina concinnari.

10. Affigantur Carmina ſcholæ parietibus alternis fere menſibus ad aliquem celebriorem diem exornandum, vel magiſtratus promulgandos, vel alia quapiam occaſione, ſelectiſſima quæque à diſcipulis deſcripta: imo etiam pro regionum more aliquid proſæ brevioris, quales ſunt inſcriptiones, ut clypeorum, templorum, ſepulcrorum, hortorum, ſtatuarum; quales deſcriptiones, ut urbis, portus, exercitus; quales narrationes, ut rei geſtæ ab aliquo Divorum; qualia denique paradoxa: additis interdum, non tamen ſine Rectoris permiſſu, picturis, quæ emblemati, vel argumento propoſito reſpondeant. *Carmina affigenda.*

REGVLÆ PROFESSORIS SVPREMÆ CLASSIS GRAMMATICÆ.

I.

Gradus. GRadus hujus ſcholæ eſt abſoluta Grammaticæ cognitio: ita enim recolit ab initio ſyntaxim, ut addat omnes appendices, deinde explicet conſtructionem figuratam, & de Arte metrica: in Græcis autem octo partes orationis, ſeu quæcumque Rudimentorum nomine continentur, dialectis ac difficilioribus exceptionibus & appendicibus exceptis. Quod ad lectiones pertinet, ex oratoribus quidem explicari poterunt primo ſemeſtri graviſſimæ quæque Ciceronis ad Familiares, ad Atticum, ad Quinctum fratrem Epiſtolæ: altero vero liber de Amicitia, de Senectute, Paradoxa, & alia hujusmodi. Ex Poëtis vero primo ſemeſtri ſelectæ aliquæ ac purgatæ Ovidii tum Elegiæ, tum Epiſtolæ; altero quædam item ſelecta, & purgata ex Catullo, Tibullo, Propertio, & Virgilii Eclogis; vel etiam libri ejusdem Virgilii faciliores, ut quartus Georgicorum, quintus & ſeptimus Æneidos: ex Græcis S. Chryſoſtomus, Æſopus, Agapetus, horum ſimiles.

Diviſio temporis. 2. Diviſio temporis hæc erit. Prima hora matutina memoriter recitetur M. Tullius & Grammatica Decurionibus: ſcripta à Decurionibus collecta Præceptor corrigat, varias interim, de quibus infra regula quarta, diſcipulis exercitationes injungens.

Secunda hora matutina repetatur poſtrema breviter Ciceronis prælectio, novaque per ſemihoram explicetur, atque exigatur; poſtremo Thema dictetur.

Vltima ſemihora matutina Grammaticæ prælectione repetita, nova explicetur, & exigatur, admiſta interdum concertatione. Ac primo quidem ſemeſtri præcepta conſtructionis in inferiore ſchola tradita decurrantur, propria deinceps ex profeſſo explicentur: alternis vero diebus artis metricæ præcepta generalia, omiſſis exceptionibus; poſteriore autem ſemeſtri recolatur per duos minimum menſes pars illa Grammaticæ, quæ eſt propria primæ claſſis,

claſſis, & alternis diebus ars metrica, regulas jam explicatas breviter percurrendo, in aliis quantum neceſſe eſt hærendo: abſoluta vero repetitione Grammaticæ quotidie deinceps ars metrica explicetur adjectis exceptionibus, carminum generibus, & quæ de patronymicis, atque accentu traduntur. Prima ſemihora pomeridiana memoriter Poeta, Græcusque auctor recitetur recognoſcente Magiſtro Decurionum notas, ſcriptaque, vel quæ mane imperata ſunt, vel quæ ex domo allatis ſuperfuerint, corrigente.

Sesquihora conſequens Poetæ tum recolendo, tum explicando, & Græcæ tum prælectioni, tum ſcriptioni ita dividatur, ut Græcis paullo plus detur quam ſemihora.

Vltima ſemihora, vel quod illius reliquum fuerit, in concertationibus collocandum.

Die ſabbathi mane publice recitentur memoriter totius hebdomadæ, vel totius libri prælectiones: ſecunda hora recolantur. Vltima ſemihora concertetur. Idem fiat à prandio, niſi quod prima hora etiam memoriter recitatur Catechismus.

Vltima ſemihora in explicatione Catechismi, vel pia cohortatione, niſi feria ſexta habita ſit, ponetur: ſin autem, in ea re ferme, in cujus locum tum Catechismus ſucceſſerat.

3. In ſcriptione corrigenda indicet, ſi quid contra præcepta Grammaticæ, orthographiæ, interpunctionis peccatum ſit: ſi declinatæ difficultates, ſi non habita elegantiæ, aut imitationis ratio. *Scriptionis corrigendæ ratio.*

4. Exercitationes tradendæ diſcipulis, dum ſcripta corrigit, erunt, exempli gratia, vernacula dictata, tum ad auctoris imitationem, tum ad ſyntaxis præcepta Latina facere, lectionem Ciceronianam ex Latino in patrium ſermonem transferre, eamdem Latine tranſcribere, inde phraſes elegantiores excerpere, ex Grammaticæ præceptis recens explicatis dubitationes æmulis, & locutiones proponendas depromere, diſſolutos verſus concinnare, aut conficere, Græca deſcribere, & alia generis ejusdem. *Exercitationes inter corrigendum.*

5. Prælectionis forma hæc erit: Primum quidem argumentum tum Latino, tum patrio ſermone perſtringat. Deinde unamquamque periodum ita interpretetur, ut vernacula expoſitio Latine ſubinde ſubjiciatur. Tertio à capite recurrens (niſi malit ipſi explicationi inſerere) binas aut ternas ſeligat voces, quarum vim, aut originem expendat; unoque aut altero ejusdem præſertim auctoris exemplo confirmet. Translationes etiam evolvat ac demonſtret, *Prælectio.*

monſtret, fabulas cum hiſtoriis, & quæ ad eruditionem pertinent, ſi quæ incidant, brevi expediat; binas etiam ternasve phraſes elegantiores excerpat. Poſtremo ſcriptoris verba vulgi ſermone decurrat. Licebit autem Latinum argumentum, obſervationes, proprietates, & phraſes quàm breviſſime dictare.

Argumentum ſcribendi. 6. Dictandum argumentum ſcribendi ad Epiſtolæ fere formam, vulgi ſermone ad verbum; quod ad præcepta ſyntaxeos, & ad Ciceronis imitationem referatur. Semel autem fere ſingulis menſibus, aut domi loco quotidianæ ſcriptionis, aut in ſchola ad magiſtratus creandos, ubi aliquantum profecerint, ſuo marte conſcribant, aliquo prius epiſtolarum genere explicato, indicatisque Ciceronis epiſtolis ad illud pertinentibus, & aliquot ab ipſo Præceptore ejusdem generis dictatis exemplis.

7. Carmina poterunt initio quidem ſoluto ſolum verborum ordine, mox etiam verbis aliquibus immutatis, ad extremum facillimo argumento cum multa locutionum varietate dictari.

Græcum thema. 8. Græci Thematis eadem ac Latinæ proſæ ratio erit, niſi quod fere ex ipſo auctore depromendum, & ratio ſyntaxeos præmonſtrandâ.

Græca prælectio. 9. Græcæ prælectionis, quæ quadrantem horæ vix excedet, eadem ratio ſit, niſi quod cum Græcus auctor ſumitur (ſumi autem poterit quando Præfectus cenſuerit alternis cum Grammatica diebus) verba ſingula tractanda ſunt, facillimis etiam in univerſum, ſi videatur, ſyntaxeos regulis indicatis.

Concertatio. 10. Concertatio, ſeu exercitatio ſita erit, tum in iis quæ alter æmulus in alterius ſcriptione deprehenderit, tum in iis, in quibus prima hora ſe exercuerint, proponendis, tum in phraſibus à Præceptore habitis memoriter dicendis, tum in vernaculis locutionibus mutuo ex præſcripto ſyntaxeos, aut ad Ciceronis imitationem exigendis, aut variandis (faciendumque, ut locutionem propoſitam ſtatim qui interrogatur iisdem reddat verbis, eamque paulliſper meditatus non verbatim, ſed totam ſimul Latine efferat) tum in epiſtolarum præceptis reddendis, tum in exquirenda quantitate ſyllabarum, allata memoriter regula, vel Poëtæ exemplo, tum in proprietate, aut etymologia aliqua inveſtiganda, tum in aliquo Græci Latinive auctoris loco interpretando, tum in Græcis nominibus, aut verbis inflectendis, formandisque, & aliis id genus ad Præceptoris arbitrium.

REGV-

REGVLÆ PROFESSORIS MEDIÆ CLASSIS GRAMMATICÆ.

1.

GRadus hujus ſcholæ eſt, totius quidem Grammaticæ, minus tamen plena cognitio: explicat enim ab initio libri ſecundi usque ad figuratam conſtructionem, facillimis ſolum adjunctis appendicibus; ſeu juxta Romanam methodum, à communi verborum conſtructione usque ad figuratam, additis facilioribus appendicibus. *Gradus.*

Ex Græcis ad hanc ſcholam pertinent nomina contracta, verba circumflexa, verba in μι, & faciliores formationes. Ad prælectiones vero non niſi familiares Ciceronis Epiſtolæ, & facillima quæque Ovidii carmina: & ſecundo ſemeſtri, ſi Præfectus cenſeat, Græcus Catechiſmus, aut Cebetis tabula.

2. Diviſio temporis hæc erit: Prima hora matutina memoriter recitetur M. Tullius & Grammatica apud Decuriones; ſcripta à Decurionibus collecta Præceptor corrigat, varias interim, de quibus infra regula quarta, diſcipulis exercitationes injungens. *Diviſio temporis.*

Secunda hora matutina repetatur poſtrema breviter Ciceronis prælectio, novaque per ſemihoram explicetur, atque exigatur: poſtremo Thema dictetur.

Vltima ſemihora matutina aliquid ex primo Grammaticæ libro, ut de declinatione nominum, ac deinceps de præteritis, ac ſupinis, quod concertando etiam exerceatur, recolendum.

Prima hora pomeridiana memoriter Grammatica tum Latina, tum Græca, & ſuis diebus Poëta recitetur, recognoſcente Magiſtro Decurionum notas, ſcriptaque, vel quæ mane imperata ſunt, vel quæ ex domo allatis ſuperfuerint, corrigente: ad extremum Grammaticæ, & alternis diebus Poëtæ poſtrema prælectio recolatur.

Secunda hora pomeridiana per ſemihoram ſyntaxis explicetur, & repetatur: poſteriore tamen ſemeſtri ſyntaxis item, & alternis diebus Poëta explicetur. Per alteram ſemihoram Græca tradantur.

Vltima ſemihora concertationi, ſeu exercitationi tribuatur.

Die Sabbathi mane prima hora publice recitentur memoriter totius hebdomadæ, vel totius libri prælectiones: ſecunda hora recolantur. Vltima ſemihora concertetur. Idem fiat à prandio; niſi quod prima hora cum Grammatica, & Poëta, recitatur etiam catechiſmus. Vltima ſemihora in explicatione catechiſmi, vel nonnumquam pia cohortatione, niſi feria ſexta habita fuerit, ponetur: ſin autem, in ea re ferme, in cujus locum tum catechiſmus ſucceſſerat.

Scriptionis corrigendæ ratio. 3. In ſcriptione corrigenda indicet, ſi quid contra præcepta Grammaticæ, orthographiæ, interpunctionis peccatum ſit; ſi declinatæ difficultates: omnia ad Grammaticarum præceptionum normam expendat: conjugationesque ipſas, & rudimenta, ſumpta occaſione, in memoriam revocet.

Exercitationes inter corrigendum. 4. Exercitationes, dum ſcripta corrigit, erunt, exempli gratia, vernacula dictata tum ad auctoris imitationem, tum præcipue ad ſyntaxis præcepta Latina facere: lectionem Ciceronis vulgi ſermone convertere, eamdem Latine tranſcribere, ex Grammaticæ præceptis, recens præſertim explicatis, dubia æmulis, & locutiones proponendas depromere, Græca deſcribere, & alia generis ejuſdem.

Grammatica exigenda. 5. In repetitione prælectionis capiat interdum occaſionem difficiliora declinandi, conjugandi, & Grammaticæ quomodocumque exigendæ.

Prælectio Ciceronis. 6. Prælectionis Ciceronianæ, quæ ſeptenos fere verſus non excedet, hæc forma ſit: Primo totam continenter pronunciet, ejusque argumentum breviſſime patrio ſermone perſtringat. Secundo periodum ad verbum vulgi ſermone interpretetur. Tertio à capite recurrens ſtructuram indicet; & periodum retexens, quæ verba, quos caſus tegant, oſtendat; pleraq; ad explicatas Grammaticæ leges perpendat; Latinæ linguæ obſervationem unam, aut alteram, ſed quam faciliimam afferat; metaphoras exemplis rerum notiſſimarum demonſtret; unam denique aut alteram phraſim excerpat, quas ſolas cum argumento dictabit. Quarto ſcriptoris iterum verba vernaculo ſermone decurrat.

7. Di-

7. Dictandum argumentum ſcribendi vulgi ſermone ad verbum perſpicuum, nec fere verſibus ſeptenis longius, quod ad præcepta ſyntaxis, & Ciceronis imitationem referatur. Interdum diſcipuli aliquam Ciceronis brevem verſionem, aut aliquod Græcum tempus, ſeu nomen ſubſcribere jubeantur. *Argumentum ſcribendi.*

8. Grammaticæ prælectio non niſi ſingula præcepta ad ſummum cum brevi aliqua appendice, aut exceptione contineat. *Grammaticæ prælectio.*

9. In Græcis tradendis eadem proportione ſerventur; & fere ex uſu videtur eſſe vernaculas voces caſibus ac perſonis addere, omniaque plerumque voce patria declarare. *Græca prælectio.*

10. Concertatio ſeu exercitatio ſita erit tum in iis, quæ alter æmulus in alterius ſcriptione deprehenderit, tum in iis, in quibus prima hora ſe exercuerint, proponendis; tum in phraſibus à Præceptore habitis memoriter dicendis, tum in vernaculis locutionibus mutuo ex præſcripto ſyntaxeos, aut ad Ciceronis imitationem exigendis (faciendumque ut locutionem propoſitam ſtatim, qui interrogatur, iisdem repetat verbis, eamque paullisper meditatus non verbatim, ſed totam ſimul Latine efferat) tum in difficilioribus nominibus ac verbis, quæ præſertim in prælectione occurrerint, vel continenti, vel interrupto caſuum ac temporum ordine, vel ſingulis per ſe, vel conjuncto ſimul adjectivo, ſubſtantivoque, & pronomine inflectendis, tum in præteritis, & ſupinis quam celerrimè reddendis, in Græcis exigendis, & aliis id genus, arbitrio Præceptoris. *Concertatio.*

REGVLÆ
PROFESSORIS
INFIMÆ CLASSIS
GRAMMATICÆ.

1.

GRadus hujus ſcholæ eſt rudimentorum perfecta, ſyntaxis inchoata cognitio: incipit enim à declinationibus usque ad communem verborum conſtructionem. Et quidem ubi duo erunt ordines, inferiori ex primo libro nomina, verba, rudimenta, præcepta quatuordecim de conſtructione genera nominum tribuentur: ſuperiori vero ex primo libro, de nominum *Gradus.*

declinatione ſine appendicibus, & de præteritis ac ſupinis: è ſecundo autem introductio ſyntaxis ſine appendicibus usque ad Imperſonalia. Græce vero inferior quidem ordo legere & ſcribere, ſuperior vero nomina ſimplicia, verbum ſubſtantivum, & barytonum ediſcet. Ad prælectiones non niſi facillimæ quæque, atque ad hanc rem ſelectæ, &, ſi fieri poteſt, ſeparatim excuſæ Ciceronis epiſtolæ adhibeantur.

Diviſio temporis.

2. Diviſio temporis hæc erit: Prima hora matutina memoriter M. Tullius & Grammatica apud Decuriones recitetur; ſcripta à Decurionibus collecta Præceptor corrigat, varias interim, de quibus infra regula quarta, diſcipulis exercitationes injungens.

Secunda hora matutina repetatur poſtrema breviter Ciceronis prælectio, novaque per ſemihoram explicetur, atque exigatur: poſtremo thema dictetur.

Vltima ſemihora matutina utrique ordini aliquid ex primo Grammaticæ libro juxta partem cuique deſcriptam explicetur, aut recolatur, vel alterno quoque die ſingulis ordinibus, vel quotidie utrique; poſtea vero omnia vel à Magiſtro vel invicem per concertationem repoſcantur. Quibus autem diebus novum à prandio præceptum conſtructionis non erit proponendum, (pluribus enim diebus fere ſingula inculcanda ſunt) tum prælectio hæc matutina in locum pomeridianæ ſuccedat: ultima autem ſemihora matutina tota concertationi, ſeu exercitationi concedatur.

Prima hora pomeridiana memoriter Grammatica tum Latina, tum Græca recitetur, recognoſcente Magiſtro Decurionum notas, ſcriptaque vel quæ mane imperata ſunt, vel quæ ex domo allatis ſuperfuerint, ad ſummum per ſemihoram corrigente. Ad extremum poſtrema Grammaticæ prælectio recolatur.

Secunda hora pomeridiana ſuperiori quidem ordini ſyntaxis, inferiori vero rudimenta de generibus nominum, ac deinceps quatuordecim præcepta explanentur: Græcis vero paullo plus quadrante tribuatur.

Vltima ſemihora concertetur, vel aliquod dictatum ex Grammaticæ legibus expendatur.

Die Sabbathi mane prima hora publice recitentur memoriter totius hebdomadæ prælectiones: ſecunda hora recolantur: ultima ſemihora concertetur.

Idem

Idem fiat à prandio, niſi quod prima hora ſimul cum Grammatica recitatur etiam catechiſmus. Vltima ſemihora in explicatione catechiſmi, vel pia cohortatione, niſi feria ſexta habita fuerit, ponetur: ſin autem in ea, re ferme, in cujus locum tum catechiſmus ſucceſſerat.

3. In ſcriptione corrigenda indicet, ſi quid contra præcepta Grammaticæ, orthographiæ, interpunctionis peccatum, ſi declinatæ difficultates; omnia ad Grammaticarum præceptionum normam expendat; conjugationes, & declinationes ex occaſione repetere non omittat. *Scriptionis corrigendæ ratio.*

4. Exercitationes diſcipulorum, dum ſcripta Magiſter corrigit, erunt, exempli gratia, vernacula dictata è ſyntaxis præſcripto Latina facere, lectionem Ciceronianam ex Latino in vulgi ſermonem transferre, eamdem Latine tranſcribere; ex Grammaticæ præceptis recens præſertim explicatis dubia æmulis, & locutiones proponendas depromere, concordantias concinnare, aut componere, Græca deſcribere, & alia generis ejusdem. *Exercitationes inter corrigendum.*

5. In repetitione prælectionis capiat ſæpe occaſionem declinandi, conjugandi, & Grammaticæ quomodocumque exigendæ. *Grammatica exigenda.*

6. Prælectionis Ciceronianæ, quæ quaternos fere verſus non excedet, hæc forma ſit: Primum totam continenter pronuntiet, ejusque argumentum breviſſime vulgi ſermone perſtringat. Secundo periodum ad verbum vulgari ſermone interpretetur. Tertio à capite recurrens ſtructuram indicet, & periodum retexens, quæ verba quos caſus regant, oſtendat; pleraque ad explicatas Grammaticæ leges perpendat, Latinæ linguæ obſervationem unam, aut alteram, ſed quam faciliſſimam afferat; metaphoras exemplis rerum notiſſimarum demonſtret, nec quidquam, niſi forte argumentum, dictet. Quarto ſcriptoris iterum verba vulgi ſermone decurrat. *Prælectio Ciceronis.*

7. Dictandum argumentum ſcribendi vulgi ſermone ad verbum, perſpicuum, nec fere verſibus quaternis longius, quod ad præcepta Grammaticæ potiſſimum referatur; eique interdum diſcipuli aliquam Ciceronis brevem verſionem, aut locutionem ex præſcripto ſyntaxis, aut ea ipſa, quæ ſunt ex Græcis rudimentis ediſcenda, aut alia id genus ſubſcribere jubeantur. *Argumentum ſcribendi.*

8. Grammaticæ prælectio non niſi ſingula ad ſummam præcepta contineat, quæ niſi bene percepta ſint, ad alia non veniatur. *Grammatica prælectio.*

9. Concertatio, ſeu exercitatio, ſita erit tum in iis, quæ alter æmulus in alterius ſcriptione deprehenderit; tum in iis, in quibus prima hora ſe *Concertatio.*

exercuerint, proponendis; tum vernaculis locutionibus invicem ad ſyntaxis præſcriptum exigendis (faciendumque, ut locutionem propoſitam ſtatim, qui interrogatur, iisdem reddat verbis, eamque paullisper meditatus non verbatim, ſed quoad ejus fieri poteſt, totam ſimul Latine efferat) tum in difficilioribus nominibus, ac verbis, quæ præſertim in prælectione occurrerint, vel continenti, vel interrupto caſuum ac temporum ordine, vel ſingulis per ſe, vel conjuncto ſimul adjectivo, ſubſtantivoque, & pronomine inflectendis, tum in rudimentorum definitionibus, & exemplis proferendis, tum in verborum flexionibus ex Latino in patrium, ex patrio ſermone in Latinum celeriter vertendis; tum in iis, quæ activa voce dicta ſunt, paſſive efferendis; tum in præteritis, & ſupinis; tum in nominum generibus, & caſibus, quæcumque propoſita fuerunt, indicandis; & horum ſimilibus, ad Præceptoris arbitrium.

REGVLÆ SCHOLASTICORVM NOSTRÆ SOCIETATIS.

I.

a p.4.c.6.§.1. Animi puritas, & intentio.

IN *a* primis animi puritatem cuſtodire, & rectam in ſtudiis intentionem habere ſcholaſtici noſtri conentur; nihil aliud in his, niſi divinam gloriam, & animarum fructum quærentes: & in ſuis orationibus gratiam, ut in doctrina proficiant, crebro petant, ut tandem *b* idonei, ſicut ab iis ſperat Societas, ad vineam Chriſti Domini noſtri exemplo ac doctrina excolendam evadant.

b p.4.c.3.§.2.

c p.4.c.6.§.2. d p.4.c.4.§.2. Solidarum virtutum cum ſtudiis conjunctio.

2. *c* Serio & conſtanter ad ſtudia animum applicare deliberent, utque *d* cavendum ſibi putent, ne fervore ſtudiorum intepeſcat ſolidarum virtutum, ac religioſæ vitæ amor; ita ſibi viciſſim perſuadeant, nihil gratius ſe Deo facturos in Collegiis, quam ſi ea intentione, de qua dictum eſt, ſtudiis ſe diligenter impendant: & licet numquam ad exercenda ea, quæ didicerint, perveniant; illum tamen ſtudendi laborem ex obedientia & caritate, ut par eſt, ſuſceptum, opus eſſe magni meriti in conſpectu divinæ & ſummæ Majeſtatis apud ſe ſtatuant.

3. Iis

3. *a* Iis facultatibus ſinguli operam dabunt eosque audient Præceptores, quos Superior aſſignabit: præſcriptam vero à Præfecto, vel à Magiſtro diviſionem temporis, ac rationem ſtudendi ſervent diligenter univerſi: nec aliis quam ab eodem Præfecto ſibi traditis, utantur libris. *a p.4.c.5.§.2. & c.6.§.6. Ex Superioris præſcripto ſtudendum.*

4. *b* In audiendis lectionibus ſint aſſidui, & in iis prævidendis diligentes; & poſtquam eas audierint, repetendis: iis, quæ non intellexerint, interrogandis: aliis vero, quæ oportuerit, adnotandis, quo in poſterum memoriæ defectui conſulatur. *b p.4 c.6.§.8. Diligentia.*

5. *c* Interſint ordinariis ſcholarum, ad quas accedunt, diſputationibus; & ſingulare ſui ſpecimen in doctrina præbere, modeſte tamen, curent. *c p.4.c.6.§.10. Diſputationes publicæ.*

6. *d* Privatis præterea, & quotidianis diſputationibus ac repetitionibus omnes interſint: & qui diſputant, ei, qui præeſt, religioſe obediant. *d p.4.c.6.§.11. Privatæ.*

7. *e* Cum ad publicas ſcholas eundum erit, eant & redeant invicem aſſociati cum ea modeſtia interiore & exteriore, quæ ad ſui & aliorum ædificationem conveniat. *e p.4.c.6.§.6. Modeſtia.*

8. *f* Eorum colloquia, qui cum ſcholaſticis externis loquendi habuerint facultatem, ſint ſolum de rebus ad litteras, vel ad profectum ſpiritus pertinentibus, prout ad majorem Dei gloriam omnibus utilius fore judicabitur. *f Ibidem. Colloquia cum externis.*

9. *g* Omnes quidem, ſed præcipue humaniorum litterarum ſtudioſi, Latine loquantur: atque hi memoriæ, quod à ſuis Magiſtris præſcriptum fuerit, commendent; ac ſtylum in compoſitionibus diligenter exerceant. *g p.4.c.6.§.13. & c.13.§.3. Latinæ linguæ uſus.*

10. *h* Vltra duas horas nemo aut legendo aut ſcribendo ad laborem incumbat, quin ſtudium intermittat aliquantulo temporis intervallo. *h p.4. c.4. §.1. Studii tempus.*

11. *i* Horis privato ſtudio attributis, qui ſuperioribus facultatibus dant operam, domi relegant, quæ ſcripſerunt in ſcholis, eaque curent intelligere: & intellecta ſic examinent, ut ipſi ſibi objiciant, & quæ objecerint, ſolvant; quæ nequeunt, adnotent ad interrogandum, vel diſputandum. *i p.4.c.6.§.14.M. Privati ſtudii ratio.*

IN-

INSTITVTIO EORVM, QVI PER BIENNIVM PRIVATO STVDIO THEOLOGIAM REPETVNT.

I.

P.4.c.15.§.3. *Quæ Scholaſticorum regulæ illis communes.*

SCholaſticorum regulas, præter eas quæ ad lectiones in ſcholis audiendas, earumque repetitiones, pertinent, non ſecus ac ceteri diſcipuli obſervent: præſertim vero ne ſtudiorum fervore ſolidarum virtutum amor intepeſcat, omni diligentia curent.

Collationi Caſuum & diſputationibus interſint.

2. Similiter ut alii Theologiæ auditores collationi Caſuum, omnibus actibus, & menſtruis etiam eorum diſputationibus interſint.

Argumenta quando reſument.

3. In Philoſophorum autem diſputationibus menſtruis non ſolum intereſſe debebunt; ſed poterunt etiam argumenta reſumere, itemque in hebdomadariis Theologorum, ſi Magiſtri non adſint.

Quæſtiones omiſſæ, vel compendio tractatæ.

4. Pro ratione ſtudendi, & diſtributione horarum à Præfecto præſcripta diligens & accuratum ſtudium inſtituant earum materiarum, quas vel nullo modo, vel compendio, audierunt, adhibitis commentariis eorum, qui eas diligentius pertractarunt.

Studium præcipuarum quæſtionum.

5. Deinde ſtudeant præcipuis diſputationibus totius Theologiæ, v. g. Ex prima parte de Viſione, de Scientia, de Prædeſtinatione, de Trinitate; itemque ex aliis partibus, tum ea quæ ab aliis ſcripta ſunt, diligenter perpendendo, tum proprio etiam ingenio capita quædam, & principia Theologiæ, unde præcipuarum quæſtionum ſeries pendeat, diſponendo; ſervatis tamen quam diligentiſſime iis, *a* quæ de doctrina S. Thomæ ſequenda à Societate conſtituta ſunt.

a p.4.c.14.§.1.& 5.Congr.can.9. & decr.55. & 72.

Scribendæ ex profeſſo quæſtiones.

6. Scribant ex inſtituto quæſtiones aliquas cum ſuis fundamentis, & concluſionibus, & objectorum ſolutionibus more ſcholaſtico, perinde ac ſi

eas

eas prælegere in ſchola deberent, easque ſingulis vel alternis ſaltem menſibus Præfecto ſtudiorum oſtendant, ut ab eo dirigantur.

7. Habere etiam interdum poterunt ejusmodi lectiones, vel privatim coram noſtris Doctoribus, vel in ipſis repetitionibus Theologorum per tres circiter horæ quadrantes, ut ad extremum Patres, qui adſunt, argumentari poſſint, vel denique, ſi videatur, in Refectorio. *Privatæ lectiones.*

8. Conſimiles quæſtiones habere etiam poterunt de præclara aliqua materia, quæ denis ad ſummum prælectionibus abſolvatur, in ea ſchola, eoque tempore, ut qui voluerint Theologi, convenire poſſint. *Publicæ.*

9. Diſtribuatur illis tempus ad quatuor actus particulares, & unum generalem habendum: & primus quidem particularis ſub initium fere primi ſemeſtris, alter in fine, & ſic deinceps ſingulis ſemeſtribus reliqui celebrentur, ita ut generalis ultimum ſemeſtre claudat. *Actus.*

10. Liberum eis ſit in actibus à Magiſtrorum ſuorum ſententiis diſcedere; ſuasque, ſi libeat, tueri, dummodo nulla ratione alienæ ſint à S. Thomæ doctrina ex V. Congregationis decreto: ita tamen ut non ſolum de ſententiis ipſis, ſed etiam de fundamentis ac principiis, quibus eas tueri volunt, tempeſtive cum Præfecto, eoque qui præſidere debet, conſentiant. Imo quo melius ſui ingenii ſpecimen dent, ſinet Præſes eos libere reſpondere, nec, niſi cum maxime neceſſe ſit, interpellabit. *Suas opiniones qua ratione liceat defendere.*

11. Intelligant denique biennio hoc curandum ſibi eſſe, ut non ſolum in Theologia docti ac prompti, ſed in omni etiam Eccleſiaſtica eruditione, quæ Theologum maxime decet, evadant. *Eruditio.*

12. Itaque ſingulis diebus *a* certum tempus habeant ad accuratam ſacræ Scripturæ, Conciliorum, Controverſiarum, & Canonum lectionem, & ſemper aliquo ordine notent, quæ notatu digna videbuntur: nihil tamen parent ad Conciones ex profeſſo: & ex hoc ſtudio aliquid interdum prælegant, vel in triclinio, vel alibi, prout Superiori videbitur. *a p. 4 c. 5. B.* *Concilia, Controverſiæ, Canones.*

13. In Canonum ſtudio partem judiciariam omittant, in Eccleſiaſtica toti verſentur. *Canonum ſtudium.*

14 Speciatim in id maxime ſtudium incumbant, ad quod ſe magis propenſos ſenſerint, re diligenter cum Superiore communicata: ita tamen, ut ex aliis, quæ præſcribuntur, nullum omittant. *Naturæ propenſio attendenda.*

REGVLÆ ADIVTORIS MAGISTRI SIVE BIDELLI.

I.

Magiſtro obtemperet.

HVjus munus erit omnia, quæ à Magiſtro de ſcholarum potiſſimum exercitationibus injuncta fuerint, diligenter exequi.

Agenda circa ſcholam.

2. Curet ut & Claſſis & Cathedra munda ſit; ut in eam pie depicta aliqua tabella pendeat; ut ſubſelliorum ſit ſatis; ut munda eadem ſint, ac recte diſpoſita; ut quaſſata vel fracta reficiantur; ut certa noſtris ſcamna, itemque aliis Religioſis ſeparata ab externis aſſignentur; ut ſcholæ tempeſtive aperiantur.

Diſcipuli opportune monendi.

3. Eos opportune moneat, ad quos deinceps per vices diſputare, repetere, theſes defendere, aliaque hujusmodi præſtare, ut conſtitutum à Magiſtro fuerit, pertinebit.

De Concluſionibus.

4. Præmoneat ſeptem fere ante diebus eos, qui hebdomarias theſes ſunt defenſuri. Curabit autem, ut eæ propoſitiones in tempore conſcriptæ ſint. Eas vero primum ad Magiſtrum perferet corrigendas, tum ad Præfectum recognoſcendas: quibus denique correctis, atque recognitis, eum qui defenſurus eſt, admonebit, ut quot erunt opus exempla deſcripta afferat: eorum autem unum bene deſcriptum, *a* pridie quam ſit diſputandum, mane publice affiget, reliqua diſceptantibus deinde diſtribuet.

a p.4 c.16.§.10.

Horologium.

5. Horologium tum in lectionibus, tum in diſputationibus ſemper habeat, ac tum Præfectum, tum Præceptorem tempeſtive temporis elapſi admoneat, quo ſpatia ad diſputandum ſingulis præſtituta ſerventur: & ex præſcripto Præfecti ſignum det diſputantibus tum inchoandi, tum finiendi.

Publici actus.

6. Claſſem, vel Aulam ad publicos actus juxta Academiarum conſuetudinem ornandam curet; iisque, qui ad hujusmodi actus, aut ad quascumque diſputationes invitati fuerint, ſive argumentandi, ſive eas cohoneſtandi cauſſa, loca diſtribuat.

b p.4.c.6.§.15.

Quid ad Superiorem deferendum.

7. *b* Si quem noſtrorum abeſſe à prælectionibus, repetitionibus, diſputationibus, aut aliquid eorum omittere, quæ ad ſtudiorum rationem, vel morum diſciplinam pertinent, notaverit, ad Superiorem deferet.

REGV-

REGULÆ EXTERNORUM AUDITORUM SOCIETATIS.

I.

QUi diſcendi cauſſa Societatis IESV gymnaſia frequentant, intelligant, Deo juvante, non minus curatum iri pro viribus, *a* ut pietate, ceteriſque virtutibus, quam ut ingenuis artibus imbuantur. *Doctrina pietati jungenda.* *a* p.4.c.7.§.1. & c.16.§.4.

2. Eam quisque claſſem frequentabit, quæ illi *b* poſt examen à Præfecto fuerit aſſignata. *Quæ cujusque ſchola.* *b* p.4.c.13.§.4.

3. *c* Singulis ſaltem menſibus omnes peccata confiteantur, ac Miſſæ ſacrificio quotidie conſtituta hora, Concioni vero diebus feſtis decenter interſint. *Confeſſio, & Miſſa.* *c* p.4.c.7.§.2.3. c.16.§.1.

4. *d* Explicationi catechiſmi ſingulis hebdomadis omnes interſint, ejusque compendium ediſcant, ut à Magiſtris fuerit conſtitutum. *Doctrina Chriſtiana.* *d* p.4.c.7.§.2. & c.16 §.2.

5. Nemo ex noſtris diſcipulis gymnaſium cum armis, gladiolis, cultris, aut aliis ejusmodi, quæ pro locis aut temporibus interdicta fuerint, ingrediatur. *Arma in ſcholam non inferenda.*

6. *e* Abſtineant omnino à jurejurando, à contumeliis, injuriis, detractionibus, mendaciis, à ludis vetitis, à locis etiam noxiis, vel à Præfecto ſcholarum interdictis, denique à rebus omnibus, quæ morum honeſtati adverſentur. *e* p.4.c.16.§.4. *A quibus abſtinendum.*

7. *f* Intelligant in iis, quæ ad mores ac ſtudia bonarum artium ſpectant, cum præcepta, ſive admonitiones, minus proderunt, Magiſtros Correctoris opera in ipſis puniendis uſuros: qui aut pœnas recuſarint, aut ſpem emendationis non oſtenderint, aut ceteris moleſti, ſive exemplo ſuo pernicioſi fuerint, ſciant ſe ex noſtris ſcholis eſſe dimittendos. *f* p.4.c.7.§.2. & c.16.§.5. *Corrector, ut adhibendus.*

8. Omnes ſuis quisque Magiſtris obtemperent; rationem vero ſtudendi ab illis præſcriptam, tum in ſcholis, tum domi, quam diligentiſſime ſervent. *Obedientia.*

9. *g* Serio animum ad ſtudia & conſtanter adjiciant: ſint in ſcholis mature frequentandis aſſidui, *h* in audiendis & recolendis prælectionibus, cete- *g* p.4.c.6.§.1. *Diligentia, & aſſiduitas.* *h* Ibid.§.8.

ceteriſque obeundis exercitationibus diligentes. Quod ſi quid minus aſſequantur, aut ſi quid dubitent, Magiſtrum conſulant.

Quies, ſilentium. 10. In ſcholis ne hac illac divagentur; ſed in ſuis quiſque ſubſelliis locisque, modeſte ac ſilentio, ſibi ac ſuis rebus intenti ſint; neque ſchola egrediantur, niſi facta à Magiſtro exeundi poteſtate. Ne ſcamna, cathedram, ſellas, parietes, januas, feneſtras, neque aliud quidpiam pingendo, ſcribendo, ſcalpello, aliave ratione deturpent, ſeu notent.

Quæ fugiendæ conſuetudines. 11. Pravas, aut etiam ſuſpectas aliorum conſuetudines fugiant: cum iis tantummodo verſentur, quorum exemplo & conſuetudine in litterarum ſtudio, virtutumque proficiant.

A quibus libris abſtinendum. 12. *a* A libris pernicioſis & inutilibus legendis prorſus abſtineant.

a p 4. c. 5. E. & c 14. §. 2.

Spectacula, & ſcenas vitent. 13. Neque ad publica ſpectacula, Comœdias, ludos; neque ad ſupplicia reorum, niſi forte hæreticorum, eant; neque perſonam ullam in externorum ſcenis agant, niſi data prius à Magiſtris, vel à Præfecto gymnaſii poteſtate.

Pietas. 14. Syncerum animum purumque conſervare, ac divinis legibus ſumma diligentia obtemperare nitantur: Deo vero, ac Sanctiſſimæ Virgini Deiparæ, ceteriſque Sanctis, perſæpe atque ex animo ſe commendent: Angelorum opem aſſidue, præcipue vero Angeli Cuſtodis implorent. Modeſtiam tum alibi ſemper, tum in templo, atque in ſchola potiſſimum ſervent.

Vita exemplum. 15. In rebus denique, atque actionibus omnibus ita ſe gerant, ut facile quivis intelligat, eos non minus virtutum, vitæque integritatis eſſe, quam litterarum doctrinæque ſtudioſos.

REGVLÆ
ACADEMIÆ.

I.

Academia quid. ACademiæ nomine intelligimus cœtum ſtudioſorum ex omnibus ſcholaſticis delectum, qui aliquo ex noſtris Præfecto conveniunt, ut peculiares quasdam habeant exercitationes, ad ſtudia pertinentes.

2. Hoc

2. Hoc ex numero omnes cenſentur, qui ſunt ex Congregatione B. Virginis, eo ipſo, quod in illam recipiuntur; & Religioſi, ſi qui noſtras ſcholas frequentant. Ceterum ubi mos tulerit, & Rectori videatur, alii etiam admitti poterunt, qui ex Congregatione, atque adeo qui ex noſtris ſcholaſticis non ſint. *Qui admittendi.*

3. Academicos Chriſtiana virtute, ac pietate, diligentia in ſtudiis, & ſcholarum legibus ſervandis, ceteris omnibus diſcipulis præſtare, & exemplo eſſe oportet. *Academici quales.*

4. Collegii Rector Moderatorem, vel ex ipſis Magiſtris, vel ex aliis noſtris, idoneum aliquem unicuique Academiæ præficiet. *Academiæ Moderator.*

5. In unam Academiam Theologi, & Philoſophi fere convenire poterunt, in alteram Rhetores, & Humaniſtæ, in tertiam omnes Grammatici, ſi nec nimis multi ſint, nec ita doctrina inæquales, ut eædem exercitationes omnibus fructuoſæ eſſe non poſſint: alioquin ſingulis ſcholis ſuas Academias habere liceat. *Quotuplex Academia.*

6. Aſſiduitate Academicorum, & exercitationum fervore Academiæ fructus maxime continetur. Quare ſi qui ſæpius abeſſent, aut exercitationes per vices obire recuſarent; præſertim vero, qui propter immodeſtiam perturbationi aliis, aut offenſioni eſſent, dimittendi erunt. *Aſſiduitas, & exercitatio.*

7. Magiſtratus, qui in unaquaque Academia tertio quartove quoque menſe, pluribus Academicorum ſecretisque ſuffragiis eligentur, hi ferme erunt, Academiæ Rector, duo Conſiliarii, & unus Secretarius, quibus alii etiam addi poterunt, muneraque diſtribui pro Academicorum frequentia, loci conſuetudine, & Rectoris Collegii judicio. *Magiſtratus.*

8. Rector in Academia Theologorum plerumque ſit Theologus: quod ſi interdum ex Philoſophis eligendus videretur, ſit ſaltem Metaphyſicus. In Academia item Rhetorum, & Grammaticorum quando ex diverſis claſſibus conſtant, vel plerumque eligatur ex claſſe ſuperiore, vel alternis, ut Collegii Rector cenſuerit. Is autem eligendus, qui virtute, ingenio, & doctrina præſtet: cujus erit Academiam promovere, præire ceteris virtute ac diligentia, & actum aliquem ex præcipuis Academiæ vel initio, vel in fine Rectoratus habere. Poterit autem Rector Academiæ Theologorum interdum, ſi ſit Theologus, abſente Magiſtro Philoſophos defendentes dirigere, & argumentantium argumenta reſumere, & urgere. *Rector.*

Conſiliarii. 9. Conſiliarii erunt Rectori loco & honore proximi, ejusque abſentis vices primus Conſiliarius tenebit, priore etiam abſente ſecundus: eaque munera obibunt, quæ Moderator Academiæ per ſe, aut per Rectorem imponet.

Secretarius. 10. Secretarius libros omnes Academiæ diligenter ſervabit. Nomina Academicorum, eo ordine quo in Academiam recipiuntur, in libro ſcribet; in quem etiam ſeorſim nomina magiſtratuum cum eliguntur, & omnia Academiæ acta, non tacitis Academicorum, qui aliquid præſtiterint, nominibus, referet: Rhetorum etiam orationes, poëmata, & carmina, quæ affiguntur, à Moderatore ſelecta. Idem tempeſtive eos, ut ſe comparent, admonebit, quos à Moderatore cognoverit Academiæ exercitationes obituros, niſi in Academia Theologorum neceſſe videatur id fieri per Bidellum. In fine cujusque Academiæ publice pronuntiabit, quænam exercitationes, & à quibus habendæ ſint. Publice theſes, & in Rhetorica etiam problemata, vel ænigmata diſſolvenda mature proponet.

Conſultationes. 11. Ter aut quater in anno, videlicet poſt creationem Rectoris, conſultationes, vel omnium Academicorum, vel ſaltem magiſtratuum ſimul cum Moderatore habebuntur ad Academiam promovendam, eaque tollenda, quæ ejus progreſſum impedire videantur.

Regularum lectio. 12. Vel in his conſultationibus, vel ante creationem Rectoris, Academiæ regulæ legantur, quæ vel in tabella ſcriptæ ſint, vel in libro Academiæ; in quo etiam omnia deinceps Academicorum nomina ſcribenda erunt.

REGULÆ PRÆFECTI ACADEMIÆ.

1.

Ad pietatem promovendi. AD pietatem Academicos, non ſolum ad ſtudia, promoveat: quod virtutum exemplo, & privatis, cum tulerit occaſio, colloquiis præſtare poterit.

Regularum obſervatio. 2. Academiæ regulas diligenter ſervari curet, in primisque in Academicorum quotidianis exercitationibus aſſiduitatem ac diligentiam exigat.

3. Effi-

3. Efficiat ut omnes Academici variis exercitationum generibus, quantum fieri poteſt, per vices exerceantur. *Exercitatio.*

4. Nec receptas conſuetudines tollat, nec novas introducat ſine facultate Rectoris: nec quidquam faciat, quod alicujus momenti ſit, quod non cum ipſo communicet, & quæ præſcripta fuerint, diligenter exequatur. *Nil ſine Superiore innovandum.*

5. Horas Academiæ, repetitionum ſcilicet, diſputationum, & ſimilium, ita diſpenſet, ut horas Congregationis non impediant, quo Academici commode poſſint utrisque exercitationibus intereſſe: quam etiam ob rem nullus erit ſine magna cauſſa Congregationis tempore privatis colloquiis detinendus. *Academiæ tempus.*

REGULÆ ACADEMIÆ THEOLOGORUM, ET PHILOSOPHORUM.

1.

HUjus Academiæ exercitationes quatuor fere generum eſſe ſolent. Quotidianæ prælectionum repetitiones, diſputationes, prælectiones, ſeu problemata, ſolemniores actus, quibus concluſiones publice defendantur. *Quæ exercitationes.*

2. Repetitiones per horam circiter ſingulis fient, quibus ſcholæ habentur, diebus, iis exceptis, qui menſtrua diſputatione impediuntur. Eæ vero fient hora, quæ commodiſſima videbitur, modo in Quadrageſima liberum concionis tempus, ſaltem bis in hebdomada, relinquatur. *Repetitiones.*

3. Repetent ſeorſim ſingulæ claſſes, una Theologiæ, & tres Philoſophiæ, ſi totidem ſint Præceptores, uno aut altero Academicorum audita recolente; uno etiam, aut altero argumentantibus. Ac Theologiæ quidem repetitionibus præerit ipſe Præfectus Academiæ, aut ejus Socius, aut certe alius ex provectioribus quarti fere anni Theologus, à Rectore Collegii conſtitutus: Philoſophiæ vero repetitionibus in ſingulis claſſibus aliquis item præerit ex noſtris fere Theologus, quem idem Rector deſignaverit. *Repetitionum forma.*

4. Diſpu-

Diſputationum forma. 4. Diſputationes erunt aut ſemel, ubi pauci ſunt academici, aut ubi ſunt multi, bis in hebdomada, ſcilicet die vacationis, aut etiam Dominico. Ac die quidem Dominico à prandio per horam unus ut plurimum ex Philoſophis defendet duobus argumentantibus: die vero vacationis per duas horas duo tresve defendent, unus Theologus, alii Philoſophi; totidem ſimiliter, aut pluribus argumentantibus.

Concluſiones. 5. Theologus ſi ſolus defendat, concluſiones ſemper aliquas philoſophicas proponet; Metaphyſicus phyſicas, & logicas; Phyſicus etiam logicas. Argumentabuntur contra Theologos Theologi, contra Philoſophos primo loco ſemper aliquis ex claſſe proxime ſuperiore, ſecundo unus ex condiſcipulis.

Diſputationibus quis præſideat. 6. Diſputationibus tam philoſophicis, quam Theologicis, ſi interſit proprius defendentis Magiſter, ipſius erit præſidere: ſin minus, præſidebit Præfectus Academiæ, aut ejus ſocius.

Prælectiones. 7. Prælectiones etiam interdum haberi poterunt, quibus quæſtionem aliquam ſuo marte perfectam, vel ingenioſum problema, expoſitis in utramque partem, confirmatisque rationibus, aliquis Academicorum ex cathedra erudite pertractet, uno aut altero argumentante. Hujusmodi autem prælectiones neceſſe erit Præfecto Academiæ, priusquam habeantur, oſtendi, ac probari.

Actus. 8. Solemniores actus ipſe Academiæ Rector, niſi quid obſtet, aut alius à Præfecto delectus interdum habere poterit, Natalis videlicet, Paſchatis, Pentecoſtes, aut alio opportuno tempore: quibus actibus certam aliquam Theologiæ aut Philoſophiæ materiam aliquibus concluſionibus comprehenſam defendet, Magiſtro præſidente.

Actuum celebritas. 9. Hi actus ut cum aliquo apparatu fiant, curandum: adhibeatur autem à defendente præfatio aliqua, & epilogus, quæ prius ſint, ut cetera quæ publice recitantur, à generali ſtudiorum Præfecto recognita, & approbata. Externi etiam ad argumentandum, aliique poterunt ad audiendum, quo diſputatio celebrior ſit, invitari.

Introductio. 10. Vno circiter ante ſtudiorum renovationem menſe, ſi Rectori videatur, per quindecim minimum dies, iis, qui Philoſophiam audituri ſunt, introductio vel Summa ab aliquo ex noſtris, quem Rector, vel forte ex Academicis, quem Præfectus ſtatuerit, explicetur.

11. Con-

11. Concluſiones omnes tam ſolemniorum actuum, quam etiam hebdomadariæ priusquam defendantur, aut affigantur, erunt & à Præfecto Academiæ, & à proprio defendentis Magiſtro recognoſcendæ. *Concluſiones recognoſcendæ.*

REGVLÆ PRÆFECTI ACADEMIÆ THEOLOGORVM, ET PHILOSOPHORVM.

1.

PRæter communia quæ de Præfecto in univerſum dicta ſunt in regulis Academiæ; illud etiam animadvertat, ut in quotidianis repetitionibus eadem repetendi, & argumentandi, eadem diſputandi forma, modusque ſervetur, quem noſtri in domeſticis repetitionibus tenent: in actibus vero, & aliis concluſionibus defendendis conſueta ratio teneatur. *Exercitationum forma.*

2. Viſitet proinde ſæpe repetitiones nunc has, nunc illas; videatque ut diligenter, ac modeſte fiant, & ut repetitores recte ſuo officio fungantur, quos etiam, ut oportuerit, diriget. *Viſitandæ repetitiones.*

3. Non erit abs re eos exerceri ſæpius quam alios, qui proxime ſunt curſum Philoſophiæ, vel Theologiæ defenſuri, vel aliquem Academiæ actum habituri: quos etiam ad hunc finem ut inſtructiores ſint, monebit, & diriget. *Qui magis exercendi.*

4. Cum ſocio, ſi à Rectore dabitur, ita poterit curam laboremque partiri, ut ei, niſi quid obſtet, Theologiæ repetitiones committat; & cum eo, ſi videbitur, alternis, diebus præſertim vacationis, diſputationibus præſideat: ceteraque per eum ad quotidianas concluſiones, & extraordinarios actus ſpectantia, prout neceſſe judicaverit, exequatur. *De ſocio.*

REGVLÆ ACADEMIÆ RHETORVM, ET HVMANISTARVM.

I.

Academiæ dies. Diebus Dominicis, vel ubi commodius erit, die vacationis, conveniant loco à Rectore Collegii deſignato.

Quæ exercitationes Moderatori habendæ. 2. Exercitationes hujus Academiæ hæ fere erunt: Moderator, prout opportunum judicaverit, nunc lectiones, ſeu quæſtiones habebit de ſelecta aliqua materia, vel auctore; nunc præcepta aliqua dicendi magis recondita ex Ariſtotele, Cicerone, aliiſve Rhetoribus tradet; nunc aliquem auctorem percurret, & ab Academicis exiget; nunc iiſdem problemata ſolvenda proponet, & alia hujuſmodi.

Quæ Academicis. 3. Sæpe etiam, his omiſſis, Academici ipſi nunc orationes, nunc carmina, nunc declamationes habeant, vel memoriter, vel ex tempore; nunc invicem accuſationes, & defenſiones ipſo probante inſtituant; nunc lectiones habeant duobus minimum adverſus lectorem diſputantibus; nunc Theſes defendant, oppugnentque oratorio magis more, quam dialectico; nunc emblemata, & inſignia de certa aliqua materia componant; nunc inſcriptiones, aut deſcriptiones, nunc ænigmata faciant, aut diſſoluant; nunc in inventione ſe exerceant ſinguli, ad propoſitam materiam confirmationis locos excogitantes, ſive improviſo, ſeu meditato; nunc in elocutione figuras verborum, ac ſententiarum inventæ rei accommodantes; nunc dialogorum, poëmatum, tragœdiarum argumenta conſcribant; nunc integram præclari Oratoris orationem, aut Poëtæ Carmen imitentur; nunc ſymbola quædam faciant, ut ſcilicet de una re propoſita ſinguli ſuam ſententiam afferant; nunc diſtributis alicujus auctoris libris ſinguli ex eo ſententias, vel phraſes decerptas proferant. Denique in iis ſe exerceant, quæ eloquentiam gignere, & ab ea enaſci ſolent.

Publicæ exercitationes. 4. Harum exercitationum aliquas ſplendidiores, ut prælectiones, declamationes, theſium defenſiones, operæpretium eſt, præſertim à Rectore

Acade-

Academiæ, fieri cum apparatu interdum aliquo, & honorariorum auditorum corona.

5. Privata interdum præmia melius aliquid ſcribentibus, aut recitantibus, aut ænigmata, problemataque ſolventibus dari poterunt. *Præmia privata.*

6. Præmia item ſolemniora omnibus ſimul Academicis ſemel in anno diſtribui poterunt, ſive ex contributione, ſive qua magis ratione Rectori Collegii placebit. *Præmia publica.*

7. Semel ſaltem in anno feſtus aliquis Beatæ Virginis dies, quem Collegii Rector conſtituet, celebri pompa orationis, poëmatis, verſuum ad parietes affixorum, emblematum item, & inſignium variorum exornabitur. *Feſtus Beatæ Virginis dies.*

REGULÆ
ACADEMIÆ
GRAMMATICORUM.

I.

PLerumque Moderator aliquid ſelectum ex Grammatica quaſi præcurrens, quod in ſchola ſunt habituri, vel ex auctore eleganti & jucundo præleget, vel etiam repetitionem inſtituet, exercitationemque eorum, quæ in ſchola expoſita ſunt. *Grammaticæ exercitatio.*

2. Initio Academiæ ſemper unus paratus veniet ad reſpondendum de iis, quæ proxima Academia dicta fuerint; adverſus quem terni, aut plures dubitationes, aut vernaculas locutiones Latine vertendas proponere poterunt, eodemque modo prælectionem à Moderatore habitam ſtatim recolent. *Repetitio.*

3. Frequenter & acriter diſputabitur, exercebitur interdum ſtylus, interdum memoria, variabuntur phraſes, aliquid etiam ex verſibus & Græca Grammatica proponetur, & alia fient hujuſmodi ex præſcripto Moderatoris. *Diſputatio.*

4. Aliqui interdum, aut etiam omnes, parati venient ad aliquod apophthegma breve, vel factum aliquod memoriter enarrandum. *Memoria.*

5. Prælectiones ipſas in ſchola habitas à Præceptore, addita præfatiuncula, & aliqua, ſi videbitur, annotatione è ſuggeſtu interdum dicent. *Prælectiones privatæ.*

6. Operæ pretium erit haberi interdum aliquas prælectiones ab Academicis, præſertim à Rectore, apparatu invitatuque majore, addita concertatione duorum aut trium, privatis etiam præmiis, ſi libeat, diſtributis. *Publicæ.*

Pœnæ litteraria. 7. Poterit à Moderatore pœnæ loco aliquid litterarium exigi; juberique, ut eorum nomina, qui minus bene, aut diligenter ſe geſſerint, publice recitentur.

8. Eæ denique exercitationes proponi & variari debent, quæ ita utilitatem habeant adjunctam, ut gratæ etiam & decoræ ſint, quo magis ea voluptate Academicorum animi ad ſtudia incitentur.

ORDINATIO PRO STVDIIS SVPERIORIBVS.

Ex Deputatione, quæ de illis habita eſt in Congregatione nona Generali.

A. R. P. N.

FRANCISCO PICCOLOMINEO

Ad Provincias Miſſa Anno M.DC.LI.

Etſi ſummæ ſemper curæ Societati fuerit ſodalitas & uniformitas doctrinæ, methodusque ordinata illam tradendi in ſcholis, eaque laude Profeſſores noſtri ut plurimum excelluerint magno Eccleſiæ & Reipublicæ Chriſtianæ bono; nihilominus non defuerunt querelæ graves ex variis Provinciis, de aliquibus Magiſtris, tam Philoſophiæ, quam Theologiæ, tum in octava, tum in nona Congregatione Generali. Et primo quidem, quod invertերent ordinem præſcriptum in Ratione Studiorum: Metaphyſica & Animaſtica tractantes in Logica; Theologica in Philoſophia, Philoſophica in Theologia, & in hac miſcerent ſæpe quæſtiones aſſignatas uni anno materiis alterius, permagno incommodo auditorum. Secundo quod non raro ſepoſitis utilioribus & ſolidioribus quæſtionibus, toti eſſent in perſequendis minutiis vaniſſimarum ſubtilitatum, nulli prope uſui in Eccleſia Dei poſtea futuris. Tertio quod nimiæ libertati opinandi indulgentes ſectarentur paſſim, aut etiam producerent ſententias novas, vel certe obſoletas, antiquataſque revocarent e tenebris ad noſtras ſcholas. 2. Hæc

2. Hæc & his ſimilia magno ſenſu ubi Provinciarum aliquot nomine Conventui Generali poſtremo fuiſſent expoſita, commota eſt non leviter Congregatio; timensque ne malum ex paucorum culpa ortum latius ſerperet, ſtatim omnibus viribus occurrendum cenſuit. Quare cum juſſiſſet deputari de ſuo corpore quosdam Patres ex variis Aſſiſtentiis, in re literaria & docendi munere diu multumque exercitatos, qui, quæ proponebantur circa ſtudia in Societate, expenderent; injunxit iisdem, ut radices querelarum harum accurate inſpicerent, & remedia opportuna ſuggererent. Quod cum illi exquiſita plane diligentia præſtitiſſent, Congregatio auditis approbatisque illorum judiciis, prout cernere eſt in decretis 23. & 31. impreſſis; commiſit mihi, ut remedia, quæ ſuggeſſerant, executioni mandarem, & vigilantiam Provincialium ac Rectorum ad hoc ipſum excitarem.

3. Cenſuerunt igitur memorati Patres, primis incommodis, ex perturbato ordine docendi & inutilibus quæſtionibus, ſatis proviſum eſſe, & iri, ſi obſerventur, diligenter, quæ præſcripta ſunt in Ratione ſtudiorum: & quidem, quod ad Philoſophiam attinet, ſi accurentur, quæ ſtatuuntur in Regulis, tum Præfecti ſtudiorum, tum Profeſſoris Philoſophiæ. Secuturum nempe inde, ut Logicus tractet materias illas, quas tradit Prophyrius in ſua Iſagoge, & Ariſtoteles in Prædicamentis, in libris de Interpretatione, Priorum & poſteriorum, cum cautionibus in Ratione ſtudiorum expreſſis; ut Phyſicus explicet eas, quas Ariſtoteles in octo libris Phyſicorum, in libris de Cœlo, in Meteorologicis, & primo libro de Generatione; denique ut Metaphyſicus eas, quas in ſecundo libro de Generatione, in libris de anima & Metaphyſicorum diſputat Ariſtoteles, cum ſimilibus cautionibus. Attendat itaque ad hæc Præfectus Studiorum, nec ſinat iſtas quæſtiones prætermitti vel earum locum occupari ab aliis, quas Ariſtoteles non attingit, vel neceſſariam cum iis non habent connexionem, nec continentur ſub objecto cuilibet parti Philoſophiæ propoſito.

4. Atque ut expreſſius aliquid indicetur, & ſatisfiat poſtulato unius Provinciæ, quæ hæc optabat enucleatius declarari: Præfectus Studiorum non ſinat omitti in Logica uberem de modo & regulis definiendi, dividendi, argumentandi tractationem; de converſione, oppoſitione propoſitionum; de argumentatione & ſyllogiſmo: ita ut diſcipuli noſtri plenam habeant notitiam de infallibilitate Conſequentiarum formalium. Curet etiam omnino ut explicentur ea, quæ de perfecta demonſtratione tradit Ariſtote-

les in libris Poſteriorum, tum de Scientia, prout eſt in Ratione Studiorum. E contrario, non permittat Profeſſores immorari in diſputatione de Ente Rationis, niſi pauciſſimis diebus, adeo ut tridui vel quatridui circiter ſpatium non excedant. Non diſputent etiam de Diſtinctione virtuali in Divinis, vel de præciſionibus Objectivis Divinarum perfectionum: ſed ſupponant ex Theologia, quod de his quæſtionibus ſentiendum eſt. Tractatum de ſignis mentalibus remittant ad libros de anima; & potiſſimum illud: Quid ſit verbum mentis, & Quæ cognitio poſſit eſſe in ſe ipſam reflexa, & ſe ipſam repræſentare vel adæquate, vel inadæquate. De relationibus item Divinis, ſine ulla diſcuſſione ſupponant ex fide, vel ex Theologia, ſi quid neceſſe videbitur, dum agunt de Prædicamento Relationis. In prædicamento vero Subſtantiæ, de Subſtantia vel ente ſupernaturali nihil dicant. Dum tractant de futuris Contingentibus, nullo modo ingrediantur diſputationem de ſcientia Media, nec de modo, quo Deus cognoſcit futura, ſeu abſoluta, ſeu conditionata, ſed ſupponant, quod fides & Theologia docent. In fine denique Logicæ, dum tradunt tractatum de Scientia, nihil ſpeciale dicant de fide Divina; ſed totam illam quæſtionem remittant ad Theologos. Idemque dicendum de ſimilibus a ſcopo Logicorum alienis.

5. In Phyſica ſecundo anno curet idem Præfectus, ut Ariſtotelicæ definitiones Principiorum, cauſarum, Naturæ, Motus, Continui, infiniti & ſimiles, accurate explicentur, ut juxta ejusdem Ariſtotelis ordinem de iisdem rebus ea diſputentur, quorum ſcientia ad naturalem Philoſophiam proprie ſpectat. In libris de Cœlo, naturam, & qualitates, & influxum cœlorum in ſublunaria ne prætermittant. In primo de Generatione ea, quæ tradit Ariſtoteles de Generatione & Corruptione, de Alteratione & Actione ſimilis in ſimile, de Reactione aliaque ejusmodi accurate diſcutiant. Caveant autem, ne occaſione agendi de Principiis & Cauſis, ingrediantur diſputationem de Principiis & Proceſſionibus divinis; multo vero magis abſtinendum tum hic, tum alibi a diſputatione de Actibus liberis Dei. Nihil autem dicant de materia ſpirituali, aut de compoſito ex ea. Dum agunt de concurſu Cauſæ primæ, poterunt quidem diſputare de Prædeterminatione Phyſica, ſed per principia tantum naturalia; non examinando, ſed ſupponendo principia Theologica. Ideo in materiam de Auxiliis, aut Gratia effi-

caci ne excurrant. Nihil item ex Profeſſo hic agant de Potentia obedientiali, aut de virtute principali creandi, num communicari poſſit alicui creaturæ; nec de æternitate Dei diſceptent, ubi de duratione creata agendum. In libris de Cælo prætereant Quæſtiones, quæ de opere ſex dierum ad Theologum aut S. Scripturæ interpretem ſpectant. In libris de Generatione, ad quæſtionem de converſione Euchariſtica, aut augmento intenſivo caritatis ne divertant.

6. Tertio anno idem Præfectus diligenter det operam, ut in libro ſecundo de Generatione Profeſſores tractent de natura Elementorum, de primis qualitatibus earumque ſeu deſcriptionibus ſeu definitionibus ab Ariſtotele traditis. De motu etiam & qualitatibus motricibus, de eorum mixtione & rarefactione (niſi jam antea hoc egerint) & ſimilibus. In libris vero de anima, diſputent de vivente & vita; de anima ejusque potentiis & operationibus; ſpeciebus ejusdem, vegetativa, ſenſitiva, & accuratiſſime de rationali. In Metaphyſica denique de ente & proprietatibus entis; de natura ſubſtantiæ & Accidentis; de ſubſiſtentia aliisque ſimilibus. De Deo quoque agere poterunt, quoad lumine naturali cognoſci valet. Curet vero, ne ad ea tractanda digrediantur, quæ Theologici Inſtituti ſunt propria. Quare in libris de anima non ad materiam de ſpecie Dei, ſive impreſſa, ſive expreſſa, aut de miraculoſa mortuorum reſuscitatione, nec in Metaphyſica ad diſputationem de Subſiſtentia increata, aliasque ſimiles divertere ſinantur.

7. In Theologia porro, ut reſecentur quæſtiones inutiles & profuturæ ordinatius tradantur; obſervent diligenter Profeſſores, quod dictum eſt de Philoſophis; ut materias percurrant ſingulorum annorum proprias, hoc eſt, tractatas a D. Thoma in ea parte, quæ cuique anno aſſignatur: id enim ſi fideliter præſtiterint, non multum temporis ſupererit ad quæſtiones inutiles agitandas. Illud vero etiam enitantur omnes, ut quæſtiones, quas tractant, connectant cum quæſtionibus S. Thomæ, & auditoribus ſignificent, quo quicquid pertineat; ut appareat ea quæ diſputant, eſſe velut commentarium textui S. Thomæ reſpondentem; atque hoc agere ipſos, non ut nova & incognita prius diſci-

diſcipulis proponant, ſed ut elucident vetera; ut ſit additio potius doctrinæ ad doctrinam, quam ſucceſſio novæ in locum veteris jam ſepultæ. Quod enim poteſt eſſe operæ pretium, aut quæ laus, Scholaſticos habere novarum quidem Propoſitionum ſcientes, ſed antiquarum imperitos? Verum, ut hæc facilius aſſequamur, & quod præſtitum eſt in Philoſophicis, uberius & diſtinctius præſtetur in Theologicis, quæ ſunt multo majoris momenti, ſubjicietur hic index variarum quæſtionum, juxta ordinem Summæ Angelici Doctoris, quas Magiſtri, omiſſis extraordinariis & inſolitis, tractare cum laude poſſunt, & maxima ex parte etiam debent.

Ex prima parte.

Quæſt. 2.

De exiſtentia Dei.

3. vel 13. De diſtinctione Attributorum inter ſe, & ab eſſentia.

8. De exiſtentia in ſpatiis.

12. De viſione Dei per ſpeciem creatam, oculos corporales, vires naturales: De lumine gloriæ. Melior intellectus an melius videat, cæteris paribus. An videri poſſint creaturæ ex vi viſionis. An omnes. Quæ videantur. Per quid hæ magis, quam illæ.

14. De cognitione futurorum contingentium, conditionalium &c. De Scientia Media ante omne Decretum.

19. De actibus liberis.

22. 23. De providentia; de prædeſtinatione, electione, reprobatione ex meritis, de actuum præfinitione.

27. Quæ proceſſio in divinis ſit generatio; & cur una magis, quam alia: quot proceſſiones ſint.

28. De diſtinctione relationum ab eſſentia: & an illam includant, vel includantur. Quot ſint in Divinis.

29. De ſubſiſtentia abſoluta. An detur in Deo.

32. De notionibus. Quæ & quot ſint.

34. De proceſſione Verbi ex cognitione omnium perſonarum, rerum poſſibilium, futurarum.

40. 42. De conſtitutione & diſtinctione perſonarum per relationes: an Relatio dicat perfectionem.

43. De miſſione Perſonarum.

50. De Incorporeitate, numero Angelorum. An omnes ſpecie differant. An neceſſario.

51. De aſſumtione corporum.

52. An unus poſſit eſſe in pluribus locis. An plures in uno. Per quid ſint in loco.

53. An poſſint in inſtanti moveri. An neceſſario tranſeunt per medium.

55. De ſpeciebus intelligibilibus. An concreatæ an acceptæ à rebus. An univerſaliores in Superioribus.

56. 57. An ſe ipſos cognoſcant. An alios Angelos & quomodo. An futura. An cogitationes cordium.

58. An multa ſimul intelligant. An diſcurrendo. An componendo.

62. An creati ſint cum beatitudine. An in gratia. An ſe ad illam diſpoſuerint. An per unum actum meritorium boni pervenerint ad beatitudinem.

63. Quod fuerit peccatum Angelorum. An in primo inſtanti creationis potuerint peccare. De mora inter creationem & lapſum. De obſtinatione Dæmonum. Vnde proveniat.

64. Quomodo crucientur ab igne.

107. De locutione Angelorum. Quomodo fiat.

Ex prima Secundæ.

Quæſt. 3.

De beatitudine. An ſit operatio intellectus, an voluntatis.

4. Delectatio in Patria; an ſit immmediate de Deo, an de viſione.

5. Perpetuitas an ſit de ratione beatitudinis, de appetitu innato ejusdem.

6. Quid voluntarium. Idemne cum libero Eventus ex omiſſione quando voluntarii. De metu, concupiſcentia, ingnorantia. An cauſent involuntarium.

7. De circumſtantiis.

18. Quid ſit actus humanus, quid bonitas & honeſtas illius. Sumaturne ex objecto, circumſtantiis, fine. Bonum & malum an conſtituant ſpeciem in moralibus. De actu indifferente ſecundum ſpeciem & individuum. Quando circumſtantiæ dent ſpeciem.

19. An idem actus interior fieri poſſit de bono malus, &c. De opinione probabili. An liceat ſequi eam rejecta probabiliore, quando, quibus. De conſcientia dubia, quid tunc agendum. An in eo caſu melior ſit conditio poſſidentis in omnibus materiis. De conſcientia erronea. An obliget. Electio an omnem bonitatem & malitiam habeat à fine. Voluntas unius finis an accipiat bonitatem à voluntate imperante alterius finis.

20. De actu exteriori. An habeat propriam bonitatem.

71. An detur pura omiſſio. Actus cauſans omiſſionem, quando peccatum. Sitne tunc commiſſionis an omiſſionis. Omiſſio quando imputetur. De definitione peccati, *dictum, factum* &c. Quid ſit formale in peccato, ut malum eſt.

72. De diſtinctione ſpecifica peccatorum ex Objecto, Virtutibus, quibus opponuntur, &c.

74. De delectatione moroſa.

97. An Deus ſit cauſa peccati, an prædeterminet ad actum illius, quid ſit.

81. De peccato originali, An traducatur ab Adam in poſteros, quid ſit.

86. An peccatum mortale relinquat maculam, quid illa ſit.

87. An pœna damni in omnibus damnatis ſit æqualis.

88. De peccato mortali & veniali. Quomodo diſtinguantur.

89. An peccatum Veniale relinquat maculam.

109. An ſine gratia poſſimus cognoſcere verum, facere bonum opus morale, Deum ſuper omnia diligere, ſervare omnia præcepta, præparare nos ad gratiam, vincere tentationes. An juſti egeant auxilio ad bene operandum & vitandum peccatum, ad perſeverandum. Quid in ſtatu naturæ integræ. An in ſtatu puræ naturæ fuiſſet neceſſarium gratiæ auxilium.

110. An gratia diſtinguatur à virtutibus infuſis, in quo ſubjecto ſit.

111. De diviſionibus gratiæ in gratis datum & gratum facientem: operantem & cooperantem: prævenientem & ſubſequentem: efficacem & ſufficientem. An hæ diſtinguantur tantum per effectus. An efficax prædeterminet. De concordia illius cum libertate.

113. An

113. An juſtificatio fiat per formam inhærentem. Sitne habitus; an actus ſufficiat. An implicet ſimul eſſe cum peccato. An ſine illa, peccatum poſſit remitti.

114. An poſſimus nobis aliquid mereri à Deo. An ex juſtitia. An de condigno vitam æternam quæ conditiones requirantur. An quæcumque bona opera juſti ſufficiant. An ultima diſpoſitio ad gratiam hoc habeat. An prima gratia cadat ſub meritum, ſaltem de congruo; an finalis perſeverantia.

Ex ſecunda Secundæ.

Quæſt. I.

Quid ſit objectum materiale fidei, & quid formale. An veritas prima tantum. An etiam revelatio. Et hæc an communis, & publica, an etiam privata. An ſolum immediata; an etiam mediata; & quæ. An propoſitio Eccleſiæ huc pertineat. In quid tandem reſolvatur fides. An fidei poſſit ſubeſſe falſum. An objectum fidei poſſit eſſe viſum in ſe, vel in atteſtante. An ſcitum. An debeat eſſe evidenter credibile.

2. An actus fidei poſſit eſſe diſcurſivus. An requirat actum voluntatis, à quo imperetur. An fuerit, vel ſit neceſſarius neceſſitate medii, & quorum objectorum. An ſit neceſſitate præcepti, & quarum rerum. An idem actus ſit ſupernaturalis. An voluntas imperans. An judicium antecedens credibilitatis.

3. De præcepto non negandi fidem, & illam confitendi, & quando obliget. De uſu veſtium, ciborum & aliorum, quæ ſunt propria infidelium. An liceat adire templa hæreticorum, eorumque ritibus intereſſe.

4. Quid ſit fides. Antecedatne aliquando Caritatem & Gratiam. De certitudine fidei comparative ad alios habitus.

5. An in Dæmonibus ſit fides. An in hæreticis errantibus in uno articulo.

10. 11. De ſpeciebus infidelitatis. Quid ſit hæreſis, & quæ ad illam requirantur. Quæ ſit hæretica propoſitio, & de aliis propoſitionum cenſuris.

17. 18. Quid ſit objectum formale & materiale ſpei. An ſpes ſit in Beatis.

23. 24. An caritas ſit amicitia. Quomodo diſtinguatur amor naturalis, & ſupernaturalis Dei. An Caritas augeatur in habente ipſam. Per quos actus. An per ſolos intenſiores. An per ſolos actus caritatis. An per continuationem actus. De corruptione fraterna, ſcandalo, bello, ſi, prout per tempus licuerit.

58. Quid ſit Iuſtitia, quid Jus. De Iuſtitia legali & particulari. Circa quam materiam hæc verſetur. An circa paſſiones vel operationes. An medium illius ſit medium rei. De actu juſtitiæ, quid eſt ſuum cuique reddere. De Dominio. Quibus & in quæ competat. De modis illud acquirendi. De uſufructu, uſu, &c.

65. Quid ſit injuria. Et an quis poſſit pati injuriam volens.

6 . De judicio temerario. An & quando ſit peccatum mortale.

61. De diſtinctione juſtitiæ diſtributivæ & commutativæ. De medio earum, materia, &c.

62. De reſtitutione. Cujus virtutis ſit actus. De capitibus, ex quibus oritur reſtituendi obligatio. Obligatio ex re accepta ad quid ſe extendat. Res bona fide empta an poſſit reddi furi ad pretium recuperandum. De inventis quomodo reſtituenda. Ad quos fructus reſtituendos teneatur bonæ fidei vel dubiæ poſſeſſor. An Dominus teneatur de damno dato à ſervis ſuis vel animalibus ſine illius culpa. Qualis culpa ſufficiat, ut quis teneatur reſtituere ex injuſta acceptione, & damno dato extra officium & contractum, vel in officio & conſilio dando, vel intercedente contractu depoſiti, commodati. De reſtitutione ex injuſto impedimento boni alieni: de reſtitutione incertorum. De cooperatoribus ad damnum. An omnes teneantur in ſolidum. Quo ordine. An acceptio ob turpem cauſam obliget ad reſtitutionem. An res reſtituenda ſit ſecundum ſummum pretium. Quando reſtituendum ſit: ubi, quo ordine.

63. An & quale peccatum ſit acceptio perſonarum in diſtribuendis beneficiis & officiis minus dignis.

64. An liceat occidere hominem pro defenſione ſuæ vitæ, honoris, bonorum. Cui facienda ſit reſtitutio pro homicidio injuſto vel damno ex illo conſecuto.

66. De quantitate requiſita ad peccatum, mortale furti. De furtis minutis, quæ fiunt ab eodem diverſis perſonis vel eidem à pluribus. De furtis Domeſticorum; uxoris, filiorum, famulorum, ſartorum &c. An ſit licita compenſatio, facta propria auctoritate pro eo, quod debetur.

74. Quæ detractio ſit peccatum mortale. An audiens peccet.

Ex tertia parte.

Quæſt. 1.

An Chriſti opera fuerint infiniti valoris, & ſatisfecerint ex rigore juſtitiæ. An purus homo poſſit ſatisfacere pro peccato ſuo vel alieno mortali. An pro veniali. An Chriſtus incarnatus fuiſſet, ſi Adam non peccaſſet.

2. De unione. An ſit facta in natura, vel perſona, quid illa ſit. An Chriſtus ſuam incarnationem mereri potuerit. An juſti ante Chriſtum vel incarnationem, vel accelerationem. An B. Virgo Maternitatem.

3. An plures perſonæ eandem numero naturam poſſint aſſumere. An una perſona plures naturas. An perſona creata poſſit uniri hypoſtatice alteri naturæ.

4. An potuerit aſſumi à Verbo natura habens propriam perſonalitatem.

8. De ſcientia infuſa. Quis habitus ſit. An per illam videantur omnia poſſibilia. An omnia futura.

10. De impeccabilitate Chriſti, & unde illa ſit.

18. De concordia impeccabilitatis cum libertate Chriſti.

23. An Chriſtus, in quantum homo, poſſit dici filius adoptivus.

25. De adoratione Chriſti, crucis, imaginum, &c.

60. Quid ſit Sacramentum. An Sacramenta novæ legis conſtent rebus, & verbis determinatis. An mutentur validè vel licitè.

62. An cauſent gratiam. An phyſicè an moraliter. An gratia Sacramentalis addat ad gratiam virtutum. An Sacramenta legis veteris gratiam cauſarint.

63. De Charactere, quid ſit. An delebilis. quæ Sacramenta imprimant.

64. 66. De intentione Miniſtri & Suſcipientis; de Martyrio. Quando conferat gratiam. An ex opere operato. Quam diſpoſitionem requirat.

73. An Euchariſtia ſit Sacramentum. In quibus conſiſtat. An ſit unum, vel plura. An neceſſarium neceſſitate medii.

74. Quæ ſit materia Euchariſtiæ. In qua quantitate. Quomodo debeat eſſe præſens. An aqua vertatur immediatè in Sanguinem.

75. An Chriſtus ſit in hoc Sacramento realiter. Quid ſit hæc præſentia. An maneat ſubſtantia panis & vini. An annihiletur. An panis & vinum convertatur in corpus Chriſti. An id colligatur ex verbis conſecrationis. In quo ſita ſit hæc converſio. An reproducatur in illa corpus Chriſti. An accidentia maneant.

76. An totus Chriſtus ſit ſub utraque ſpecie & ejus partibus. quæ ſint ex vi verborum, quæ per concomitantiam. An Chriſtus moveatur ad motum ſpecierum, & quomodo hoc fiat.

77. An maneant accidentia ſine ſubjecto. An acquirant novum modum. An detur in illa actio Chriſti ſuſtentans. Quomodo ex iis aliquid generetur.

78. De forma Sacramentali Euchariſtiæ. Quæ verba ſint eſſentialia. Quomodo intelligenda. An dicantur recitative, an enunciative.

79. An detur major gratia ſumenti duas ſpecies.

82. An plures Sacerdotes eandem hoſtiam poſſint conſecrare.

83. An in miſſa ſit ſacrificium. In qua actione conſiſtat. An requirat duas ſpecies. An habeat valorem infinitum. Quem effectum habeat.

84. An pœnitentia ſit Sacramentum. Quæ materia: quæ forma: quæ verba ſint neceſſaria. Quomodo intelligenda. An ſit neceſſarium neceſſitate medii.

85. An pœnitentia ſit virtus. Quod objectum habeat: quos actus. An ſit virtus ſpecialis.

86. An remiſſa culpa remittatur tota pœna.

87. De remiſſione venialium, per quos actus fiat. an per Sacramentalia. An requiratur gratiæ infuſio.

89. An merita reviviſcant. An peccator ſemper reſurgat in gratia æquali.

90. Quæ ſint partes pœnitentiæ, & cujuſmodi.

De Contritione. In quo formaliter ſit ſita. Quid ſit attritio. An dolor formalis ſit neceſſarius ad Sacramentum Pœnitentiæ. & quis dolor. An requiratur propoſitum formale. An poſſit dari Sacramentum informe ex defectu doloris.

De

De Confeſſione. An circumſtantiæ non mutantes ſpeciem neceſſario ſint explicandæ. Quomodo explicandus numerus peccatorum.

De Satisfactione. An & quomodo teneantur Pœnitentes implere pœnitentiam injunctam. An poſſit mutari. An habeat effectum ex opere operato.

De Miniſtro, Iurisdictione ordinaria & delegata, ſigillo.

De Ordine & Matrimonio prout per tempus licebit.

9. Materias igitur ſupra poſitas & ſingulis annis aſſignatas in Ratione Studiorum, tam Philoſophi, quam Theologi ſuo tempore pertractent; neque illas permiſceant: ita tamen, ut externarum Academiarum & conſuetudinum regionum, in quibus degitur, quatenus neceſſe eſt, ratio habeatur. Nec ad transgrediendum ordinem iſtum, vel diſcutiendas ſubtilitates inutiles, ſuffragari debebit noſtris exemplum Authorum aliquorum, qui ſua ſcripta mandarunt typis, & vel materias permiſcuerunt, vel in perſequendis minutiis immorati ſunt. Quidquid enim de illis ſit, ad docendum utiliter in ſcholis hæc ratio non eſt opportuna. Quocirca, exceptis illis quæſtionibus, in quibus Ariſtoteles, vel S. Thomas ejusce rei nobis exemplum dant, non occupentur noſtri facile in divinandis poſſibilitatibus, vel implicantiis rerum: ſed intenti in ea, quæ diſputant authores claſſici. Abſtineant à verſando rerum poſſibilium theſauro; eo quod periculum ſit, ne, dum ſcrutantur veritates nobis incompertas, chimæras & umbras amplectantur.

10. Quod attinet ad tertium incommodum ſupra tactum, de periculoſa quorundã Profeſſorum licentia in rejiciendis ſententiis jam receptis, & excogitandis opinionibus novis, atque à communi ſcholarum ſenſu alienis; cenſuerunt iidem PP. Deputati nihil efficacius decerni poſſe, quam quod definitum eſt à Congregatione 5. Decr. 41. & 56. & præſcribitur in Ratione Studiorum. Nominatim vero caveant Profeſſores Theologiæ, ne (quod ipſis prohibetur in laudato Decreto 41. Congregationis quintæ, & præterea Regula ipſorum quinta) receptas jam, quamvis congruentes tantum rationes, quibus res fidei probari ſolent, & multo minus teſtimonia S. Scripturæ eodem ſpectantia rejiciant aut refellant, nec temere novas excogitent.

11. Ad horum autem omnium accouratam obſervationem, advigilet inprimis Præfectus ſuperiorum Scholarum: ideoq; ſcripta, quæ in gymnaſiis traduntur, ſibi ſubinde oſtendi curet; & ſi quid peccetur, Superiorem tempeſtive admoneat. Theſes de opinionibus inutilibus, ſeu à communi ſcholarum

rum ſenſu abhorrentibus, vel etiam ſuo loco non traditis, publice proponi non ſinat, nec de iis noſtros, aut externos examinari. Quin etiam dum ſubibunt examen ſive noſtri, ſive externi, tam in Philoſophia, quam in Theologia; habeat ipſe penes ſe catalogum quæſtionum, ſeu materiarum, quæ in qualibet facultate, & quolibet anno tradi deberent; & de illis duntaxat examen inſtitui ſinat, ut conſtet, an magiſtri tradiderint, quæ tradere debuiſſent.

12. Verum, quia non raro controvertitur, quæ ſit, aut non ſit doctrina nova, & communi ſenſui ſcholarum ſeu doctorum contraria; unde naſcitur contentio inter Præfectum Studiorum, & Magiſtrum: ad tollendum hoc impedimentum, viſum eſt mihi de eorundem P P. Deputatorum conſilio ſtatuere ſequentia.

1. Contradicente Præfecto, cujus erit id cum debita cautela facere, & neſciis omnibus præter Rectorem juxta ipſius regulam 18. Magiſter ſtet Præfecti judicio, non proponendo, nec propugnando ſententiam, cui ille contradicit, donec Superiores, ad quos, & non ad alios deferenda res eſt, aliud decernant.

2. Perſtante Magiſtro in ſua ſententia, Rector inquirat judicium trium vel quatuor bene doctorum Patrum, idque ſingillatim & ſecreto: quorum ſi major pars putaverit, juſtam eſſe Præfecti contradictonem, efficiat Rector, ut Magiſter illius ſe judicio omnino ſubmittat: & è converſo, ſi illi doctrinam Magiſtri probaverint, nemo huic negotium faceſſat. Vt vero minime ſuſpectum ſit judicium iſtorum Patrum, eligantur, qui minime propenſi exiſtimantur eſſe ad novitates, ſed ad Præfectum & Magiſtrum æqualiter affecti. Quod ſi Rector tales ad manum non habeat, ad Provincialem recurrat, ut eo, quo dictum eſt, modo, tales aliquot Patres conſulat. Sin vero hoc non ſufficeret, nec poſſent ſententiæ ad concordiam revocari; Superiorum erit, in eos animadvertere, quorum culpa id acciderit. Ad eosdem etiam ſpectabit, ubi opus fuerit, novarum, & à communi ſenſu plane abhorrentium opinionum Doctores, ſi crebrius relabantur, & nimium tenaces ſint ſuæ ſententiæ, (prout ſæpe commendatum eſt, & præſcribitur à Congreg. 5. decr. 41.) amovere à munere docendi, ſubſtituto altero, qui fuerit ſententiarum probatarum amantior, & ad obſequendum in re, quâ tantopere ſibi cordi eſſe teſtatur Societas, propenſior.

13. Sed ad occurrendum adhuc efficacius prædicto incommodo, optarunt multi, ut texeretur Elenchus earum ſententiarum, quas præſtat non doceri in noſtris ſcholis. Verum quia fieri omnino nequit, ut ſingillatim recenſeantur omnes, ſubjiciemus hic ſaltem

aliquas

aliquas tam Philoſophicas, quam Theologicas, ex variis Provinciis huc tranſmiſſas, & pleraſque à diverſis Præpoſitis Generalibus pridem doceri vetitas in noſtris gymnaſiis; & nunc, juſſu poſtremæ congregationis Generalis à PP. Deputatis denuo examinatas. Subjiciemus autem, non quod doctrinam iis contentam qualificare ullo modo animus ſit; (id enim altioris ſubſellii eſt) ſed quia, quæcunque tandem iis ineſſe poſſit probabilitas, judicamus ad uniformitatem & ſoliditatem doctrinæ, toties in noſtris conſtitutionibus & Congregationum decretis commendatam, & ad fructum optatum è ſcholis noſtris referendum, omnino expedire, ut noſtri Profeſſores ab iis abſtineant; quamvis non ſit par omnium cauſa, neque omnes ſint æqualiter noſtris rationibus inopportunæ.

XIV.
Propoſitiones aliquot, quæ in ſcholis Societatis non ſunt docendæ.

Philoſophicæ.

1. Sive in Syllogiſmis detur medium majus, aut minus extremum ex natura rei, ſive non, ex mente Ariſtotelis illa conſtituuntur per ſitus locales, quos habebant, dum Ariſtoteles in tabella, aut charta pingebat terminos.

2. Genus poteſt immediate individuari à parte rei.

3. Relatio ſimilitudinis, paternitatis, &c. non eſt formaliter in rebus, aut in ſuo fundamento; ſed eſt aliquid rationis, aut mera intellectus comparatio.

4. Non datur proprie falſitas in materia impoſſibili, ac propterea non ſunt in ea propoſitiones immediate contradictoriæ: ut Deus eſt, Deus non eſt.

5. Non datur materia prima.

6. Materia non eſt cauſa, ſed mera conditio.

7. Similiter forma & finis, non ſunt veræ cauſæ rerum naturalium.

8. Materia prima poteſt naturaliter eſſe ſine omni forma.

9. Materia ad productionem formarum active concurrit.

10. Unio materiæ & formæ eſt vere natura.

11. Materia prima creatur ab agente naturali.

12. Poteſt dari creatura, quæ natura ſua habeat virtutem principalem creandi.

13. Creatio non eſt productio rei ex nihilo, ſed productio rei, quæ fit à ſolo Deo ſine conſortio alterius cauſæ efficientis.

14. Poteſt creatura aliqua elevari ad ſe ipſam prima vice producendam.

15. Idem poteſt eſſe cauſa ſuæ cauſæ in prima ſui productione, in genere cauſæ efficientis.

16. Effectus, recepta realitate ſeu eſſentia, à ſua cauſa, poteſt virtute ipſius eſſentiæ productæ in priori naturæ à cauſa producere ſibi exiſtentiam.

17. Poteſt aliquid ſubſtantiale, natura ſua incorruptibile, atque independens, à materia educi.

18. Elementa non componuntur ex materia & forma, ſed ex atomis.

19. Mixta, etiam corpora, excepto homine, non habent propriam formam ſubſtantialem, ſed pro varia atomorum mixtura & diſpoſitione, exhibent illas ſpecies, quas videmus, auri, marmoris, &c.

20. Poſſunt duæ formæ ultimæ, & non ſubordinatæ, eſſe naturaliter in eadem materia.

21. Valde difficulter poteſt ratione probari ſententia contraria ſententiæ Durandi, quod Deus immediate concurrit ad omnes effectus cauſarum ſecundarum, neque loca S. Scripturæ hoc convincunt.

Non uſurpanda eſt hæc propoſitio, niſi addendo, ſententiam communem contra Durandum ſufficienter probari apud intellectum bene diſpoſitum, & abſtinendo à refellendis receptis probationibus pro eadem communi ſententia, juxta Decr. 41. Congr. V.

22. Accidens naturaliter mutat ſubjectum inhæſionis.

23. Dubium eſt, an quantitas diſtinguatur à materia. Item an identificetur formis ſubſtantialibus quantitas & impenetrabilitas.

In hoc dubio P. Claudius jusſit affirmativam à noſtris docendam, & contrarium vetuit quoque P. Mutius.

24. Quantitas identificatur realiter cum ubi, quo ſubſtantia materialis conſtituitur in loco impenetrabiliter.

25. Continuum ſucceſſivum & intenſio qualitatum, ſolis indiviſibilibus conſtant.

26. Dantur puncta inflata, ex quibus continuum componatur.

Vtraque hæc eſt contra Regulam, & Ariſtotelem, & contra ordinationem P. Mutii ad diverſas Provincias miſſam.

27. Vnum

27. Vnum & idem punctum formaliter, & virtualiter indiviſibile, ratione velocitatis motus, poteſt eſſe in pluribus partibus ſpatii, uno & eodem momento, & ſic ratione intenſiſſimæ velocitatis occupare ſimul totum ſpatium, quod intercedit inter Romam, & Neapolim.

28. Poteſt dari creatura infinita in omni genere, excepta independentia, quæ unica reſtaret Deo propria: poteſt etiam dari intellectus infinitus, voluntas infinite perfecta, & conſequenter indefectibilis.

29. Poſſibilis eſt creatura perfectiſſima, qua perfectior creari à Deo non poſſit, item imperfectiſſima, qua nulla imperfectior à Deo poſſit creari.

30. Infinitum in multitudine, & magnitudine, poteſt claudi inter duas unitates, vel duo puncta.

31. Poteſt aſſignari dies aliquis in æternitate, ultra quem nullus alius futurus eſt: ſicut ſi mundus fuiſſet ab æterno, poſſet aſſignari primus dies, ante quem nullus alius fuiſſet.

32. Datur numerus maximus finitus, ſupra quem Deus nihil poteſt addere.

33. In continuo intercipiuntur vacua parva, pauciora vel plura, majora vel minora, pro raritate & denſitate ejusdem.

34. Res etiam materialis poteſt abſolvi ab omni reſpectu, ſive loci, ſive temporis, & formaliter & fundamentaliter.

35. Terra movetur motu diurno; planetæ, tanquam viventia, moventur ab intrinſeco. Firmamentum ſtat.

36. Motus Cælorum eſt omnino ab intrinſeco, & nullo modo ab Intelligentiis. Propoſitio adverſatur Ariſtoteli.

37. Elementa non transmutantur invicem, ſed unius particulæ in alio deliteſcunt incorruptæ: quarum ingreſſus, rarefactionis, & condenſationis eſt ratio.

38. Probabilius dicitur fieri generatio per novam conjunctionem corpuſculorum; etiam ſecundum mentem Ariſtotelis.

39. Duæ tantum ſunt qualitates primæ, calor & frigus: humor vero, & ſiccitas non ſunt qualitates.

40. Plures ſunt primæ qualitates ſenſibiles Elementorum, quam quatuor.

41. Gravitas & levitas non differunt ſpecie, ſed tantum ſecundum magis & minus.

42. Anima vegetativa poterit aliqua nutrire & augere ex nihilo.

43. Poteſt anima exiſtens in uno loco, vivificare corpus exiſtens actu, in alio loco.

44. Dantur in homine ſimul & permanenter tres animæ, realiter inter ſe diſtinctæ.

45. Vita intellectualis creata, nullo modo requirit actionem ullam phyſicam, atque ita intellectus non agit.

46. Bruta circa objecta particularia diſcurrunt vero & proprie dicto diſcurſu.

47. Nulla datur in ſenſibus externis ſpecies intentionalis; ſed ejus loco, verba gratia, datur in oculo extramiſſio radiorum viſualium.

48. Nullæ dantur ſpecies impreſſæ, ne intelligibiles quidem.

49. Immortalitas animæ non ſatis colligitur ex operationibus intellectus.

50. Probabilius eſt, non repugnare potentiam materialem cognoſcitivam rei ſpiritualis.

51. Poteſt eſſe ſubſtantia materialis, quæ & virtute cognoſcendi & loco ſe movendi, & quia ſit eſſentialiter completa, adæquet, imo excedat animam rationalem.

52. Poſſibilis eſt creatura, quæ habeat actum intellectus identificatum: item poſſibilis eſt creatura, quæ ſit ipſa ſpecies impreſſa rerum omnium poſſibilium.

53. Poſſibilis eſt anima ſpiritualis non intellectiva.

54. Subſtantia materialis poteſt eſſe cauſa adæquata principalis alicujus entis, & ſubſtantiæ ſpiritualis.

55. Etiamſi non eſſet in Deo libertas formaliter, poſſet adhuc talis præfectio communicata reperiri in creaturis.

56. Cauſa paſſiva vere influens, & producens formam, poteſt eſſe libera, etiamſi non influat efficienter.

57. Poſſibilis eſt potentia, quæ, quamvis ſit naturaliter incapax operandi libere, divinitus tamen elevata libere operetur.

58. Non apparet ſufficiens repugnantia in eo, quod poſſibilis ſit aliquis intellectus, qui & in objectis obſcure propoſitis poſſit independenter ab actu voluntatis ſe determinare vel ad aſſenſum, vel ad diſſenſum, & conſequenter qui ſit liber.

59. Na-

59. Naturaliter poteſt voluntas amare aliquod objectum, nulla prævia cognitione in intellectu.

60. Voluptas & dolor conſiſtit formaliter in cognitione objecti.

61. Subſtantia ſpiritualis poteſt habere partes intenſionis & extenſionis. Poteſt item de potentia abſoluta eſſe aliqua, quæ habeat partes integrantes. Nec ex fide poteſt perſuaderi animam non eſſe talem.

62. Poteſt forma ſubſtantialis etiam ſpiritualis eſſe corruptibilis.

63. Manu tangi poteſt ens poſſibile, etiam ſub ſtatu poſſibilitatis.

64. Poteſt dari actio in diſtans, virtute naturali.

65. Poſſunt fieri curationes vulnerum, vel morborum, per medicamenta applicata in diſtantia, ſeu per unguentum, quod vocatur armarium.

Theologicæ.

1. Leges humanæ, etiam Eccleſiæ, non habent vim obligandi ſub peccato mortali.

2. Omnia peccata luxuriæ contra naturam ſunt ejuſdem ſpeciei infimæ; ideoque ſatis eſt, ſi beſtialitatis, aut ſodomiæ, aut mollitiei reus confiteatur, ſe peccaſſe contra naturam.

3. Non repugnat potentia materialis adeo perfecta, ut elevata poſſit videre Deum.

4 Non repugnat libertas, amicitia & inimicitia Dei potentiæ alicui materiali.

5. Poſſibilis eſt, ſalva omnimoda libertate, quæ naturaliter competit creaturæ intellectuali, prædeſtinatio antecedens & abſoluta, qua prædeſtinato gloria intendatur ut corona, independenter omnino à ſcientia etiam conditionata.

6. Tam intellectu, quam voluntate poſſumus ſecundum legem ordinariam uno eodemque habitu, etiam infuſo, verſari circa rationes formales adæquate diverſas, hoc eſt, ſufficientes ad conſtitutionem unius per ſe virtutis.

7. Abſolute loquendo, poteſt Chriſtus peccando perdere unionem hypoſtaticam.

8. Verbum uniri poteſt diabolo: *ſub his terminis non proferenda.*

9. Non potuerunt Patres inferre unitatem ſuppoſiti in Chriſto, ex his propoſitionibus: *Chriſtus eſt filius Dei & filius hominis;* imo nec ex Scriptura hoc inferre potuere.

10. Perſona verbi, qua perſona verbi formaliter, plusquam denomina-

native ſubjiciebatur, quando Chriſtus Dominus pro noſtra redemptione operabatur.

11. Natura divina, etiam poſito, quod non ſit terminus ſubſiſtentialis, poteſt terminare naturam: & Angelus, qui non eſt forma, informare materiam.

12. Corpus Chriſti non habet quantitatem in Euchariſtia.

13. In Euchariſtia non remanent ſpecies reales accidentium, ſed tantum intentionales.

14. Cum quantitas non diſtinguatur à ſubſtantia, agentia naturalia non agunt in hoſtiam conſecratam, ſed ſolus Deus: unde calefactio, & transportatio ipſius eſt à ſolo Deo.

15. Corpus Chriſti, exiſtens ſub ſpeciebus Euchariſticis, concurrit active ad productionem alterius ſubſtantiæ, ex accidentibus corruptis.

16. Moribundus, & ſi nullum ſignum det, aut dederit contritionis, adeo, ut Sacerdos nec ſciat, nec prudenter putare poſſit præceſſiſſe ſenſibilem aliquam confeſſionem, abſolvi poteſt.

17. Confeſſio venialium non eget ullo dolore ad remiſſionem.

18. Confeſſio facta ſine ullo dolore valida eſt, etiam in mortalibus.

19. Dolor naturalis ſufficit ad veram confeſſionem, & abſolutionem Sacramentalem, cum effectu gratiæ conſequendam.

20. Confeſſarii Societatis gaudent independenter à P. N. Generali omnibus facultatibus conceſſis Societati. Idque vi Privilegii Pauli III. quod à nemine Pontificum conſequentium revocatum eſt.

21. Nonnulla peccata, quæ reſervantur in Societate, ut machinatio in ſuperiores, ſeminatio diſcordiarum, & ſimilia, licet attingant gravitatem peccati mortalis, non ſunt reſervata, niſi ſequatur effectus.

22. Is, qui præmiſſo examine, confeſſus eſt, & abſolutus, non tenetur deinde confiteri peccatum, quod memoriæ non occurrerat, & poſt peractam confeſſionem occurrit, & conſtat, nunquam fuiſſe directe in Confeſſione expoſitum.

23. Is qui à reſervato peccato, pro tali cognito, ex neceſſitate aliqua, indirecte, eſt abſolutus, non tenetur deinceps ſe Superiori ſiſtere, nec per ſe, nec per alium: ſed manet ſimpliciter abſolutus, & ſine ullo onere quærendi indirecte à reſervato abſolutionem.

24. *Circa quæſtionem de actibus liberis Dei hæc ſtatuimus.* 1. Non doceatur

ceatur à noſtris ſententia Cajetani. 2. Nec ulla alia, quæ cum ſententia Cajetani coincidat, & modo loquendi tantum ab ea differat. 3. Propter eam cauſam non doceatur, actum liberum Dei dicere aliquam rationem poſitivam, Deo intrinſecam, & in exiſtendo contingentem.

25. In materia de efficacia gratiæ ſervetur decretum P. Claudii conditum 14. Decembris 1613.

His adjungimus ſex alias propoſitiones, non quod credamus, quempiam ex noſtris eas docuiſſe; ſed quia oblatæ fuerunt PP. Deputatis, præſenti Catalogo duximus inſerendas. Sunt autem hæ:

1.

DEus eſt cauſa peccati.

2. Deus habet pro tempore actus amoris & odii, quos non habebat in æternitate; neque illud magis repugnat divinæ immutabilitati, quam quod videmus potentiam ejus executivam habere jam exercitia & actus, quos ante non habebat.

3. Quando DEus amat Petrum pœnitentem, quem antea oderat peccatorem, vere mutatur ſecundum noſtram diſpoſitionem, & chimæra eſt credere, eum habere ſimul actus amoris & odii.

4. Deus non determinat quidquam ab æternitate de hominum felicitate, vel damnatione, ſed expectat eorum ſtatum finalem, ut ad alterutrum ſe determinet.

5. Non eſt de fide, quod DEus ſciat adhuc determinate, qui ſint futuri beati vel damnati, quia illud ab hominum libertate dependet. Negando autem Dei præſcientiam liberarum rerum, facilis redditur prædeſtinatio, quæ cum illa præſcientia parit horrorem.

6. Nullo modo poſſibile eſt, Deum ſciviſſe, quod Adamus erat peccaturus, cum ſortem noſtram in manibus ejus poſuit.

15. Porro ſupradictas propoſitiones omnes, prout ſæpe declaravimus, nulla nos afficimus cenſura, ſed ſolum prohibemus doceri in noſtris Gymnaſiis ad majorem uniformitatem & ſoliditatem doctrinæ inter nos, & copioſiorem fructum in Auditoribus faciendum. Nec cuiquam patrocinari debet, ſi quæ forte ex illis repe-

riatur

riatur apud aliquos Autores, vel in libris jam editis à noſtris, etiam cum aliqua approbatione: nam optandum fuerat, ut diligentiores fuiſſent, & ſeveriores plerique Reviſores. Quod ſi nihilominus ex iis aliquæ (quod rarum omnino erit) communiter jam receptæ eſſent in aliqua Provincia, admoneat nos mature P. Provincialis, ut diſpiciamus, quid facto opus. Sicut & ſi quæ aliæ opiniones illic offenſam pariant, quæ hoc elencho non ſunt comprehenſæ: neque enim exiſtimet ullus, permiſſam ſibi eſſe aliam quamcumque doctrinam, propterea, quod Catalogo iſto non contineatur. Cum enim infinitæ poſſint excogitari ſententiæ, minus nobis accommodatæ; paucas ex multis, & miſſas huc dumtaxat ex variis Provinciis Elencho iſti cenſuimus inferendas. Quare communicetur Catalogus hic omnibus noſtris Profeſſoribus Philoſophiæ & Theologiæ, nec non Præfectis Superiorum facultatum; ut curent, ne hujusmodi ſententiæ vel proponantur in theſibus vel in diſputationibus propugnentur, vel in ſcholis noſtris doceantur. Denique communicetur etiam cum Reviſoribus omnibus, ut ſi contingat inſertas reperiri in libris, quos examinant, eos edi in lucem non permittant.

16. Vt autem hæc omnia executioni accuratius mandentur, Rectores inprimis Collegiorum, in quibus Superiores traduntur facultates, ponant ea inter præcipuas ſui muneris curas. De ſcholis ſæpe ac diligenter inquirant, & ſingulis annis in renovatione ſtudiorum, curent hæc omnibus in memoriam revocari. Provinciales deinde in viſitationibus ejusmodi Collegiorum, eadem examinent attente; vocato ad Conſultationem ſtudiorum Præfecto, atque hujus ſui officii rationem reddant Præpoſito Generali, quem etiam moneri quotannis expediet, de obſervatione vel ſecus, tum à Conſultoribus, tum à Præfecto ſtudiorum. Et cum quædam Collegia in ſingulis fere Provinciis ſint, præ ceteris ſpectabilia, unde ab aliis petuntur exempla, curent omni ratione Provinciales, ut doctrina & modus docendi, qui in iis tenebitur, ejusmodi ſit, ut idoneam inde reliqui omnes in eadem Provincia normam habeant, quam ſequantur: nominatim vero curandum id erit, prout optarunt PP. Deputati, in Collegio Romano totius Societatis, facile primo.

INDEX REGVLARVM,

Compendiariæ notæ, quæ hic diverſo charactere expresſis Regulis ſubjiciuntur, in Indice rerum eaſdem Regulas ſignificant.

REGVLÆ.

Provincialis.	*Prov.*	1236
Rectoris.	*Rect.*	1246
Præfecti ſtudiorum.	*Præf.*	1249
Communes Profeſſoribus ſuperiorum facultatum.	*Com. ſup.*	1253
Profeſſoris ſacræ Scripturæ.	*Script.*	1257
Linguæ Hebrææ.	*Heb.*	1259
Scholaſticæ Theologiæ cum Catalogo quæſtionum.	*Theol.*	1260. 1263
Caſuum Conſcientiæ.	*Caſ.*	1273
Philoſophiæ.	*Phil.*	1274
Philoſophiæ Moralis.	*Mor.*	1278
Mathematicæ.	*Math.*	1279
Præfecti ſtudiorum inferiorum. *Præf. inf.* ibid. Cum Legibus ſcribendi ad Examen. *Scrib.* 1288. & ad Præmia.	*Præm.*	1289
Communes Profeſſoribus claſſium inferiorum.	*Com. inf.*	1291
Profeſſoris Rhetoricæ.	*Rhet.*	1299
Humanitatis.	*Hum.*	1304
Supremæ Grammaticæ.	*ſup. Gr.*	1308

Mediæ.	*med. Gr.*	1311
Infimæ.	*inf. Gr.*	1313
Scholaſticorum noſtræ Societatis.	*Schol.*	1316
Eorum, qui biennio Theologiam repetunt.	*Repet.*	13 8
Adjutoris Magiſtri, ſeu Bidelli.	*Bid.*	1320
Scholaſticorum externorum.	*Ext.*	1321
Academiæ.	*Acad.*	1322
Præfecti Academiæ.	*Præf. Acad.*	1324
Academiæ Theologorum ac Philoſophorum.	*Acad. Theol.*	1325
Præfecti ejuſdem Academiæ.	*Præf. ac Theol.*	1327
Academiæ Rhetorum & Humaniſtarum.	*Acad. Rhet.*	1328
Academiæ Grammaticorum.	*Acad. Gr.*	1329
Ordinatio pro ſtudiis Superioribus.		1330

INDEX
RERVM,
QVÆ
TOTO LIBRO
CONTINENTVR.

Compendiariæ notæ in Regularum Indice explicantur.

ABECEDARII.

IN diſcipulos non admittuntur. pag 1241. Prov. reg. 21. §. 1.

Academia pro noſtris

Ad Magiſtros inſtituendos privata curetur 1243. Prov. 30. & 1247. Rect. 9. quo tempore, ac ratione. 1247. Rect. 9.

Ad Hebræam Græcamque linguam 1237. Prov. 8. & 1246. Rect. 7. ejuſdem tempus, ac ratio. ibid.

Ad Mathematica. 1241. Prov. 20.

Academia pro externis

Quid ſit. 1322. Acad. 1. in inferioribus quoque ſcholis inſtituenda, & quorſum. 1286. Præf. inf. 34. & 1298. Com. inf. 45 Academiarum partitio, ac numerus. 1323. Acad. 5.

Præfectus totius Academiæ à Rectore Collegii inſtituitur 1323. Acad. 4. ab eodem ei ſocius additur, & qualis. 1325. Acad. Theol. 3. & 1327. Præf. Acad. Theol. 4. Recognoſcit concluſiones, prælectioneſque Academicorum. 1326. 1327. Acad. Theol. 7. 11. ejus munus. Vide 1324. & 1326. in Regulis.

Magiſtratus Academiæ ſunt Rector, Conſiliarii, Secretarius. 1323. Acad. 7. quo tempore, ac modo eligendi. ibid.

Rector Academiæ qualis, & quid faciet. ibid. 7. 8. Rector Theologorum actum habeat. 1326. Acad. Theol. 8.

Conſiliariorum munus. 1323. 1324. Acad. 7. 9.

Secretarii munus. 1323. 1324. Acad. 7. 10.

Academicæ exercitationes tempore concionis, lectioniſve ſacræ ne fiant. 1249 Rect. 23. nec tempore congregationis. 1325. Præf. Acad. 5. Vide etiam *Conſultatio & Introductio.*

Academici externi.

Ex congregatione aut religioſi ferme ſint. 1249. Rect. 23. & 1323. Acad. 2. quales in virtutibus. ibid. 3. eorum nomina in libro ſint ſcripta. 1324. Acad. 12. ſint aſſidui, & exerceantur. 1323. Acad. 6. qui immodeſti ſunt, aut non frequentant, dimittantur, ibid.

Academia Theologorum, at Philoſophorum.

Conſtat exercitationibus repetendi, diſputandi, prælegendi, actus habendi 1325. Acad. Theol. 1. repetitiones fiant per horam: qua hora, forma, Præſide, ibid. 2. 3. diſputationum tempus, materia, argumentantes, Præſes 1326. Acad. Theol. 4. 5 6. prælegendæ quæſtionis, aut problematis ratio. ibid. 7. actuum tempus, materia, ratio, apparatus. ibid. 8. 9.

Præfecti hujus academiæ, qui, & totius academiæ munus. Vide 1327. *in Regulis.*

Præſes Theologis, aliquis ex noſtris Theologis provectior, qui & ſocius Præfecti ſit: Philoſophis Theologus quoque à Rectore Collegii deſtinetur. 1325. Acad. Theol. 3.

Rector hujus academiæ ſit ferme Theologus. 1323. Acad. 8. Poterit abſente Magiſtro Philoſophos dirigere. ibid.

Horum Academicorum prælectiones à Præfecto academiæ, concluſiones ab eodem & Magiſtro, præfationes actuum à generali quoque Præfecto recognoſcendæ. 1326, 1327. Acad. Theol. 7. 9. 11.

Academia Rhetorum, & Humaniſtarum.

Quibus diebus conveniant. 1298. Com. Inf. 45. & 1328. Acad. Rhet. 1. quas exercitationes Præfectus habere poterit. ibid. 2. quas academici, & qua ratione, ibid. 3. illuſtriores aliquæ cum apparatu fiant. ibid. 4. imo poſſunt etiam præmia proponi, ac diſtribui, & privata, & publica 1329. 5. 6. Feſtum aliquod B. Virginis verſibus affixis celebrent. ibid. 7.

Rector hujus academiæ ſit ferme ex Rhetoricæ. 1323. Acad. 8.

Academia Grammaticorum.

Quas exercitationes Moderator habere poterit. 1329. Acad. Gr. 1. Academici exerceantur repetendo, diſputando, memoriter narrando, prælegendo, privatim, publice, ibid. 2. 3. 4. 5. 6. varientur exercitationes. 1330. 8. pœnæ litterariæ in negligentes. ibid. 7.

Actus.

Curabit Præfectus actus Theologicos tum noſtrorum. 1250. Præf. 7. ſive peculiares quarto ferme anno Theologiæ habendos. ibid. quorum materias Præfectus cum Magiſtris diſtribuet, & qua ratione fiant. ibid. 8. ſive generales. ibid. 9. 10. 11. tum externorum ſolemniores. 1251. præf 12. qui præſideant. ibid. 13. Theologicos peculiares quatuor, generalem unum habeant repetentes Theologiam. 1319. Repet. 9.

Actus Philoſophici. 1251. Præf 19. quales, quo examine, & per quos ſeligendi qui hos habituri ſunt, ſive noſtri. 1251. 1252. Præf. 19. 20. 22. ſive externi. 1252. Præf. 21. 22.

Examinis tempus, ac forma 1252. Præf. 23. Vide *Examen.* Actuum ipſorum tempus, ac forma ibid. Præf. 24.

Quibus actibus qui interſint. 1252. Præf. 25.

Actus Academicorum.

Vide *Academia.*

Adjutor

Magiſtri. Vide *Bidellus.*

Admiſſio

Novorum diſcipulorum, & examen. Vide *Examen*, & *Scholaſtici.*

Non

Non admittantur à Magiſtris, 1291. Com. inf. 11.

Argumenta

In diſputationibus ordinarie non proponat Præfectus. 1250, Præf. 6. urgeantur à profeſſoribus. 1252. Præf. 25. & 1256. Com. ſup. 16. Philoſophorum contra fidem refellantur. 1275. Phil. 2.

Ad argumentandum cum externis mitti poſſunt, qui Theologiam recolunt. 1253. Præf. 26. Doctores externi invitari poſſunt. 1255. Com. ſup. 16.

Argumentandi forma. Vide *Diſputatio.*

Argumentum ſcribendi in inferioribus. Vide *Scriptio.*

Ariſtoteles

In Philoſophia ſequendus, & quatenus. 1275. Phil. 2. in ejus textu explicando non minus quam in quæſtionibus ponatur operæ. 1277. Phil. 12. præſertim in celebrioribus. 1276. Phil. 11. §. 2. & 1277. 13.

Ethicæ Profeſſor in eodem textu progrediatur. 1278. Mor. 1. quid ex eo ob præcepta præleget Profeſſor Rhetoricæ. 1299. Rhet. 1. & 1301. Rhe. 6.

Interpretes Ariſtotelis mala de fide meriti, ut Averroës, magno cum delectu legendi. 1275. Phil. 3. 4. eorum errata non diſſimulanda. ibid. 5.

Arma

In atrium aut ſcholas non inferenda. 1287. Præf. inf. 43. & 1321. Ext. 5.

Ars Metrica

In claſſe Humanitatis alternis diebus recolatur, & quomodo 1305. 1307. Hum. 2. 8. alternis quoque in ſuprema Grammaticæ. 1308. ſupr. Gr. 2. quotidie vero abſoluta repetitione Grammaticæ. ibid Græca ad Rhetoricam ſpectat. 1299. Rhet. 1.

Atrium claſſium.

Nihil ibi armorum, nihil otioſorum. 1287 Præf. inf. 43. luſtrandum à Præfecto, & ſcholarum tempore, & ante. ibid. 44.

Aula

Quo pacto ornanda in publicis actibus. 1320. Bid. 6. poteſt in ea recitari promovendorum catalogus. 1287. Præf. inf. 26. & Declamationes, & Carmina Rhetorum 1303. Rhet. 17.

Auctoritates

Qua ratione à Profeſſoribus afferendæ. 1255. Com. ſup. 8.

Auctoritas Rabbinis non concilianda. 1258. Script. 9. Philoſophorum male de fide meritorum imminuenda. 1275. Phil. 4.

BIBLIOTHECA

Amplificetur annuo reditu aſſignato 1243. Prov. 33. Bibliothecarius libros ex Præfecti præſcripto diſpenſet. 1248. Rect. 17.

Bidellus.

A Rectore conſtituitur. 1256. Com. ſup. 19. cum eo agat Magiſter. ibid. obtemperet Magiſtro. 1320. Bid. 1. Quodnam ejus munus. Vide *ejus Regulas.* 1320.

Brevitas

Commendatur profeſſoribus. 1254. Com. ſup. 7. 8. & 1258 Scrip. 12.

CANCELLARIVS.

Vide *Præfectus generalis.*

Carmina.

Quomodo argumentum eorum proponendum in Rhetorica. 1302. Rhet. 10. in Humanitate. 1306. Hum. 6. in prima Grammaticæ. 1310. ſup. Gr. 7.

A Rhetoribus in ſchola interdum, interdum in Templo, ſive aula recitentur. 1303. Rhet. 16. 17. Vide etiam *Declamatio.*

Ab externis Rhetoribus Humanitatiſque ſtudioſis alternis ferè menſibus affigantur. 1303. Rhet. 18. & 1307. Hum. 10. A noſtris Rhetoribus, & ſemper & publice. 1304. Rhet. 20.

A noſtris Theologis, ac Philoſophis bis, terve in anno. 1247. Rect. 8. quæ propalam collocantur, ſeligenda nonnulla. 1280. Præf. inf. 3.

Caſus Conſcientiæ

Qui ad hos deſtinandi 1239. Prov. 19. §. 4. Theologiæ Profeſſor quo pacto eos tractabit. 1262. Theol. 9. § 4.

Caſuum diſputatio hebdomadaria fiat in ſchola, & quo pacto. 1273. Caſ. 6.

Caſuum collatio domeſtica quoties in hebdomada fiet in Domibus, aut Collegiis 1238. Prov. 13. 14. quinam ad eam convenient, & quo Præſide. ibid. 12. 14. 15. non abſit Superior. ibid. 15. Interſint eidem repetentes Theologiam. 1318. Repet. 2. collationis forma. 1274. Caſ. 7. 8. 9. 10. de propoſitis caſibus conſulantur auctores. ibid. 8. diſcutiantur, & expendantur ſententiæ. ibid. 9. ſi quid extra materiam occurrat, deferatur ad Præſidem. ibid. 10.

Caſuum Profeſſor unus, vel duo, qui biennio materias abſolvant, à Provinciali deſtinantur 1238. Prov. 12. Profeſſoris finis, ac munus. 1273. *in ejus Regul.*

Catalogus

Dierum feſtorum faciendus in unaquaque Provincia. 1244. Prov. 37. §. 2.

Quæſtionum à Profeſſore Theologiæ in Summa S. Tho. ordine explicandarum. 1263. ad 1271.

Diſcipulorum inferiorum ſub anni initium, accuratiſſimus extremo anno à Magiſtris Præfecto tradendus. 1297. Com. inf. 38. Examinatores illum accurate legant, & conferant. 1284. Præf inf. 20.

Promovendorum diſcipulorum ubi promulgandus. 1285 Præf. inf. 26. optimi quique nominentur primi. ibid. ſuus cuique Magiſtro antequam recitetur oſtendendus. 1284. Præf. inf. 24.

Librorum explicandorum fiat ante ſtudiorum initium. 1285. Præf. inf. 27.

Catechiſmus

In claſſibus Grammaticæ, & in aliis inferioribus recitandus 1291. Com. inf. 4. 5. & 1311. Exter. 4. *Vide regulam ſecundam cujuſque claſſis.*

Explicandus feria ſexta, aut ſabbatho. ibid. ultima ſemihora pomeridiana in ſingulis claſſibus. 1306. 1309. 1312. 1315. & 1321. Exter. 4.

Cenſor.

Vide *Decurio Maximus.*

Cicero.

Solus ferè ad ſtylum proponendus. 1299. Rhet. 1.

Claſſes inferiores.

Vide *Gradus*, *Ordines*, & *Scholæ.*

Coadjutores.

Non deſint in Collegiis parvis, ne diſcipuli munera eorum obire cogantur. 1243. Prov. 32.

Collegia

Et Vniverſitates cur admittat Societas. 1246. Rect. 1.

Colloquia

Magiſtrorum cum externis ſcholaſticis qualia. 1292. Com. inf. 6. ſint in loco patenti. 1298. Com. inf. 47. qualia Scholaſticorum noſtrorum cum externis condiſcipulis 1317. Schol. 8.

Co-

Comœdiæ

Ac Tragœdiæ ſint rariſſimæ, ſacro argumento, totæ Latinæ, ſine habitu muliebri. 1247. Rect. 13. cavendum, ne in his, aliiſque recitandis fiat jactura morum. 1248. Rect. 14. quæ noſtrorum ſunt in codicem referantur. ibid. 16.

Concertationes.

Privatæ inter condiſcipulos ſingularum claſſium inferiorum magni faciendæ. 1296. Com. inf. 31. quales eſſe debeant, & qui quibus committendi. ibid. præmia victoribus proponantur. ibid. quibus de rebus eſſe poterunt inter æmulos in Rhetorica. 1302. Rhet. 12 in Humanitate. 1307. Hum. 7. in prima Grammaticæ 1310. reg. 10, in media. 1313. reg. 10. in infima. 1315. reg. 9.

Solemniores inter duas claſſes, hoc eſt cum proxima, 1296. Com. inf. 34. Præfecto præſente. 1285. Præf. inf 33.

Conciones

A ſcholaſticis externis toto anno diebus feſtis audiendæ 1291. Com. inf. 3. & 1321, Ext. 3. bis in hebdomada in quadrageſima. ibid. hortandi ad has ſcholaſtici ſuperiorum claſſium. 1254. Com. ſup. 3. Ne ob Academiam, aut Congregationem impediantur audire. 1249. Rect. 23. & 1325. academ. Theol. 2.

Contionandi talentum.

Vide *Talentum.*

Concluſiones.

Concluſionum in quavis diſputatione numerus ac ratio. 1251. 1252. Præf. 14 24. omnes à Magiſtro corrigantur. 1320. Bid. 4. à Præfecto recognoſcendæ. ibid. & 1254. Com. ſup. 4. qui nihil ex iis immutet inſcio Magiſtro, ac Rectore. 1251. Præf. 18. Academicorum recognoſcit Magiſter, ac Præfectus Academiæ, 1327. acad. Theol. 11 Metaphyſicus unam Ethicæ interſerat philoſophicis 1279. Mor. 4.

Reſponſurus concluſionem confirmet initio. 1251. Præf. 15. quinam ex Philoſophis eam confirmabit in menſtruis. 1277. Phil. 17.

Generalium actuum Theologicæ communes eſſe, & imprimi poſſunt. 1251. Præf. 10. unus Theologus ſub finem ſtudiorum, alter ſub initium poteſt eas defendere. ibid. 11.

Caſuum concluſiones ſabbatho habeantur. 1273. Caſ. 6.

Confeſſio.

Diſcipulorum à Præfecto curetur diligenter 1287. Præf. inf. 46. ſingulis fiat menſibus 1292. Com. inf. 9. & 1321. Ext. 3. diſcipuli Confeſſario nomen tradant in ſchedula. 1292. Com. inf. 9.

Nihil litterariæ exercitationis ob Confeſſionem deperdatur. 1298. Com. inf. 42. ideo ſinguli, aut bini, redeuntibus aliis, ordine ſubmittantur. ibid. hortentur Magiſtri ad eam ſæpe & rite obeundam. 1291. Com. inf. 5. etiam ſuperiorum claſſium. 1254. Com. ſup. 3.

Confeſſarii plures, & interdum extraordinarii externis ſcholaſticis aſſignentur. 1239. Prov. 31. tempeſtive adſint in Templo. 1287. Præf. inf. 46. ſchedulas recipiant nominum 1292. Com. inf. 9.

Congregatio

B. Virginis ex Romano Collegio in alia propaganda. 1249. Rect. 23. tempore concionis ne congregationis, tempore congregationis ne academiæ exercitationibus, vel privatis colloquiis diſtineantur diſcipuli. ibid. & 1325. Præf. acad. 5.

Conſultationes

Magiſtrorum infra Logicam ſingulis, aut alternis menſibus; ſuperiorum claſ-

ſium interdum ſiant, & qua ratione. 1248. Rect.18.

Academicorum ad Academiam promovendam ter quaterve in anno. 1324. Acad. 11. 12.

Conſultores

Provinciales adhibeantur, dum deſignantur qui Theologiam biennio repetant. 1237. Prov.10. & in dijudicandis talentis, ac virtute, ut mediocres pergant in ſtudiis. 1240. Prov.19. §.8.

Controverſiæ

Contra hæreticos à Profeſſore ſcholaſticæ quatenus attingendæ. 1261. Theol.9. §.2. eas Scripturæ Profeſſor ex loco quem tractat, decidat breviter. 1258. Scrip.16. qui Theologiam repetunt, iis tempus certum impendant. 1319. Rep 12.

Correctio

Ob delicta domeſtica ne adhibeatur in ſcholis. 1286. Præf. inf. 38. qui eam recuſant, aut cogantur, aut conſulto Rectore eiiciantur. ibid. 39.

Quorum non ſperatur emendatio, dimittantur à ſcholis. 1286. Præf. inf. 40. & 1321. Ext. 7. quid agendum ſi non ſatis ſit expellere. 1287. Præf. inf. 41. ſemel dimiſſis non pateat reditus, inconſulto Rectore. ibid. 42.

Corrector

Diſcipulorum de Societate non ſit. 1286. Præf. inf. 38 ejus opera quando, & quomodo Magiſtri utentur. ibid. & 1321. Ext.7. atque ita, ut per ſe ipſi non plectant. 1297. Com. inf. 40.

Crucis ſignum

Ante prælectionem fiat à Magiſtris omnibus. 1254. Com. ſup. 2. & 1291. Com. inf. 2.

Curſus

Philoſophiæ triennio minimum abſolvitur, ubi ſunt noſtri. 1238. Prov.17. & 1275. Phil.7. Theologiæ quadriennio. 1237. Prov. 9. & 1261. Theol.7. Rhetoricæ & Humanitatis biennio, interdum quoque triennio. 1239. Prov.18. Caſuum biennio. 1238 Prov.12. & 1273. Caſ. 2.

DECLAMATIONES.

Vel Carmina, vel Prælectiones, quæ pronunciantur, expoliantur, non de integro fiant à Magiſtris. 1296. Com. inf.32.

Privatim alternis ſabbathis habeantur à Rhetore, & Humaniſta. ibid. 33. & 1299. 1303. Rhet. 1. 16. & 1305. Hum. 2.

Invicem ſeſe his duabus claſſibus invitantibus. 1296, 1300, 1303. 1305. interſit Præfectus inferior. 1285. Præf. inf. 33. In claſſibus Grammaticæ habeatur prælectio tantum. 1296. Com. inf. 33. Publice ſingulis fere menſibus habeantur à Rhetore in Aula. 1303. Rhet. 17. ſuperiorum claſſium frequentia cohoneſtentur 1285. Præf. inf. 32.

Ex noſtris nemini abeſſe liceat Rectoris iniuſſu. ibid. ea Præfectus ſuperior antea recognoſcit. 1280. Præf. inf. 3. & 1303. Rhet. 17. aut, ubi is non eſt, inferior 1288. Præf. inf. 50.

Declamatio in præmiorum diſtributione haberi poteſt. 1286. Præf. inf.35.

Decuriones.

Minores à Præceptoribus conſtituuntur & eorum munus. 1293. 1297. Com. inf. 19. 36. memoriæ penſum ipſi cui perſolvent. 1293.

Decurio maximus, qui & Cenſor, ſive Prætor, à Præfecto inferiore in ſingulis claſſibus conſtituitur. 1286. Præf. inf. 37. ejuſdem privilegia, & munus. ibid.

Dialogi

Dialogi

Publice in præmiorum diſtributione recitari poſſunt. 1286. Præf. inf. 35 privatim interdum, & ſine ornatu à Rhetore in ſchola, 1304. Rhet. 19.

Dictatio.

Qualis, quarumve rerum in claſſibus ſuperioribus. 1255. Com ſup. 9. 10. qualis in inferioribus. 1294. Com. inf. 27. in his obſervationes aliquæ in prælectionibus dictari poſſunt. ibid. ſcribendi argumentum qua ratione, & cujusmodi in his dictandum. 1295. Com. inf. 30. Vide etiam *Scriptio.*

Dies feſti.

Vide *Feriati dies*

Dimiſſio

Ab ſcholis fit Præfecto, ac Rectore conſulto. 1286. Præf. inf. 39. 40. & 1292 Com. inf. 11.

Dimittendi, ac *Dimiſſio*. Vide *Correctio.*

Diſciplina.

Curetur à Magiſtris, & qua ratione. 1297. Com. inf 39.

Diſcipuli.

Vide *Scholaſtici.*

Diſputationes

Superiorum claſſium curentur à Magiſtris ſummopere. 1256 Com. ſup. 18. & à Præfecto. 1251. Præf. 16. moderandæ à Præfecto, ubi Profeſſores conveniunt, & quomodo. 1250. Præf. 6 diſcipulos adjuvet, ac dirigat Magiſter 1256 Com. ſup. 18. interſint alii quoque Profeſſores noſtri, aut externi. 1256. Com. ſup. 16. & Rector frequenter. 1246. Rect. 3. qui Profeſſores in his, & quo pacto urgebunt argumenta. 1256. Com. ſup. 16.

Non diſputent publice, niſi doctiores ibid. 17. interſint ſcholaſtici ordinarii diſputationibus. 1317. Schol 5 6. diſputaturi mature moneantur. 1320. Bid. 3. 4.

Hebdomadariæ Philoſophorum, ac Theologorum ſabbatho fiant, ni ſi ea hebdomada ſint duo feriati dies 1255. Com. ſup. 14. Hebdomadariæ Caſuum ſabbatho quales. 1273. Caſ. 6.

Menſtruæ Theologorum, ac Philoſophorum ſingulis, aut alternis menſibus 1256. Com. ſup. 15. interſint utriique qui Theologiam recolunt. 1318. Rep. 2. 3.

Theologicæ quomodo inſtituendæ. 1263. Theol. 14. Philoſophicæ quomodo. 1277. Phil. 17. Logici in Summa ad has non conveniunt. 1278. Phil. 18. ubi eſt unus Philoſophiæ Magiſter, pro menſtruis habeat ter quaterve in anno ſolemniores. 1278. Phil. 19.

Solemnes diſputationes Vide *Actus.*

Diſputandi formam ſevere exigant Magiſtri. 1255. Com. ſup. 12. præcipue philoſophiæ. 1278. Phil. 20. Ad diſputandum cum externis mittantur præcipue, qui Theologiam recolunt. 1253. Præf. 26.

Inferiorum claſſium tum privatæ, quotidianæ, ac ſabbathi, tum ſolemniores cum proxima claſſe. Vide *Concertationes.*

Academicorum. Vide *Academia.*

Doctrina, Docere.

Incommodis ex perturbato ordine dicendi, quomodo providendum. n. 3. p. 1331.

Vnde colligendum, quæ ſit, aut non ſit Doctrina nova n. 12. p. 1342.

Doctrina Chriſtiana.

Vide *Catechiſmus.*

Doctores

Externi invitentur ad argumentandum 1256. Com. ſup. 16.

Doctoratus. Vide *Gradus.*

Elenchus.

